10
5
264
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

10. 5. 264

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ F. NICOLAI AUGUSTINI CHIGNOLI

ORDINIS PRÆDICATORUM

In Ferrarienſi primum, exinde in Regia Taurinenſi Univerſitate S. Theologiæ Profeſſoris.

PARS SECUNDA

IN TRES TOMOS DIVISA.

IV. De Opere ſex Dierum, & de primo Homine. V. De Deo Homine facto. VI. De Dei Gratia.

Della Libreria di S. Giuseppe de' PP. Minimi



VENETIIS.

CUDIT SIMON OCCHI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

MDCCLXVI.

Digitized by Google

NOS FR. JOHANNES DOMINICUS VILLAVECCHIA
S. Theol. Magiſter, ac univerſi Ordinis FF. Prædicatorum, humilis Vic., Proc. Gener., & Servus.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate Officij facultatem, quantum in Nobis eſt, concedimus R. Ad. P. F. Nicolao Auguſtino Chignoli Ex-Vicario Generali Congregationis noſtræ S. Sabinæ, ut poſſit typis mandare Opus, cui titulus: *Prælectiones Theologicæ a R. Ad. P. F. Nicolao Auguſtino Chignoli Ordinis Prædicatorum in Ferrarienſi primum, exin in Regia Taurinenſi Univerſitate Sacræ Theologiæ Profeſſore*, ab eodem compoſitum, & de Mandato noſtro reviſum, atque approbatum a duobus Ordinis noſtri Theologis, nimirum a R. P. Lect., & Priore Conventus noſtri S. Sabinæ de Urbe F. Thoma Angelico Beſozzi, & a R. P. Lect. F. Brunone Toma præfatæ noſtræ Congregationis. Servatis de jure ſervandis. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſupra Minervam die 15. Januarij 1763.

F. Joannes Dominicus Villavecchia.

Mag. Vic. Proc. Generalis Ordinis.

Regiſtr. Pag. 10.

F. Angelus Rafferi
Mag., & Pro-Socius.

Digitized by Google

EXERCITATIONES

De Opere ſex dierum, ſeu de ſpectabilis hujus mundi opificio.

Nihil eſt argumento hoc, quod verſare inſtituimus, magis implexum, pluribuſque difficultatibus impeditum, nihil (quod veri Studioſos maxime abſterret & frangit) propter opinionum invicem pugnantium varietatem majorem inveniendæ veritatis difficultatem affert; Patres enim a Patribus, Interpretes ab Interpretibus, Theologi a Theologis, Philoſophi a Philoſophis diſſident, & in oppoſitas ſententias abeunt, quas inter difficillime pronuntiaris, quæ certo vera, quæ probabilior, & vero propior; quare Eccleſ. 3. rectiſſime ait Salomon: *Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut diſtendantur in ea: Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque in finem.* Non ii ſumus, qui de egregiis adeo ſpectatiſque Viris ſententiam ferre poſſimus, ac decernere, quorum ſit opinio præferenda: calamum itaque ſic moderabimur, ut varias Patrum, Interpretum, Theologorum, Philoſophorumque ſententias referamus, nec tamen de ulla noſtrum judicium interponamus, nec ullam notemus, niſi forte aliqua occurrerit, quæ ſcripto, vel tradito Dei verbo, vel Eccleſiæ auctoritati, vel naturali rationi manifeſte adverſetur. Erunt priores Exercitationes noſtræ Commentarioli inſtar in mundi geneſim, ſeu in ſex dierum opera, quo ſummatim perſtringemus, quæcunque a Deo ſex dierum ſpatio condita Moſes deſcribit, variaſque interpretationes ac ſententias recitabimus, quæ de ſingulis Dei operibus a Moſe recenſitis cum apud Veteres, tum apud Recentiores feruntur, donec ad præcipuum, ac poſtremum Dei opus ſermo deductus fuerit, qui de tam præclaro argumento, ut multo gravior, ita copioſior erit.

Digitized by Google

EXERCITATIO I.

Vera & certa mundi geneſis narratio ex ſolo Moſe petenda eſt.

I. NIhil novi in hac exercitatione dicturi ſumus; quotquot enim de Chriſtianæ Religionis veritate ſcripſerunt, idem hoc, quod propoſuimus, argumentum perſecuti ſunt, iiſdemque momentis ferme conſtabilierunt, quibus illud breviter confirmabimus; neque tamen nos pudet, jam ab aliis dicta noſtrum in uſum convertere, quum nemo id probro vertat tot celeberrimis Viris, qui ante nos in eodem hoc argumento verſati ſunt. Joanni Clerico in notis in eximium Hugonis Grotii *de veritate Chriſtianæ Religionis* opus animadverſum eſt, quamquam ætate Grotii Ræmundus Sebundus, Ludovicus Vives, & Philippus Mornæus potiſſimi ferrentur ea de re Scriptores, a Grotii tamen ævo innumeros, Anglice præſertim, & Gallice, idem hoc argumentum retractaſſe, quos exemplo ſuo Grotius excitavit, quem Recentiores ſunt imitati, & interdum etiam expilarunt; quare, ſicut Grotius l. I. §. I. primam tam piæ, tamque neceſſariæ ſcriptionis gloriam non ad ſe transfert, ſed operis occaſionem indicans teſtatur ingenue, ſelecta ab ſe ex veteribus ac novis, quæ ſibi maxime probabantur, omiſſis argumentis, quæ parum videbantur habere ponderis, & auctoritate eorum librorum, quos ſubditicios eſſe, aut certo ſciebat, aut merito ſuſpicabatur, quibus autem ipſe aſſentiebatur, ea & ordine certo diſpoſita, & expoſita, quam potuit, maxime populariter, & verſibus incluſa, quo rectius memoriæ mandarentur, ita poſteriorum ferme nullus non eadem illa adhibuit aliter digeſta, latiuſque expoſita, quæ aut Grotius ipſe preſſe, ſtrictimque attigerat, aut ſingularis ingenii, acerrimique judicii Vir Blaſius Paſcalis ſuis in *commentationibus* rudis ſpeciminis ergo propoſuit. Licet ergo laudari nolimus, quod argumentum multis aliorum diſputationibus tritum retexamus, nec vituperari tamen poſſumus, tum quod ſatis aliorum exemplo purgamur, tum quod ſperamus, fore, ut non ſit de hoc argumento exercitatio noſtra prorſus inutilis.

II. Quo vero fælicius efficiamus, quod volumus, exploratæ rei loco ſumimus, mundum nec æternum eſſe, nec caſu prodiiſſe. Mundum neque infectum, neque æternum eſſe, tam validis argumentis a Viris acutiſſimis demonſtratum eſt, ut jam ridendus ſit, qui mundi æternitatem aſſerat. Omnium copioſiſſime & nervoſiſſime hanc convellit D. Jaquelot diſſertat. I. de exiſtentia Dei, in qua latiſſime argumenta verſat urgetque, quæ l. I. de verit. Relig. Chriſt. §. VII. extremis, ut ajunt, digitis Grotius attigit ſcribens: „ Non ab æterno extitiſſe hominum genus, ſed a certo tempore communem ſtirpi ſumpſiſſe originem, evincunt inter alia, artium progreſſus, & incultæ olim terræ, quæ habitari poſtea cæperunt, quod & inſularum ſermo teſtatur profectus a terris adjacentibus: tum vero inſtituta quædam ita hominibus communia, ut non tam naturæ inſtinctui, aut evidenti rationis collectioni, quam perpetuæ & vix paucis in locis per malitiam & calamitatem interruptæ traditioni accepta ferri debeant &c. " Adnotat ibidem Grotius, & Tertullianum ex Hiſtoriis hoc idem collegiſſe l. de anima ſect. XXX. *Invenimus autem apud omnes commentarios, etiam humanarum antiquitatum, paulatim humanum genus exuberaſſe . . . Ipſe orbis in promptu eſt cultior in dies, & inſtructior priſtino.* Sed & diu ante Tertullianum iiſdem his argumentis mundi novitatem adſtruxerant Lucretius v. 325. & ſequu., Virgilius Ecloga VI., & I. Georgic., Horatius l. I. Satyra III., Plinius l. 3. Hiſt. natur. circa initium, Seneca apud Lactantium, & Tacitus l. III. Annalium; quare Ariſtotelis ſententiæ, quæ numquam cæpiſſe vult genus humanum, nulla apud Hiſtoriarum peritos auctoritas; „ neque vero non aliis tantum, ſed nec plene, „ ait ibidem Grotius, ſibi ipſi probavit „ Ariſtoteles illam ſuam de hominum genere numquam cæpto perſuaſionem; „ hæſitanter enim compluribus in locis „ ea de re loquitur, ut notatum Moſi „ Maimonidæ *Ductoris dubitantium* l. II. „ in præloquio libri ſecundi de cælo, capite primo. " Mittimus, quæ habet l. XI. Metaphiſ. c. VIII., l. III. de generat. animal. c. ult., l. I. de cælo c. 2., eaque ſolum exſcribimus, quæ l. I. Topic. c. XI. tradit: „ Quæſtiones ſunt, „ de

de quibus & in alteram partem eſt ratiocinari, ubi nempe diſputari poteſt, res ſic ſe habeat, an aliter, quia in utramque partem argumenta ſunt probabilia, tum etiam de quibus certi aliquid non habemus, quia, quum res ipſæ ſint graves, cauſas, cur ſic vel ſic res ſe habere pro certo habeatur, non invenimus, ut an ab æterno ſit mundus, nam talia ſolent venire in diſputationem. " Mundum itaque æternum eſſe, perperam & inaniter fingitur, nec ullam veri ſimilitudinem habet; præterquam quod enim errorem hunc tota mundi Hiſtoria revincit, ipſi, qui eam primo excogitarunt, veteres Philoſophi eo capti ſunt, quod animum ad veram germanamque Dei Opificis notionem non adverterint, ſed totum in ridiculis, & Philoſopho indignis quæſtionibus defixerint, puta, quæ Deum occupatio diſtineret, antequam mundum extrueret, ut eſt apud Plutar. *l.* 1. *de Placit. Philoſ.*, item quæ ad mundi molitionem inſtrumenta adhibuerit, ut *l.* 1. *de nat. Deor. c.* 8. refert Cicero, quibus qui hodie ſe quæſtionibus implicant, non ridendi ſolum ut inepti, ſed omnem ſalutis ſuæ curam ſe abjeciſſe, produnt, quum tenebras luci præferant, quemadmodum ſcite ait D. Jaquelot *l.* 1. *de librorum veteris novique fœderis veritate &c. c.* 2.

III. Hujus vero mundi quondam extiti quis artifex? Num caſus? Mirum eſt, veterum Philoſophorum nonnullis, Leucippo, Democrito, Epicuro in mentem venire *potuiſſe*, eſſe corpuſcula quædam lævia, alia aſpera, rotunda alia, partim autem angulata, curvata quædam, & quaſi adunca, ex his effectum eſſe cælum atque terram, nulla moderante ratione, ſed concurſu quodam fortuito, ut eſt apud Ciceronem *l.* 1. *de nat. Deor.*: magis tamen mirum, eadem ferme ſentire, & mundi hujus exordia, ſtructuram atque diſpoſitionem in caſum auctorem etiamnum hodie referre homines, qui ipſi ſibi ſoli ſapere, ſoli cogitare videntur, cæteroſque tantum non ſtipitum loco habent. Etſi in hoc inſano commento obterendo multam poſuerint operam poſt Grotium plures, Nieventyth præſertim in egregia tractatione *de exiſtentia Dei &c.*, De Ram *in Theologia phyſica & cœleſti*, nemo tamen illud diſertius, & efficacius refellit Cicerone *l.* 2. *de nat. Deorum*, ex quo recentiores mutuati ſunt, quæ de hoc argumento ſcripſerunt. Eſt & Galeni *l.* III. *c.* 10. *de uſu partium* „ locus, ait Clericus in notis in libros Grotii *de verit. Relig. Chriſt.*, lectu digniſſimus, & prolixior, quam huc transferri queat; ſed hęc adcuratius multi Recentiores in Anglia, Phyſici & Theologi expoſuerunt. " „ Præclare ergo Ariſtoteles, ait ibidem Cicero, ſi eſſent, inquit, qui ſub terra ſemper habitaviſſent, bonis & illuſtribus domiciliis, quæ eſſent ornata ſignis atque picturis, inſtructa rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exiſſent unquam ſuper terram, accepiſſent autem fama & auditione, eſſe quoddam numen & vim Deorum, deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus, ex illis additis ſedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent, quum repente terram, & maria, cælumque vidiſſent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognoviſſent, adſpexiſſentque ſolem, ejuſque tum magnitudinem pulcritudinemque, tum etiam efficientiam cognoviſſent, quod is diem efficeret, toto cælo luce diffuſa, quum etiam terras nox opacaſſet, tum cælum totum aſtris cerneret diſtinctum, & ornatum, lunæque luminum varietatem, tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorumque omnium ortus & occaſus, atque in omni æternitate ratos immutabileſque curſus, hæc quum viderent, profecto eſſe Deos, & hęc tanta opera Deorum eſſe arbitrarentur; atque hæc quidem ille. " Ad hęc, qui ſolidiſſima illa adjecerit, quæ 1. *p.* q. 44. *ar.* 1., 3., & 4., & *q.q.*47.*ar.*1. & 2., & 2.c. g. *c.* 15. & 16. & *c.* 39. uſque *ad* 45., & de *pot. q.* 3.*ar.* 16. D. Thomas e naturali ratione profert, urgetque, ut Deum univerſitatis rerum principium, exemplar & finem eſſe, nec ab alia cauſa rerum multitudinem, diſtinctionem, ac inæqualitatem, quam a Deo petendam, demonſtret, non poterit non perſuaſum habere, delirare profecto eos, qui vel dubitant, caſune mundus effectus ſit, aut neceſſitate aliqua, an ratione ac mente divina.

IV. Eſſe itaque præſtantem aliquam æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam admirandamque hominum generi, quam Deum dicimus, & hanc mundum ædifi-

caſſe ſecundum Platonem *in Timæo*, pulcritudo mudi, ordo rerum cæleſtium, aliaque iunumera confiteri cogunt. Sinceram autem ædificationis hiſtoriam qui nobis dabunt? Ægiptii ne, Chaldæi, vel Græci, qui de mortalium ortu, regnorum initiis ac vetuſtate, & temporum diſtributione commenticia multa & futilia cuderunt, ac literis conſignarunt? Unus eſt Moſes, qui vera & certa tradiderit, ex cujus proinde libris tota rei geſtæ narratio unice ducenda eſt. Divina etiam auctoritate ſepoſita, qua omnis de hac veritate dubitatio prorſus abigitur, ipſa naturali ratione & receptiſſimis Critices regulis ſperamus, effectum iri, quod volumus. „ Quum „ mundus adoleviſſet, jamque a ſui ortu „ diſtaret, ait Paſcalis ſuis in Commenta„ tionibus *c.* XI., cujus titulus *Moſes*, e„ juſdem effector atque molitor Deus ſa„ pienter providit, ut tantæ rei geſtæ „ narratio ab Hiſtorico in literas referre„ tur, quarum magna natio cuſtos eſſet, „ quo hæc hiſtoria eſſet omnium maxime „ authentica, atque omnes inde rei ſcitu „ tam neceſſariæ, quæque aliunde ſciri non „ poterat, notionem haurirent. " Hiſtoricum hunc Moſen nomine omnium antiquiſſimum, maxime ingenuum ac veracem totam, ut vere geſta eſt, rem libro, qui *Geneſis* dicitur, perſecutum eſſe, nec de ejus fide dubitari prudenter poſſe, ideoque ab eo uno ceu omnium antiquiſſimo & veraciſſimo conditi terrarum orbis hiſtoriam repetendam, Viri præſtantiſſimi multi, Grotius præſertim *l.* I. *de verit. Relig. Chriſt.* §. XV. & XVI., Jaquelot cum in diſſertat. *de exiſtentia Dei*, tum in opere *de librorum V. & N. Teſt. veritate*, ac *inſpiratione vol.* I. *c.* XII. & *ſequ.*, D. du Bois de La Cour in diſſertat. ad commentationes Paſcalis attexta, aliique tam perſpicuis tamque validis argumentis demonſtrarunt, ut nulla hactenus ſolida exceptione retundi eorum vis potuerit, nec vero poſſit. Quum hæc ſint apud omnes prope eadem, nec niſi dilatata a poſterioribus, quæ apud priores preſſiora ſunt, & contricta, opportuniora libabimus, & ad convincendum aptiora.

V. Ac primo quidem Moſen libri Geneſis vere auctorem eſſe, qui dubitare poſſumus, niſi totam velimus humanam fidem peſſumdare, nihilque in humanis literis certi ratique habere? Unde enim Tullii, e.g., Virgilii, Quintiliani &c. libros, eorum, quorum nomina præferunt, Auctorum certo eſſe, novimus & conſtanter fatemur, niſi quod id ſemper tulerit, atque ferat ſæculorum omnium ſibimet ſuccedentium conteſtatio perpetua, quod ab Auguſtino primum *l.* 33. *contra Fauſtum c.* 6. ad aſſerendam librorum novi fœderis ſinceritatem adhibitum argumentum nemo poſteriorum ad idem vel ſimilia efficienda non verſavit? Nonne autem non Chriſtianorum ac Hebræorum ſolum, ſed & omnium ferme Ethnicorum Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum, ac Poetarum conſenſione Moſes libri Geneſeos auctor habitus ſemper eſt, nec magis unquam de hoc dubitatum apud Hebræos atque Chriſtianos, quam de Tullianis ac Virgilianis apud Romanos? Nonne ergo rationi nuntium remiſerit, oportet, qui certam adeo pervulgatamque rem vel in dubium vocat, vel pervicaciter negat? Hunc vero Geneſeos libri Scriptorem aliis quibuſcumque tempore multo priorem eſſe, non ſolum multis evicerunt Clemens Alexandr. *l.* I. *Strom.*, & Cyrillus *adverſus Julianum*, ſed & ad liquidum pene deduxit *in Demonſtratione Evangelica* Daniel Huetius, qui conquiſitis undique prophanæ eruditionis monumentis oſtendit, Moſen, qui Hebræis leges tulit, Scriptorum omnium vetuſtiſſimum eſſe, ex cujus Pentateucho totam theologiam ſuam (in quam tamen abſurda & falſa multa de ſuo penu intulerunt) Ægyptii, Perſæ, Indi, Traces, Germani, Galli, Britanni, Hiſpani, Græci in primis ac Romani hauſerunt, qui omnes derivatis a Moſe rivis hortulos ſuos rigarunt, legeſque ſuas, ritus, fabulas, ac qualeſcumque plurimis tamen erroribus ſubinde permixtas hiſtorias depromſerunt. Ad demonſtrandam hanc Moſis antiquitatem multa ex Scriptoribus exteris congeſſit & Grotius loco nuper citato, & *in notis*.

VI. Huic autem antiquiſſimo Geneſeos Scriptori rerum omnium ortum percenſenti num abrogari poteſt abſque rationis injuria fides? Communis ipſe hominum ſenſus hiſtoricum nullo nomine ſuſpectum, omnibus contra probi, veridicique viri notis inſignem in mendacii fraudiſque ſuſpicionem vocari non ſinit: Eum porro eſſe Moſen non modo Chriſtianis, Hebræiſque omnibus, ſed & Ethnicis perſuaſum. Neque enim eum expilaſſent, neque ex ejus ſcriptis mythologiam, religionem, eruditionemque ſuam expiſcati eſſent, niſi eum

pro-

probum minimeque fallacem habuiſſent: præferunt & libri ejus ingenui veraciſque Scriptoris notas omnes, quibus ſeverior ipſa Critice contenta eſt; „ nec ſuæ „ enim gloriæ, ait ibidem Grotius, nec „ ſuorum commodis eum illuduiſſe, ſatis „ appareț, quum & peccata ſua (ſuorum„ que) quæ diſſimulare póterat, ipſe tra„ diderit, & regni, Sacerdotiique dignita„ tem aliis adſignaverit, ſua poſteritate in „ Levitarum plebem redacta, quæ omnia „ ſatis oſtendunt, nihil ei cauſæ fuiſſe, cur „ mentiretur, ſicut nec fucata aut illece„ broſa utitur oratione, qualis mendacio „ fidem impetrare ſolet, ſed & ſimplici, „ & conveniente rei ingenio. “ Pauca hæc ſummam Moſis veracitatem ſatis ſuperque probant, conficiuntque, narrationi ejus integram adiungendam fidem; neque enim plura cordati prudenteſque requirunt, ut hiſtoricum in veridicis habeant: tot illa vero, quæ Grotius ibidem §. xvi, & *in notis* confert, extraneorum, & a Judaica religione alienorum teſtimonia, quæ oſtendunt, vetuſtiſſimam apud omnes gentes famam ita habuiſſe, ut Moſis ſcripta prædicant, & quæ ille de mundi origine ſcripta reliquit, eadem ferme eſſe & in antiquiſſimis Phœnicum hiſtoriis, quas a Sanchuniatone collectas vertit Philo Biblius, & apud Indos, & Ægyptios &c., omnium quidem Scriptorum antiquiſſimum Moſen probant, ad confirmandam tamen ejus veracitatem non multum momenti habent; quamquam enim illud nobis ratum ſit, quod *l.* 1. contra Apionem Joſephus *ſcribit:* „ *Veracis hiſtoriæ* indicium eſt, „ ſi de rebus iiſdem omnes eadem dicant „ & ſcribant “, nemo tamen non intelligit, pronuntiato huic, quo ſane tota nititur hiſtoriæ fides, & omnis antiquitatis memoria, locum tum ſolum eſſe, quum plures vel coævi vel ſuppares eadem narrant, quod vel ſuis ipſimet oculis ea exceperint, vel a fide dignis audierint; hi namque, ait egregie Cano *l.* xi. *c.* 4., in duorum ore vel trium ſtat omne verbum, plurimis teſtibus ejuſmodi rem eandem olim geſtam conteſtantibus abrogare non poteſt fidem, niſi qui communem hominum ſenſum exuerit, & humanorum judiciorum potiſſima inſtrumenta, hoc eſt teſtimonia rejecerit: at qui a re geſta longiſſime abſunt, quæque de illa tradunt, a ſuperiore aliquo mutuati duntaxat ſunt, ii plurium teſtium in idem ubi probe cognitum conſentientium loco non ſunt habendi, nec major illorum auctoritas, quam illius, quem exſcripſerunt; quare quum quæcunque a priſcis Philoſophis, Hiſtoricis, ac Poetis de mundi primordiis ſcripta legimus, e Moſe hauſta certiſſime ſint, qualiſcunque hæc eorum cum Moſe conſenſio ad confirmandam ejus veracitatem minus efficax eſt. Comprobare ſummum poteſt, quod paulo ſuperius diximus, viſum illum Scriptoribus Ethnicis probum, minimeque fallacem; nam imitati illum non eſſent, ſi commenticia & futilia ab eo ſcribi, putaſſent.

VII. Religionis hoſtes tam iniqui ſunt, & a ratione averſi, ut ad eam oppugnandam nihil tam abſurdum ſit, quod non torqueant. Momento quovis ſolido deſtituti, verba tamen dant, quibus & ſimplicibus fucum faciant, & ſignificent ſibi non deeſſe, quæ regerant. Omnia arbitratu ſuo negant, Moſen ſcilicet libri Geneſeos auctorem, eo, quo fertur, tempore librum hunc ſcriptum, unquam extitiſſe Moſen, qui ejuſdem parens perhibetur, momenta, quibus id putamus, effici, certa eſſe & evidentia; neque enim de iis inter omnes convenit. Etſi maxime ridicula hæc ſint, & a cordato contemnenda, quo tamen magis pateat, quam præpoſtere reponantur, reſpondemus, a ſimpliciter quidpiam affirmante probationem, qua fiat dicto fides, exigi prudenter, & recte poſſe, quam ſi non afferat, tunc ſatis eſt, negare, quod ait, quum affirmantis ſit, probare, quod extulit. At ſi affirmatio ſolidis probationibus confirmatur, ſatis ne fuerit tunc, negare? Id quidem vel ſtultis, vel præjudiciis, pravis affectionibus, & partium ſtudio captis, vel pertinacibus uſitatum: communis tamen ipſe hominum ſenſus, & recta ratio ſciſcunt, tunc vel diſſolvenda affirmantis momenta, aut validioribus elidenda, aut ſaltem æque validis, quæ apta ſint ad cohibendum ab aſſenſione animum, efficiendumque, ut in neutram partem, trutinæ inſtar æqualibus libratæ ponderibus, feratur. Hebræorum legiſlatorem nomine Moſen extitiſſe, libroque, qui *Geneſis* inſcribitur, aſpectabilis mundi hujus exordia atque incrementa omnium primum perſecutum eſſe, non affirmamus ſolum, ſed tam firmis rationibus comprobamus, ut, qui in his addubitat, vel hæc negat, dubitet, aut, neget, oporteat, Cyrum e. g., Alexandrum Pompejum,

Digitized by Google

pejum, imo Judæorum gentem unquam extitiſſe, Cæſarem Commentariorum ſuorum parentem eſſe &c., quod qui faceret, omnium ludibrio pateret ceu deſertus a mente, vel ſponte averſus a vero omnium exploratiſſimo. Negant hæc tamen Increduli: cur vero? Momenta ignoramus, quibus adducuntur, ut negent, nec ea proferre ipſi audent, ne ſapientum non modo ſibilis ſed & convicio ſe committant. In eorum ne ergo verbo conquieſcendum? De iis ne dubitandum, de quibus dubitant? Neganda, quæ negant? Num æternæ ſalutis cura eorum libidini poſthabenda? At non eo ingenio, judicio, ac probitate ſunt, ut ſit eorum auctoritas rectæ rationi, & communi hominum ſenſui anteferenda. Quid vero ſi momentorum noſtrorum firmitas ac evidentia non omnibus rata ſunt? Qui ea reiiciunt, vel eorum efficacitatem percipiunt, vel non: ſi non capiunt (heu, quot ejuſmodi ſunt! exclamat Jaquelot) nulla eorum habenda ratio: ſi autem capiunt, , eorum eſt, declarare, cur illa improbent, & an validiora ſibi momenta ſuppetant, quibus ab aſſenſu avocentur, quam quibus nos ad eundem impellimur; ſi enim, quemadmodum idem Jaquelot ſcite animadvertit, ſcholæ præjudicia, partium ſtudium, falſa honoris idea animum non ſemel ita in tranſverſum agunt, ut veritatibus evidentiſſimis tenebras conetur offundere, nec clatiſſimis demonſtrationibus cedat, quid non a voluntate depravata timendum, quæ pietatis & religionis jugum deiicere nititur, nihilque propterea non molitur ad judicium animi pervertendum?

VIII. At Moſes, ajunt, ut ſagaciſſimus, ita & eximius fuit fraudum ſtructor, quas populo ſimplici nimiumque credulo facile perſuaſit. Copioſe & nervoſiſſime criminationem hanc depellit Jaquelot *loc. cit. c.* 12., quod eſt *de libro Geneſis*, ejuſque Auctores non impietatis ſolum, ſed & ſtultitiæ revincit. Verum quum Paſchalis, e quo ille depromſit, preſſe quidem, æque tamen valide eadem urgeat, lubet, hujus verba latine reddere. „ Sagacem prudentemque Moſen fuiſſe, explo-
„ ratum eſt; ſi ergo fallere voluiſſet, ita il-
„ lum agere, par erat, ut fraudis convinci
„ non poſſet; ſecus tamen egit; quare ſi fa-
„ bulas venditaſſet, nemo unus Judæorum
„ fraudem non ſenſiſſet: cur enim e.g. prio-
„ rum hominum vitam tam inſigniter pro-
„ duxit, perpaucas contra generationem con-
„ texuit? In longiſſima harum ſerie late-
„ re facile potuiſſet, quem perpauculæ non
„ ſatis abſcondunt; neque enim annorum
„ numerus, ſed generationum multitudo
„ rebus affert obſcuritatem, & multa ſo-
„ lum hominum ſibimet ſuccedentium vi-
„ ciſſitudo mutationem veritatis inducit.
„ Moſes tamen duo omnium maxime me-
„ moranda, mundi ſcilicet primordia, &
„ univerſalem cataclyſmum tam proxime
„ collocat, ut ſe ſe contingant, quod pau-
„ ciſſimæ ſint interpoſitæ generationes;
„ quare, quo tempore hæc ille ſcripſit.
„ non ſolum e Judæorum animis horum
„ memoria nondum defluxerat, ſed & in
„ iis penitus inſidebat: Sem, qui cum La-
„ mecho Adæ coævo vixit, cum Abra-
„ hamo ſaltem congreſſus eſt, cui fuit cum
„ Jacob nepote ſuo domeſticus uſus atque
„ conſuetudo, qui multum una cum iis
„ fuit, qui uſque ad Moſen ætate proceſ-
„ ſerunt: Vera itaque eſt cataclyſmi, &
„ mundi ortus hiſtoria. Hoc vere conclu-
„ dit apud eos, qui rem ſolerter excutiunt,
„ & percipiunt. “

IX. Ipſa hæc tam longæva priorum hominum vita fabulam olet, ajunt Increduli; „ nobis tamen, reponit Jaquelot,
„ denotata & certa veritas eſt; Si e-
„ nim Moſes fuit doli artifex non plane
„ ſtupidus, cur de illorum vita quidpiam
„ parum credibile extulit, quod ab ejus
„ inſtituto prorſus alienum, opportunum
„ contra maxime erat ad mendacium re-
„ vincendum, ſi quod latebat? Quum e-
„ nim omnes cupido inceſſeret, in rem
„ tam inuſitatam inquirendi, in tam bre-
„ vi generationum ſerie quam facile veri-
„ tas quærentibus ſe obtuliſſet? Cur in-
„ numeras potius generationes commentus
„ non eſt? Nihil ſcripſiſſet ab hominum
„ fide abhorrens, ſi priorum hominum vi-
„ ta non fuerat noſtra diuturnior. Num
„ ajent, Moſis famæ, etſi mentitus eſſet,
„ ſatis conſultum, quod hominum illorum
„ memoria jam fuerat cataclyſmo dele-
„ ta? Fallerentur tamen inſigniter; quo
„ enim tempore obrutus eſt aquis mun-
„ dus, Noe ſexcentos numerabat vitæ an-
„ nos, ejus liberi uxores jam duxerant,
„ primoque genitus centeſimum agebat an-
„ num: Ipſe Noe trecentos & quinqua-
„ ginta a cataclyſmo annos vixit, obiitque
„ annos natos nongentos & quinquagin-
„ ta. Hominem itaque habemus, qui ſæ-
„ culis

„ culis ſex cataclyſmo ſuperior, eidemque „ ſæculis tribus & dimidio ſuperſtes, hu„ jus eorumque, quæ illi præiverant, hi„ ſtoriam poſteris tradidit; diu enim cum „ Mathuſalem avo ſuo conſueverat, qui „ Adam omnium hominum primum vi„ derat . . . Semus quoque, Noe Filius „ vitam quingentos & amplius annos a „ cataclyſmo produxit, percommode iccir„ co ea omnia, quæ hodie Increduli ne„ gant, poſteros docere potuit: Heber Se„ mi pronepos quingentos prope annos „ vixit; quare, quo tempore Moſes ſcri„ pſit, ejus ævi homines proximos Filio„ rum Noe poſteros tam prope continge„ bant, ut cataclyſmus, & diuturna prio„ rum hominum vita generali ac conſtan„ ti traditione ſulta non poſſent in du„ bium revocari &c. “ nam, ut egregie Paſcali animadverſum eſt, „ tantum abe„ rat, ut vitæ Patriarcharum diuturnitas „ præteritarum rerum memoriam deleret, „ ut ad eam conſervandam conferret; quod „ enim interdum majorum geſta ſatis per„ pecta non ſint, brevis eorum vita in „ cauſa eſt: nam ſæpe naturæ conceſſe„ runt, priuſquam ætate & ingenio vige„ rent, quos docere præterita poſſent. At „ quo tempore tam longævi erant homi„ nes, diu cum Parentibus vivebant libe„ ri, eorumque ſermonibus multos annos „ erudiebantur: Quæ autem liberis ii tra„ debant, quam ſuperiorum Patrum res „ geſtas, quibus tota ejus ævi hiſtoria „ continebatur &c? “ Eadem hæc paulo latius, atque clarius digeſſit Vallemontius *tom. 2. Element. hiſt.* Moſen populares ſuos ita alloquentem inducens: „ Quæ„ cumque a mundi primordiis hactenus „ geſta ſunt, in literas referenda ſuſcepi, „ quod nemo hæc melius certiuſque de„ notata habeat & perpecta; Amram et„ enim Patrem meum ſæpe diſſerentem „ audivi: Narrabo, Fili, totam mundi, „ gentiſque noſtræ hiſtoriam ad nos uſque, „ ut eam ab Levi avo meo accepi, qui „ omnia, quæ narrabat, audierat ab Iſa„ ac avo ſuo, quo cum annos triginta ſex „ vitam egerat: Quæcumque Iſaac Levi „ nepoti ſuo, & proavo meo tradebat, a „ Semo perceperat, cum quo annos vixe„ rat quinquaginta: Quid vero iis certius „ quæ Semus Iſaacum docuit, quem ita „ affari potuit? Mihi generalem aqua„ rum, quibus obrutus eſt mundus, inun„ dationem narranti tuto potes certoque „ credere, quam hiſcemet oculis ego vi„ di: nec minus firmam mundi initia at„ que Adæ geſta commemoranti fidem de„ bes adjungere; centum ſiquidem annos „ Mathuſale proavo meo conſuevi, qui „ hæc omnia ab Adamo ipſo, cum quo „ annos ducentos quadraginta tres conjun„ ctiſſime vixit, ſe didiciſſe, narrabat. “ Quum ergo veteres Patriarchæ ab Adamo ad Moſen uſque ſibi mutuo omnia hæc hæreditaria & domeſtica traditione commiſerint, nihil Moſes in librum Geneſeos intulit, quod non in hominum memoria penitus infixum adhuc hæreret, nulla iccirco hiſtoria, divina etiam auctoritate ſepoſita, fide dignior, quam quæ eſt ab illo de rerum omnium procreatione confecta; quum enim Adamum inter & Iſaacum Mathuſale ſolum & Semus interceſſerint, Iſaacum vero inter & Moſis Patrem Amramum Levi ſolus interſit, plane conſtat, Adamum, Mathuſalem, Semum, Iſaacum, Levi, & Amramum ſucceſſive ſe ſe noviſſe, totamque mundi hiſtoriam continua ſuccedentium temporum ſerie ſibi communicaſſe.

X. Neque his tamen permoventur Increduli, ſed Geneſeos Auctori Ethnicos aliquot Scriptores opponunt, ex quorum calculis patet, mundum multo vetuſtiorem eſſe, quam Moſes tradidit; vetuſtiſſimæ enim Ægyptiorum, Chaldæorum & Aſſyriorum hiſtoriæ produnt, floruiſſe apud Nationes illas potentiſſima regna diu ante tempus, quo Moſes mundi exordia conſignavit; quare ejus chronologia fallax, aut ſaltem incerta; inepta iccirco, aut fluxa argumenta, quæ inde ducuntur. Monſtri profecto ſimile eſt, a Viris, qui ſoli volunt ſapientes audire, inſulſiſſima hæc recoqui, quæ jam fuerunt ab Auguſtino tam valide refutata *l.* 18. *de Civ. Dei c.* 20.: „ Alii nam„ que, ait, vaniſſima præſumptione di„ xerunt, pluſquam centum annorum „ millia numerari, ex quo Ægyptus ra„ tiones ſiderum comprehendit: alii ja„ ctant, ſe comprehenſa monumentis ha„ bere quadringenta ſeptuaginta annorum „ millia; In quibus autem libris iſtum „ numerum collegerunt, qui non mul„ tum ante annorum duo millia literas, „ Magiſtra Iſide, didicerunt? Non enim „ parvus eſt in Hiſtoria Varro, qui hoc „ prodidit, quod a literarum etiam divi„ narum veritate non diſſonat. “ Quid autem

autem tradat Marcus Varro Romanorum doctiſſimus, quem Auguſtinus laudat, refert Cenſorinus in *l. de natali die c.* 17., tria ſcilicet diſtinxiſſe illum mundi intervalla, primum a mundi exordio ad cataclyſmum uſque, alterum a cataclyſmo ad primam uſque olympiadem, tertium a prima olympiade ad ſua uſque tempora. Primum appellavit *ignotum*, negavitque, comprehendi poſſe annorum ejus ſummam, alterum *mythicum* ſeu *fabuloſum*, quia quæcumque ab Hiſtoricis & Poetis de rebus eo temporis intervallo geſtis memorantur, in fabularum cenſum ſunt conjicienda, tertium *hiſtoricum*, quia Scriptores bene multi res geſtas veris narrationibus complexi ſunt. Si ergo, Varrone Judice, ad aniles fabulas amandanda, quæcumque a prophanis Hiſtoricis ante primam olympiadem, quæ a Petavio an. m. 3208. conſignatur, in literas relata ſunt, annon pudet homines, qui præ cæteris acerrimum judicium, & exquiſitam eruditionem oſtentant, figmenta hæc conſectari, & obtrudere, ab omni veri ſpecie tam aliena, totque antilogiis ac ineptiis redundantia, ut Ludovicus Vives mirari ſe ſcripſerit, a quibuſdam in nugis ejuſcemodi bonas horas inſumi? Quid facias vero Buffon, Monteſquieu, Leybnitio, Vviſthon, & Telliamedo, quorum ſinguli mundum ſuo marte fabricari, ejuſque ætatem definire auſi ſunt? Buffon terræ hujus globum non aliud eſſe decernit, quam particularum ſolis acervum, quas cometes in eum magno impetu oblique incurrens abraſit, detruſitque ante annos ſaltem centies mille: Monteſquieu mundi annos haud ſecus ac maris arenam innumerabiles eſſe pronuntiat: terra, auctore Leybnitio, ſol primo erat, qui paulatim obſtructus eſt, demum extinctus, judice vero Vviſthon, cometes primo inhabitabilis, qui ſenſim tranquillam & gratam præbere cæpit habitationem: Telliamedus denique terræ originem mari acceptam refert, quod in ejus molitione plurima centena annorum millia contrivit. Hæcne Philoſophorum judicia? an non potius delirantium ſomnia? Quo auctore, quo recte hæc proferuntur? Quum ſint hæc, ut nemo non videt, ſola hominum phantaſiæ indulgentium libidine excogitata, eadem facilitate negantur, qua affirmantur.

XI. In celeberrima *Theſi*, quæ tantas nuper Pariſiis tragædias excitavit, Abbas de Prades inſana hæc commenta *p.* 22. retulit, ac confutavit; ſibi tamen non conſtans in ejuſdem *theſis* Apologia, quam ſubinde edidit, 3. *par. p.* 42. ſcribit, *poſſe quempiam a phyſica Moſis* rerum exordia narrantis *abſque religionis injuria recedere*, & 2. *par. p.* 138., *memoratos Auctores*, nempe Buffon &c. *exiſtimaſſe*, *ut ſibi cum Moſe conveniret, ſatis eſſe, ſtatuere, nec conditum hominem, nec ei de habitatione in hoc globo accommodatum*, quam, quod primo Geneſ. capite *Moſes deſignavit*, *tempore*, *divino huic Legiſlatori id unice propoſitum*, *permiſſumque Philoſophis inveſtigare*, *an*, *priuſquam terra fieret homini habitabilis*, *jam a pluribus ſæculis materies creata eſſet*. *hos iccirco illuſtres philoſophos hiſtoricæ Moſis narrationi directe non adverſari*. Hæccine Chriſtiani hominis ſunt, qui in eadem illa Apologia tam graviter de lata in theſim ſuam ſententia conqueritur, ac deplorat, omnemque a ſe violatæ fidei culpam amoliri conatur? Quid eſt, omnem Moſi fidem detrahere, imo eum palam ludibrio habere, ſi hoc non eſt? Si *deſeri Moſis phyſica* abſque crimine poteſt, cur non & reliqua? Si cum Moſe non pugnant, qui qui multo priorem materiei procreationem ſtatuunt, quam ille fixit, cur jam pugnabunt, qui contra ſentiant, ac ille, de legibus, moribus, ac dogmatis tradidit? Si, quæ de rerum origine habet, divino afflatu non ſcripſit, ideoque deſeri impune poſſunt, quid jam erit, quod firmiter teneamus, nec in dubitationem adducere ſine impietate poſſimus, ceu ab illo divinitus afflato certe conſcriptum? Quis etiam pacate ferat, quis moderate patiatur, quod idem de Prades ait: *Moſes cæteris Hiſtoricis audentior hanc epocham creationis determinare non dubitavit?* Siccine Moſes cum cæteris Hiſtoricis comparatur, & ſola eis *audacia* præfertur? Siccine ſibi conſtat, qui ejuſd. *apol.* 2. *part. p.* 140. promittit, ſe *contra Deiſtas authenticitatem Pentateuchi*, *veritatem ſimul & divinitatem vindicaturum?* Egregium mehercule veritatis vindicem, qui, ut præclare animadvertit, & probat *Belgicarum Epiſtolarum* Auctor *epiſt.* 25., totam Moſis naturalem hiſtoriam repudiari poſſe docet ut falſam, aut ſaltem incertam, quædam in divinis literis commemorata tempore atque experimen-

mento poſſe falſi revinci, falſam eſſe Pentateuchi Chronologiam, nec a Moſe adornatam, ſed in ejus libros intruſam!

XII. Qunm de Prades perſuaſum haberet, chronologiam, ſeu annorum ſeriem, quam a mundi initio ad ſua uſque tempora Moſes deduxit, falſam eſſe, nec cum exterarum gentium hiſtoria componi poſſe, malnit, illam Moſi totam eripere, quam *tantum Virum* errati accuſare. „
„ Moſis narratio, ait, *Apol.* 2. *part. p.*
„ 143., omnium hominnm originem a
„ Noe ducit: gentem autem habemus,
„ (nempe Sinenſes) Noe ætate multo
„ ſuperiorem: . . . Contendi itaque, a
„ Moſe harum chronologiarum (Hebrai-
„ cæ nimitum, Græcæ, Septuaginta, &
„ Samaritanorum) nullam fniſſe editam,
„ tres illas iccirco chronologias tria eſſe
„ ſyſtemata poſt Moſis tempora excogira-
„ ra, eique aſſuta. Inde adverſus Thei-
„ ſtas concluſi, non poſſe illos harum va-
„ rietate ſacri textus incorruptam ſinceri-
„ tatem appetere. “ Unde chtonologiæ iſtæ tantam habeant varietatem, non eſt loci hujus, inquirere: illud ſumimus ut exploratum, quod a Viris doctiſſimis evidenrer demonſtratum eſt, Hebræorum chronologiam cæteris præferendam, certo illam a Moſe confectam, nec aliena manu in ejus libros inſertam. Quoniam autem de Prades falſam illam & præpoſteram perſuaſionem imbibit, quod perperam putet, *Hebræorum calculos conciliari non poſſe cum fixa atque rata imperii Sinenſium epocha, quam in dubium vocari non poſſe*, decernit, *quin pyrroniſmus hiſtoricus inducatur*, cum laudato *Belgicarum literarum* Auctore demonſtrandnm ſuſcipimus, Hebræorum chronologiam cum Sinenſinm epocha optime conciliari, imo eſſe illum hiſtoriæ & chronologiæ Sinenſium plane jejunnm.

XIII. Quoniam idem literarum Scriptor *epiſt.* 27., quæ *de Sinenſium chronologia* eſt, Anonymum *diſquiſitionis in theſim D. de Prades* Auctorem plurimum laudat, quod caput hoc diligentiſſime excuſſerit, eoqne abntentes Incrednlos validiſſime reiellerit, & poriora, quæ ad argumenti hujns diſſolurionem ſatis ſuperque ſunt, ex eodem deſcribit, & contrahit, non puder, eadem latine dare, quum & ad revincendos Adverſarios, & ad Chriſtianam Religionem confirmandam plurimum momenti habeant. Argumentum hoc ex Sinenſinm chronologia petitnm omnes hodie Increduli torquent, videnturque perſuaſum habere, Moſen ab ſe in errore deprehenſum. Num eam jactant, quod veram reipſa putent? Solo Chriſtianæ religionis odio ad illam oſtentandam excitantur; quot enim ſæculis blaterarunt, Ægyptiorum chronologiam non poſſe cum Moſaica componi? Dum illam huic anteferendam eſſe, decernebant, & veteres Ægyptiorum Dynaſtias impotenter urgebant, num in ea perſuaſione erant, ſe pro veritate pugnare? Nihil minus: at quum religionem Chriſtianam falſam eſſe, maximi eorum intereſſet, arripienda erant omnia, quæ ſpecie tenus ſaltem cum ea pugnabant. Interim quum eos puderet, nihil ab ſe ad evidentiſſimas Noſtratium demonſtrationes ſolidi reponi poſſe, Sinenſium chronologia, ſero licet, emerſit, & ad evadendum e ſalebris, in quibus hærebant, accidit peropportuna. Repente Ægyptiorum chronologia deſpecta, & repudiata ceu falſa, quo palam factum eſt, illam non veritatis amore diu fuiſſe jactatam. Sinenſium vero chronologia num magis accurata? num verior? Neutiquam ſane: at novum eſt adverſus Chriſtianam religionem argumentum, ſeu idem potius aliter inſtauratum, quare idem erit ejus exitus ac prioris; quo vero facilius poſſit cordatus quilibet de toto hoc negotio judicium ferre, ſubjicienda prius, quæ habet de Prades in Theſi *p.* 37.: „ Sola
„ Hoang-ti æra conficit, Sinenſium im-
„ perii initia anno circiter ante Chriſtum
„ bis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſi-
„ mo quinro, (dnceuteſimo trigeſimo
„ primo anre diluvium) conſignanda eſ-
„ ſe. Ille celebris dierum ſexaginta (dies
„ pro annis vel per errorem, vel per in-
„ ſcitiam poſuit) cycli inventor fuit,
„ qui apud Sinenſes cum in civilibus,
„ tum in ſacris maxime in uſu eſt. Pri-
„ ma hnjus cycli, unde Sinenſium æra
„ initium ducit, dies in hybernum ſolſti-
„ tinm incidit: Eadem hac die, noctis
„ dimidium verſns, eodem ſolſtirii pun-
„ cto, fuit ſolis & lunæ in primo capri
„ gradu conjunctio. Tametſi hæc rradi-
„ tio, regnante Mentze, treceuteſimo
„ anre Chriſtum anno, quo rempore &
„ Confucius florebat, apud Sineoſes obri-
„ nerer, quum tamen ii runc Aſtronomiæ
„ rudes, non poterant, temporum recen-
„ ſio-

„ ſione, phænomena hæc deprehendere, „ ex quibus aliquam hujus æræ notionem hauſiſſent. Cæterum, ſi rem ad „ accuratos a Dominis Caſſini, De la „ Hire, & Vviſthon ſubductos calculos „ revocemus, patebit, non alio potuiſſe „ anno illa evenire, quam bis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo „ ante Chriſtum, (ſexto & centeſimo „ ante diluvium). Hac ergo, quam „ Aſtronomia confirmat, æta Hebræorum „ chronologia plane deſtruitur, & ſua „ Sinenſibus antiquitas confirmatur. “

XIV. Quid ad hæc laudatus theſis Diſquiſitor? Duo, quibus recitata de Prades aſſertio funditus evertitur, eſſe illum ſcilicet in Sinenſium hiſtoria plane hoſpitem, ex qua, etſi illam calleret, nihil poſſet in rem ſuam elicere; ac primo quidem Sinenſium hiſtoriæ eſſe illum ignarum, ac inſigniter falli, quum ſcribit *ſola Hoang-ti æra confici*, *Sinenſis imperii exordia figenda eſſe anno circiter bis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto ante Chriſtum, ſeu ducenteſimo trigeſimo primo ante diluvium*, demonſtrat eruditiſſimus Vir; nam octavus Imperatoris Hoang-ti annus cum anno concurrit bis milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo ante Chriſtum, ideoque annis centum viginti duobus prior eſt, quam fuit conſignatus a Prades. Quid, ſi diuturna duorum, qui Hoang-ti præceſſerunt, Imperatorum regna adjiciantur? Erraſſe de Prades in ducentis, aut forte trecentis annis deprehendemus? Quid vero, ſi alii ſeptem, qui inter horum duorum poſtremum, & Hoang-ti a multis Sinenſibus hiſtoricis collocantur, Imperatores numerentur? Erit multo pinguius de Prades erratum, qui octingentorum & amplius annorum ſummam prætermiſit. Quid demum, ſi quindecim alii Imperatores recenſeantur, quos primum inter, & ſecundum eorum, qui Hoang-ti præiverunt, alii Sinenſes Hiſtorici ponunt? Erraſſet de Prades in annis bis mille & amplius. Videntur hæc quidem Chronologiæ Moſaicæ infeſta; permoveri tamen nemo his debet, quum intra oſtendendum ſit, quæ Sinenſium hiſtoriarum habenda ratio. Interim his aperte probatur, de Prades eſſe Sinenſis hiſtoriæ jejunum, quod aliis argumentis conficit Diſquiſitor. De Sinenſium cyclis verba habens de Prades ait: „ Prima hotum „ cyclorum dies, quæ Sinenſis æræ principium eſt, in hybernum ſolſtitium incurrit, prope noctis medietatem, quum „ ſol & luna in primo capri gradu, „ eodem ſolſtitii puncto conjuncta eſſent. „ Tot errata, quot verba. Evolve Sinenſium calendarium, & *ſignum piſcium*, non *hyemale ſolſtitium*, quintumdecimum *aquarii*, non primum *hirci* gradum habebis. Mirum, te in Sinenſium hiſtoria verſatum neſcire, quum „ de *conjunctione* Sinenſes verba faciunt, „ non *ſolis* & *lunæ*, ſed aliorum quinque „ Planetarum *conjunctionem* deſignare. „ Conjunctionis hujus traditionem apud „ Sinenſes viguiſſe, addis, imperante „ *Mentze*, tercenteſimo ante Chriſtum „ anno, & quo tempore Confucius florebat: At nullus Sinenſium Imperator „ *Mentze* nomine: hæc quoque traditio „ Sinenſibus tam parum explorata, ut „ plures Hiſtorici nullam ejus mentionem „ habeant, eam quodque prætereat Confucius ipſe, demum conveniant omnes, „ falſam eſſe, de qua loqueris, conjunctionem. Si accuratos, ais, Dominorum Caſſini, de la Hire, & Vviſthon „ calculos conſectemur, intelligimus, non „ poſſe hæc phænomena alium in annum „ conjici, quam bis milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum ante Chriſtum (ſextum & centeſimum ante diluvium); unde infers hac Sinenſium „ æra, quam Aſtronomia confirmat, Hebræorum chronologiam prorſus everti. „ At horum Aſtronomorum alia omnino „ eſt, quam quæ iis abs te affingitur, „ ſententia; probant enim, falſam eſſe „ Sinenſium æram, quod ſint hæc phænomena quadringentis annis poſteriora, „ nec evenire potuerint, quam anno ante Chriſtum bis milleſimo duodecimo „ (trecenteſimo trigeſimo ſecundo poſt „ cataclyſmum); unde concludo: Sinenſium ergo hiſtoriæ pleno imperitus eſt.

XV. Fac tamen, fuiſſe illum in hac hiſtoria verſatum: quid tum? nihil inde boni ſucci poſſet exprimere; „ his „ enim hiſtoriis, pergit Diſquiſitor, non „ efficitur, octavi anni Hoang-ti æram „ certam & ratam eſſe. Legi nequeunt „ Sinenſium Annales, quin omnes intelligant, hiſtoriæ Sinenſium initia perinde „ obſcura eſſe, ac aliarum quarumlibet „ gentium, quæ conſtanter ad commentiacia, aut ſaltem incerta a ſapientibus

„ aman-

„ amandentur. Omnium eclipſeon, quæ
„ a Sinenſibus obſervatæ feruntur, quæ-
„ que chronologiæ eorum fundamentum
„ eſſe, putantur, prima eſt diluvio mul-
„ to poſterior. Nihil etiam ea incertius:
„ non conſignatur annus, cum quo con-
„ currit: eam Sinenſes omnes ignorant.
„ Aſtronomorum quidam hoc, alii illo
„ anno eam ſignant: noſtri anno ante
„ Chriſtum bis milleſimo centeſimo quin-
„ quageſimo quinto eam collocant, quod
„ ſubductis calculis deprehendant, eo an-
„ no, (qui centeſimus octogeſimus no-
„ nus eſt a diluvio) die Octobris duode-
„ cima eclipſim contigiſſe: qui eam ſta-
„ tuunt tempore ſuperiorem, annos dun-
„ taxat quatuor procedunt, eamque an.
„ poſt diluvium centeſimo octogeſimo
„ quinto conſtituunt. Præterea *ſecunda*,
„ quæ in Sinenſium faſtis occurrit, ob-
„ ſervatio non eſt anno ante Chriſtum
„ ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto ſu-
„ perior. Non ſunt ergo Sinenſium ob-
„ ſervationes tam veteres, quam jactan-
„ tur. Neque magis ſexaginta annorum
„ cyclus Domino de Prades favet. Anna-
„ les legat, intelligetque, nonniſi anno
„ ante Chriſtum octingenteſimo quadra-
„ geſimo primo cycli hujus characteres
„ incipere *ratos* eſſe, quæ autem in ſupe-
„ riores annos facta eſt, ejus diſtributio-
„ nem ſolo Scriptorum arbitrio otii. Ipſe
„ demum Confucius anno ante Chriſtum
„ quingenteſimo quinquageſimo primo na-
„ tus, qui florentiſſimis imperii tempori-
„ bus ante librorum conflagrationem ſcri-
„ *bebat*, *ſibi monumenta deeſſe*, fatetur,
„ quæ geſtis, quum Principes ex gente
„ Hia, & Chang imperarent, faciant fi-
„ dem; quare ad Dynaſtiam gentis
„ Tcheou, quæ anno tantum ante Chri-
„ ſtum milleſimo centeſimo viceſimo ſe-
„ cundo (milleſimo ducenteſimo viceſi-
„ mo ſecundo a diluvio) ſermonem con-
„ trahens, maluit, antiquiora prætermit-
„ tere, quam literis conſignare, quæ a
„ poſteris non crederentur. Ea dumtaxat
„ moderatione ſis, velim, qua Confu-
„ cius, nec jam alio opus erit, ut des,
„ vere abs me ſecundo dictum: Etſi hi-
„ ſtoriam Sinenſium probe noſſes, nul-
„ lam inde haberes ad cauſam tuam mo-
„ menti acceſſionem . . . . Ab Incredulis
„ *certa* jure exigo, quum volunt, ſacro-
„ rum librorum auctoritatem oppugnare:
„ nihil tamen hujuſmodi, tametſi ab he-
„ braici textus, & vulgatæ verſionis De-
„ fenſoribus ſæpe provocati, proferre ha-
„ ctenus potuerunt. " Quum ergo ex dictis conſtet, humanam hiſtoriam, ſi de mundi ortu vera tradit, e Moſe, qui omnium primus ſcripſit, derivatam eſſe, ſi a Moſe diſſentit, falſam eſſe, atque nullius auctoritatis; concludendum eſt; ex ſolo Moſe veram certamque mundi geneſis narrationem petendam.

EXERCITATIO II.

Nonnulla præmittuntur ad faciliorem Moſaicæ narrationis intellectum utilia.

I. Eſt quidem Moſis narratio maxime aperta, & ſimplex, ut præſtantiſſimum Hiſtoricum decet; nonnulla tamen habet, in quibus haud parum difficultatis eſt, quam pro virili ſubmovere, neceſſe eſt, ut facilior ſit cæterorum intelligentia. Eſt ſane apertiſſimum, quod ille ait, Deum univerſitatem rerum ſex dierum ſpatio condidiſſe, perarduum tamen, definire, an dies hi naturales proprieque dicti, an allegorici fuerint atque myſtici. Licet enim Patrum, Interpretum, ac Theologorum plerique ſentiant, dies hos naturales fuiſſe, neque alios a noſtris, qui horarum quatuor & viginti ſpatio concluduntur, Auguſtinus tamen, cujus nemo ignorat, quanta ſit in Eccleſia auctoritas, quam ei incredibilis ingenii celeritas, admiranda eruditio, & eximia vitæ ſanctitas compararunt, animadvertens, Moſaicos hos dies, ſi naturales, noſtrorumque ſimiles intelligantur, graviſſimis difficultatibus obſideri, acutiſſimam, ſuoque ingenio dignam eorumdem interpretationem excogitavit, quam D. Thomas *q. 4. de pot. art.* 2. ita exponit: „
„ Per hos ergo ſex dies, quibus legitur
„ Deus cuncta feciſſe, intelligit Auguſti-
„ nus *l.* 11. *de Civ. Dei c.* 9. finem ver-
„ ſus, & *in dial. 65. q. ad Oroſium c.*
„ 26. non hos uſitatos dies, qui ſolis
„ curſu peraguntur, quum ſol quarto die
„ factus eſſe legatur, ſed unam diem,
„ ideſt cognitionem Angelicam ſex re-
„ rum generibus præſentatam; unde ſicut
„ præſentatio lucis corporalis ſuper hæc
„ inferiora diem facit temporalem, ita
„ præſentatio lucis ſpiritualis intellectus
„ Angelici ſuper res creatas diem facit
„ ſpiritualem, ut ſecundum hoc illi dies
„ diſtinguantur, ſecundum quod lumen

„ intellectus Angelici ſex rerum generi-
„ bus cognoſcendis applicatur, ut prima
„ dies ſit cognitio primi divini operis,
„ ſecunda dies cognitio ſecundi divini
„ operis, & ſic de aliis; & ſic diſtin-
„ guuntur ſex illi dies non ſecundum or-
„ dinem temporis, aut ſucceſſionis re-
„ rum, ſed ſecundum ordinem naturalem
„ rerum cognitarum, prout unum opus
„ cognitum eſt prius altero, ordine natu-
„ ræ; & ſicut in die naturali mane eſt
„ principium diei, & veſpere eſt finis &
„ terminus, ita cognitio uniuſcujuſque
„ operis ſecundum ſuum eſſe primordia-
„ le, prout videlicet habet eſſe in Ver-
„ bo, dicitur *matutina*, cognitio autem
„ ejus ſecundum eſſe ultimum, prout
„ ſubſiſtit in propria natura, dicitur *ve-*
„ *ſpertina*; nam principium cujuslibet rei
„ eſt in ſua cauſa, a qua fluit, terminus
„ autem ipſius eſt in ipſa re, in qua reci-
„ pitur, & ad quam actio cauſæ termi-
„ natur; unde primitiva alicujus cogni-
„ tio eſt, ſecundum quod res in ſua cau-
„ ſa, a qua fluit, conſideratur, ultima
„ autem rei cognitio eſt, ſecundum quod
„ in ſeipſa conſideratur: Quum ergo a
„ Verbo æterno fluat eſſe rerum ſicut a
„ quodam primordiali principio, & hic
„ effluxus terminetur ad eſſe rerum, quod
„ habent in propria natura, ſequitur,
„ quod cognitio rerum in Verbo, quæ ad
„ eſſe primitivum & primordiale earum
„ pertinet, dici debeat matutina per ſi-
„ militudinem ad mane, quod eſt princi-
„ pium diei, cognitio vero rei in pro-
„ pria natura, quæ pertinet ad eſſe ejus
„ ultimum & terminatum, dici debet
„ veſpertina, quia veſpera eſt terminus
„ diei; unde ſicut ſex rerum genera ad
„ cognitionem angelicam relata diſtin-
„ guunt dies, ita unitas rei cognitæ, quæ
„ diverſis cognitionibus cognoſci poteſt,
„ unitatem diei conſtituit, & diem per
„ veſperam & mane diſtinguit. “ De
hac Auguſtini interpretatione idem D. Thomas *in 2. ſent. diſt. 12. q. 1. ar. 2.* ſic pronuntiat: *Prior*, ſcilicet Auguſtini, *rationabilior eſt, & magis ab irriſione infidelium Scripturas defendens . . . Hac opinio plus mihi placet*: loco tamen mox cit. *de pot.* hæc prudentiſſime habet: „ *Harum expoſitionum prima, ſcilicet Auguſt., eſt ſubtilior, magis ab infidelium irriſione Scripturam defendens, ſecunda vero, ſcilicet aliorum Sanctorum, eſt planior, & verbis literæ quantum ad ſuperficiem conſona; Quia tamen neutra earum a veritate fidei diſcordat, & utrumque ſenſum circumſtantia literæ patitur, ideo, ut neutri præjudicetur harum expoſitionum, utramque opinionem ſuſtinentes, utriuſque rationibus reſpondendum eſt*. In theologica demum Summa, quam omnes norunt, poſtremum ejus opus eſſe, 1. *p. q.* 74. *ar.* 2., quum primo declaraſſet, duas has opiniones, communem ſcilicet aliorum Patrum, & peculiarem hanc Auguſtini, *ſi referantur ad expoſitionem literæ Geneſis*, multum differre, ſi vero referantur ad modum productionis rerum, non admodum diſcrepare, concludit: *Ut igitur neutri ſententiæ præjudicetur, utriuſque rationibus reſpondendum eſt*.

II. Utinam ſingularem hanc D. Thomæ modeſtiam, eximiumque, quod & in eo perpetuum fuit, erga veteres Patres obſequium imitati eſſent poſteriores quique Theologi, & ſi nolebant (licet utrumque a Deo Eccleſia poſtulet,) *quæ ille docuit, intellectu conſpicere*, ſaltem *quæ egit, imitatione complecti*. Hæc Auguſtini ſententia quidem Alberto *probabilior* viſa eſt, D. Bonaventuræ *probabilis* & *rationabilis*, ab Eſtio, Natali Alex., & recentium Thomiſtarum plurimis ceu *minus probabilis* ſuo Auctori relinquitur, cujus tamen & mirantur ingenium, & ſuſpiciunt auctoritatem: pro ea veluti omnino certa, & oppoſitæ anteferenda pugnarunt Viri ex omni Inſtituto clariſſimi, Franciſcus Macedo, Syxtus Senenſis, Cardinalis Norisius, aliique multi, quos inter Hyacinthus Serry pro ea non ſemel in Patavina Academia diſputavit; neque tamen his abſterriti ſunt nonnulli minus bene in Auguſtinum, ejuſque doctrinam aliunde animati ab hac ejus ſententia licentiſſime carpenda, & petulantius, quam & veritas ferret, & chriſtianos religioſoſque homines deceret, exagitanda. Eam Ludovicus Molina *in tract. de opere ſex dierum* inſectatur, perinde ac ſi Scripturarum veritatem enervet, eaſque infidelium ludibriis obiiciat: Cornelius a Lapide *in Comm. in 1. Gen. caput* eam vocat *erroneam*: Antonius Moraines, ſeu Jo. Martinonus *in Anti-Janſenio diſputat.* 12. eam a Catholicis Doctoribus communiter reiici, fidenter quidem, ſed falſo ſcribit. Salianus in Annalibus eam a Scripturis alienam eſſe pronuntiat, apertam iiſdem vim face-

re,

re, & communi ſenſui ac Patrum interpretationi adverſarj. Hæc demum de illa habet Franciſcus Ariaga ,, Explicatio hæc ,, communiter cenſetur ab omnibus impro- ,, babilis; nec ego dubito, quin, ſi Au- ,, guſtinum non haberet Auctorem, & ,, Patronum, manifeſte damnata fuiſſet ut ,, heretica. " Cui non ſtomachum iſta commoveant? Præterquam quod falſo ait Ariaga, eam *communiter ab omnibus cenſeri improbabilem*, annon ſenſit, quam non Auguſtino ſolum, ſed & Eccleſiæ injuriam inferat? Hæc ne vero ita veritatem hominibus poſthabere cenſenda eſt, ut propter nimiam adverſus Auctorem, quantuſcunque ille ſit, reverentiam, ſententiæ hactenus pepercerit cæteroqui dignæ, quæ manifeſte ut hæretica damnaretur? Plura in hanc Ariaga cenſuram animadverti poſſent; mittimus ea tamen, quod cordato cuilibet, & præjudiciis ſoluto facile in mentem venire poſſint. Interim ſex dies illi a Moſe memorati, myſtici ne fuerint & allegorici, an naturales & veri, non definientes, illud ut certiſſimum ſumimus, quod D. Thomas *loc. cit. de pot.* ſcribit: ,, Quod tempora ſex dierum ſecundum ,, alios Sanctos non fuerint ſimul, ſed ſuc- ,, ceſſive producta, non fuit ex defectu ,, potentiæ Creatoris, qui ſimul potuiſſet ,, omnia producere, ſed ut ordo divinæ ,, ſapientiæ in rerum inſtitutione demon- ,, ſtraretur, quæ res ex nihilo in eſſe pro- ,, ducens, non ſtatim poſt nihilum in ul- ,, tima perfectione naturæ eas conſtituit, ,, ſed primo fecit eas in quodam eſſe im- ,, perfecto, & poſtea eas ad perfectum ad- ,, duxit, ut gradatim ex nihilo mundus ,, ad ultimam perfectionem perveniret, & ,, diverſis gradibus perfectionis diverſi dies ,, deſervirent, ut ſic, & eorum eſſe oſten- ,, deretur, a Deo procedere, contra iſtos ,, qui ponunt materiam increatam, & ni- ,, hilominus perfectionis rerum ipſe Deus ,, auctor appareret, contra illos, qui re- ,, rum inferiorum formationem cauſis aliis ,, adſcribunt. "

III. Qui vero diverſi iſti perfectionis rerum gradus, quibus ſex hos diverſos dies *deſervire*, intelligimus? Præclare hos exponit Angelicus, iiſque qui dies a Moſe notati reſpondeant, declarat 1. *p. q.* 70. *ar.* 1. *in c.* ſcribens: ,, In recapitulatio- ,, ne divinorum operum Scriptura ſic di- ,, cit: *Igitur perfecti ſunt cæli & terra,* ,, *& omnis ornatus eorum*, in quibus verbis ,, triplex opus intelligi poteſt, ſcilicet *opus* ,, *creationis*, per quod cælum & terra pro- ,, ducta leguntur, ſed informia, & *opus* ,, *diſtinctionis*, per quod cælum & terra ,, ſunt perfecta, ſive per formas ſubſtan- ,, tiales attributas materiæ omnino infor- ,, mi, ut Auguſtinus vult *l.* 2. *ſup. Gen.* ,, *c.* 11., ſive quantum ad convenientem ,, decorem & ordinem, ut alii Sancti di- ,, cunt, & his duobus operibus additur ,, *ornatus*, & differt ornatus a perfectione; ,, nam *perfectio* cæli & terræ ad ea perti- ,, nere videtur, quæ cælo & terræ ſunt ,, intrinſeca, *ornatus* vero ad ea, quæ ſunt ,, a cælo & terra diſtincta, ſicut homo ,, perficitur per proprias partes, & formas, ,, ornatur autem per veſtimenta, vel ali- ,, quid hujuſmodi: *diſtinctio* autem ali- ,, quorum maxime manifeſtatur per mo- ,, tum localem, quo ab invicem ſeparan- ,, tur, & ideo ad opus *ornatus* pertinet ,, productio illarum rerum, quæ habent ,, motum in cælo & in terra. De tribus ,, autem fit mentio in creatione, ſcilicet ,, de *cælo, & aqua, & terra*, & hæc tria ,, etiam formantur per opus diſtinctionis ,, trium dierum: Primo die cælum (quod ,, ſcilicet creatum eſt a terra diſtinctum) ,, ſecundo die diſtinguuntur aquæ (infe- ,, riores videlicet a ſuperioribus) tertio ,, die fit diſtinctio in terra *maris* & *ari-* ,, *dæ*: & ſimiliter in opere *ornatus*, pri- ,, mo die, qui eſt quintus, aves & piſces ,, ad ornatum medii elementi, quia habent ,, motum in aqua & aere, quæ pro uno ,, accipiuntur: tertio die, qui eſt ſextus, ,, producuntur animalia, quæ habent mo- ,, tum in terra ad ornatum ipſius. " Egregia quoque ſunt, quæ ibidem habet *q.* 74. *ar.* 1. *in c.*: ,, Ratio diſtinctionis horum ,, dierum ex præmiſſis poteſt eſſe manife- ,, ſta; oportuit enim primo *diſtingui* par- ,, tes mundi, & poſtmodum ſingulas par- ,, tes ornari per hoc, quod quaſi ſuis ha- ,, bitatoribus replentur. Secundum ergo ,, alios Sanctos " (perpetuo ſibi conſtat Angelicus, ſummamque adverſus veteres Patres reverentiam adhibens, cavenſque ab inferendo vel communi aliorum, vel peculiari Auguſtini ſententiæ præjudicio, numquam alteram alteri præfert, ſed utramque ſemper affert, in quo ambæ conveniant, ac in quo diſcrepent, exponens, & ad utramque dictorum Moſis interpretationem accommodans) ,, in creatura ,, corporali tres partes deſignantur, *prima*

,, quæ

„ quæ ſignificatur nomine *cœli*, *media*, quæ ſignificatur nomine *aquæ*, *infima*, quæ ſignificatur nomine *terræ*; unde & ſecundum Pythagoricos perfectio in tribus ponitur, *principio*, *medio* & *fine*, ut dicitur *in l.* 1. *de cælo*. Prima ergo pars diſtinguitur *prima* die, & ornatur *quarta*: *Media* diſtinguitur *ſecunda* die, & ornatur *quinta*, *infima* diſtinguitur *tertia* die, & ornatur *ſexta*." Hæc Angelicus Doctor.

IV. Omnium tamen præſtantiſſima, & maxime neceſſaria eſt regula, quam idem tradit *q.* 4. *de pot. ar.* 5., quam utinam ſemper præ oculis haberent, quotquot ad divini eloquii interpretationem accedunt. „ Dicendum, ait, quod, ſicut dicit Auguſt. 12. *Confeſs.*, circa hanc quæſtionem, (nimirum an creatio materiæ informis creationem rerum duratione præceſſerit), poteſt eſſe duplex diſceptatio, una de ipſa rerum veritate, alia de ſenſu literæ, qua Moyſes divinitus inſpiratus principium mundi nobis exponit. Ad primam diſceptationem duo ſunt vitanda, quorum unum eſt, ne in hac quæſtione aliquid falſum aſſeratur, præcipue quod veritati fidei contradicat: aliud, ne, quidquid aliquis verum eſſe crediderit, ſtatim velit aſſerere, hoc ad veritatem fidei pertinere, quia, ut Auguſt. dicit 10. *Confeſs.*; obeſt, ſi ad ipſam doctrinæ pietatis formam pertinere arbitretur falſum, ſcilicet quod credit, & pertinacius affirmare audeat, quod ignorat. Propter hoc autem obeſſe dicit, quia ab infidelibus veritas fidei irridetur, quum ab aliquo ſimplici & fideli tamquam ad fidem pertinens proponitur aliquid, quod certiſſimis documentis falſum eſſe oſtenditur, ut docet etiam *l.* 1. *ſuper Gen. ad lit.* Circa ſecundam diſceptationem duo etiam ſunt vitanda, quorum primum eſt, ne aliquis id, quod patet eſſe falſum, dicat, in verbis Scripturæ, quæ creationem rerum docet, debere intelligi; Scripturæ enim divinæ a Spiritu S. traditæ non poteſt falſum ſubeſſe, ſicut nec fidei, quæ per eam docetur. Aliud eſt, ne quis ita Scripturam ad unum ſenſum cogere velit, quod alios ſenſus, qui in ſe veritatem continent, & poſſunt, ſalva circumſtantia literæ, Scripturæ aptari, penitus excludantur; hoc enim ad dignitatem divinæ Scripturæ pertinet, ut ſub una litera multos ſenſus contineat, ut ſic, & diverſis hominum intellectibus conveniat, & unuſquiſque miretur, ſe in divina Scriptura invenire poſſe veritatem, quam mente conceperit, & per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum, ſi aliquid, quod quiſque ex ſacra Scriptura velit intelligere, falſum apparuerit, ad alium ejus ſenſum poſſit haberi recurſus; unde non eſt incredibile, Moyſi & aliis ſacræ Scripturæ Auctoribus hoc divinitus eſſe conceſſum, ut diverſa vera, quæ homines poſſent intelligere, ipſi cognoſcerent, & ea ſub una ſerie literæ deſignarent, ut ſic quilibet eorum ſit ſenſus Auctoris; unde, ſi etiam aliqua vera ab Expoſitoribus ſacræ Scripturæ literæ aptentur, quæ Auctor non intelligit, non eſt dubium, quin Spiritus ſanctus intellexerit, qui eſt principalis auctor divinæ Scripturæ, unde omnis veritas, quæ ſalva literæ circumſtantia, poteſt divinæ Scripturæ aptari, eſt ejus ſenſus. His ergo ſuppoſitis ſciendum eſt, quod diverſi Expoſitores ſacræ Scripturæ diverſos ſenſus ex principio Geneſis acceperunt, quorum nullus fidei veritati repugnat, & quantum ad præſentem quæſtionem attinet &c." Hæc tametſi paulo prolixiora exſcribere voluimus, tum quod dicendis plurimum lucis adferant, tum ut eos pudeat, qui ſcripſitarunt, fuiſſe Thomam a ſolidiori critice imparatum, & ſubrancidæ veterum Philoſophorum diſciplinæ magis, quam ſacrarum literarum, Sanctorumque Eccleſiæ Magiſtrorum doctrinæ conſultum. Quicunque animo non ſit a vero prorſus alieno, vel una hac D. Thomæ *de opere ſex dierum* tractatione convincitur, fuiſſe illum in divino eloquio, & antiquorum Patrum ac Interpretum lectione exercitatiſſimum & paratiſſimum; quare noſtrum in hoc idem argumentum commentariolum totum ferme ex eo libabimus, atque ex ejus interpretationibus contexemus, quum unus ille omnia habeat, quæ de argumento hoc a priſcis Patribus ac Interpretibus ſcripta ſunt, ad ea vero, præter verborum ornatum, neque meliora, neque certiora Recentiores addiderint.

V. Prius autem quam in ſingulorum dierum opera a Moſe deſcripta inquiramus, quoniam ejus narratio manca videtur & imperfecta, quod nullam habeat excel-

excellentiſſimi Dei operis, Angelorum ſcilicet, mentionem, excutiendum eſt, an, & cur eos prætermiſerit, mox laudata D. Thomæ regula ad varias antiquorum Patrum opiniones adhibenda, ac oſtendendum, Hiſtorico ſacro, ſi eorum vere non meminit, vitio verti non poſſe. Præmittenda, quæ omnibus rata & fixa ſunt, neque in dubium ſine fidei injuria vocari poſſunt, recitandæ exin diverſæ Veterum opiniones, ac ſtatuendum, quæ certo falſa, quæ vera, quæ probabilior ac communior. D. Thomas *q. 2. de pot. ar. 18. in c.* docet, in hoc Catholicos omnes Doctores conſenſiſſe, non ſemper fuiſſe Angelos, ſeu æternos non eſſe: hoc itaque fide certum. Num vero cum aſpectabili hoc mundo conditi? Magna de capite hoc veteres inter Patres diſſenſio, quam ibidem D. Thomas exponit, ajens: „ Quidam tamen poſuerunt, Angelos non ſimul cum mundo, ſed ante mundum viſibilem incæpiſſe, ad hoc autem ponendum diverſis rationibus moti ſunt; Quidam namque æſtimaverunt, creaturas corporeas non eſſe productas ex prima Dei intentione, ſed occaſionem eas producendi ex merito vel demerito creaturæ ſpiritualis Deum habuiſſe, dixerunt. Origenes enim poſuit, a principio ſimul creatas eſſe omnes creaturas immateriales & rationales, & eas fuiſſe æquales, divina hoc exigente juſtitia; non enim videtur, quod inæqualitas poſſit eſſe in datis, juſtitia ſervata, niſi propter meriti vel demeriti diverſitatem; unde diverſitatem creaturarum, quam videmus, præceſſiſſe poſuit meriti & demeriti diverſitatem, ut, ſecundum quod ſpiritualium creaturarum quædam magis Deo adhæſerunt, in altiores ordines Angelorum ſint promotæ, quæ vero magis peccaverunt, groſſioribus & ignobilioribus corporibus ſint alligatæ, quaſi ipſa meritorum diverſitas exegerit, diverſos creaturarum gradus a Deo produci. Hanc autem poſitionem Auguſtinus reprobat *in 11. de civ. Dei* &c. " Hanc & ibidem validiſſimis momentis refellit Angelicus; quare eſt hæc opinio improbanda ceu falſa, & erroris plena. Ea ergo remota, pergit Angelicus, „ alii ex conſideratione naturæ ſubſtantiarum ſpiritualium, quæ eſt dignior omni natura corporali, poſuerunt ſubſtantias ſpirituales ante corporales conditas eſſe, ut ſicut natura ſpiritualis creata media eſt ordine naturæ inter Deum & creaturam corporalem, ita etiam ſit media duratione. Hæc autem opinio, quum fuerit magnorum Doctorum, ſcilicet Baſilii, Greg. Nazian., & quorumdam aliorum " (inter Græcos nempe complurium, quos e Latinis aſſectati ſunt Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Caſſianus, & Iſidorus Hiſpalenſis) „ non eſt tamquam erronea reprobanda. " Hæc ſi ita ſint, non eſt, cur mirum cuipiam accidat, nullam eorum apud Moſen mundi initia memorantem mentionem occurrere; „ Moyſes enim legiſlator, ait Baſilius *hom. 1. in Exameron* in principio Gen. exordium viſibilis creaturæ incæpit exponere, prætermiſſa creatura ſpirituali, quæ ante fuerat condita, de qua mentionem non fecit, quia rudi populo loquebatur, qui ad ſpiritualia capienda idoneus non erat. „

VI. Huic tamen opinioni D. Thomas Auguſtini aliorumque ſententiam anteferendam cenſet, Angelos nempe cum aſpectabile hoc mundo fuiſſe conditos; quare pergit: „ Sed ſi diligenter conſideretur, alia opinio, quæ eſt Auguſtini, & aliorum Doctorum, quæ etiam modo communiter tenetur, rationabilior invenitur; Angeli enim non ſolum ſunt conſiderandi abſolute, ſed etiam inquantum ſunt pars univerſi; & hæc conſideratio eorum intantum eſt magis attendenda, inquantum bonum univerſi præeminet bono cujuslibet particularis creaturæ ſicut bonum totius præeminet bono partis: Secundum autem quod Angeli conſiderantur ut partes univerſi, competit eis, ut ſimul cum corporali creatura ſint conditi; unius enim totius una videtur eſſe productio: Si autem ſeorſum eſſent Angeli creati, viderentur omnino alieni ab ordine creaturæ corporalis, quaſi aliud univerſum per ſe conſtituentes; unde dicendum eſt, quod Angeli ſimul cum corporali creatura ſunt conditi, tamen ſine alterius opinionis præjudicio " præſertim *propter auctoritatem* Gregorii Nazian., ait *1. p. q. 61. ar. 3. in c.*, *cujus tanta in Chriſtiana doctrina eſt auctoritas, ut nullus unquam dictis ejus calumniam inferre præſumpſerit, ſicut nec Athanaſii documentis, ut Hieronymus dicit.* Videtur hæc tamen D. Thomæ modeſtia, qua Græcorum Patrum opinioni parcit, com-

communemque Latinorum ſententiam *rationabiliorem* duntaxat vocat, in quam ſe concedere, profitetur *ſine alterius opinionis præjudicio*, nimia, & a veritatis regula aliena; nonne etenim hæc ab eo ſcripta ſunt poſt Lateranenſis quarti Concilii celebrationem, a quo definitum eſt, *firmiter* credendum eſſe, *Deum omnipotenti ſua virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam ſcilicet & mundanam?* Diſceſſit ergo ipſe a ſe D. Thomas, nec regulam tenuit, quam 4. *de pot. art.* 5. ab eo traditam mox laudavimus. Si enim Angelos una cum corporeis rebus *ab initio temporis* conditos fuiſſe, *firmiter credendum eſt*, jam eſt aliter ſentientium opinio ceu *erronea reprobanda*, quippe quæ cum ſolemni Eccleſiæ definitione pugnat, nec inter eas referri poteſt, quarum nulla, ut ibidem ait idem D. Thomas, fidei veritati adverſatur. Num vero audiendi ii ſunt, qui, ut ſcribunt Ferrarienſis & Cajetanus, D. Thomam hæc ſcripturum non fuiſſe, commenti ſunt, ſi Decretalis hujus meminiſſet, quum hunc articulum edidit? At, quum in eandem breves licet, ſed nitidos ſolidoſque commentarios ediderit, qui ignorare illam potuit, aut ejus non meminiſſe? Prudens itaque & ſciens, quemadmodum Cajetanus ait, hæc ſcripſiſſe, dicendus eſt. Quid ergo? Vel hinc ſpecimen ſumendum eſt acerrimi illius, quo pollebat, judicii, quamque eſſet a ſolida critice melius inſtructus, quam recentes quidam Theologi, qui communem hanc Auguſtini aliorumque ſententiam, inter fidei dogmata referunt, Græcorumque Patrum opinionem defendi jam ſine manifeſto errore non poſſe, decernunt. Norat ille optime, Eccleſiaſticæ doctrinæ, quam etiam tenemur amplecti, non eundem eſſe gradum, nec omnia judiciorum decreta eodem loco habenda; nec enim omnia, quemadmodum graviſſime Melchiori Cano poſtea animadverſum eſt, quæ aut juris, aut Conciliorum volumina continent, doctrinæ chriſtianæ judicia, nec omnia rurſum doctrinæ judicia fidei cenſuræ ſunt. Perſpectum plane habebat, ut Theologorum Principem maxime decet, quibus noris Conciliorum de fide judicia internoſci queant, diſpiciendum maxime, quo certo ſpectarint illa, quem errorem configere, quam veritatem rato judicio finire voluerint, omnibuſque firmiter credendam proponere. Audiendus Clariſſimus ejus Interpres Cajetanus *in comment. in* 1. *p. q.* 61. *ar.* 3. „ Verba Decretalis interpretanda „ ſunt in ſenſu, in quo fiunt, magis quam „ in ſenſu, quem faciunt, &, ut dicit S. „ Thomas in expoſitione illius Decretalis, „ verba illa appoſita ſunt contra errorem „ Origenis, & aliorum, qui ponunt, crea„ turas ſpirituales eſſe tantum per ſe pro„ ductas a Deo, ac poſtmodum propter „ demerita earum corporales creaturas fuiſſe „ productas; unde quum dupliciter tenea„ tur, Angelos productos eſſe ante corpo„ ra, ſcilicet tamquam res ita per ſe pro„ ductas, ut propter earum demerita quo„ dammodo per accidens mundus corporeus „ ſit productus, vel ſimpliciter & abſolu„ te, nempe quod Angeli ex voluntate „ Dei præceſſerint mundum viſibilem, „ Decretalis illa, quamvis ſecundum ver„ ba utramque poſitionem deſtruat, con„ tra primam tamen tamquam contra hæ„ reſim interpretanda eſt, ad ſecundam „ vero tamquam ad minus probabilem „ applicari poteſt. Ratio hujus gloſſæ eſt, „ quia determinationes iſtæ nonniſi contra „ errores aliquos conſueverunt fieri. " Hæc ille, quibus gemina habet Ferrarienſis *in comm. in c.* 83. *l.* 2. *cont. Gent.* etſi nobis verum propius attigiſſe ii videantur, qui confixam ea Concilii ſententia volunt peſtilentiſſimam Manichæorum hæreſim tum in Galliis ac Italia late graſſantem, qui duo ſumma rerum principia ſtatuebant, a quorum uno ſpiritualia atque inviſibilia, ab altero corporea quæque & aſpectabilia eſſent. Hinc graviſſimus Theologus Melchior Cano ad confirmandum, non ſtatim, ſi quidquam juris canonici volumine continetur, fidei dogma credendum eſſe, ex laudata Decretali exemplum adfert inquiens. „ Exempli cauſa ponamus aliquid, quod „ poſitum in una re transferri per multas „ poſſit. Quod in *Capite Firmiter de ſumma Trinitate*, Angelos eſſe incorporeos „ dicitur, id non fidei decretum eſt, quum „ poſt Decretalem illam nonnulli & Phi„ loſophi & Theologi falſo quidem, ſed „ citra hæreſeos notam contrarium aſſeru„ erint. At enim ut explicaret Synodus „ id, quod fides Catholica tenet, Deum „ eſſe Creatorem omnium viſibilium & „ inviſibilium, adjecit, *corporalium & incorporalium*, quas particulas exponendi „ non definiendi gratia adjectas eſſe con„ ſtat; ac quemadmodum Concilium ſum-

„ pſit

„ pſit id, quod & verum, & longe longeque plurimum probabile erat, Angelos ut inviſibiles, ita quoque & incorporeos eſſe, ſic forte, & illud accepit, Angelos & mundum ſimul eſſe congenitos; non enim eo tempore hoc agebatur, ut Gregorii Nazianzæni & aliorum hunc ſequentium opinio damnaretur. Nec ego tamen is ſum, qui opinationem hanc in præſentia tueri velim . . . ſed id ago, qua in re operæ pretium me Theologis facturum exiſtimo, non omnia, quæ etiam abſolute & ſimpliciter iu Conciliis affirmantur, fidei decreta eſſe,“

VII. At ſi Gregorii Naziaz. aliorumque Græcorum opinio vix„ ac ne vix quidem probabilis, Auguſtini vero ceterorumque longe probabiliſſima, communis, & tantum non fide certa, manca itaque & imperfecta rerum omnium geneſis narratio a Moſe contexta, quæ nullam præſtantiſſimi Dei operis, Angelorum videlicet, mentionem habet. „ Dicendum, reſpondet Angelicus *1. p. q. 61. art. 1. ad 1.*, „ quod, ſicut Auguſtinus dicit *l. 11. de Civ. Dei c. 33. circa finem*, Angeli non ſunt prætermiſſi in illa prima rerum creatione, ſed ſignificantur nomine cæli aut etiam lucis. Ideo autem vel prætermiſſi ſunt, vel nominibus rerum corporalium ſignificati, quia Moyſes rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam, & ſi eis fuiſſet expreſſum, aliquas res eſſe ſuper omnem naturam corpoream, fuiſſet eis occaſio idololatriæ, ad quam proni erant, & a qua Moyſes eos præcipue revocare intendebat“; præſertim quum, ut *3. de pot. art. 18.* ſcite animadvertit, hujuſmodi ſubſtantiæ cælo nobiliores a Gentilibus Dii dicerentur. Quia vero nonnullis *cæli* nomine, quod Moſes in ſuæ narrationis initio poſuit, quum ait, *in principio creavit Deus cælum & terram*, cælum quod *empyreum* dicunt, venite viſum eſt, ideoque nec corporearum rerum nomine Angeli ſignificati, reſpondet ibidem D. Thomas, eos metonymia uſos, qua ponitur continens pro contento; quum enim empyreum ſanctorum Angelorum domicilium ſit, ejus nomine beatos ejus cives deſignatos eſſe, ſenſerunt. His, quę notatione digna nobis viſa ſunt, præjactis, jam ad ipſam Moſaicæ narrationis ſummam breviter exponendam aggredimur.

EXERCITATIO III.

De primæ diei operibus.

I. Moſes narrationem ſuam ita exorditur: *in principio creavit Deus cælum & terram*, quorum verborum germanam, maximeque ſimplicem ſententiam eſſe, nemo non percipit: *ante omnia, atque in ipſo mundi temporiſque exordio cælum Deus terramque condidit*, ut, quum architectum in principio fundamenta jeciſſe, dicimus, poſita ab eo ante omnia ſundamenta, atque ab ipſis inchoatum opus, ſignificamus. Sic verba hęc interpretati ſunt Tertull. *l. contra Hermogenem c. 19.* Baſilius *hom. 1. in Gen.*, Ambroſius *l. 1. Hexam. c. 3.*, Auguſtinus *l. de Gen. ad lit. c. 3.* & *l. 2. contra Adverſarium legis & Prophetarum c. 2.* Cyrillus Alexandr. *l. 2. contra Julianum*, Concilium Lateran. IV. *c. Firmiter de ſumma Trinitate*, aliique plurimi. Probat interpretationem hanc D. Thomas, qui tamen animadvertit, & aliis textus hujus interpretationibus, *ſalva literæ circumſtantia*, locum eſſe, ei præſertim, quæ plurimorum Patrum eſt, exponentium, *in principio*, ideſt *in Filio*, univerſa a Deo condita; ait enim *1. p. q. 46. ar. 3. in c.*: „ Illud verbum Gen. 1., *in principio creavit Deum cælum & terram*, tripliciter exponitur, ad excludendum tres errores; quidam enim poſuerunt, mundum ſemper fuiſſe, & tempus non habere principium, & ad hoc excludendum exponitur: *in principio*, ſcilicet *temporis*: Quidam vero poſuerunt, duo eſſe creationis principia, unum *bonorum*, aliud *malorum*, & ad hoc excludendum exponitur, *in principio*, ideſt *in Filio*; ſicut enim principium effectivum appropriatur Patri propter potentiam, ita principium exemplare appropriatur Filio propter ſapientiam, ut, ſicut dicitur, *omnia in ſapientia feciſti*, ita intelligatur, Deum omnia feciſſe *in principio*, ideſt *in Filio* ſecundum illud Apoſtoli ad Coloſ. 1., *In ipſo*, ſcilicet Filio, *condita ſunt univerſa*. Alii vero dixerunt, corporalia eſſe creata a Deo mediantibus creaturis ſpiritualibus, & ad hoc excludendum exponitur, *in principio creavit Deus cælum & terram*, ideſt, *ante omnia*. Quatuor enim ponuntur ſimul creata, ſcilicet *cælum em-*

„ *pyreum*, *materia corporalis*, quæ nomine
„ *terra* intelligitur, *tempus*, & *natura*
„ *Angelica*.

II. Ex poſtremis his D. Thomæ verbis
intelligere quiſque poteſt, Veterum ple-
roſque, *cælum*, quod Moſes ait, creatum
a Deo *in principio*, ſummum cælum in-
terpretatos, quod Angelorum Beatorum-
que ſpirituum ſedes eſt, quodque in Scri-
pturis *cælum cæli* dictum exiſtimant, cu-
jus interpretationis feruntur auctores Phi-
lo Judæus, Origenes, Baſilius, Hilarius,
Hieronymus, Auguſtinus, Diodorus Tar-
ſenſis, Procopius, Damaſcænus, Beda,
Rupertus Abbas, Alcuinus, Rabanus,
Strabo, quæ & Sententiarum Magiſtro,
& D. Thomæ, & aliis Scholæ Doctori-
bus bene multis placuit; non eſt illa ta-
men communis; nam & Baſilius, Gre-
gorius Nyſſenus, & Ambroſius cenſent,
cæli hujus nomine deſignatum a Moſe to-
tum cæleſtium orbium ſyſtema, quod cir-
cum terram agi, vulgo putatur, noſtriſ-
que aſpectibus patet. Quid vero, ſi fir-
mamentum ſecunda die factum Moſes ipſe
commemorat? Quid firmamenti hujus no-
mine veriſimillime veniat, exercitatione
ſequ. exponemus. Interim illud nobis ma-
xime probatur, quod 1. *p. q.* 68. *ar.* 1. ad
1. ad ſubmovendam difficultatem hanc
habet D. Thomas ajens: „ Dicendum,
„ quod ſecundum Chryſoſtomum, primo
„ Moyſes ſummarie dixit, quid Deus fe-
„ cit, præmittens, *in principio creavit*
„ *Deum cælum & terram*, poſtea per par-
„ tes explicavit, ſicut ſi quis dicat: Hic
„ artifex fecit domum iſtam, & poſtea
„ ſubdat. Primo fecit fundamenta, poſtea
„ erexit parietes, tertio ſuperpoſuit te-
„ ctum; & ſic non oportet, aliud cælum
„ nos intelligere, quum dicitur, *in prin-*
„ *cipio creavit Deum cælum & terram*, &
„ quum dicitur, *quod ſecunda die factum*
„ *eſt firmamentum*. “ Placuit & Augu-
ſtino hæc interpretatio, qui *l.* 12. *Confeſ.*
c. 17. refert, cenſuiſſe quoſdam, „ nomi-
„ ne cæli & terræ totum iſtum viſibilem
„ mundum Moſen primo ſignificare uni-
„ verſaliter & breviter voluiſſe, ut poſtea
„ digereret dierum enumeratione quaſi ar-
„ ticulatim univerſa, quæ ſancto Spiritui
„ ſic placuit enuntiare; tales quippe ho-
„ mines erant rudis ille atque carnalis po-
„ pulus, cui loquebatur, ut eis opera Dei
„ nonniſi ſola viſibilia commendaret. “

III. Ut autem *cæli* multiplex & varia
eſt apud Patres acceptio, ita & *terra*,
quam una cum cælo in *principio* a Deo
conditam, Moſes refert; *Terra* enim, ait
D. Thomas 1. *p. q.* 66. *ar.* 1. *ad* 1. „ aliter
„ accipitur ab Auguſtino in loco iſto &
„ ab aliis Sanctis: Auguſtinus vult, quod
„ nomine terræ & aquæ ſignificetur in
„ hoc loco ipſa materia prima; non enim
„ poterat Moyſes rudi populo primam
„ materiam exprimere, niſi ſub ſimilitu-
„ dine rerum eis notarum, unde & ſub
„ multiplici ſimilitudine eam exprimit,
„ non vocans eam tantum *aquam*, vel
„ tantum *terram*, ne videatur ſecundum
„ rei veritatem materia prima eſſe vel
„ terra vel aqua: habet tamen ſimilitu-
„ dinem cum terra, inquantum ſubſidet
„ formis, & cum aqua, inquantum apta
„ eſt, formari diverſis formis. Secundum
„ hoc ergo dicitur terra *inanis* & *vacua*,
„ vel *inviſibilis* & *incompoſita*, quia ma-
„ teria per formam cognoſcitur, unde in
„ ſe conſiderata dicitur *inviſibilis* vel
„ *inanis*, & ejus potentia per formam re-
„ pletur. “ Riſum hæc delicatiſſimis Re-
centioribus excitabunt, quorum faſtidioſiſ-
ſimæ aures nec ipſa *materiæ primæ* & *for-*
mæ nomina jam ferre poſſunt: Auguſtini
tamen ſunt non Peripatetici ſed Platoni-
ci, atque ingenioſiſſimi, nec indigna D.
Thomæ Theologorum Principi viſa, quæ
exſcriberentur, & cum aliorum Patrum
interpretationibus conferrentur. „ Alii ve-
„ ro Sancti, pergit Angelicus, per *terram*
„ intelligunt ipſum terræ elementum, &
„ ſic conſiderari poteſt, & inquantum eſt
„ principium quarundam rerum, ſcilicet
„ plantarum, quarum eſt ut mater, ut
„ dicitur in *l. de veget.*, ſicque reſpectu
„ earum erat *inanis*, antequam eas pro-
„ duceret; *inane* enim vel *vanum* dici-
„ mus, quod non pertingit ad proprium
„ finem. Et poteſt conſiderari, inquan-
„ tum eſt habitaculum quoddam vel lo-
„ cus animalium, reſpectu quorum *vacua*
„ fuiſſe dicitur, vel ſecundum literam
„ Septuaginta, quæ habet, *inviſibilis* &
„ *incompoſita*, fuit quidem terra *inviſibi-*
„ *lis*, inquantum erat aquis cooperta, &
„ inquantum nondum erat lux producta,
„ per quam poſſet videri: *incompoſita* ve-
„ ro, inquantum carebat & plantarum &
„ animalium ornatu, & ſitu conveniente
„ ad eorum generationem, & conſerva-
„ tionem. “ Quæ itaque prima die crea-
vit Deus, rudia erant & impolita, ſeu
ut.

ſit veteres Patres loquuntur, *informia*, „ quia, ait Angelicus, quantum ex litera Geneſis accipi poteſt, triplex formoſitas deerat, propter quod dicebatur creatura corporalis informis. Deerat enim a toto corpore diaphano, quod dicitur cælum, pulcritudo lucis, unde dicitur, quod *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*: deerat autem terræ duplex pulcritudo, una, quam habet ex hoc, quod eſt a quis diſcooperta, & quantum ad hoc dicitur, quod *terra erat inanis & vacua*, ſive *invisibilis*, quia corporali aſpectui patere non poterat propter aquas undique eam cooperientes, alia vero, quam habet ex hoc, quod eſt ornata plantis & herbis, & ideo dicitur, quod erat *vacua*, & *incompoſita*, ideſt, *non ornata* ſecundum aliam literam; & ſic, quum Moyſes præmiſiſſet duas naturas creatas, ſcilicet cælum & terram, informitatem terræ expreſſit per hoc, quod dixit, *terra erat inanis*, *& vacua*, informitatem vero cæli per hoc quod dixit, *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, “ quæ nomen græcum eſt, idemque ſignificat ac ſine fundo, & hebraice dicitur *Tehom*, *ideſt aqua multa*, vel *aquarum multarum locus*. Super hanc itaque immenſam pene aquarum vim, quibus obruta erat tellus, tenebræ offuſæ erant, nondum creata luce, quæ, iis diſpulſis, diem induceret.

IV. Dum autem hoc loco res primum a Deo conditæ eſſent, aqua ſcilicet terræ ſuperfuſa, terra in aquarum fundo ſubſidens, omnia vero denſiſſimis tenebris obvoluta, ait Moſes: *& Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Quamquam Severiano Gabalitano, Tertulliano, Theodoreto, aliiſque hic *Domini ſpiritus* non alius ab aere ſeu vento ſit, Baſilius tamen, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Victor Vitenſis, quin & Tertullianus idem, aliique ferme communiter, ſpiritum hunc Spiritum ſanctum interpretantur; imo Baſilius & Hieronymus non aliam hebraici vocabuli poteſtatem eſſe, contendunt; quare interpretationem hanc tantorum Virorum auctoritate, & Majorum conſtanti traditione fretam adoptat Eccleſia in ſolemni fontis baptiſmatis benedictione ita Deum precans: *Deus, cujus ſpiritus inter ipſa mundi primordia ſuper aquas ferebatur, ut jam tum virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet &c.* Hanc quoque ſibi maxime probari declarat Angelicus 1. *p. q.* 74. *ar.* 3. *ad* 4. ajens. „ Rabbi Moyſes *in l. perplexorum* per *Spiritum Domini* intelligit aerem vel ventum, ſicut & Plato intellexit, & ait, quod dicitur *Spiritus Domini*, ſecundum quod Scriptura conſueverit ubique flatum ventorum Deo attribuere. Sed ſecundum Sanctos per *Spiritum Domini* intelligitur Spiritus ſanctus, qui dicitur ſuperferri aquæ, ideſt materiæ informi ſecundum Auguſtinum, ne facienda opera ſua propter indigentiæ neceſſitatem putaretur Deus amare; indigentiæ enim amor rebus, quas diligit, ſubiicitur. Commode autem factum eſt, ut prius inſinuaretur aliquid inchoatum, cui ſuperferri diceretur, non enim ſuperfertur loco, ſed præcellente potentia, ut idem Auguſt. dicit 1. *ſuper Gen. ad lit.*. Secundum Baſilium vero (*hom.* 2. *in Hexam.*) ſuperferebatur elemento aquæ, ideſt fovebat, & vivificabat naturam aquæ ad ſimilitudinem gallinæ incubantis, vitalem virtutem his, quæ foventur, iniiciens; habet enim aqua præcipue vitalem virtutem, quia plurima animalia generantur in aqua, & omnium animalium ſemina ſunt humida: vita etiam ſpiritualis datur per aquam baptiſmi; unde dicitur Jo. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* “ Etſi harum expoſitionum neutra *fidei veritati repugnet*, utraque, *ſalva literæ circumſtantia*, laudatis verbis *aptari poſſit*, negari tamen non poſſe videtur, poſteriorem, quæ Veterum pene omnium Eccleſiæ Patrum eſt, quæque Eccleſiæ perplacet, meliorem eſſe, ac priori anteferendam; quare paulo licentius ſcripſiſſe videtur Anonymus Gallus, qui in brevi, quam a mundi exordio ad ſua uſque tempora digeſſit, Eccleſiæ hiſtoria, hanc ad locum iſtum notationem appoſuit. „ Hunc Domini ſpiritum nonnulli Spiritum ſanctum interpretantur: ventum tamen aut aerem aquis incumbentem *magis naturaliter* intelligimus, ita ut Moſes tres partes chaos, terram, aquam, & aerem paucis complexus ſit. “

V. Jam vero Moſes, qui, ut cum Chryſoſtomo & Auguſtino mox obſervavimus, *cæli terræque nomine totum iſtum viſibilem mundum univerſaliter prius & breviter ſignificare voluit*, ad diſſerenda *dierum enumeratione quaſi articulatim univerſa, quæ Sancto Spiritui placuit ſic enuntiare*, procedens, a lucis formatione initium ducit,

 ajens:

ajens : *Dixit autem Deus , fiat lux , & facta eſt lux, & vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diviſit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem , & tenebras noctem, & factum eſt veſpere & mane dies unus* . Nihil hac Moſis locutione ſimplicius, nitidius, ſublimius, Deoque dignius, quam & Longinus Philoſophus, qui tanta apud Zenobiam Palmyrænorum Reginam in gratia & honore fuit, ſublimis dicendi generis exemplum poſuit , ajens . „ Sic egit & is, qui Judæis leges dedit, vir minime vulgaris ingenii, ut , qui Dei potentiam digne & conceperit & elocutus fuerit, ſtatim in principio legum hæc ſcribens, *Dixit Deus* : Quid ? *Fiat lux, & facta eſt lux* . " Neminem autem uſque adeo ſtupidum fore putamus , ut verba hæc Deum reipſa hominum more extuliſſe, arbitretur, quibus *Moſes ſapientiſſimus*, ut de eo Chalcidius Philoſophus Platonicus, *non humana facundia, ſed divina, ut ferunt, inſpiratione vegetatus* efficaciſſimum divinæ voluntatis imperium expreſſit, quo *omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*. Audiendus Ariſtobulus Judæus apud Euſebium *l.* 13. *Præparationis Evangelicæ c.* 12. „ Divinam vocem accipere nos ſic oportet, non ut ſermonem aliquem conceptis incluſum expreſſumque verbis, ſed ut operum ipſorum molitionem, quo plane ſenſu creationem mundi univerſam Legislator ille Moſes Dei vocem appellavit ; nam de ſingulis operibus ita pronuntiat: *Dixitque Deus, & factum eſt* . Id quod ego Pythagoram, Socratem ac Platonem , quum noſtra omnia curioſe rimati eſſent, omnino ſecutos exiſtimo , quum ſeſe Dei vocem exaudire dicerent, in illa univerſi molitionis, quæ tam accurate a Deo perfecta, ſui ſemper ſimilis integraque perſiſteret, contemplatione defixos . " Præclara eſt in hæc, eorumque ſimilia , quæ 1. *Gen.* Moſes non ſemel refert, verba D. Thomæ notatio 1. *p. q.* 75. *ar.* 3. *ad* 5.. „ In hoc quod dicit , dixit Deus , *fiat* , importatur imperium Dei de faciendo , per hoc autem, quod dicit , *factum eſt*, importatur complementum operis . Oportuit autem, ut ſubderetur , quomodo factum fuit , præcipue propter illos , qui dixerunt , omnia viſibilia per Angelos facta, & ideo ad hoc removendum ſubditur, quod ipſe *Deus fecit* ; Unde in ſingulis operibus, poſtquam dicitur, *& factum eſt ita* , aliquis actus Dei ſubditur, vel *fecit* , vel *diſtinxit* , vel *vocavit* , vel aliquid ejuſmodi : " ut videre eſt in hoc, quem excutimus , loco; ad divinum enim imperium , quo lucem prodire juſſit, effectus imperio reſpondens attexitur, *& facta eſt lux* , *mox Dei actus ſubditur, & diviſit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem* . Quid ſibi vero ea volunt , *& vidit Deus lucem , quod eſſet bona* ? Egregie D. Thomas loco mox cit. *ad* 3. „ In hoc ſignificatur quædam complacentia Dei opificis in re facta, non quod alio modo cognoſceret , aut placeret ei creatura jam facta , quam antequam fieret ; & ſic in utroque opere creationis & formationis Trinitas Perſonarum inſinuatur : in creatione quidem Perſona Patris per Deum creantem , Perſona Filii per *principium* , in quo creavit, Perſona Spiritus S., qui ſuperfertur aquis : In formatione vero Perſona Patris in *Deo* dicente , Perſona vero Filii in verbo , quod dicitur , Perſona Spiritus ſancti in complacentia , qua vidit Deus, bonum eſſe, quod factum erat."

VI. At quæ & qualis lux illa, quæ facta deſcribitur? Num Angeli lucis nomine ſignificati ? Ita quidem ſentit Auguſtinus , qui & quod legimus diviſiſſe Deum lucem a tenebris interpretatur ſanctos Angelos diſcretos a malis , etſi interpretationem hanc ſuam ita efferat , ut & alii, locum eſſe, *ſalva Scripturarum veritate* , det perlibenter . Pro corporea hâc , qua fruimur ac recreamur luce , ſtant reliqui Patres ac Interpretes ferme omnes : mirum tamen, quanta inter eos ſit de lucis hujus natura opinionum varietas ac conflictio . Gregorio Nyſſeno, quem Damaſcænus aſſectatus eſt, lux iſta non aliud eſt ab igne , qui ex informi rudique mole jam condita, Deo jubente, excitatus , atque evolutus repente proſiliit, ſplendoreque ſuo omnia colluſtravit. Varias D. Thomas Veterum , quorum nomina reticet, opiniones indicat & refellit 1. *p. q.* 67. *art.* 3. *ad* 2. ajens : „ Quidam dicunt , lucem illam fuiſſe quandam nubem lucidam, quæ, poſtmodum facto ſole, in præjacentem materiam rediit ? ſed iſtud non eſt conveniens, quia Scriptura in principio Gen. commemorat inſtitutionem naturæ, quæ

„ poſt-

„ poſtmodum perſeverat; unde non debet „ dici, quod aliquod tunc factum fuerit, „ quod poſtmodum eſſe, deſierit: Et „ ideo alii dicunt, quod illa nubes luci- „ da adhuc permanet, & eſt conjuncta „ ſoli, ut ab eo diſcerni, non poſſit. Sed „ ſecundum hoc nubes illa ſuperflua re- „ maneret, nihil autem eſt vanum in „ operibus Dei: & ideo alii dicunt, „ quod ex illa nube formatum eſt corpus „ ſolis; ſed hoc etiam dici non poteſt, „ ſi ponatur, corpus ſolis non eſſe de na- „ tura quatuor elementorum, ſed eſſe in- „ corruptibile per naturam, quia ſecun- „ dum hoc materia ejus eſſe non poteſt „ ſub alia forma. “ Ne poſtrema hæc Angelici verba riſum recentioribus Philoſophis excitent, animadvertant, velim, hæc ab eo non abſolute, ſed hypothetice, ut ajunt, efferri, ut & alia hujus generis multa, quæ a ſemidoctis bene multis vetera quæque facillime faſtidientibus cachinnis propterea excipiuntur, quod non intelligant, vel intelligere nolint, a Doctore in antiquorum Philoſophorum placitis diu multumque verſato plura recitari quidem, non item probari.

VII. Quid porro ille? In ſententiam propendet Auctoris librorum de divinis nominibus, qui ejus ævo Dionyſius Areopagita vulgo ferebatur, lucem nimirum illam ipſam fuiſſe ſolis lucem, informem tamen „ quantum ad hoc, „ quod jam erat ſubſtantia ſolis, & ha- „ bebat virtutem illuminativam in com- „ muni, ſed poſtmodum data eſt ei ſpe- „ cialis virtus, & determinata ad parti- „ culares effectus: & ſecundum hoc in „ productione hujus lucis diſtincta eſt lux „ a tenebris quantum ad tria: Primo „ quidem quantum ad cauſam, ſecun- „ dum quod in ſubſtantia ſolis erat cauſa „ luminis, in opacitate autem terræ cau- „ ſa tenebrarum: ſecundo quantum ad „ locum, quia in uno hemiſpherio erat „ lumen, in alio tenebræ: tertio quan- „ tum ad tempus, quia in eodem hemiſ- „ pherio ſecundum unam partem tempo- „ ris erat lumen, ſecundum aliam tene- „ bræ, & hoc eſt, quod dicitur, *lucem* „ *vocavit diem, & tenebras noctem*. “ Eſto: quæ tamen lucis hujus ſolis natura? Probat ille ibidem *art.* 2. & 3., lucem hanc *qualitatem* eſſe, non *corpus*, de quo ejus placito quantus recentium Philoſophorum riſus? Aures tamen arrigant, animumque paulisper advertant homines acutiſſimi, quibus nova non mirifice ſolum placent, ſed & priſcis anteferenda videntur. Quid ſi hæc opinio non D. Thomæ ſolum, cui nimium in Ariſtotelem ſtudium vitio dant, ſed & Patrum fuerit maximi in Eccleſia nominis, ſummæque non apud Græcos ſolum ſed & apud Latinos auctoritatis? Sane Baſilius M., & Gregorius Nazianzænus lucem hanc, de qua Moſes, verum fuiſſe *accidens* exiſtimarunt, quod primo abſque *ſubjecto* conſtiterit, exin in ſole, qui factus eſt quarta die, ſtabiliter collocatum. Annum ergo accidentium nomen, & a ſubſtantia diſtinctio mera Peripateticorum deliratio? Quorſum tamen hæc? Num tantos Viros inducimus, quaſi vero Philoſophiæ placita velimus eorumdem ut Eccleſiæ Patrum auctoritate firmare? Dii meliora. Non uſque eo in rebus ejuſmodi peregrini & hoſpites ſumus, ut illud neſciamus, quod eſt graviſſime a Melchiore Cano conſtitutum, Sanctorum videlicet ſive paucorum ſive plurium auctoritatem, quum ad eas facultates affertur, quæ naturali lumine continentur, certa argumenta non ſuppeditare, ſed tantum pollere, quantum ratio naturæ conſentanea perſuaſerit. Ac Baſilio & Nazianzæno non Theologis ſolum eximiis, ſed & Philoſophis Platonicis præſtantiſſimis nec ſordebat nec putebat Ariſtoteles, ſicut Recentium compluribus, qui, dum hominem præ ſe ferme neminem putant, quaſi vero e Democriti puteo primi atque ſoli veritatem eruerint, tantoque ſupercilio & auctoritate ſua pronunciant, illud veriſſimum comprobant, quod apud Græcos canitur: *Imperitia confidentiam, eruditio timorem parit*, quodque Apoſtolus 1. *ad Cor.* 8. ſcribit: *ſi quis exiſtimat, ſe ſcire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat, eum ſcire*; ea enim confidentia non eſſent, ſi vellent, ſepoſitis præjudiciis, intelligere, nova, quæ de phyſicis cuſa ſunt, placita perinde, ac vetera, incerta eſſe, iiſdemque, ſi non & majoribus, difficultatibus obſideri, & ſapientis gravitate indignum eſſe, certam rerum ſcientiam, ſeu firmam evidentemque cognitionem jactare, quas non habeat plane perſpectas & denotatas. Sola imperitia hanc confidentiam parit, facitque, ut demonſtrationum loco multa habeantur, quæ

vix

Digitized by Google

vix ſunt probabilia argumenta, nec perſpiciatur, quibus appeti illa poſſunt & diſiici: Contra qui multæ ſolidæque eruditionis ſunt, & caute circumſpectant omnia, novaque cum antiquis conferunt, ſunt paulo diffidentiores, vereuturque committere, ne demonſtrata jactitent, quæ adhuc in opinione ſunt poſita, rerumque novitate magis, quam explorata veritate ad vetera deſpicienda, & recentia adoptanda ferantur. Abſit, ut hanc nobis eruditionem arrogemus, quæ prudentem nobis timorem injiciat; at, quum ita a natura comparati ſimus, ut nulli unquam aſſentiamur, niſi quod tale fuerit, quale falſum eſſe non poſſit, poſtque non leve poſitum & in phyſicis ſtudium deprehenderimus, non uſque eo proceſſiſſe Recentiorum inventa, ut præ antiquis veritatem acu tetigerint, certamque nobis naturæ rerum, earumque indolis & cauſarum cognitionem attulerint, aſſenſum firmiter ſuſtinemus, neque volumus ſine ulla dubitatione defendere, quæ non minorem, quam vetera, dubitandi rationem afferunt; imo riſum vix tenemus, quum audimus, aut legimus, multa de phyſicis aut cæleſtibus ea conſtantia pronuntiari, ut eorum Auctores putes, veritatis theſaurum, quem natura in profundo abſtruſit, ac ſuperioribus incompertum mira felicitate nactos eſſe, aut e cæleſtibus orbibus delapſos (quod & nonnullos haud ita pridem typis vulgare non puduit) totam inde cæleſtium œconomiam optime denotatam & comprehenſam ad nos detuliſſe. Quid ergo? Quum ſit lucis, qua ut nihil ſuavius & nitidius, ſic nec communius, inexplorata natura, plenaque contentionis inter doctiſſimos, nonne de infirmitate noſtra monemur, jubemurque, ingenio noſtro non fidere, ſed ejus perpetuo meminiſſe, quod graviſſime atque veriſſime Sapiens ait, *Sap. 9.: difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore: quæ autem in cælis ſunt, quis inveſtigabit?*

VIII. Lucem ab ſe conditam, qualiſcunque demum ea ſit, Deus *diviſit a tenebris*. Quæ vero hæc diviſio? An prius erat tenebris lux admixta? „ Eo ipſo „ quod lux facta eſt, ſcite ait Auguſti„ nus *l. de Gen. ad lit. c. 5.*, conſecuta „ etiam eſt diviſio inter lucem & tene„ bras, quæ enim ſocietas lucis cum te„ nebris? Deus ergo diviſit lucem a te„ nebris, quia lucem fecit, cujus abſen„ tia tenebræ vocantur: intereſt autem „ inter lucem ac tenebras, ſicut intereſt „ inter veſtimenta & nuditatem, inter „ plenum & inane, & ſimilia. „ *Diviſa „ a tenebris luce, factum eſt veſpere & „ mane dies unus*, naturalis videlicet, qui „ horarum vigintiquatuor ſpatio abſolvi„ tur. " Quærunt aliqui, ait Ambroſius „ *l. 1. in Hexam. c. 10.*, cur prius *ve„ ſperam*, poſtea mane Scriptura memo„ raverit, ne forte noctem prius quam „ diem ſignificare videatur; nec adver„ tunt primo, quod præmiſerit *diem* di„ cendo: *& vocavit Deus diem lucem, & „ tenebras vocavit noctem*, deinde quod „ veſper finis ſit diei, & mane finis no„ ctis... Principium ergo diei vox Dei „ eſt: *fiat lux & facta eſt lux*, finis „ diei veſper: jam ſequens dies ex no„ ctis fine ſuccedit; ſententia autem Dei „ evidens, quia diem primo vocavit lu„ cem, & ſecundo vocavit tenebras no„ ctem. Præclare etiam *unum* non pri„ mum dixit *dies unus*, nam ſecundo ſe„ cundo, & tertio die, & deinceps reli„ quis primum potuit dicere, & hoc or„ dinis videbatur: ſed legem ſtatuit, ut „ vigintiquatuor horæ diurnæ atque no„ cturnæ diei tantum nomine definian„ tur, ut ſi diceret: vigintiquatuor ho„ rarum menſura unius diei tempus eſt; „ ſicut enim virorum generatio computa„ tur, & intelligitur etiam fœminarum, „ quia junguntur ſecunda potioribus, ita „ etiam dies numerantur, & noctes æſti„ mantur adjunctæ: ſicut igitur circuitus „ unus, ita *dies unus*. " Preſſius & nitidius eandem hanc quæſtionem evolvit Angelicus 1. *p. q.* 75. *art.* 3. *ad* 7.: „ „ dicitur *unus dies* in prima diei inſtitu„ tione ad deſignandum, quod viginti„ quatuor horarum ſpatia pertinent ad „ unum diem, unde per hoc, quod dici„ tur *unus* præfigitur menſura diei natu„ ralis: vel propter hoc, ut ſignificaret „ diem conſumari per reditum ſolis ad „ unum, & idem punctum; vel, quia „ completo ſeptenario dierum, reditur ad „ primum diem, qui eſt unus cum octa„ vo, & has tres rationes Baſilius aſſi„ gnat " (*hom. 2. in Hexam. haud procul a fine*) Tametſi autem, ſi dies a Moſe deſcriptos naturales ac proprios, noſtrorumque ſimiles cum Patrum ac Inter-

terpretum pleriſque intelligamus, negari a nemine poſſit, tenebras, quas idem Moſes abyſſo offuſas memorat, lucis formationem tempore antevertiſſe, quis tamen velit, bonas horas in conjecturis vaniſſimis ponere, atque ariolari, (quod Interpretes aliquot otio & literis abuſi fecerunt) tenebras lucis ortu ſex vel duodecim integris horis fuiſſe priores ? Quis poſſit id aſſequi ac definire, quod ſolus novit ille, qui fecit, atque ideo fecit, quia voluit ? Conſultius profecto, ac utilius alii quærunt, cuinam noſtrarum hebdomadum diei prima hæc conditi mundi dies reſponderit, ſtatuuntque diei Dominico reſonare; præterquam quod enim antiquorum Patrum ac Eccleſiæ ſententiæ hoc eorum placitum conſonat, videtur & e ſacris literis haud obſcure depromi; nam ſeptima dies, qua Deus requieviſſe dicitur *ab omni opere, quod patrarat*, cui & *benedixit*, quamque *ſanctificavit*, ſabbatum certe fuit, ut legimus *Exod.* 20. & *Deuter.* 5. prima ergo mundi dies ea fuit, quæ nobis Dominica eſt, quæ poſt ſabbatum octava eſt, & ante ſabbatum prima; & hæc de primæ diei operibus.

EXERCITATIO IV.

De opere ſecunda diei.

I. QUæ ſecunda mundi die a ſummo rerum omnium artifice perfecta ſunt, ſic enarrantur a Moſe: *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum, & dividat aquas ab aquis; & fecit Deus firmamentum, diviſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab iis, quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita, vocavitque Deus firmamentum cælum, & factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.* Secundus hic mundi dies, quemadmodum cum Angelico jam prænotatum eſt, *diſtinctionis* eſt dies, quo ſcilicet aquæ primo die creatæ a Deo diviſæ ſunt, & ſuperiores ab inferioribus firmamenti interjectu diſcretæ. Nihil porro Cl. Petavium exageraſſe, quum ſcripſit, ſecundæ hujus diei opus, quod mox e Moſe deſcripſimus, *omnium eſſe captu & explicatu difficillimum*, cui non facillime perſuadeatur? Etſi Veteres ac Recentiores in veſtiganda, definiendaque firmamenti hujus, aquarumque, quæ ſuper illud eſſe dicuntur, natura plurimum temporis ſtudiique locarint, quis tamen veritatem in lucem protulit ? Latet illa adhuc craſſis occultata & circumfuſa tenebris, nec cordati ſapienteſque reliquum habent, quam ut aliquam ejus, ubi ſe illa prodiderit, ſpeciem conſectentur. Varias cum veterum Philoſophorum, tum Patrum ac Interpretum opiniones 1. *p. q.* 68., quæ in articulos quatuor conciſa tota de hoc argumento eſt, D. Thomas recitat, nec ſuum de earum quapiam judicium interponit, quod argumento eſt, hæſiſſe illum, nec in earum ulla agnoviſſe, quo permoveri ad aſſenſionem animus prudenter poſſet: Quis ergo velit fidenter decernere, quæ vera ſit, quæ vero propior, quæ aliis anteferenda ? Faciemus, quod ille fecit: eas duntaxat eruditionis gratia ſubjiciemus, ut integrum legentibus ſit, in eam ire, in quam maluerint.

II. Chryſoſtomus *hom.* 4. *in Gen.* in ea ſententia fuit, firmamentum hoc, cujus meminit Moſes, non aliud a cælo eſſe, quod primo die una ſimul cum terra creatum ſcripſit, & ſecundo mundi die dirimendis aquis ſuperioribus ab inferioribus a Deo fuiſſe addictum, in qua ſententia nonnihil probabilitatis ineſſe, Angelico viſum eſt. Sancti Baſilius M., Gregorius Nyſſenus, Ambroſius, atque Theodoretus opinati ſunt, firmamentum ipſum eſſe ſidereum cælum, quod ſecunda hac die effectum fuerit, a cælo, cujus prima die creatio deſcribitur, plane diverſum; illud enim vere creatum, ſeu e nihilo eductum, hoc vero ex aquis compactum, dictum propterea *firmamentum*, ait Theodoretus, *ſiquidem quum ex aquarum fluida ſubſtantia compoſitum ſit, & natura fluida condenſata, atque conſolidata fuerit, firmamentum nominatum eſt: deinde quia ſurſum collocatum eſt, prioris cæli uſum commodo noſtro perficiens, cæli nomen ſortitum eſt*. D. Thomas, quum varias Auguſtini, Damaſcæni, Bedæ, Strabi &c. interpretationes memoraſſet, eorum expoſitionem recitat, qui commentati ſunt, firmamenti ſecunda die facti nomine, non illud, in quo ſtellæ fixæ putantur, firmamentum, cujus quarta die Moſes mentionem habet, ſed eam venire aeris partem, *in qua nubes conglobantur & addenſantur, quæ firmamentum dicitur ab aeris ſpiſſitudine in*

parte illa; *quod enim ſpiſſum ſolidumque eſt*, *firmum dicitur*.

„ III. Opinionem hanc laudat, probat, confirmatque Auguſtinus *l.* 2. *de Gen. ad lit. c.* 4., ajens: „ Laudabiliter quidam conatus eſt demonſtrare, aquas ſuper cælos eſſe, & primum quidem, quod facillimum fuit, oſtendit, & hunc aerem *cælum* appellari, non ſolum ſermone communi, ſecundum quem dicimus ſerenum vel nubilum cælum, ſed etiam ipſarum conſuetudine Scripturarum, quum dicuntur *volatilia cæli*, quum in hoc aere aves volare, manifeſtum ſit, & Dominus, quum de nubibus cæli loqueretur, *faciem*, inquit, *cæli probate poteſtis*; nubes autem etiam per proximum terris aerem conglobari videmus, quum per declivia jugorum ita recumbunt, ut plerumque excedantur etiam cacuminibus montium: Quum ergo probaſſet, hunc aerem etiam *cælum* dici, nulla alia cauſa etiam *firmamentum* voluit exiſtimari, niſi quia intervallum ejus dividit inter quoſdam vapores aquarum, & iſtas aquas, quæ corpulentius in terris fluitant. Hanc ergo diligentiam, conſiderationemque laude digniſſimam judico; quod enim dixit, neque contra fidem eſt, & in promptu poſito documento credi poteſt." Viſa eſt & D. Hieronymo *in epiſt. ad Oceanum* approbatione digniſſima; quare in eam Recentiores Interpretes ferme communiter conceſſerunt, nec repugnamus poſſe illam, Auguſtini & Hieronymi ſuffragatione honorificentiſſima fretam, abſque erroris periculo tute deligi, modo ſemper oculis obverſetur præclara illa & perneceſſaria regula, quam ex Auguſtino *l.* 1. *de Gen. ad lit. c.* 18., & *l.* 12. *Confeſſ. c.* 24. & 25. decerptam tradit Angelicus: „ In hujuſmodi quæſtionibus duo ſunt obſervanda, primo quidem ut Scripturæ veritas inconcuſſe teneatur, ſecundo quum Scriptura divina multipliciter exponi poſſit, ut nullus expoſitioni alicui ita præciſe inhæreat, quod, ſi certa ratione conſtiterit, falſum eſſe, quod aliquis Scripturæ ſenſum eſſe credebat, id nihilominus aſſerere præſumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, & ne eis via credendi præcludatur." Obſtare autem huic expoſitioni videtur, quod primi hujus capitis verſ. 14. & ſequ. legimus, Deum videlicet *luminaria*, quæ die quarto condiderat, ſolem, lunam, & ſtellas *poſuiſſe in firmamento, ut lucerent ſuper terram*, quæ nemo unus dixerit, non in veri nominis cælo, ſed in aere expanſo locata fuiſſe; quare qui firmamentum hoc aerem interpretantur, videntur cum Scripturarum veritate pugnare. Nemo tamen difficultate hac permovebitur, qui cum Sanctis Auguſtino & Thoma animadverterit, Moſen, quod & alii Patres obſervarunt, in mundi hujus contexenda hiſtoria ad rudis hebetiſque populi vulgarem intelligentiam ſtylum attemperaſſe; quapropter, etſi ſol luna aliaque aſtra in cælo vere ſint, quum tamen hinc ad nos uſque lumen emittant, univerſam aeris regionem pervadent, noſtriſque oculis appareant, perinde ac ſi in ſumma aeris regione, ſive ſuperiori firmamenti parte ſint, Moſes ad vulgi captum narrationem accommodans, ita luminaria illa deſcripſit, ac ſi per vaſtiſſimum hoc inter cælum & terram excurrens ſpatium volverentur, ea potius ſcribens, quæ ſenſibus apparent, quam quæ Philoſophis probantur.

IV. Ut varia eſt & ambigua apud Veteres ac Recentiores firmamenti acceptio, ita magna inter eos de aquarum natura contentio, quas Deus, interjecto firmamento ceu vallo, diviſiſſe dicitur, earumque partem ſupra firmamentum conſtituiſſe. Duo ponenda ſunt ut omnino certa atque rata, quæ ſine fidei injuria negari, aut in dubitationem vocari nequeunt, primum aquas a Deo vere fuiſſe conditas, contra ac ſenſerunt nebulones quidam ab Auguſtino *in l. de Hæreſ. hær.* 75. memorati, qui aquas infectas, Deoque coæternas commenti ſunt, quod Moſes rerum omnium primordia deſtribens, nuſquam innuat, eas a Deo factas, ſed duntaxat ſuperiores ab inferioribus, ceu quæ jam exiſterent, interpoſito firmamento, diviſas. Proh ſtultiſſimam commentationem! Quidni & ignem & aerem increata ponere liceat, Deoque coæva, quum nullo in loco creationis eorum Moſes expreſſe meminerit? At errorem hunc jam præoccupavimus ac retudimus, quum *exerc.* III. *n.* III. obſervavimus, *terræ* nomine, quam Deus una cum cælo creaſſe dicitur *in principio*, omnium judicio elementa omnia ſignificari, aquarum præ-

præſertim, quæ elementum eſt terræ maxime affine. Quod tamen Moſes ſubobſcure indicavit, perſpicue expreſſit Pſaltes cum *pſal.* 88., in quo hæc ad Deum habet: *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem terrarum, & plenitudinem ejus tu fundaſti, aquilonem & mare tu creaſti*, tum *pſal.* 148., in quo, quum cælos, quæque ſuper eos ſunt, aquas ad collaudandum Dominum excitaſſet, ſubjicit: *quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt.* Secundo tenendum eſt, etſi illud aſſequi naturali ratione hactenus nemo potuerit, neque nos poſſimus, aquas aliquas ſupra firmamentum reipſa eſſe; quare nos commonet Auguſtinus *l. 2. de Gen. ad lit. c.* 5. „ Quoquo autem modo, & quales libet aquæ ibi ſint, eas ibi eſſe minime dubitemus; major eſt quippe Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis ingenii humani capacitas. “

V. At quæ harum aquarum natura? Has, quæ ſupra firmamentum a Deo locatæ dicuntur, aquas Origenes ſpirituales ſubſtantias ſive Angelos interpretatus eſt, quod ad Domino benedicendum a Pſalte & a tribus Pueris in Babylonicam fornacem truſis invitentur; inde enim ſibi videtur egregie concludere, eas mente pollere, qua Deum laudare poſſint. Ineptam hanc Viri cæteroqui ſummi atque doctiſſimi commentationem valide convellit D. Thomas 1. *p. q.* 68. *art.* 2. *in c.* ajens: „ Ad hoc reſpondet Baſilius *hom.* 1. *in Hexam.* (cujus tamen ſenſum ſolum *exſcribit* non verba), quod *hoc non dicitur*, eo quod aquæ ſint rationales creaturæ, ſed quia conſideratio earum prudenter a ſenſum habentibus contemplata glorificationem perficit Creatoris; unde ibidem dicitur idem de igne & grandine & hujuſmodi, de quibus conſtat, quod non ſunt rationales creaturæ; “ quare tametſi hanc Origenis poſitionem Auguſtinus ipſe adoptaſſet *l.* 13. *Conf. c.* 15. & 32., ab ea tamen *in l.* 2. *Retractat. c.* 6. palam reſilivit ajens: „ Et in libro tertiodecimo, quod dixi firmamentum factum inter ſpirituales creaturas ſuperiores, & corporales inferiores, non ſatis conſiderate dictum eſt. Res autem in abdito eſt valde. “ Hinc quinta Œcumenica Synodus hoc quoque præpoſterum Origenis commentum hac cenſura perculit can. 6. *Si quis dicit, cælum, ſolem, lunam, ſtellas, & aquas, quæ ſupra cælos ſunt, animatas quaſdam, & rationales virtutes eſſe, anathema ſit.*

VI. Quantum vero in abdito ſit hæc res, nullo negotio intelliget, quiſquis diverſas, quæ de ea feruntur, opiniones excuſſerit, quarum multas Auguſtinus ipſe refert *l. 2. de Gen. ad lit. c.* 1. *& ſeq.*, plures vero D. Thomas, a quibus indicandis abſtinebimus, quod earum cognitio ad veritatem obtinendam nihil commodi habeat, ſintque jam obſoletæ, & a Recentioribus Phyſicis rideantur. Paucis duntaxat aperiemus, in quam ipſi ſententiam propendeamus, quin tamen quidquam de aliorum opinionibus detractum velimus. Mirifice nobis ſemper placuit Cl. Petavii opinio, qui *Rat. temp. p.* 1. *c.* 1. hæc habet: „ Secunda die firmamentum a Deo fabricatum eſt, quo nomine tam cæleſtia corpora ſignificari credimus, quam aerem & ætherem, hoc eſt, totum id, quod a terra ad extremum uſque mundi pater & inane vulgo creditur, quibus fingendis omnibus abyſſus, hoc eſt aquæ in vaporem attenuatæ moles infinita, materiam præbuit. Firmamento demum vis illa eſt indita, ut ſuperiores aquas ab infimis ſepararet, ſed aliqua tantummodo ſui parte, quæ citima terris regio aeris infima dicitur; hæc enim ut firmamenti pars eſt, ſeu inanis illius exporrecti, ſic firmamentum vel expanſum appellari poteſt. Superiores aquæ nubes ſunt medio in aere ſuſpenſæ, e quibus pluviæ gignuntur, inferiores maria fluminaque, quæ ſequenti die ortum habuerunt. “ Eſt hæc Petavii explicatio eadem illa Anonymi, quam ab Auguſtino laudatam habitamque *digniſſimam*, mox memoravimus: hanc & ſibi probari, haud obſcure ſignificavit D. Thomas *quodlib.* 4. *ar.* 3., & 1. *p. q.* 68. *ar.* 3. eandem recitans ait: *Aer vero diſtinguit ſuperiorem aeris partem, in qua generantur pluviæ, aliæque hujuſmodi impreſſiones, ab inferiori aeris parte quæ aquæ connectitur.* Præter Petavium placuit interpretatio hæc & Uſſerio, Nat. Alex., Calmero, Gothi, Berti, & Anonymo Gallo hiſtoriæ Eccleſiæ ab orbe condito ad ſua uſque tempora breviter deſcriptæ Auctori, quam qui adoptare voluerit, vadem habet Auguſtinum, procul ſe ab errore abfuturum; *quod enim dicitur*, ait, *neque contra fidem eſt, &*

in promptu poſito documento credi poteſt.

VII. Qui hanc opinionem animo imbiberit, facile explicabit, qui ſuperiores aquas ab inferioribus Deus primo diſcreverit, legem exin poſuerit futuræ hujus perpetuæ diribitionis. Totam prima die terram caligine oblitam cogitet: ſubtiliores aquæ vapores ab inferioribus ſive craſſioribus, & terræ mixtis aquis ſecunda die ſecreviſſe Deum intelligat, ac juſſiſſe, ut inter utraſque illas aquas intercederet aer, cui firmamenti munus attribuit, firmiter ſcilicet ac ſtabiliter ſuperiores aquas, ſeu tenuiſſimos earum vapores in ea regione ſuſtinendi, in qua nubes coguntur, gignunturque pluviæ, ne cum aquis craſſioribus, quæ apud nos fluitant, miſceantur. Etſi autem ſuperiorum harumce aquarum portio aliqua in pluvias conſtricta ac coacta deorſum recidat, & cum aquis inferioribus miſceatur, firmamentum attamen ſtat, ſive aeris intervallum & ſeptum utraſque inter ab initio divinitus conſtitutum; ſemper enim in ſuperiori illa aeris parte aquæ ſunt, ſive extenuati humores, atque excitati a ſole ex terra & ex aquis vapores in ſublime nunquam non feruntur ea copia, ut veriſſime dixeris, ſurſum eſſe vapores aqueos, necnon aquas ſuper aquas.

VIII. Nec dum tamen hoc, quod excutimus, Geneſeos teſtimonium ab omni ſatis difficultate expeditum eſt; Ex quo enim *firmamentum* abs ſe conditum Deus *cælum* vocaſſe, ut & verſ. 1. *in principio cælum* . . . . creaſſe, legatur, quæſtionem ponit D. Thomas, *an ſit unum cælum tantum*. Tametſi Moiſes *c.* 2. *v.* 1. ajens, *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum*, plures videatur cælos a Deo perfectos ponere, difficultatem tamen augent, quæ capitis ejuſdem *v.* 4. habet: *Iſtæ ſunt generationes cæli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus cælum & terram*, quibus verbis ſpectatiſſimi Eccleſiæ Patres in varias pugnanteſque ſententias impulſi ſunt. Hanc opinionum colliſionem D. Thomas ibidem recitat, & feliciſſime dirimit, cujus verba etſi paulo longiora non piget exſcribere, quod plura ille habeat ſcitu utilia ac jucunda, necnon ad intelligendas varias, quas nomen hoc cælum in ſacris literis habet, ſignificationes multum conducibilia. „ Circa hoc videtur eſſe quædam diverſitas
„ inter Baſilium & Chryſoſtomum; dicit
„ enim Chryſoſtomus, (*hom.* 4. *in Gen.*)
„ non eſſe niſi unum cælum, &, quod
„ pluraliter dicitur *cæli cælorum*, hoc eſſe
„ propter proprietatem linguæ hebrææ, in
„ qua conſuetum eſt, ut cælum ſolum plu-
„ raliter ſignificetur, ſicut ſunt etiam mul-
„ ta nomina in latino, quæ ſingulari ca-
„ rent: Baſilius tamen (*hom.* 3. *in hexam.*)
„ & Damaſcænus eum ſequens, (*l.* 2. *de*
„ *fid. orth. c.* 7.) dicunt, plures eſſe cæ-
„ los. Sed hæc diverſitas magis eſt in vo-
„ ce, quam in re; nam Chryſoſtomus u-
„ num cælum nominat totum corpus,
„ quod eſt ſupra terram & aquam; nam
„ etiam aves, quæ volant in aere, dicun-
„ tur propter hoc *volucres cæli*: Sed quia
„ in iſto corpore ſunt multæ diſtinctiones,
„ propter hoc Baſilius poſuit plures cælos.
„ Ad diſtinctionem ergo cælorum ſcien-
„ dam conſiderandum eſt, quod cælum
„ tripliciter dicitur in Scripturis; quando-
„ que enim dicitur proprie & naturaliter, &
„ ſic dicitur cælum corpus aliquod ſublime,
„ & luminoſum actu vel potentia . . . & ſe-
„ cundum hoc ponuntur tres cæli, primum
„ totaliter lucidum, quod vocant *empyreum*
„ ſecundum totaliter diaphanum, quod
„ vocant *aqueum*, & *cryſtallinum*, ter-
„ tium partim diaphanum & partim lu-
„ cidum actu, quod vocant cælum *ſide-*
„ *reum*, & dividitur in octo ſpheras, ſcili-
„ cet in ſpheram ſtellarum fixarum, & ſe-
„ ptem ſpheras planetarum, quæ poſſunt
„ dici ſeptem cæli, vel ſeptem ſpheræ. "
„ Secundo dicitur cælum per participa-
„ tionem alicujus proprietatis cæleſtis corpo-
„ ris, ſcilicet ſublimitatis, & luminoſita-
„ tis, actu vel potentia, & ſic totum il-
„ lud ſpatium, quod eſt ab aquis uſque
„ ad orbem Lunæ, Damaſcænus ponit
„ unum cælum, nominans illud aerem,
„ & ſecundum eum ſunt tres cæli, *aereum*,
„ *ſidereum*, & aliud *ſuperius*: de quo intel-
„ ligitur, quod Apoſtolus *raptus eſt uſque*
„ *ad tertium cælum*. Sed quia illud ſpatium
„ continet duo *elementa*, ſcilicet ignis &
„ aeris, & in utroque eorum ponitur ſu-
„ perior & inferior regio, ideo illud cælum
„ Rabanus (*in Gen. c.* 1.) diſtinguit in qua-
„ tuor, ſupremam regionem ignis nominans
„ cælum igneum, inferiorem vero cælum
„ *olympium* ab altitudine cujuſdam mon-
„ tis, qui vocatur olympus, ſupremam
„ vero regionem aeris vocavit cælum *æthe-*
„ *reum* propter inflammationem, inferio-
„ rem vero regionem cælum *aereum*; &
„ ſic, quum iſti quatuor cæli tribus ſupe-
„ rio-

„ rioribus connumerentur, fiunt univerſim ſecundum Rabanum ſeptem cæli corporei."

„ Tertio dicitur cælum metaphorice; & ſic quandoque ipſa Sancta Trinitas dicitur cælum propter ejus ſpiritualem ſublimitatem & lucem, de quo cælo exponitur, diabolum dixiſſe, *aſcendam in cælum*, ideſt ad æqualitatem Dei. Quandoque etiam ſpiritualia bona, in quibus eſt Sanctorum remuneratio, propter eorum eminentiam cæli nominantur, ubi dicitur, *merces veſtra copioſa eſt in cælis*, ut Auguſtinus exponit (*l. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 9.*) Quandoque vero tria genera ſupernaturalium viſionum, ſcilicet *corporalis*, *imaginariæ*, & *intellectualis* tres cæli nominantur, de quibus Auguſtinus *l. 12. c. 29. & 34.* exponit, quod Paulus *raptus eſt uſque ad tertium cælum*."

EXERCITATIO V.

De opere tertiæ diei.

I. HÆc de tertiæ diei operibus Moſes: *Dixit vero Deus: congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt, in locum unum, & appareat arida, & factum eſt ita, congregationeſque aquarum appellavit maria, & vidit Deus, quod eſſet bonum, & ait, germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, & factum eſt ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem juxta ſpeciem ſuam; & vidit Deus, quod eſſet bonum, & factum eſt veſpere & mane dies tertius.* Tertia hæc mundi dies *diſtinctionis & formationis* eſt; ſummus enim omnium artifex, qui, ut cum Angelico jam prænotavimus, primum corpus, cælum nempe, prima die diſtinxerat & formarat luce condita, quam diviſit a tenebris, ſecunda die medium corpus, nimirum aquam, ſuperiores aquas ab inferioribus interpoſito firmamento ſejungens, tertia hac die infimum corpus, terram videlicet, diſtinxit, formavitque, inferiores, quibus tota adhuc obruta erat, aquas in locum unum abire, ut congrua eſſet hominis habitatio, eamque jam aquis emunctam, ideoque areſactam herbas plantaſque edere jubens imperio ſuo, quod, ut omnipotens, ita efficaciſſimum fuit; illico enim *factum eſt ita*, ut ille juſſerat.

II. Duo tamen habet hæc Moſis narratio, quæ difficultatem creant, in qua expedienda operam inutiliter non locabimus. Primam ſibi propoſuit Auguſtinus *l. 1. de Gen. ad lit. c. 12.* ajens: „Quum totam omnino terram undoſa natura cooperiret, quo cederet, ut nudaret aliquas partes? An forte rarior aqua, velut nebula terras tegebat, quæ congregatione ſpiſſata eſt, ut ex multis eam partibus, in quibus arida poſſet apparere, nudaret? Quamquam & terra longe lateque ſubſidens potuit alias partes præbere concavas, quibus confluentes & corruentes aquæ reciperentur, & appareret arida ex his partibus, unde humor abſcederet." D. Ambroſius *l. 3. Hexam. c. 3.*, quum memoraſſet, a nonnullis hanc aquarum in locum unum abſcedentium collectionem terræ ipſi adſcribi, quæ repente, Deo imperante, dehiſcens, ſeque dilatans, ſinum ſuum recipiendis aquis præbuerit, ipſe in concitum potius ac vehementiſſimum aquarum ipſarum motum hanc terræ dilatationem referre videtur ajens: „Potuit etiam ipſa aquarum vis profundiora ea facere, quæ inſederat, tanto fluctuum motu, tatoque æſtu concitationis elementi, qui quotidie ima pelagi torquere, & arenas vertere ſoleat de profundo." Tres aliorum interpretationes ab Auguſtino memoratas Angelicus recitat *1. p. q. 69. ar. 1. ad 2.*: „Secundum alios tripliciter reſpondetur, ut Auguſtinus dicit *l. 1. ſuper Gen. ad lit. c. 12.*, uno modo, ut aquæ in majorem altitudinem ſint elevatæ in loco, ubi ſunt congregatæ, nam mare eſt altius terra, ut experimento compertum eſt in mari rubro, ſicut Baſilius dicit *hom. 4. in Hexam.*: Secundo, ut dicatur, quod rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione denſata eſt: Tertio modo, ut dicatur, quod terra potuit aliquas partes præbere concavas, quibus aquæ reciperentur, inter quas prima videtur probabilior." Petavius denique, Nat. Alex., Juvenin, Gothi aliique Recentiores opinantur, tantæ aquarum vi factum a Deo locum, quia terra, cujus erat prius ſuperficies omni ex parte æqualis, in pluribus ſui partibus profundiſſime depreſſa atque excavata eſt, aliæ vero ejus partes in magnam altitudi-

Digitized by Google

nem elatæ ſunt, unde montes ceu quidam terræ tumores extiterint. „ Deus, ait Pe- „ tavius *Rat. temp.* 1. *p. c.* 1., exaggera- „ tis in immenſum montibus, & excava- „ tis alveis, aquarum conceptacula fecit.“

III. Etſi nobis unum id rarum certumque ſit, quod loco mox laudato ait Auguſtinus: „ Soli porro Deo, qui ita juſſit „ fieri, cognitum eſſe, fatendum eſt, quo- „ modo ingentia hæc aquarum receptacu- „ la ſtatim excavari potuerint, “ quum tamen res, tametſi modus lateat, negari non poſſit, argumentum & hinc validiſſimum ſcite depromſit Grotius *l.* 1. §. 7. *de Verit. Relig. Chriſt.*, quo Deum cauſam omnium eſſe conficeret: „ Quæcum- „ que, ait, ſubſiſtunt, a Deo exiſtendi ha- „ bere originem . . . . non ratio tantum, „ ſed ipſe id quodam modo ſenſus evin- „ cit . . . . Idem egregie Strabo notavit „ in aquarum poſitu, quæ, ſi materiæ „ qualitatem reſpicias, mediæ eſſe debue- „ runt inter terram atque aerem, quum „ nunc terris interfuſæ ſint, nimirum ut „ terræ fæcunditati, hominumque vitæ ni- „ hil obſtaret: Ob finem autem agere non „ eſt niſi intelligentis naturæ. “ Strabonis locus, ait in notis, „ eſt *l.* 17., ubi „ quum diſtinxiſſet opera naturæ, & di- „ vinæ Providentiæ, addit: *Quum circum* „ *terram ſit ſitus aquæ naturalis, homo au-* „ *tem non ſit animal aquaticum, ſed par-* „ *tim terreſtre, partim aereum, multiſque* „ *partibus lucis capax, fecit providentia* „ *multas in terra extantias depreſſioneſque,* „ *ut hæ quidem reciperent aquam, aut plu-* „ *rimam ejus partem, qua occultaretur,* „ *quod ſub ea eſt terræ, per illas vero at-* „ *tolleret ſe terra, ac ſub ſe aquas occulta-* „ *ret, niſi quatenus eæ ipſæ humano gene-* „ *ri, & quæ huic inſerviunt, animalibus* „ *plantiſque eſſent uſui.* Obſervarant hoc „ inter Hebræos Rabbi Juda Levita, & „ Abeneſdra, & inter Chriſtianos Chry- „ ſoſtomus *de ſtatuis* nono ſermone. “ Idem & D. Thomæ animadverſum loco mox appellato in reſp. *ad* 4.: „ Natura- „ le eſſet, quod aqua undique eſſet circa „ terram, ſicut aer undique circa aquam „ & terram, ſed propter neceſſitatem finis, „ ut ſcilicet animalia & plantæ eſſent ſu- „ per terram, oportuit, ut aliqua pars „ terræ eſſet diſcooperta aquis, quod qui- „ dem aliqui Philoſophi attribuunt actio- „ ni ſolis per elevationem vaporum exſic- „ cantis terram, ſed ſacra Scriptura attri- „ buit poteſtati divinæ non ſolum in Ge- „ neſi, ſed etiam *Job* 38., ubi ex perſo- „ na Domini dicitur: *circumdedi mare ter-* „ *minis meis*, & Hier. 5., *Me ergo non* „ *timebitis, ait Dominus, qui poſui are-* „ *nam terminum mari?* “

IV. Verum quum aquarum plura ſint conceptacula, maria plura, lacus, paludes, flumina &c. recte ne Moſes, Deum aquas *in locum unum* congregari juſſiſſe, ſcripſit? Rectiſſime, inquit ibidem *ad* 3. Angelicus, cujus reſponſa e priſcis Patribus derivata Theologi omnes exſcribunt: „ Omnes aquæ unum terminum habent, „ ſcilicet mare, in quod confluunt vel ma- „ nifeſtis vel occultis meatibus, & pro- „ pter hoc dicuntur aquæ congregari in „ locum unum: vel dicit *unum locum* „ non ſimpliciter, ſed per comparationem „ ad locum terræ ſiccæ, ut ſit ſenſus: „ *Congregentur aquæ in locum unum*, ideſt „ ſeorſum a terra ſicca; nam & ad deſi- „ gnandam pluralitatem locorum aquæ „ ſubdit: *Congregationeſque aquarum ap-* „ *pellavit maria*, “ quibus poſtremis verbis ſignificare videtur, poſterius reſponſum priori probabilius eſſe, & ad Scriptoris ſacri mentem propius accedere. At nonne infimum hoc, craſſiuſque cæteris corpus, quod ab aquis Dei juſſu ſecretum eſt, ſuo jam Moſes appellarat nomine, quum ſcripſit: *in principio creavit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua &c.?* Cur ergo hoc ei nomen tertia die impoſitum a Deo memorat, *& vocavit Deus aridam terram?* „ Reſpondet ibidem Angelicus *ad* 5., „ ſecundum Au- „ guſtinum *l.* 2. *ſuper Gen. c.* 2., *terræ*, „ de qua primo fiebat mentio, nomine, „ intelligi materiam primam, nunc autem „ ipſum terræ elementum, vel ſecundum „ Baſilium *hom.* 4. *in Hexam.*, terram „ primo nominatam ſecundum naturam „ ſuam, nunc ex principali proprietate „ ſua, quæ eſt ſiccitas, nominari, unde „ dicitur: *vocavit aridam terram:* vel ſe- „ cundum Rabbi Moyſen, ubicunque di- „ citur, *vocavit*, ſignificari æquivocatio- „ nem nominis; unde prius dictum eſt, „ *vocavit lucem diem* propter hoc, quod „ etiam dies vocatur ſpatium viginti qua- „ tuor horarum, ſecundum quod ibidem „ dicitur, *factum eſt veſpere & mane dies* „ *unus*: ſimiliter *firmamentum*, ideſt ae- „ rem, *vocavit cœlum*, quia etiam cœlum „ dicitur, quod eſt primo creatum: ſimi-

„ liter

„ liter etiam *aridam*, ideſt illam partem, „ quæ eſt aquis diſcooperta, *vocavit terram*, prout diſtinguitur contra mare, „ quamvis communi nomine terra vocetur, ſive ſit aquis cooperta, ſive diſcooperta. Intelligitur autem ubique, per „ hoc, quod dicitur, *vocavit*, dedit naturam, vel proprietatem, ut poſſit, ſic „ vocari. “

V. Quæ hactenus ex Moſe de Mundi origine perſecuti ſumus, paſſim apud plurimos a Judaica religione alienos Scriptores, ac poſtremo apud Ovidium, qui ex Græcis illa tranſcripſit, inveniri, animadvertit Grotius mox laudato loco §. 17., qui in notis *not.* 6. hæc de Ovidio habet: “ Locus eſt in promptu primo Metamorphoſeon, dignus tamen, qui & hic legatur, „ quod præcipua eorum, quæ in Moſe, „ verbis ad Moſen proxime accedentibus „ enunciet, multumque iis, quæ jam diximus, afferat lucis, & ab iis viciſſim „ accipiat:

„ Ante mare & terras, & quod tegit omnia, cælum,
„ Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
„ Quem dixere chaos, rudis indigeſtaque moles,
„ Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
„ Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.
„ Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
„ Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe,
„ Nec circumfuſo pendebat in aere tellus
„ Ponderibus librata ſuis, nec brachia longo
„ Margine terrarum porrexerat Amphitrite,
„ Quare erat & tellus, illic & pontus & aer.
„ Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda,
„ Lucis egens aer, nulli ſua forma manebat,
„ Obſtabatque aliis aliud, quia corpore in uno
„ Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
„ Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.
„ Hanc Deus, & melior litem natura diremit;
„ Nam cælo terras, & terris abſcidit undas,
„ Et liquido ſpiſſum ſecrevit ab aere cælum,
„ Quæ poſtquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
„ Diſſociata locis concordi pace ligavit,
„ Ignea convexi vis, & ſine pondere cæli
„ Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.
„ Proximus eſt aer illi levitate locoque,
„ Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
„ Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor
„ Ultima poſſedit, ſolidumque coercuit orbem.
„ Sic ubi diſpoſitam, quiſquis fuit ille Deorum,
„ Congeriem ſecuit, ſectamque in membra redegit,
„ Principio terram, ne non æqualis ab omni
„ Parte foret, magni ſpeciem glomeravit in orbis.
„ Tum freta diffudit, rapidiſque tumeſcere ventis
„ Juſſit, & ambitæ circumdare littora terræ.
„ Addidit & fontes, & ſtagna immenſa, lacuſque,
„ Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis,
„ Quæ diverſa locis partim ſorbentur ab ipſa,
„ In mare perveniunt partim, campoque recepta
„ Liberioris aquæ, pro ripis littora pulſant.
„ Juſſit, & extendi campos, ſubſidere valles,
„ Fronde tegi ſilvas, lapidoſos ſurgere montes,
„ Utque duæ dextra cælum, totidemque ſiniſtra
„ Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis,
„ Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
„ Cura Dei, totidemque plagæ tellure teguntur,

„ Qua-

„ Quarum quæ media eſt, non eſt
„ habitabilis æſtuo
„ Nix tegit alta duas, totidem inter
„ utramque locavit,
„ Temperiemque dedit, mixta cum
„ frigore flamma.
„ Imminet his aer, qui, quanto eſt
pondere terræ,
„ Pondere aquæ levior, tanto eſt one-
„ roſior igne.
„ Illic & nebulas, illic conſiſtere nu-
„ bes
„ Juſſit, & humanas motura tonitrua
„ mentes,
„ Et cum fulminibus facientes frigo-
„ ra ventos ....
„ Hæc ſuper impoſuit liquidum. &
„ gravitate carentem
„ Æthera, nec quidquam terrenæ fæ-
„ cis habentem."

Quiſquis ad hæc animum a præjudiciis ſolutum, & in veritatem unice intentum admovere voluerit, qui dubitare poterit, Poetam Ethnicum diſerte eleganterque executum eſſe, quæ Moſes preſſo ſimplicique ſtylo conſtrinxit, creata a Deo ac diſtincta cælum terramque, hanc principio inanem & vacuam, ſeu inviſibilem & incompoſitam, offuſas abyſſo tenebras, has lucis ortu diſpulſas, ſuperiores, quum prius permixtæ confuſæque eſſent, ab inferioribus aquas diſcretas & ſeorſum locatas, inferiores a terra, quam obtinebant, abſcedere juſſas, & in freta, fontes, ſtagna, lacus, & flumina diſtributas &c.?

VI. Sed jam ad alteram, quam Moſis verba afferunt, *& ait: Deus, germinet terra herbam virentem &c.*, difficultatem extricandam procedendum eſt; Quæ enim horum intelligentia? Auguſtinus *l.* 5. *de Gen. ad lit. c.* 4. interpretatur, herbas, plantas, aliaque terræ germina non actu & reipſa, *ſed cauſaliter & in ſemine* tantum tertia hac mundi die fuiſſe producta, ſeu terram ab aquis in locum unum abire juſſis jam ſegregatam a Deo virtute donatam, qua herbas, arbores aliaque hujuſmodi deinceps emitteret. Singularem hanc tamen ejus opinionem Interpretum Theologorumque pleriquc ſuo reliquunt Auctori, a quo habet illa quidem, ut probabilis ſit, habere tamen non poteſt, ut communi cæterorum Patrum ſententiæ præferatur, quibus conſtitutum eſt, terram divinæ juſſioni illico obtemperantem omnes protuliſſe herbarum plantarumque ſpecies, eaſque jam adultas, & pleraſque maturis fructibus, quod eis perſuaſum eſt propter ea, quæ e veſtigio Moſes addit: *& protulit terra herbam virentem, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam.* Quoniam vero Auguſtinus ex iis, quæ Moſes idem cap. 2. habet, *iſtæ ſunt generationes cæli & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priuſquam germinaret*, inferebat; ante ergo quam orirentur ſuper terram, facta ſunt cauſaliter in terra, hoc, quo opinionem ſuam ille fulciebat, teſtimonium D. Thomas ad aliorum Patrum mentem explicans air: „ Secundum alios dici poteſt, quod prima inſtitutio ſpecierum ad opera ſex dierum pertinet, ſed quod ex ſpeciebus primo inſtitutis generatio ſimilium in ſpecie procedat, hoc jam pertinet ad rerum adminiſtrationem; & hoc eſt, quod Scriptura dicit: *antequam oriretur ſuper terram*, vel *antequam germinaret*, idest, antequam ex ſimilibus ſimilia producerentur, ſicut nunc naturaliter fieri videmus per viam ſeminationis: unde ſignanter Scriptura dicit: *germinet terram herbam virentem, & facientem ſemen*, quia ſcilicet ſunt productæ perfectæ ſpecies plantarum, ex quibus ſemina aliarum orirentur; nec refert, ubicunque habeant vim ſeminativam, utrum ſcilicet in radice, vel in ſtipite, vel in fructu."

VII. Tertia item hac die, qua herbas plantaſque ferre, terra a Deo juſſa eſt, hortum Eden, ſeu paradiſum voluptatis conditum fuiſſe, non veterum Patrum ſolum, ſed & Recentium ferme omnium communis ſententia eſt; quid ſi Moſes nonniſi poſt deſcriptum ſex dierum opificium paradiſi hujus mentionem fecit? *Id per recapitulationem*, ait D. Thomas, *intelligendum eſt*; nam & Vulgata habet: *plantaverat Dominus Deus hortum voluptatis a principio*, quibus ſignificari, nemo non perſpicit, hortum illum tunc memoratum a Moſe, plantatum jam a Deo fuiſſe *a principio*. Qua autem die rectius, veriuſque poni ejus primordia poſſunt, quam tertia hac, qua terra divino imperio parens cujuſque generis herbas plantaſque emiſerat? Una quoque cum ſalubribus,

bus, & ad humanum cibum aptis noxias & venenatas herbas hac die erupiſſe, docent Sancti Ambroſius *l. 3. in Hexam. c. 9.* & Baſilius M. *hom. 5. in Hexam.* ſcribens : „ Et ſtatim cum edulibus prolata „ ſunt nociva, cicuta cum frumento, cum „ eſculentis reliquis helleborum, acony„ thum, mandragora, papaveris ſuccus „ &c. Nihil autem horum fruſtra, nihil „ inutiliter in lucem editum ; aut enim „ alicui brutorum animalium ſubminiſtrant „ alimentum, aut etiam nobis ipſis a me„ dica arte ad deliniendas quaſdam ægro„ tationes inventa ſunt &c. " Idem de tribulis ſpiniſque ſentiendum ; prius enim quam homo peccaret, jam prodiviſſe illa, ſcribit D. Thomas, non futura tunc homini ad pœnam, ſed aliis animantibus in cibum, licet homini poſt peccatum in ſupplicium converſa ſint. Egregie Auguſtinus *l. 3. de Gen. ad lit. c. 18.* ait : „ Non „ quod alibi hæc ante naſcerentur, & poſt„ ea in agris, quos homo ad capiendas „ fruges coleret, ſed & prius & poſtea in „ eiſdem locis, prius tamen non homini, „ poſt autem homini, ut hoc ſignificetur, „ quod additum eſt, *Tibi*, quia non eſt „ dictum, *ſpinas & tribulos pariet*, ſed „ *pariet tibi*, ideſt, ut tibi iſta jam naſci „ incipiant ad laborem, quæ ad paſtum „ tantummodo aliis animalibus naſceban„ tur. "

EXERCITATIO VI.

De quartæ diei operibus.

I. QUarta hæc dies a D. Thoma 1. *p. q. 70. ar. 1. in c.*, *prima ornatus dies* appellatur, qua nimirum Deus primo ſeu ſummo corpori nempe cælo, quod prima die fecerat ac diſtinxerat, eum ornatum addidit, quem Moſes his verbis deſcribit : *Dixit Deus, fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram, & factum eſt ita ; fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli, ut lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus, quod eſſet bonum, & factum eſt veſpere & mane dies quartus.* Tametſi ſit narratio hæc maxime ſimplex, & apertiſſima, eam tamen difficultatem affert, quam vix ac ne vix quidem ab ullo expediri poſſe, putamus; Quis enim definiet, an ſol, luna, aliaque luminaria, quarta hac die primo & reipſa, ſeu ſecundum ſubſtantiam, ut ajunt, condita a Deo fuerint, an prima mundi die jam producta, quarta hac novo tantum fuerint ornatu ac virtute donata ? Difficultatis hujus enodatio ex iis neceſſario pendet, quæ ſuperius de lucis formatione ſunt dicta ; nam ſi quiſpiam velit lucem, quæ prima die effecta legitur, vel ipſam fuiſſe ignis ſubſtantiam, vel lucidam nubem, quæ, vel formato ſole evanuerit, vel cum eodem conglobata ad illum etiamnum adhæreſcat, vel compacta atque coagmentata ipſum ſolare corpus conflarit, fateatur, oportet, ex luce illa primo die creata ſolem aliaque aſtra fuiſſe hac quarta die formata, ut Patrum complures arbitrati ſunt : Si vero cum aliis ſentiat, lucem prima die factam ipſum fuiſſe ſolare corpus, rude quidem adhuc & impolitum, nec alia luce præditum, quam quæ diſtinguendo a nocte diei ſufficeret, eique, ut & cæteris cæleſtibus corporibus novam tantum attributam virtutem *ad determinatos producendos effectus*, hac quarta die ponat, neceſſe eſt, non formata primum hæc luminaria, ſed ornata ſolum atque perfecta, Moſen autem, dum vellet ornatum hunc, virtutiſque additionem ad rudioris populi intelligentiam attemperare, rem geſtam ita narraſſe, perinde ac ſi ſol, luna aliaque ſidera initium quarta hac die abſolute cepiſſent, in quo ſane nihil abſurdi eſſet ; nam & Auguſtino viſum eſt, ſimpliciter non dedecere, Deum imperfecta prius feciſſe, quæ poſtmodum ipſe perfecit. Harum opinionum, quæ probabilior veroque propior ? Non ii ſumus, qui rem velimus controverſam, plenamque diſſenſionis inter Doctiſſimos definire.

II. Quacunque tamen cæleſtia hæc corpora formata fuerint die, omnino exploratum eſt, facta illa a Deo fuiſſe, tum ad enarrandam Dei gloriam, ad univerſitatis rerum pulcritudinem ac perfectionem, interiorumque corporum commodum, tum præcipue ad hominum utilitatem. Cur poſtremam hanc cauſam Moſes unam indicarit, egregie declarat Angelicus ajens : „ Ut populum ab idololatria revocaret, „ illam ſolam cauſam tetigit, ſecundum „ quod

Digitized by Google

„ quod facta ſunt ad utilitatem homi-
„ num ; unde dicitur Deuter. 4. *ne forte*
„ *elevatis oculis ad cælum videas ſolem* ,
„ *& lunam*, *& omnia aſtra cæli*, *& erro-*
„ *re deceptus adores ea* , *& colas* , *quæ*
„ *creavit Dominus Deus in miniſterium*
„ *cunctis gentibus* ; hoc autem miniſte-
„ rium explicat in principio Geneſis per
„ tria : Primo enim provenit utilitas ho-
„ minibus ex luminaribus quantum ad vi-
„ ſum, qui eſt directivus in operibus, &
„ maxime utilis ad cognoſcendas res , &
„ quantum ad hoc dicit : *Ut luceant in*
„ *firmamento* , *& illuminent terram* : Se-
„ cundo quantum ad viciſſitudinem tem-
„ porum, quibus & faſtidium tollitur, &
„ valetudo conſervatur , & neceſſaria vi-
„ ctui oriuntur, quæ non eſſent , ſi ſem-
„ per eſſet aut æſtas, aut hiems, & quan-
„ tum ad hoc dicit : *ut ſint in tempora* ,
„ *& dies*, *& annos* : Tertio quantum ad
„ oppottunitatem negotiorum & operum ,
„ inquantum ex luminaribus cæli acci-
„ pitur ſignificatio pluvioſi temporis vel
„ ſereni, quæ ſunt apta diverſis negotiis ,
„ & quantum ad hoc dicit : *ut ſint in*
„ *ſigna* . " Herbarum autem plantarumque productionem luminarium formatione priorem fuiſſe cum Baſilio ſcite animadvertit idem Angelicus ad idololatriam excludendam; qui enim aſtra cæli Deos eſſe, credebant, primam plantarum herbarumque ab iis repetebant originem, quem errorem ut a fideli populo arceret Moſes, germina & plantas in prima rerum inſtitutione prius e terræ ſinu erupiſſe, ſcripſit, quam luminaria facta eſſent, poſſentque quidquam ad primævam terræ fæcunditatem conferre.

III. Moſaicæ huic narrationi mirifice conſonant, quæ habet Ovidius *l.* 1. *Metamorph.*

„ Vix ita limitibus diſcreverat omnia
„ certis,
„ Quum, quæ preſſa diu maſſa la
„ tuere ſub ipſa,
„ Sidera ceperunt toto effervescere
„ cælo .
„ Neu regio foret ulla ſuis animali-
„ bus orba ,
„ Aſtra tenent cæleſte ſolum, formæ-
„ que Deorum.

Sed ad confirmandum, quod de ſideribus a Deo conditis, *ut ſint in ſigna &c.* Moſes ait, nihil iis illuſtrius Arati Phænomenon principio, quæ Grotius ſcribit, ſic ſe latine vertiſſe.

Ab Jove Muſarum primordia : ſemper in ore
Plurimus ille hominum eſt, qui compita numine magno,
Conciliumque Virum complet , pelaguſque profundum ,
Et pelagi portus : fruimur Jove , & utimur omnes.
Nos genus illius : nobis ille omine læto
Dextera præſignat , populumque laboribus urget,
Conſulat ut vitæ : quando ſit terra ligoni
Aptior, aut bubus, monet , & quo tempore par ſit,
Aut ſerere , aut ſeptas lymphis adſpergere plantas.
Ipſe etiam in magno defixit ſidera mundo
Ordine quæque ſuo , atque in totum providus annum
Aſtra dedit, quæ nos moneant , qua quælibet hora
Apta regi, certa naſcantur ut omnia lege.
Idem ergo primus placatur, & ultimus idem.
Magne Pater , magnum mortalibus incrementum.

Jovem hic intelligendum Deum verum mundi opificem , & res docet, & Paulus Apoſtolus *Act.* 17. *v.* 28., qui ad Areopagitas ſermonem habens illud Arati laudavit : *ipſius enim & genus ſumus* : *genus ergo*, adjecit, *quum ſimus Dei &c.* Addit Grotius & hos Ovidii verſus, quibus ſua phænomena terminavit, ut ex Lactantio diſcimus :

Tot numero, talique Deus ſimulacra figura
Impoſuit cælo , perque atras ſparſa tenebras
Clara pruinoſæ juſſit dare lumina nocti .

Illud & Chalcidii ad Tymæum ſubdit ;
„ cui quidem rei Hebræorum quoque ſen-
„ tentia concinit, qui perhibent, exornato-
„ rem mundi Deum mandaſſe provinciam,
„ ſoli

„ ſoli quidem, ut diem regeret, lunæ ve-
„ to ut noctem tueretur, cæteras quo-
„ que ſtellas diſpoſuiſſe, tanquam tempo-
„ rum limites, annorumque ſigna, indicia
„ quoque futurorum proventuum.“

IV. Verum, qui poſuiſſe dicitur Deus
ſolem, lunam, & ſidera *in ſigna*, quum
ipſe *Hier.* 10. jubeat: *A ſignis cæli nolite
metuere, quæ gentes timent*, Apoſtolus quo-
que Galathas vehementer objurget, quod
dies, fauſtos ſcilicet *& infauſtos*, quemad-
modum lect. 4. in c. 4. epiſt. ad Gal. ex-
ponit D. Thomas, *& menſes & tempora
& annos obſervarent*, ideſt *conſtellationes
& curſum corporum cæleſtium, quæ omnia
ortum habent ab idololatria?* Perbelle hæc
componit Angelicus, 1. *p. q.* 70. *ar.* 2.
ad 1. ajens: „ Luminaria ſunt in ſigna
„ corporalium tranſmutationum, non au-
„ tem eorum, quæ dependent ex libero ar-
„ bitrio:“ & lec. mox laud. in c. 4. ep.
ad Gal. „ Quod obſervationes hujuſmodi
„ malæ ſint, & contra cultum Chriſtianæ
„ religionis patet, quia diſtinctio dierum,
„ menſium, annorum, & temporum at-
„ tenditur ſecundum curſum ſolis & lunæ;
„ & ideo tales temporum diſtinctiones ob-
„ ſervantes venerantur corpora cæleſtia, &
„ diſponunt actus ſuos ſecundum judicium
„ aſtrorum, quæ nullam directam impreſ-
„ ſionem habent in voluntatem hominis,
„ & in his, quæ pendent ex libero arbi-
„ trio; ex hoc imminet grave periculum
„ .... & ideo cavendum eſt fidelibus,
„ talia obſervare .... Sed numquid non
„ licet, in aliquo curſum ſtellarum obſer-
„ vare? Dicendum, quod corpora cæle-
„ ſtia quorumdam quidem effectuum cau-
„ ſa ſunt, ſcilicet corporalium, & in iſtis
„ licet, ad ipſorum curſum attendere:
„ quorumdam autem cauſa non ſunt, ſci-
„ licet eorum, quæ pendent a libero ar-
„ bitrio, ſeu a fortuna vel infortunio:
„ & in iſtis ſervare curſum aſtrorum per-
„ tinet ad idololatriam.“ Ex hac Ange-
lici doctrina colligere quiſque poteſt, ad
quid ſignificandum poſita in cælo a Deo
ſint aſtra, ad ea ſcilicet, quæ Aratus re-
citatis carminibus complexus eſt, quorum
vero ſignificationem ex iiſdem capere ho-
mines a Deo vetentur, eventuum ſcilicet,
qui vel mere fortuiti ſunt, vel in libera
hominis voluntate ſunt poſiti.

Hinc vel maxime apparet, quo ſtulti-
tiæ veterum Philoſophorum nonnulli pro-
ceſſerint, qui ut ortum, ita interitum
cujuſque religionis ſideribus adſcripſerunt,
quos nervoſe refellit Grotius Relig. Chriſt.
l. 4. §. 11. „ Ipſa, quam iſti ſcire ſe
„ profitentur, ſideralis ſcientia tam diver-
„ ſis ſub normis traditur, ut nihil in ea
„ certi reperiatur, præter hoc ipſum, cer-
„ ti nihil eſſe (videnda hac de re egre-
„ gia Bardeſanis Syri diſſertatio, quæ ex-
„ tat in Philocalia de Origene collecta,
„ & apud Euſebium *l.* 6. *c.* 10. *Præpar.
„ Evang.*) Non de illis loquor effectibus,
„ qui ex natura cauſarum neceſſitate ſequun-
„ tur, ſed de his, qui ab humana procedunt
„ voluntate, quæ ita ſuapte vi libera eſt,
„ ut nihil ei neceſſitatis extrinſecus im-
„ primi poſſit. Quod ſi ex impreſſione
„ tali neceſſario ſequeretur actio volunta-
„ tis, jam vis in anima deliberandi, at-
„ que eligendi, quam ſentimus ipſi, fru-
„ ſtra eſſet data, omniumque legum,
„ præmiorumque, ac pœnarum æquitas
„ ſublata, quum neque culpa neque me-
„ ritum eſſe poſſit in eo, quod plane ſit
„ inevitabile. Tum vero quum actiones
„ voluntatis malæ quædam ſint, ſi certa
„ neceſſitate ex cælo procedunt, eo quod
„ vim talem cælo, cæleſtibuſque corpori-
„ bus Deus attribuerit, jam ſequetur,
„ Deum, qui perfectiſſime bonus eſt,
„ malitiæ moralis eſſe cauſam, & quum,
„ lege poſita, profiteatur, ſe deteſtari ma-
„ litiam, cujus vim effectricem, atque
„ inevitabilem inſeruerit ipſis rebus, vel-
„ le eum duo, quæ inter ſe ſunt contra-
„ ria, ut idem fiat, & non fiat, & pec-
„ cari in eo, quod quis agat divino im-
„ pulſu. Probabilius ab aliis dicitur, a-
„ ſtrorum influxibus aerem primum, de-
„ inde & corpora noſtra contingi, & qua-
„ litates quaſdam imbibere, quæ plerum-
„ que in animo excitent reſpondentes ſibi
„ affectiones, atque appetitiones, ab his
„ autem voluntatem illici, & iis obſequi
„ ſæpe. Verum hoc ita conceſſum nihil
„ facit ad eam, quam tractare cœpimus,
„ quæſtionem,“ religionem ſcilicet Chri-
ſti divinam eſſe. Cæterum, quod poſtremo
ait Grotius, *probabilius ab aliis dici*, non
probatur Clerico, qui nota 6. ſcribit, eos
omnium veriſſime dicere, qui illos cæle-
ſtium corporum influxus pernegant, nec
quidquam in aſtris agnoſcunt præter calo-
rem & lucem, quibus addere licet totius
molis pondus: fatetur tamen, & hæc
proprie nihil ad animum facere.

V. His, quæ ſtrictim Grotius, copioſe

autem D. Thomas non ſemel ſuis in o-
peribus urget, ſtultiſſima Priſcilianiſtarum
ex Ethnicorum inſana ſuperſtitione pro-
gnata poſitio deſtruitur, quorum inter er-
rores hanc undecimo loco recenſet S. Leo
M. in epiſt. ad Turibium Aſturicenſem
Epiſcopum : „ Undecima ipſorum Pri-
„ ſcilianiſtarum blaſphemia eſt, qua fata-
„ libus ſtellis & animas hominum & cor-
„ pora opinantur adſtringi, per quam a-
„ mentiam neceſſe eſt, ut omnibus Pa-
„ ganorum erroribus implicari, & faven-
„ tia ſibi, ut putant, ſidera colere, &
„ adverſantia ſtudeant mitigare . Verum
„ iſta ſectantibus nullus in Eccleſia Ca-
„ tholica locus eſt, quoniam, qui ſe ta-
„ libus perſuaſionibus dedit, a Chriſti
„ corpore totus abſceſſit. “ Dementiſſi-
mum hunc errorem Bracarenſis Synodus
can. 9. confixit : *Si quis animas & cor-
pora humana fatalibus ſtellis credit ad-
ſtringi, ſicut Pagani & Priſcilianus dixe-
runt, anathema ſit*, & can. 10. *Si quis
duodecim ſigna*, ideſt ſidera, *quæ Mathe-
matici obſervare ſolent, per ſingula ani-
mæ, vel corporis membra diſſipata credit,
& nominibus Patriarcharum adſcripta dicit,
ſicut Priſcilianus dixit, anathema ſit*. An
ut ſiderum in humanas res dominatum,
iiſque injectam fatalem neceſſitatem hau-
ſerunt ab Ethnicis Priſcilianiſtæ, ita & in
alteram eorumdem amentiam inciderint,
ac, ut illi, delirarint ſideribus animum
ac intelligentiam tribuentes, nequit ſatis
ex laudatis D. Leonis verbis, quibus *un-
decimam* eorum *blaſphemiam* perſtrinxit,
evinci. In eo quidem errore fuiſſe Ethni-
cos, exploratum eſt, quem breviter, mo-
re ſuo, validiſſime tamen refellit Grotius
loco nuper citato §. v. : „ Vetuſtior iſto
„ (cultu nimirum hominibus vita functis
„ exhibito) fuit cultus aſtrorum, & quæ
„ elementa dicimus, ignis, aquæ, aeris
„ & terræ, nec ipſe quidem magno va-
„ cans errore ; nam cultus religioſi pars
„ maxima ſunt preces, quæ adhiberi, niſi
„ ſtulte, non poſſunt, niſi apud naturas
„ intelligentes : Tales autem non eſſe
„ ea, quæ elementa dicimus, ſenſu quo-
„ dammodo apparet. De aſtris ſi quis a-
„ liud affirmaverit, nihil habebit, quo id
„ probet, quum ex aſtrorum operationi-
„ bus, quæ naturarum ſunt indices, nihil
„ tale poſſit colligi, imo contrarium ſa-
„ tis aperte colligitur ex motu non vario,
„ qualis eſt eorum, quæ voluntatem ha-
„ bent liberam, ſed rato atque præſcri-
„ pto. Jam vero alibi oſtendimus, aſtro-
„ rum curſus ad hominum uſus eſſe tem-
„ peratos; unde homo agnoſcere debuit,
„ ſe Deo & ſimiliorem potiore ſui parte,
„ & chariorem eſſe, ac proinde nobilita-
„ ti ſuæ ſe injuriam facere, ſi iis ſe re-
„ bus ſubjiciat, quas Deus ipſi donaverit,
„ quum contra Deo pro illis gratias age-
„ re debeat, quod ipſæ pro ſe non poſ-
„ ſunt, aut poſſe, non docentur. “

VI. Mirandum tamen, eadem ratione
illa, qua Grotius hunc veterum Ethni-
corum errorem ſibi viſus eſt refutaſſe, du-
cta ſcilicet ex aſtrorum *motu non vario ſed
rato atque præſcripto*, Stoicos conficere ni-
ſos eſſe, illa eſſe animata, ac intelligen-
tia pollere, ut eſt apud Ciceronem *l. 2.
de nat. Deorum :* „ atque hac mundi divini-
„ tate perfecta, tribuenda ſideribus ea-
„ dem divinitas, quæ ex molliſſima pu-
„ riſſimaque aeris parte gignuntur . . . .
„ Senſum autem aſtrorum atque intelli-
„ gentiam maxime declarat eorum ordo at-
„ que conſtantia; nihil enim eſt, quod ratione
„ & numero moveri poſſit abſque conſilio,
„ in quo nihil eſt temerarium, nihil varium,
„ nihil fortuitum: ordo autem ſiderum, &
„ in omni æternitate conſtantia neque na-
„ turam ſignificat, eſt enim plena ratio-
„ nis, neque fortunam, quæ amica varie-
„ tati conſtantiam reſpuit : ſequitur er-
„ go, ut ipſa ſua ſponte, ſuo ſenſu ac
„ divinitate moveantur : Nec vero Ari-
„ ſtoteles non laudandus in eo, quod o-
„ mnia, quæ moventur, aut natura mo-
„ veri cenſuit, aut vi, aut voluntate,
„ moveri autem ſolem & lunam & ſide-
„ ra omnia, quæ autem natura moveren-
„ tur, hæc aut pondere deorſum, aut le-
„ vitate in ſublime ferri, quorum neu-
„ trum aſtris contingeret, propterea quod
„ motus eorum in orbem circumquaque
„ ferretur; nec vero dici poteſt, vi qua-
„ dam majore fieri, ut contra naturam
„ aſtra moveantur; quæ enim poteſt ma-
„ jor eſſe? Reſtat igitur, ut motus aſtro-
„ rum ſit voluntarius; quæ qui videat,
„ non indocte ſolum, ſed etiam impie
„ faciat, ſi Deos eſſe, neget. “ Quæ ſu-
merent Stoici ad concludendum, quæ
nullo modo concedi poſſunt, ſunt enim
non incerta ſolum, ſed plane falſa, non
eſt loci hujus, oſtendere. Illud extra con-
troverſiam eſt, dogma hoc Stoicis anti-
quius; fuit enim Platonis, ſed & ante
Pla-

Platonem Pythagoræ, ut refert Diogenes Laertius; non fuit illud tamen apud veteres Philoſophos commune; Anaxagoras enim, ut memorat Auguſtinus *l. 18. de civ. Dei c. 41.*, apud Athenienſes reus factus eſt, quod ſolem negans Deum eſſe, aut animatum quidpiam, lapidem ignitum eſſe dixiſſet.

VII. Etſi Chriſtiani e craſſo hoc Ethnicorum errore quam longiſſime abfuerint, nec quempiam eorum reperire ſit, qui ſoli, lunæ ac ſideribus divinitatem adſcripſerit, qui tamen iis ſenſum mentemque tribuerunt, neque pauci neque ignobiles ſunt. Cum Platonicis enim ſenſit Origenes *l. 2. Periarch. c. 7.*, ſenſiſſe videtur & Hieronymus *in comment. in Eccleſ.*, aliique. Auguſtinus anceps hæſit, ut patet *l. 2. ſuper Gen. ad lit. c. 15.* & *in Enchir. c. 58.*, ubi & ait: *Si ſunt animata cæleſtia corpora, pertinent ad Angelorum ſocietatem eorum animæ.* Baſilius contra *hom. 3. in Hexam.*, Damaſc. *l. 2. de fide orth. c. 5.*, D. Thomas *1. p. q. 70. ar. 3. in c.*, aliique ferme communiter, ea inanimata eſſe, pronuntiant, cum quibus & nos ſentimus, decretoria præſertim D. Thomæ ratione permoti, qua oppoſitam opinionem falſi revincit. Quę tamen ille habet *q. 1. de ſpirit. creaturis ar. 6. in c.*, & *2. cont. gent. c. 70.* maximam difficultatem injiciunt, quæ prætermitti a Theologo nequit; in laudata enim *quæſt. de ſpir. creat.* ait, oppoſitam opinionem *rationem probabilitatis habere*, citato autem cap. cont. gent.: „ Hoc, quod dictum eſt de „ animatione cæli, non diximus, quaſi „ aſſerendo ſecundum fidei doctrinam, ad „ quam nihil pertinet, ſive ſic, ſive ali„ ter dicatur. " Qui componi iſta poſſunt cum canone ſexto quintæ Œcumenicæ Synodi, quo anathema in eos fertur, qui cælum atque aſtra animata eſſe, & ratione vigere, ſentirent? Num jam poteſt opinio ab Eccleſia ſolemni decreto confixa *rationem probabilitatis habere?* Nihilne jam *ad fidem pertinet*, quæcunque de hoc capite ſententia retineatur? An ignoraſſe D. Thomam dicemus & hunc quinti generalis Concilii canonem, ut non attendiſſe illum ad canonem Lateranenſis quarti Concilii *de ſpirituali & corporali creatura ab initio temporis ſimul a Deo condita*, nonnulli olim commenti ſunt? Minus tamen fuerit ſuo nomine dignus Theologus, qui in his impediatur & hæreat; ignoraret enim, quod Theologi maxime eſſe, monet ſapientiſſime Melchior Cano, non omnia, quæ aut juris aut Conciliorum volumina continent, doctrinæ Chriſtianæ judicia eſſe, nec omnia rurſum doctrinæ judicia fidei eſſe cenſuras, diligentius expendendum, quem in finem potiſſimum, ad quem nimirum proſcribendum errorem, ad quam veritatem definiendam, editi ſint canones, & lata decreta, tunc demum repudiandum errorem, quem exploratum ſit, ab Eccleſia certo confixum, retinendam veritatem, quam conſtiterit, rato ab Eccleſia judicio propoſitam. In quem vero intortus laudatus canon? An in eos, quorum opinionem *de cælorum animatione* D. Thomas *rationem probabilitatis habere*, ſcripſit, *nihilque ad doctrinam fidei pertinere*, ſeu doctrinæ fidei non adverſari? Næ ille fuerit nimium ſimplex, minuſque, quam par eſt, in veterum Eccleſiæ monumentorum lectione verſatus, qui hoc animo complexus fuerit. Satis fuerit oculos in laudati Concilii canones græce a Petro Lambecio editos, latineque ab Harduino redditos, eorumque titulum intendere, ut appareat, quo ſpectarint, quemve ferierint; lati enim inſcribuntur *adverſus Origenem*, eorumque hęc ſumma eſt: can. 1. *Si quis fabuloſam animarum præexiſtentiam, & quæ ex illa conſequitur, monſtruoſam reſtitutionem aſſeruerit, anathema ſit.* can. 2. *Si quis dixerit, omnium rationalium productionem fuiſſe mentes corporis & materiæ expertes . . . ſatietatem autem illas cepiſſe divinæ contemplationis, & in deterius converſas eſſe . . . . & aſſumpſiſſe corpora vel ſubtiliora vel craſſiora, nec non accepiſſe nomen, eo quod ſicut nominum, ſic & corporum differentiæ ſunt apud ſupernas virtutes . . . anathema ſit.* can. 3. *Si quis dixerit, ſolem, & lunam & aſtra, ipſa quoque, quum ex eadem rationalium unitate eſſent, ex converſione in pejus facta eſſe id, quod ſunt, anathema ſit.* Prope ſtipes fuerit, qui non intelligat, quid Origeni ab Eccleſia in crimine poſitum, quid in ejus doctrina damnatum, quantumque ab ejus erroribus longe abſuerint Catholici ii Scriptores, qui anima atque mente cælum atque aſtra donarunt, quos ſola, ut refert D. Thomas *quæſt. citata de ſpirit. creat.*; *conſideratio nobilitatis corporum cæleſtium induxit ad ponendum, corpora cæleſtia eſſe animata, quum in rerum genere viventia*

omnibus non viventibus præferantur, qua ratione ad idem ponendum & Stoicos permotos fuiſſe, memorat Cicero *l.* 2. *de nat. Deor.* An vero ut, Judice D. Thoma *, hæc opinio *rationem probabilitatis habet*, ita & probabile ſit, quod hodie Recentiorum non paucis placet, eſſe cæleſtia corpora non habitabilia ſolum, ſed & re ipſa, in luna præſertim, habitari, quod & Xenophani placuiſſe, ſcribit Cicero *l.* 4. *Academ.*, pronuntiare, non audemus: fateremur tamen, aut quod ingenio tardiores ſimus, quam ut momentorum, quibus placito huic ſuo conciliare probabilitatem nituntur, vim aſſequi, valeamus, aut quod ſimus uſque eo difficiles & moroſi, ut perpauca nobis probentur, quæ de naturalibus rebus quotidie jactantur, nihil unquam nobis viſum eſſe opinione hac levius magiſque ridiculum, multumque nos miſerere hominum cæteroqui ingenioſorum, qui multum temporis operæque locarunt in edendis libris, in quibus in lunæ habitatorum indolem, mores, inſtituta, leges, &c. ſerio inquirunt; ſed de his obiter: neque enim inſtituti noſtri ſunt.

EXERCITATIO VII.

De opere quintæ diei.

I. QUoniam quintæ diei opus minimam a nobis, ait Petavius, operam deſiderat, brevior erit noſtra hæc de illo exercitatio. Secunda hæc eſt *ornatus* dies, qua Deus medium corpus, aerem nimirum & aquam, quod *ſecunda die* diſtinxerat, productis piſcibus avibuſque, quemadmodum egregie animadvertit D. Thomas 1. *p. q.* 71. *ar. unico in c.*, exornavit. Ornatum hunc ſic a Moſe deſcriptum legimus: *Dixit etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli; creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & volatile ſecundum genus ſuum: & vidit Deus, quod eſſet bonum, benedixitque eis dicens, creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, aveſque multiplicentur ſuper terram, & factum eſt veſpere & mane dies quintus.* In hanc Moſis narrationem duo animadvertenda; Primo, quod ille ait, creaſſe Deum *cete grandia, omnemque animam viventem* &c. non de veri nominis creatione, quam Theologi productionem rei ex nihilo dicunt, ſed formationem de materie, quæ jam extaret, intelligendum eſſe; ipſe enim ſui Moſes interpres eſt, dum inquit: *Producant aquæ reptile animæ viventis* &c. *creavitque Deus . . . omnem animam viventem, quam produxerant aquæ*; quare interpretari, par eſt, Deum imperio ſuo aquas fæcunditate, innumeraſque piſcium ſpecies edendi virtute inſtruxiſſe, quæ piſcium ſpecies omnes ſubinde procrearunt: 2. *cete grandium* nomine, hebraice *tanninim*, quæ Deus formaſſe dicitur, immenſæ magnitudinis animantia venire, quæ mare gignit, ea præſertim, quæ piſtrices atque *balænas* dicunt, de quarum belluarum magnitudine videnda, quæ ſcribit Plinius *l.* 23. *c.* 1., quæ tamen fabulam olere, ut & alia ejus non pauca, Viris doctiſſimis jam pridem animadverſum eſt. Fabuloſa magis, quæ in Thalmude habent Hebræi, condidiſſe ſcilicet Deum in mundi primordiis duas immenſæ molis balænas, cum quarum una quotidie ludit ei inequitans relaxandi animi gratia, alteram vero cæſam & ſale conditam conſervat, ut, quum Meſſias ſub mundi finem advenerit, ex ea omnibus juſtis ſolemne epulum paret. Vah ſtultiſſima commenta hominum, qui jam nec rectam Dei ideam habent, & toti chimeris paſcuntur & ſomniis, quæ & in ſacris literis ſibi deprehendere videntur! uſque enim eo vecordes ſunt, ut eo abutantur Pſal. 103. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.*

II. Qui hebraica vocabula plus æquo ſolicitant, minuſque, quam par eſt, vulgatæ Auctori, etſi omnium conſenſu doctiſſimo, & hebraice ſcientiſſimo fidunt, aliam prorſus, quam quæ Patrum ac Interpretum communiter eſt, de prima volucrum origine ſententiam imbiberunt; negant enim prodiviſſe illas ex aquis, quod hebraice legatur; *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet ſuper terram*. Quid vero? Ellypſim relativi nominis ſupplendam eſſe, atque legendum, *& volatile, quod volat ſuper terram*, Viris animadverſum eſt linguæ ſanctæ conſultiſſimis, non e noſtris ſolum, ſed & ex Novatoribus, Fagio & Mercero, quibus ſuffragantur Septuaginta Interpretes, qui ſic legunt: *Producant*

aquæ ...

Digitized by Google

aquæ . . . & volatilia volantia ſuper terram, Targum Othelos: *& aves, quæ volant ſuper terram*, Arabs denique: *& volucre volans ſuper terrum*. Quid etiam, ſi *Gen.* 2. Moſes ait: *formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ & volatilibus cæli?* Reſpondet Auguſtinus *l.* 9. *de Gen. ad lit. c.* 1.: „ Si quem autem „ movet, quia non dixit, finxit Deus de „ terra omnes beſtias agri, & de aquis „ omnia volatilia cæli, ſed tanquam „ utraque genera de terra finxerit, ait, „ *& finxit Deus de terra omnes beſtias* „ *agri, & omnia volatilia cæli*, videat, „ duobus modis eſſe intelligendum, aut „ tacuiſſe nunc, unde fecerit tunc volati„ lia cæli, quum ea, etiam tacente Scri„ ptura, intelligamus, unde finxerit, ve„ lut qui ſciamus, in prima cauſalium „ rationum conditione ex aquis ea eſſe „ producta, aut terram univerſaliter ſic „ appellatam ſimul cum aquis &c. " Auguſtino concinunt Baſilius M. *hom.* 8. *in Hexam.*, Chryſoſtomus *hom.* 7. *in Gen.*, Cyrillus Alexandr. *l.* 1. *Glaphirorum in Gen.*, Ambroſius *l.* 5. *Hexam. c.* 14., Hieronymus *ep. ad Oceanum*, Damaſcænus *l.* 2. *de fide orthod. c.* 44., D. Thomas 1. *p. q.* 71. *art. unico*, aliique plures, in quorum ſententiam propendere videtur Eccleſia hymnum D. Ambroſii Feria quinta ſolemnes inter preces, Deique laudes uſurpans:

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus,
Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aera.

Hinc orta videtur veterum Chriſtianorum opinio, quos S. Epiphanius, Socrates, & Nicephorus ſcribunt, exiſtimaſſe quarumdam volucrum eſum quadrageſimali etiam tempore non eſſe vetitum, ut & veterum plurium Monachorum, quos idem ſenſiſſe, memorant Aymoinus *de geſtis Francorum c.* 10. & 34., Concilium Aquiſgranenſe II. *c.* 78. & Theodomarus *in epiſt. ad Carolum M.*

III. Cum Moſaica narratione belle cohærent, quæ Ovidius loco citato perſequitur:

Vix ita limitibus diſcreverat omnia certis . . .
. . .
Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba . . .
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ,
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.

Omnium enim diſcretionem, & cujuſque generis animalium formationem in Deum Auctorem refert, in quo ſane Poeta licet, cui hominum generi maxima ſemper fuit quælibet fingendi poteſtas, rectius meliuſque pluribus Phœnicibus, Ægyptiis, Græciſque Sapientibus philoſophatus eſt, eſtque iis tanquam ſobrius ebriis merito præferendus, quod illi ſolam materiam ſpectarint, ipſe vero eam cauſam addiderit, quæ ex propoſito agat, quam Anaxagoras *mentem*, ipſe vero poſt Moſen *Deum* vocat, quod & Thales Mileſius ante Anaxagoram primus agnoverat, de quo hæc Cicero *l.* 1. *de nat. Deorum*: „ Thales enim Mileſius, qui „ primus de talibus rebus quæſivit, a„ quam eſſe dixit initium rerum, Deum „ autem eam mentem, quæ ex aqua „ cuncta fingeret. " Riſum ſane concitant, quæ de animantium ortu apud Ægyptios ferebantur, de quibus Laertius in procœmio: „ principium eſſe „ molem confuſam, ex hac diſcreta ele„ menta quatuor, & animalia perfecta; " „ quorum ſententiam ſic Diodorus Sicu„ lus explicat: „ Quum primum res uni„ verſæ exiſtere cœperunt, unius vultus „ fuiſſe cælum ac terram, permixta eo„ rum natura: poſteaquam diſceſſiſſent a „ ſe iſta corpora, mundo contigiſſe eum, „ quem nunc videmus, ordinem, aerem „ autem perpetui motus factum compo„ tem: hujus, quod maxime erat igne„ um, ad ſublimia loca evectum, quip„ pe quum ſurſum tendat ob levitatem „ talis naturæ, eademque de cauſa ſo„ lem, & lunam & cæteram ſiderum „ multitudinem manſiſſe in perpetua ver„ tigine, quod vero cænoſum ac turbi„ dum, cum humida concretione uno „ ſubſediſſe in loco, vi gravitatis: ſed „ hoc quoque quum volutaretur in ſe „ verſareturque continue, ex humidis „ mare, ex ſolidioribus ediſiſſe terram, „ ſed lutoſam, mollemque valde: hanc „ vero, ut primum, qui ſoli adeſt, ignis „ collucere cœpit, coaluiſſe: tum vero „ quum fermentaretur ſumma facies, in„ tu-

Digitized by Google

„ tumuiſſe pluribus in locis humentia,
„ inque iis putredines extitiſſe tenuibus
„ pelliculis circumdatas: quod etiam
„ nunc in ſtagnis lociſque uliginoſis fieri
„ conſpicitur, ubi ſubito poſt refrigera-
„ tum ſolum incaleſcit aer, non autem
„ paulatim immutatur; quumque ad eum
„ modum ex calore fæta impleta eſſent,
„ quæ madebant, iis fætibus adveniſſe
„ alimentum noctibus ex circumfuſa ne-
„ bula, diebus vero eos ab æſtu ſolida-
„ tos: Poſtremo, quum ad plenitudinem
„ veniſſent ii fætus, peruſtaque, atque
„ ita rupta eſſent membranarum involu-
„ cta, enatas apparuiſſe omnimodas ani-
„ mantium formas: horum alia pluri-
„ mum ſortita caloris ad loca ſupera
„ abiiſſe, facta volucria, at quæ terreſtri
„ craſſitie eſsent prædita, ea in repti-
„ lium, & aliorum humi viventium po-
„ ſita claſse: at quæ de humente natura
„ traherent plurimum, ea quoque ad lo-
„ cum perlata cognatum ſibi, dicique na-
„ tantia: at telluſurem, quum & ab eſtu
„ ſolis & a ventis magis magiſque indu-
„ ruiſset, ad poſtremum non ſuffeciſse
„ gignendis majoribus animantium, ſed
„ ea ex mutuo coitu cæpiſse gigni. Vi-
„ detur ab his, quæ dicta ſunt, nec Eu-
„ ripides diſsentire, qui Anaxagoræ Phy-
„ ſici diſcipulus fuit, nam is in Mela-
„ nippe ſic loquitur:

„ Figura ut una fuerit & cæli &
„ ſoli
„ Secreta, quæ mox ut receperunt
„ ſtatum,
„ Cuncta ediderunt hæc in oras lu-
„ minis,
„ Feras, volucres, ponti gregem,
„ Homines quoque ipſos.

„ De prima itaque rerum origine talia
„ ſunt quæ accepimus." Mirum, hæc Epicuro, Lucretio, aliiſque poſt eos multis probari potuiſſe, qui tam abſurda & Philoſophis indigna concoquere maluerunt, quam primam animantium formationem Deo acceptam referre. Sane quid futilius, magiſque ridiculum iis, quibus ſuam illam Ægyptii de prima animalium origine perſuaſionem non credibilem ſolum, ſed certo veram eſſe, jactabant?
„ Si cui, pergit Diodorus, mira videatur
„ illa vis terræ in producendis initio ani-
„ mantibus, afferunt ei rei ab iis, quæ
„ adhuc fiunt, argumenta; nam in The-
„ baide Ægypti, quo tempore maxime
„ exundat Nilus, atque inde humectata
„ tellure ſubito ſolis calor ſupervenit, at-
„ que ex eo multis in locis in facie ter-
„ ræ putredo facta eſt, gigni murium
„ vim incredibilem; quum ergo ex terra
„ jam indurata, aere non jam illam pri-
„ mam temperiem ſervante modumque,
„ tamen aliqua naſcantur animalia, inde
„ manifeſtum ajunt, rerum initio ex ter-
„ ra omnia edita eſſe animantium gene-
„ ra." Ex iiſdem Ægyptiis hæc habet Macrobius *l. 7. Saturnalium c. 16.*:
„ Si concedamus, ut ab adverſa parte
„ dictum eſt, hæc, quæ ſunt, ex tem-
„ pore aliquod ſumpſiſſe principium, na-
„ tura primum ſingula animalia perfecta
„ formavit, deinde legem tulit perpe-
„ tuam, ut continuaretur procreatione
„ ſucceſſio: perfecta autem in exordio
„ fieri potuiſſe, teſtimonio ſunt nunc
„ quoque non pauca animantia, quæ de
„ terra & imbre perfecta naſcuntur, ut
„ in Ægypto mures, & aliis in locis ra-
„ næ, ſerpenteſque, & ſimilia." Quis jam iſta non ridet? Quam eſt illud etiam inſulſum & vanum, quum *tellus ab æſtu ſolis, & a ventis magis magiſque induruiſſet*, nec jam *majoribus animantium gignendis ſufficeret, ea ex mutuo coitu cæpiſſe gigni*! Quis majora animantia inſtrumentis ad mutuum coitum aptis inſtruxerat? Si ita conformata e terræ ſinu prodiverant, unde illis poſt majorem terræ duritiem repente cognitio uſus, quem inſtrumenta illa haberent? Unde novus ſubituſque inſtinctus ad mutuo coeundum, & ſimilia procreanda? Veremur tamen, ne ſimus ipſi inepti, qui commenta hæc ſerio refellimus; quamquam mirari ſatis non poſſumus, & hodie eſſe, qui tam præpoſtera & monſtroſa animo imbibunt, modo nullus ſit Deus, aut ſit ille otioſus inerſque, & omni prorſus inferiorum rerum cura ſolutus.

EXERCITATIO VIII.

De ſextæ diei operibus.

I. AD ſextam diem ventum eſt, quæ & *ornatus* eſt *tertia*, qua, ut ait D. Thomas, *infima creaturæ corporalis pars, quæ ſignificatur nomine terræ*, quæ ter-

tertia die diſtincta fuerat, quum aquæ, quibus tota obruta erat, juſſæ a Deo ſunt, in locum unum confluere, *ornatur*, & *ſuis quaſi habitatoribus repletur*. Qui vero primi hi terræ habitatores, quibus ornata eſt & repleta? Audiendus Moſes: *Dixit quoque Deus: producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas; factumque eſt ita: & fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo: & vidit Deus, quod eſſet bonum; & ait, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra: & creavit Deus hominem ad imaginem ſuam . . . . & factum eſt veſpere & mane dies ſextus*. Expediendæ prius nonnullæ difficultates, quas hæc Moſis narratio injicit, quam ad graviora procedamus. Primo, quorſum Deum terreſtria animantia e terra gigni jubentem dixiſſe, ſcribit: *producat terra animam viventem in genere ſuo?* Num animantia hæc ipſa ſunt anima vivens? an non potius & ipſa animam viventem habent, haud ſecus ac piſces & volucres? Dicendum ergo fuerat: *producat terra quadrupedia animæ viventis*, ut mox dixerat: *producant aquæ reptile animæ viventis*. Difficultatem hanc egregie diſſolvit Angelicus 1. *p. q.* 72. *art. unico ad* 1. ajens: „ Dicendum, quod, ſicut „ Baſilius dicit *hom.* 7. *in Hexam.*, di„ verſus gradus vitæ, qui in diverſis vi„ ventibus invenitur, ex modo loquendi „ Scripturæ colligi poteſt; plantæ enim „ habent imperfectiſſimam vitam, & oc„ cultam, unde in earum productione „ nulla fit mentio de vita, ſed ſolum de „ generatione, quia ſecundum hanc ſo„ lam invenitur in eis vita; nutritiva „ enim & augmentativa generativæ de„ ſerviunt, ut infra dicetur. Inter alia „ vero animalia perfectiora ſunt, (com„ muniter loquendo) terreſtria avibus „ & piſcibus, non quod piſces memoria „ careant, ut Baſilius dicit *hom.* 7. *in* „ *Hexam.*, quod Auguſtinus improbat *l.* „ 3. *ſup. Gen. ad lit. c.* 8., ſed propter „ diſtinctionem membrorum, & perfe„ ctionem generationis. Quantum autem „ ad aliquas ſagacitates aliqua etiam ani„ malia imperfecta magis vigent, ut „ apes & formicæ; & ideo piſces vocat „ non *animam viventem*, ſed *reptile ani*„ *mæ viventis*: ſed terrena animalia vo„ cat *animam viventem* propter perfe„ ctionem vitæ in eis, ac ſi piſces ſint „ corpora habentia aliquid animæ, ani„ malia terreſtria vero propter perfectio„ nem vitæ ſint quaſi animæ dominantes „ corporibus. Perfectiſſimus autem gra„ dus vitæ eſt in homine; & ideo vitam „ hominis non dicit produci e terra, vel „ aqua, ſicut cæterorum animalium, ſed „ a Deo. “

II. Secundo, quo illa *jumentorum*, *beſtiarum*, & *reptilium terræ* diſtinctio? Nonne omnium ut una origo, terra ſcilicet, ita & unum genus? „ Per *ju*„ *menta*, vel *pecora*, ait ibidem D. Tho„ mas *ad* 2., intelliguntur animalia do„ meſtica, quæ homini ſerviunt qualiter„ cumque: per *beſtias* autem intelligun„ tur animalia ſæva, ut urſi & leones: „ per *reptilia* vero animalia, quæ vel „ non habent pedes, quibus eleventur a „ terra, ut ſerpentes, vel habent bre„ ves, quibus parum elevantur, ut lacer„ tæ & formicæ; ſed quia ſunt quædam „ animalia, quæ ſub nullo horum com„ prehenduntur, ſicut cervi & capreæ, „ ut etiam iſta comprehenderentur, addi„ dit *quadrupedia*. Vel *quadrupedia* præ„ miſit ut genus, & alia ſubjunxit quaſi „ ſpecies; ſunt enim quædam reptilia „ quadrupedia, ut lacertæ & formicæ. “

III. Tertio, quum Deus *vidiſſe* dicatur *cuncta*, *quæ fecerat*, quæ *erant valde bona*, alterutrum neceſſario conſequitur, aut non eſſe Deum omnium cujuſque generis animantium Auctorem, aut falſo dicta *valde bona cuncta*, *quæ fecerat*; multa enim ſunt venenata, nocentia, atque exitiabilia, non pauca etiam, quæ plane neſcias, cui bono ſint facta. Telo hoc potiſſimum pugnant adverſus optimum ac providentiſſimum Deum Athei & Manichæi, quod ab eximiis religionis Chriſtianæ vindicibus Baſilio M., Ambroſio, Chryſoſtomo, Theodoreto aliiſque valide retuſum, ab Auguſtino præſertim *l.* 1. *ſup. Gen. contra Manichæos c.* 16. fractum eſt, & obtritum. Reſponſum ejus, cujus duntaxat partem D. Thomas ibidem *ad* 6. recitat, integrum dabimus, etſi paulo prolixius, quod ſit illud omnium luculentiſſimum, atque efficaciſſimum. „ Solent, ait, etiam iſtam

„ Ma-

„ Manichæi movere quæſtionem „ ut dicant, quid opus erat, ut Deus tam multa animalia faceret, quæ homini non ſunt neceſſaria, multa etiam perniciosa ſunt & timenda? Sed non intelligunt, quemadmodum omnia ſunt Conditori & artifici ſuo, qui omnibus utitur ad gubernationem univerſitatis, cui ſumma lege dominatur. Si in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa inſtrumenta, quorum cauſas ignorat, & ſi multum eſt inſipiens, ſuperflua putat: jam vero ſi in fornacem incautus inciderit, aut ferramento aliquo acuto, quum illud male tractat, ſe vulneraverit, etiam perniciosa & noxia ibi exiſtimat, eſſe multa, quorum tamen uſum quoniam novit artifex, inſipientiam ejus irridet, & verba ejus non curans, officinam ſuam inſtanter exercet; & tamen adeo ſtulti ſunt homines, ut apud artificem hominem vituperare non audeant, quæ ignorant, ſed quum ea viderint „ credant, ea eſſe neceſſaria, & ad uſus aliquos inſtituta, in hoc autem mundo, cujus artifex atque adminiſtrator prædicatur Deus, audent, multa reprehendere, quorum cauſas non vident. Ego vero fateor, me neſcire, mures & ranæ quare creatæ ſint, aut muſcæ & vermiculi: video tamen, omnia in ſuo genere pulcra eſſe, quamvis propter peccata noſtra multa nobis videantur adverſa; quod ſi cogitarent iſti ineptiſſimi, & loquaciſſimi, non nobis tædium facerent, ſed ipſi conſiderando omnes pulcritudines ſummas & infimas, Deum artificem ubique laudarent, & quoniam nuſquam offenditur ratio, ſicubi forte ſenſus carnalis offenditur, non rerum ipſarum vitio, ſed noſtræ mortalitatis meritis imputarent. Et certe omnia animalia aut utilia nobis ſunt, aut perniciosa, aut ſuperflua: adverſus utilia non habent, quid dicant: de perniciosis autem vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non vitam iſtam multis periculis & laboribus ſubditam, ſed aliam meliorem, ubi ſumma ſecuritas eſt, diligamus & inquiramus. De ſuperfluis vero quid nobis quærere? Si tibi diſplicet, quod non proſunt, placeat, quod non obſunt, quia etſi domui noſtræ neceſſaria non ſunt, iis tamen completur hujus uni verſitatis integritas, quæ multo major eſt, quam domus noſtra, & multo melior; hanc enim multo melius adminiſtrat Deus, quam unuſquiſque noſtrum domum ſuam. Uſurpa ergo utilia, cave perniciosa, relinque ſuperflua &c. “ Quid in his ſapientiſſime veriſſimeque dictis arrodere poteſt impietas? Sed jam potiora perſequamur, hominis videlicet formationem.

„ IV. „ Scite Chryſippus, ut eſt apud Ciceronem *l. 2. de nat. Deor.*; ut clypei cauſa involucrum, vaginam autem gladii, ſic, præter mundum, cætera omnia aliorum cauſa eſſe generata, ut eas fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium cauſa, animantes autem hominum, ut equum vehendi cauſa, arandi bovem, venandi & cuſtodiendi canem. Ipſe autem homo ortus eſt ad mundum contemplandum, & imitandum, nullo modo perfectus, ſed eſt quædam particula perfecti. “ Si ergo cætera hominis cauſa producta ſunt, reliquum erat, ut ad aliarum rerum formationem Moſes hominis creationem adtexeret; eſt enim ille viſibilium Dei operum finis & conſumatio, creatarum quarumlibet rerum ſumma, minor mundus, ut eum Damaſcænus vocat, totiuſque naturæ ſentientis ac intelligentis vinculum. Ultimo iccirco loco formatus eſt, ut domo jam extructa, eſſet, qui eam inhabitaret & regeret: „ Conſtruendum, ait Nazianzænus *orat.* 43., prius tanquam Regi palatium erat, atque ita Rex introducendus omni jam ſuo ſatellitio ſtipatus. “ Cum Moſe ethnicis Scriptoribus mirifice convenit de homine a Deo ad ſui ſimilitudinem facto, erecta ſtatura, mente prædito, digniſſimo poteſtate & dominatu omnium rerum. Præclare Ovidius loco non ſemel laudato ad cæterarum rerum originem hominis creationem adjecit:

„ Sanctius his animal, mentiſque capacius unum
„ Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
„ Natus homo eſt: ſive hunc divino ſemine fecit
„ Ille opifex rerum, mundi melioris origo...
„ Pronaque quum ſpectent animalia cætera terram,

„ Os

„ Os homini ſublime dedit, cælumque videre
„ Juſſit, & erectos ad ſidera tollere
„ vultus. “

Quid homini præ cæteris animantibus peculiare contulerit Deus, notavit & Euryſus *l. de fortuna* : „ Hominem corpore ſimilem reliquit, quippe ex eadem conſtantem materia, ſed ab optimo effictum artifice, qui in eo faciendo ſemetipſum habuit exemplar: “ notavit & Cicero *l.* 2. *de nat. Deorum* : „ nam quum cæteras animantes abjeciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, ad cælique quaſi cognationis & domicilii priſtini conſpectum excitavit. “ Demum & Juvenalis *ſatyra* 15.

„ ——— atque adeo venerabile ſoli
„ Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
„ Atque exercendis capiendiſque artibus apti,
„ Senſum a cæleſti demiſſum traximus arce,
„ Cujus egent prona, & terram ſpectantia, mundi
„ Principio indulſit communis Conditor illis
„ Tantum animas, nobis animum quoque. “

Quid his luculentius & ad Moſis narrationem magis appoſitum ?

V. Priuſquam noſtram ad præſtantiſſimum hoc Dei opus conſiderationem transferamus, præſtat, in ipſa conditarum, quas hactenus ex Moſe deſcripſimus, rerum univerſitatis contemplatione tantiſper hærere, quæ, ut ſunt hominis cauſa factæ, ita hominem monent, non in naturam rationis expertem, non in caſum fortunamque cæcam, ſed in Deum optimum & ſapientiſſimum earum originem referendam. Nihil iis difertius, quæ de graviſſimo hoc argumento habet Cicero *l.* 3. *de nat. Deor.*, ex quo aliqua ad rem noſtram magis opportuna libabimus. „ Illi autem, ſic Epicuræos perſtringit, quemadmodum aſſeverant, ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temere, atque caſu, mundum eſſe perfectum? aut innumerabiles potius in omni puncto temporis, alios naſci, alios interire? Quod ſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum, cur non porticum, cur templum, cur urbem, cur domum non poteſt? Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cæli ornatum, qui locus eſt proximus, ſuſpexiſſe videantur . . . Quis enim hunc hominem dixerit, qui, quum tam certos cæli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa & apta videat, neget in his ullam eſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus? An quum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut ſphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera ſint rationis; quum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute & conſervatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Licet enim jam, remota omni diſputandi ſubtilitate, oculis quodammodo contemplari pulcritudinem rerum earum, quas divina providentia conſtituit; ac principio terra univerſa cernatur locata in media mundi ſede, ſolida, globoſa, & undique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidorum amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitateſque camporum: adde etiam reconditas auri, argentique venas, infinitamque vim marmorum. Quæ vero, & quam varia genera beſtiarum vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapſus atque cantus? qui pecudum paſtus? quæ vita ſilveſtrium? Quid jam de hominum genere dicam? qui quaſi cultores terræ conſtituti non patiuntur eam, nec immanitate belluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari, quorumque operibus agri inſulæque ac litora collucent,

„ cent, diſtincta tectis & urbibus; quæ
„ ſi, ut animis, ſic oculis videre poſ-
„ ſemus, nemo cunctam intuens terram
„ de divina providentia dubitaret. At
„ vero quanta maris eſt pulcritudo?
„ quæ ſpecies univerſi? quæ multitudo
„ & varietas inſularum? quæ amænita-
„ tes orarum & litorum? quot genera,
„ quamque diſparia partim ſubmerſarum,
„ partim fluitantium, & innantium
„ belluarum, partim ad ſaxa nativis
„ teſtis inhærentium? . . . . . . Exinde
„ mari finitimus aer die & nocte diſtin-
„ guitur, iſque tum fuſus & extenua-
„ tus ſublime fertur, tum autem concre-
„ tus in nubes cogitur, humoremque col-
„ ligens terram auget imbribus, tum ef-
„ fluens huc & illuc ventos efficit: idem
„ annuas frigorum & calorum facit va-
„ rietates, idemque & volatus alitum ſu-
„ ſtinet, & ſpiritu ductus alit & ſuſten-
„ tat animantes.

VI. Multa exin de cælo, cæleſtibuſque corporibus diſſerit, ſole primum, qui oriens occidenſque diem noctemque efficit, & modo accedens, tum autem recedens, binas ſingulis annis réverſiones ab extremo contrarias facit, quarum intervallo tum quaſi triſtitia quadam contrahit terram, tum viciſſim lætificat, ſubinde luna ejuſque cum ſole congreſſione, ac ab eo digreſſione, & quam interjectu interpoſituque terræ patitur, defectione, de ſtellis, quas vagas dicimus, earumque ortu, occaſu, & motibus, de ſtellarum denique inerrantium maxima multitudine, ſignis atque nominibus, quæ ex Arato prompta latine vertit, ex quibus ſcite concludit.
„ Hæc omnis deſcriptio ſiderum, atque
„ tus cæli ornatus ex corporibus huc & il-
„ luc caſu & temere concurſantibus po-
„ tuiſſe effici, cuiquam ſano videri pot-
„ eſt? aut vero alia quæ natura mentis
„ & rationis expers hæc efficere potuit,
„ quæ non modo, ut fierent ratione egue-
„ runt, ſed intelligi, qualia ſint, ſine ſum-
„ ma ratione non poſſunt? “ A cæleſtibus deinde ſermonem ad terreſtria convertens, pergit: „ Quid eſt in his, in quo
„ non naturæ ratio intelligentis appareat?
„ Principio, eorum, quæ gignuntur e ter-
„ ra, ſtirpes & ſtabilitatem dant iis, quæ
„ ſuſtinent, & ex terra ſuccum trahunt,
„ quo alantur ea, quæ radicibus conti-
„ nentur, obducunturque libro aut corti-
„ ce trunci, quo ſint a caloribus & fri-
„ goribus tutiores. Jam vero vites ſic cla-
„ viculis adminicula tamquam manibus
„ apprehendunt, atque ita ſe erigunt, ut
„ animantes: quin etiam a caulibus braſ-
„ ſiciſque, ſi prope ſati ſint, ut a peſtife-
„ ris & nocentibus refugere dicuntur, nec
„ eos ulla ex parte contingere. Animan-
„ tium vero quanta varietas eſt? quanta
„ ad eam rem vis, ut in ſuo quæque ge-
„ nere permaneant? quarum aliæ coriis
„ tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpi-
„ nis hirſutæ: pluma alias, alias ſquam-
„ ma videmus obductas, alias eſſe corni-
„ bus armatas, alias habere effugia pen-
„ narum. Paſtum autem animantibus lar-
„ ge, & copioſe natura eum, qui cuique
„ aptus erat, comparavit. Enumerare poſ-
„ ſum, ad eum paſtum capeſſendum con-
„ ficiendumque, quæ ſit in figuris animan-
„ tium, & quam ſolers ſubtiliſque deſcri-
„ ptio partium, quamquam admirabilis
„ fabrica membrorum; omnia enim, quæ
„ quidem intus incluſa ſunt, ita nata at-
„ que ita locata, ut nihil eorum ſuperva-
„ caneum ſit, nihil ad vitam retinendam
„ non neceſſarium. Dedit autem eadem
„ natura belluis & ſenſum & appetitum,
„ ut altero conatum haberent ad natura-
„ les paſtus capeſſendos, altero ſecernerent
„ peſtifera a ſalutaribus. Jam vero alia
„ animalia gradiendo, alia ſerpendo ad
„ paſtum accedunt, alia nando, cibumque
„ partim oris hiatu, & dentibus ipſis ca-
„ peſſunt, partim unguium tenacitate ar-
„ ripiunt, partim roſtrorum aduncitate:
„ alia ſugunt, alia carpunt, alia vorant
„ alia mandunt; atque etiam aliorum ea
„ eſt humilitas, ut cibum terreſtrem ro-
„ ſtris facile contingant, quæ autem al-
„ tiora ſunt, ut anſeres ut cycni, ut
„ grues, ut cameli, adiuvantur proceri-
„ tate collorum: manus etiam data ele-
„ phantis, quia propter magnitudinem
„ corporis difficiles aditus habebant ad pa-
„ ſtum. “

VII. Multus ei ſermo de beſtiis, quibus aliæ alterius generis in cibum cedunt, quæ ad parandum ſibi hujuſmodi paſtum aut vires, aut celeritatem, aut machinationem quandam atque ſolertiam a natura habent, ut araneolæ, pinæ, platalea, ranæ marinæ &c. ex quibus exempla ducit, de earum in depellendis morbis, curandiſque venenis induſtria, ut vomitione canes, alvi dejectione ibes ægyptiæ, cervæ ante partum ſeſelide, pantheræ atque ca-

Digitized by Google

præ Cretenſes dictamno, de niſu, quo contra mentem & vim ſuis ſe armis quæque defendit, ut cornibus tauri, apti dentibus, morſu leones, fuga cervi, damæ, lepuſculi, atramenti effuſione ſepiæ, torpore torpedines, odoris aliæ intollerabili fæditate. Egregia ſunt, quæ de beſtiarum inſtinctu ad perpetuam generis earum conſervationem adjungit; „ nam primum, ait, aliæ
„ mares, aliæ fæminæ ſunt, quod perpe-
„ tuitatis cauſa machinata natura eſt: de-
„ inde partes corporis & ad procreandum
„ & ad concipiendum aptiſſimæ, & in
„ mare & in fæmina commiſcendorum
„ corporum miræ libidines; quum autem
„ in locis ſemen inſedit, rapit omnem fe-
„ re cibum ad ſe ſe, eoque ſeptum fingit
„ animal, quod quum ex utero elapſum
„ excidit, in iis animantibus, quæ lacte
„ aluntur, omnis fere cibus matrum la-
„ cteſcere incipit, eaquæ, quæ paulo an-
„ te nata ſunt, ſine magiſtro, duce natu-
„ ra, mammas appetunt, earumque uber-
„ tate ſaturantur; atque ut intelligamus,
„ nihil horum eſſe fortuitum, ſed omnia
„ eſſe opera providæ ſolertiſque naturæ,
„ quæ multiplices fætus edunt, ut canes
„ & ſues, his mammarum data eſt multi-
„ tudo, quas eaſdem paucas habent eæ
„ beſtiæ, quæ pauca gignunt. Quid di-
„ cam quantus amor beſtiarum ſit in e-
„ ducandis, cuſtodiendiſque iis, quæ pro-
„ creaverunt, uſque ad eum finem, dum
„ poſſint ſe ipſa defendere? etſi piſces, ut
„ ajunt, ova, quum genuerunt, relinquunt;
„ facile enim illa & aqua ſuſtinentur, &
„ fætum fundunt . . . Jam gallinæ aveſ-
„ que reliquæ & quietum requirunt ad pa-
„ riendum locum, & cubilia ſibi nidoſque
„ conſtruunt, eoſque quam poſſunt, mol-
„ liſſime ſubſternunt, ut quam facillime
„ ova ſerventur: ex quibus pullos quum
„ excluſerint, ita tuentur, ut & pennis
„ foveant, ne frigore lædantur, & ſi eſt
„ calor a ſole, ſe opponant. Quum au-
„ tem pulli pennulis uti poſſunt, tum vo-
„ latus eorum matres proſequuntur, reli-
„ qua cura liberantur. “

VIII. Poſt multa demum de utilitatibus, quas ex animantibus capiunt homines, ex ovibus præſertim, canibus, bubus, mulis, aſinis, ſuibus, quin & ex immanibus ipſis, feriſque belluis, quas homines nanciſcuntur venando, ut & veſcantur iis, & exerceantur venando ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ, & utantur domitis & condocefactis, ut elephantis, multaque ex earum corporibus remedia, morbis & vulneribus eligant, divinæ providentiæ argumentum petit ex hominis fabricatione, humanique corporis figura ac perfectione, in quo quidem perſequendo copioſus, & diſertiſſimus eſt. Etſi plurimos cujuſque gentis Auctores haud indiligenter verſaverimus, qui eadem hæc omnia urgent, ad demonſtrandum, Deum ſummum eſſe atque primum omnium artificem, rectorem, & curatorem, nemo unus tamen non Ciceronem expilavit, & non eadem ipſa, nova ſolum dicendi forma, digeſſit; quare reprehendi a nullo poſſumus, quod maluerimus ipſum, ex quo omnes hauſerunt, fontem adire, eademque Philoſophi ut doctiſſimi, ita & elegantiſſimi verba deſcribere. Quamquam, ut vehementer mirandum eſt, hæc ipſa, licet non ratione ſolum, ſed & ſenſu exploratiſſima a Cicerone Academici perſonam (ex animo ne, an ſimulate incertum) ſuſtinente, non habita pro demonſtratis, ſed viſa tantum ei *ad veritatis ſimilitudinem propenſiora*, quare apud multos magnam habet Athei ſuſpicionem, ita dolere ſatis non poſſumus, adhuc eſſe, qui iſtis minime permoventur, maluntque, aut naturam ſine ratione, aut cæcum caſum, quam mentem excellentiſſimam, univerſitatis rerum opificem confiteri.

EXERCITATIO IX.

De iis, quæ ad ſeptimum diem pertinent.

I. I*Gitur perfecti ſunt cæli, & terra*, ad Moſes Gen. 2., *& omnis ornatus eorum, complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requievit ab omni opere, quod patrarat, benedixitque diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus, ut faceret.* De cælorum terræque ornatu hactenus ſatis; cælos enim ornavit Deus luce, quam *prima*, & luminaribus, quæ die *quarta* creavit, terram autem, quum proferre eam *tertia* die juſſit cujuſque generis herbas & plantas, & ſexta die *animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias ſecundum ſpecies ſuas.* Quoniam vero, quemadmodum Baſilius, aliique interpretantur, terræ nomine alia quoque elementa non ſemel Scri-

ptura deſignat, *perfectum* & aeris & aqua-
rum *ornatum* intelligamus, oportet; orna-
ta enim utraque ſunt quinta die, qua a
Deo juſſæ ſunt aquæ *producere reptile ani-*
mæ viventis, & volatile ſuper terram ſub
firmamento cæli, ideſt in aere, & utrique
ſui habitatores attributi. Verum qui com-
pleſſe Deum, intelligemus, *die ſeptimo*
opus ſuum, quod fecerat? Adnotat D. Tho-
mas 1. *p. q.* 73. *ar.* 1., duas eſſe cujuſ-
que rei perfectiones, primam & ſecundam:
„ *Prima* quidem perfectio eſt, ſecundum
„ quod res eſt in ſua ſubſtantia perfecta,
„ quæ perfectio eſt forma totius, quæ ex
„ partium integritate conſurgit: *Secunda*
„ autem eſt finis, qui vel eſt operatio,
„ ut citharistæ citharizare, vel aliquid, ad
„ quod per operationem pervenitur, ſicut
„ finis ædificatoris eſt domus, quam fa-
„ cit. *Prima* autem perfectio eſt cauſa ſe-
„ cundæ, quia forma eſt principium ope-
„ rationis: ultima autem perfectio, quæ
„ eſt finis totius univerſi, eſt perfecta bea-
„ titudo Sanctorum, quæ erit in ultima
„ ſæculi conſumatione: Prima autem per-
„ fectio, quæ eſt in integritate univerſi,
„ fuit in prima rerum inſtitutione; & hæc
„ deputatur ſeptimo diei. „ Non viden-
tur hæc tamen ad veritatem exacta; Si
enim Deus *opus ſuum* compleſſe dicitur,
quia *univerſum integrum* condidit, jam
opus ſuum, quod fecerat, non ſeptimo ſed
ſexto die complevit; ſeptimo enim die ni-
hil ad jam condita addidiſſe legitur, ſed
potius ab omni opere ſuo ceſſaſſe, quare
hic dies non opificii, ſed quietis dies eſt,
contra ſexta die poſtremum præſtantiſſi-
mum, quod ad aſpectabilis mundi hujus
integritatem perfectionemque deerat, opus,
hominem nempe, formavit, quo opere nu-
meris omnibus rerum univerſitatem abſol-
vit. Difficultatem hanc tamen facillime
expedit ibidem Angelicus *ad* 2. ajens.
„ *Septima die* Deus aliquid operatus eſt,
„ non novam creaturam condendo, ſed
„ creaturam adminiſtrando, eamque ad
„ propriam operationem movendo, quod
„ jam aliqualiter pertinet ad inchoationem
„ quandam ſecundæ perfectionis; & ideo
„ conſumatio operum ſecundum noſtram
„ translationem, (ideſt vulgatam no-
„ ſtram) attribuitur *diei ſeptimæ*, ſed ſe-
„ cundum aliam translationem (Septua-
„ ginta nimirum) attribuitur *diei ſextæ*;
„ & utrumque poteſt ſtare, quia conſu-
„ matio, quæ eſt ſecundum integritatem
„ partium univerſi, competit *ſextæ* diei,
„ conſumatio, quæ eſt ſecundum opera-
„ tionem partium, competit *ſeptimæ*. Vel
„ poteſt dici, quod in motu continuo,
„ quamdiu aliquid poteſt moveri ulterius,
„ non dicitur motus perfectus ante quie-
„ tem; quies enim demonſtrat motum
„ conſumatum. Deus autem poterat plu-
„ res creaturas facere præter illas, quas
„ fecerat ſex diebus; unde hoc ipſo, quod
„ ceſſavit, novas creaturas condere *ſepti-*
„ *ma die*, dicitur, opus ſuum conſumaſ-
„ ſe. “

II. Necdum tamen plene eliquata eſt
difficultas, & Moſaicæ narrationis hujus
veritas ſatis in tuto poſita; primo enim,
qui eam compones cum iis, quæ *Jo.* 5.
Chriſtus ait: *Pater meus uſque modo ope-*
ratur, & ego operor? Opus itaque ſuum
die ſeptimo non conſumavit; ſecundo,
quot a ſeptimo illo ad hunc diem Deus
nova operatus eſt, & quotidie operatur? Quot
ſingulis ferme diebus nova omnium ferme
ſpecierum individua prodeunt? Nonne
Deus quotidie novas animas creat? Non-
ne novum Incarnationis opus? Nonne,
quæ præter naturæ ordinem ſæpe! facta
ſunt, nec fieri deſinunt, veri nominis mi-
racula nova ſunt? Ipſa denique Sanctorum
in cælis glorificatio nova in Scripturis non-
ne dicitur? Utrumque tamen breviter &
perſpicue ibidem diluit Angelicus, pri-
mum quidem ajens: „ *Deus uſque modo*
„ *operatur* conſervando & adminiſtrando
„ creaturam conditam, non autem novam
„ creaturam condendo: “ Exin declarat,
nihil *poſtmodum*, ideſt a ſeptimo die il-
lo, a Deo factum omnino novum, quin
in ſex dierum operibus aliqua ratione præ-
ceſſerit; „ Quædam enim præextiterunt
„ *materialiter*, ſicut quod Deus ex coſta
„ Adæ formavit mulierem. Quædam ve-
„ ro præextiterunt in operibus ſex die-
„ rum non ſolum *maerialiter*, ſed etiam
„ *cauſaliter*, ſicut individua, quæ nunc
„ generantur, præceſſerunt in primis ſpe-
„ cierum ſuarum individuis. . . . . Ani-
„ malia etiam quædam ſecundum no-
„ vam ſpeciem aliquando oriuntur ex
„ commixtione animalium diverſorum ſe-
„ cundum ſpeciem, ſicut quum ex aſi-
„ no & equa generatur mulus, & hæc
„ etiam præceſſerunt cauſaliter in operi-
„ bus ſex dierum. „ Quædam vero præ-
„ ceſſerunt ſecundum *ſimilitudinem*, ſicut
„ animæ, quæ nunc creantur, & ſimili-

„ ter

„ ter Incarnationis opus, quia, ut dicitur
„ ad Philip. 2. *Filius Dei in ſimilitudi-*
„ *nem hominum factus eſt*. Gloria etiam
„ ſpiritualis ſecundum ſimilitudinem præ-
„ ceſſit in Angelis, corporalis vero in cæ-
„ lo, præcipuæ empyreo; unde dicitur Ec-
„ cleſ. 1. *Nihil ſub ſole novum*; *jam enim*
„ *præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante*
„ *nos*. " Ex his, quæ de animalibus adul-
terinæ ſpeciei D. Thomas habet, nemo
non percipit, in ea illum fuiſſe ſententia,
quæ & aliorum plurium ante & poſt eum
eſt, hæc non fuiſſe a Deo in prima rerum
inſtitutione producta, ſed *in ſemine* tan-
tum atque *cauſaliter*, quam ſententiam
non leviter confirmat tum, quod *Levit.*
19. Deus ait: *Jumentum tuum non facies*
coire cum alterius generis animantibus, tum
quod *Gen.* 36. pro eo quod latinus Inter-
pres vertit, *ipſe invenit aquas calidas &c.*
Hebræus, Chaldæus, & Arabs habent: *ipſe*
invenit mulos in ſolitudine, quibus ſignifi-
catur, Ana in deſerto primum curaſſe,
ut equarum greges cum aſinis commiſce-
rentur, ex quo coitu mulorum ſpecies ex-
titit, quam lectionem refert, neque im-
probat Hieronymus *l. tradit. hebraic. in*
Gen.

III. Nemo ſane non intelligit, tropum
verbis iis ſubeſſe: *& requievit die ſeptimo*
ab omni opere, quod patravat; neque enim
Deus ille eſt, qui moveri poſſit, & motu
fatigari, quiete iccirco egeat, quæ ceſſatio
motus eſt, & relaxatio laboris. „ Quies,
„ præclare ait D. Thom. ibidem *ar. 2. ad 5.*
„ proprie opponitur motui, & per conſe-
„ quens labori, qui ex motu conſurgit.
„ Quamvis autem motus proprie acceptus
„ ſit corporum, tamen nomen motus et-
„ tiam ad ſpiritualia derivatur dupliciter,
„ uno modo ſecundum quod omnis opera-
„ tio motus dicitur; ſic enim & divina
„ bonitas quodammodo movetur, & proce-
„ dit in res, ſecundum quod ſe eis com-
„ municat: alio modo deſiderium in aliud
„ tendens quidam motus dicitur: unde &
„ requies dupliciter accipitur, uno modo
„ pro impletione deſiderii: & utroque
„ modo dicitur Deus *requieviſſe die ſepti-*
„ *ma*, primo quidem, quia die ſeptima
„ ceſſavit novas creaturas condere; nihil
„ enim poſtea fecit, quod non aliquo mo-
„ do præceſſerit in primis operibus, ut di-
„ ctum eſt: alio modo, ſecundum quod re-
„ bus conditis ipſe non indigebat, ſed ſe
„ ipſo fruendo beatus eſt; unde poſt con-
„ ditionem omnium operum, non dicitur,
„ in ſuis operibus requievit, quaſi eis ad
„ ſuam beatitudinem indigens, *ſed ab eis*
„ *requievit*, utique in ſe ipſo, quia ſuffi-
„ cit ſibi, & implet deſiderium ſuum;
„ Et quamvis ab æterno in ſe ipſo requie-
„ verit, tamen quod poſt opera condita
„ in ſe ipſo requievit, hoc pertinet ad
„ ſeptimam diem, & hoc eſt ab ope-
„ ribus requieſcere, ut Auguſtinus dixit
„ *libr.* 4. *ſuper Geneſis ad litteram caput*
„ 45.. "

IV. Digniſſima etiam ſunt, quæ expen-
dantur, quæ de eadem hac quiete, & diei
ſeptimæ ſanctificatione tradit *q.* 4. *de pot.*
ar. 2. *ad* 5.: „ Dicitur Deus, ab omni
„ opere die ſeptima ceſſaſſe, quia poſtea
„ nihil novum fecit, quod aliquo modo
„ 'in operibus ſex dierum non præceſſerit',
„ vel materialiter, vel cauſaliter, vel ſe
„ cundum aliquam ſpeciei vel generis ſi-
„ militudinem; & quia poſt omnia opera
„ condita Deus in ſe ipſo die ſeptima re-
„ quievit, propterea Scriptura, & lex præ-
„ cipit, diem ſeptimam ſanctificari, nam
„ ſanctificatio cujuslibet rei in hoc maxi-
„ me conſiſtit, quod in Deo requieſcit;
„ unde res Deo dedicatæ, ut tabernacu-
„ lum, vaſa, Miniſtri, ſanctæ dicuntur.
„ Dies autem ſeptimus eſt ad divinum
„ cultum dedicatus, ideo ſanctificatus di-
„ citur, ut ſcilicet, ſicut Deus non in ipſis
„ rebus conditis quievit, ſed a rebus con-
„ ditis in ſeipſo, in quo ſua beatitudo con-
„ ſiſtit, permanſit, (quum non ſit beatus,
„ ex eo quod res fecerit, ſed ex hoc, quod
„ in ſe ipſo ſufficientiam habens, rebus
„ factis non indiget) ita & nos non in
„ ejus operibus, aut noſtris diſcamus, ſi-
„ cut in fine, quieſcere, ſed ab operibus
„ in ipſo Deo, in quo noſtra beatitudo
„ conſiſtit, quieſcamus; propter hoc enim
„ inſtitutum eſt, ut homo ſex diebus la-
„ borans in operibus, ſeptima die quieſce-
„ ret, cultui divino, & quieti divinæ con-
„ templationis vacans, in qua ſanctificatio
„ hominis maxime conſiſtit. Novitas et-
„ iam mundi maxime demonſtrat, Deum
„ eſſe, & creaturis non indigere, & ideo
„ ſtatutum eſt in lege, ut ſeptima die
„ quieſcerent, & feſtum ducerent, in qua
„ mundus conſumatus eſt, ut per novita-
„ tem mundi . . . homo ſemper in Dei
„ cognitione maneret, & de tam univer-
„ ſali, & præcipuo creationis beneficio
„ Deo gratias exhiberet, & in ipſo velut
„ in

„ in fine quietem ſuæ mentis poneret in „ præſenti per gratiam, & in futuro per „ gloriam. “

V. Scite animadvertit D. Jaquelot in opere *de librorum ſacrorum verit. & inſpiratione tom. 1. c. 14.*, Hiſtoriæ ſanctæ veritatem ex monumentis præcipue eminere, quæ inſignioribus, quas illa continet, rebus geſtis nituntur, & Judaicæ religionis ceremonias ad ſplendidiſſima, quæ Moſes in literas retulit, Dei opera recolenda referri, ſeptimæ diei, ſeu ſabbati in primis religionem ad rerum omnium creationem, cujus meditationi ea potius die quam altera vacare debebant homines a reliquis operibus feriantes. Etſi diei hujus religionem mundo ipſi coævam veriſimillime putet, ac a Deo inſtitutam monumenti inſtar, quo mundi ab ſe conditi memoria apud homines; conſervaretur, exploratum tamen eſt, ſpecialem hujus diei cultum a Deo ejuſdem rei gratia expreſſe præceptum, quum Hebræis in Sina legem tulit, ut *Exodi* 20. legere eſt: *Memento, ut diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas; Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo: Iccirco benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificavit eum*: vera itaque ſunt, quæ de cæli, terræ, maris, omniumque, quæ in eis ſunt, origine Moſes ſcripſit, nec in dubium vocari abſque rationis & communis hominum ſenſus injuria poſſunt; tam enim certa eſt, tamque in ipſis Ethnicorum monumentis teſtata hæc apud Iudæos antiquiſſima & conſtantiſſima diei ſeptimæ, ſive ſabbati religio, ut qui in ea addubitet, hominem exuiſſe, neceſſe ſit: quum ſit ergo illa ab univerſa Hebræorum gente ſuſcepta, & firmiſſime retenta monimenti loco, in quo prima rerum omnium a Deo origo conſignata eſt, tam ſit hæc vera, oportet, certa, & explorata, quam illa, quam hinc ortum habuiſſe extra controverſiam eſt.

VI. Quamquam diei hujus ſeptimæ non cognitionem ſolum, ſed & cultum aliquem ad alienigenas permanaſſe, tradant e noſtris Clemens Alex. *l. 5. ſtrom.* Theophilus Antiochenus *l. 2. ad Autolycum*, Euſebius *l. 13. præpar. Evang. c. 13.*, imo Joſephus *l. 2. contra Apionem*, nullam ſcribat Græcam, nullam barbaram urbem eſſe, quam ſeptimæ diei, qua Judæi feriantur, mos non pervaſerit, Philo quoque ſabtum non urbi, aut regioni uni, ſed univerſo, feſtum eſſe, confirmet, Grotius item horum auctoritate fretus *l. 1. de verit. Chriſt. Relig.* §. XVI. aſſerat, intra *ſeptem* „ dies parati operis memoriam ſervatam non apud Græcos & Italos tantum, honore diei ſeptimæ, quod ex Joſepho, Philone, Tibullo, Clemente „ Alexandr., & Luciano diſcimus (nam „ de Hebræis notiſſimum eſt) ſed & apud „ Celtas, & Indos, quibus omnibus per „ hebdomades digeſta tempora, quod nos „ docent Philoſtratus, Dio Caſſius, Juſtinus Martyr, & veſtutiſſima dierum nomina; “ Clerico tamen potius aſſentimur in notis ad hunc Grotii locum ſcribenti: „ Vereor, ut hebdomades ortum a „ ſeptem Planetis potius, quam a creatione intra ſeptem dies (apud Ethnicos) „ duxerint. “ Sane, ut copioſe demonſtrat Seldenus *l. 3. de jure naturæ & gentium, Hebræorum c. 15. 16. & 17.*, quæ Ariſtobulus Judæus apud Euſebium ex Homero, Lino, Heſiodo, & Callimacho profert, unice probant, diem ſeptimam ſacram ab eis habitam non religionis cauſa, ſed numeri; Antiquis enim omnibus, qui myſticas numerorum ſignificationes conſectabantur, ſeptenarius ſacer erat. Cæterum Ethnicorum Scriptorum plures ſabbati religionem Judæorum duntaxat propriam ac peculiarem fuiſſe, declarant. Quid iis diſertius, quæ Juſtinus ex Trogo *l. 36.* habet, de Moſe inductiſque ab eo ritibus ſermonem habens? „ Moſes Damaſcena antiqua patria repetita, montem Sina occupat, quo ſeptem dierum „ iejunio per deſertum Arabiæ cum populo ſuo fatigatus quum tandem veniſſet, „ ſeptimum diem more gentis ſabbatum „ appellatum, in omne ævum iejunio ſacravit, quoniam dies illa famem illis errorem que finierat. “ Falſus eſt quidem in eo, quod de ſabbati iejunio ſcribit: at diem hunc ſolis Judæis ſacrum fuiſſe, aperte ſignificat. Ad hoc idem evincendum, Taciti *l. 5. Hiſt*, Dionis Caſſii *l. 31. hiſt.*, Ovidii *l. 1. de arte amandi*, Perſii *ſatyr.* 5., Juvenalis *ſatyr.* 14., Rutilii *l. 1. Itinerarii*, Senecæ *l. contra ſuperſtitiones* ab Auguſtino laudati *l. 6. de Civ. Dei c. 11.*, nec

Digitized by Google

nec non e noſtris Cyrilli Alexandr. *hom.* 6. *de feſtis Paſcalibus*, atque Theodoreti *in comment. in Ezech.* 20. teſtimonia profert Nat. Alexander Hiſt. Eccleſ. vet. teſt. *diſſert.* 2. *in* IV. mundi ætatem ar. 2. §. 3. *de tertio Decalogi præcepto*, quibus plane conficitur, diei Saturni, ſive ſabbati religionem Judæorum fuiſſe propriam, atque præcipuam. Nihil tamen inde de argumenti firmitate decedit, quod ad confirmandam Moſaicæ narrationis veritatem antiquiſſima hæc & conſtantiſſima apud Hebræos ſeptimæ diei religio ad commemorandum creationis beneficium inſtituta ſuppeditat. Quid enim, ſi hanc gentes aliæ non ſuſceperunt? Satis eſt, conſentire omnes, inductam illam a Moſe, ac Hebræis injectam, nec non ab his perpetuo cuſtoditam; ex quo enim hæc alienorum a Judaica religione hominum conſenſio fidem monumento huic facit, facit & rei, cujus gratia inſtitutum illud eſſe, & Moſes narrat, & univerſa Hebræorum, Chriſtianorumque gens confitetur.

EXERCITATIO X.

De anni tempeſtate, qua mundus eſt conditus: de annorum ſumma ab ejus exordio ad nos uſque evoluta: de tempore durationis ejus divinitus præfinito.

I. Quum clariſſimus ille temporum metator Petavius l. 2. Epiſt. ep. 2. ad Arnoldum Cathimum ſcripſerit doctrinam temporum non apodyxi mera, ideſt evidenti probatione, ſed majori ex parte conjectura niti, quare, qui aliter exiſtimat, non magnum flagitium fecerit, ita varias de propoſitis quæſtionibus Veterum, Recentiorumque opiniones eruditionis gratia proferemus, ut in nulla conquieſcamus, nullam præ aliis adoptemus; quis enim prudenter poſſit, rebus certo aſſentiri, quæ totæ conjectura nituntur, nec niſi conjectura, eaque non admodum gravi, penduntur? A prima vero, quæ de anni tempeſtate eſt, qua mundi hujus opificium perfectum fuit, quæſtione, initium ducentes, quum quatuor vulgo cenſeantur anni tempeſtates, ver, æſtas, autumnus, hyems, ut certum ſumimus, mundum hyberno tempore non productum; qui enim id aſſeruerit, nullus occurrit, illum vero æſtate cæpiſſe, tametſi Ægyptiorum ſententia fuerit, in quam ivit *in Methodo demonſtrationis temporum* Gerardus Mercator, opinionem hanc tamen obſoletam eſſe & antiquatam, quæ Veterum nullum ſive apud Hebræos, ſive apud Chriſtianos, ſuffragatorem habet. De vere itaque, & autumno tota inter Patres, Theologos, ac Interpretes, controverſia eſt. Verno mundi exordia conſignant Cyrillus Hieroſol. *catech.* 14., Baſilius M. *in Hexam.*, Gregorius Nazianz. *orat.* 42., Ambroſius *l.* 1. *in Hexam. c.* 4., Leo M. *ſerm.* 9. *de paſs. Domini*, Theodoretus *interrog.* 72. *in Exod.*, Damaſcænus *l.* 1. *de fide orthodoxa c.* 7., Beda *l. de rat. temp. c.* 28. aliique, quorum opinionis hoc fundamentum, credibile admodum eſſe, ea anni tempeſtate conditum mundum, qua redemptus ac reparatus, primumque Adamum eo tempore conditum, quo ſecundus Adam, Chriſtus ſcilicet, ejus crimen ſuo errore expiavit; quare, quum mundi redemptionem luna 15. menſis Niſan fuiſſe peractam, exploratiſſimum ſit, *lapſum tunc factum* eſſe, conſtituunt, ut ait Cyrillus Hieroſ., *quando facta eſt ſalus, ut in quo menſe habuit mundus exordium*, inquit Leo M., *eodem haberet chriſtiana creatura principium*. In horum Patrum ſententiam conceſſerunt Theologorum, ac Interpretum plurimi, necnon Chronologi ac Hiſtorici celebres, Spondanus, Torniellus, & Salianus. In eadem fuiſſe Scriptores Ethnicos, ex iis colligitur, quæ habet Diodor. Sic. *l.* 2. *Biblioth.*, & Cælius Rhodiginus 1. *p. variarum lectionum*. Eam quoque apud Poetas pervulgatam fuiſſe, indicant Virgilii carmina *l.* 2. *Georg.*:

„ Non alios, prima naſcentis origine
„ mundi,
„ Illuxiſſe dies, aliumque habuiſſe
„ tenorem,
„ Crediderim: ver illud erat, ver
„ magnus agebat
„ Orbis, & hybernis parcebant flati-
„ tibus Euri,
„ Quum primum lucem pecudes hau-
„ ſere, virumque
„ Ferrea progenies duris caput extu-
„ lit arvis,
„ Immiſſæque feræ ſilvis, & ſidera
„ cælo. "

Cum his faciunt & Aſtronomi, quibus opinio de mundo vere condito tantum pla-

placet, ut *arietis* propterea ſignum cæterorum caput, initiumque conſtituant, atque inde naturalis, qui & aſtronomicus dicitur, anni exordia petant. Alii quoque opinionis hujus Patroni laudari poſſunt, Gothi, Berti, aliique plures e noſtris, e Novatoribus vero Jo. Gerardus Voſſius, Jacobus Capellus, Eduardus Simſonius &c.

II. Autumno tamen mundi initia figenda eſſe, celebriorum inter Chronologos communis ferme ſententia eſt, pro qua poſt Lyranum, Toſtatum, Ariam Montanum, Jo. Picum Mirandulanum, Adrianum Junium, Joſ. Scaligerum ſtant Uſſerius, Petavius, Nat. Alexander, Vallemontius, Serry, aliique plurimi, hoc præſertim momento freti, quod apud Judæos olim ante Moſem perpetuo anni naturalis & civilis initia a Menſe Tiſri, qui Septembri & Octobri noſtro reſpondet, ducta fuerint, quo menſe in horrea meſſis triticea inferebatur, ut Exodi 34. legere eſt: *Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ, & ſolemnitatem, quando, redeunte anni tempore, cuncta conduntur*: Si ergo menſe Tiſri, quando cuncta inferuntur in horrea, novus redibat annus, concludendum, in eundem menſem anni principium incidiſſe, eo propterea menſe factum temporis mundique initium. Confirmari hoc idem poteſt iis Domini verbis Exodi 12. *Menſis iſte*, ideſt Niſan, ſeu Martius, quo paſcalis ſolemnitas ſingulis erat annis agenda, *vobis principium menſium primus erit in menſibus anni*: At ſi jam fuiſſet apud Hebræos Niſan omnium menſium & naturalis anni primus, quorſum hæc Dei juſſio, ut aliam deinceps Hebræi putandorum menſium rationem inirent, atque a Niſan anni exordium peterent? Id Joſepho rerum morumque gentis ſuæ conſultiſſimo animadverſum *l.* 1. *antiqu. c.* 4., ubi ait: „ Moſes autem a menſe Niſan, „ qui eſt Xantichus, menſem primum in „ ſuis faſtis ordinavit, quod per hunc He„ bræos ex Ægypto eduxiſſet, eundem „ etiam omnium, quæ ad rem divinam per„ tinerent, exordium fecit; alioqui quoad „ nundinationes rerum venalium, reli„ quamque diſpenſationem anni pertinet, „ nihil innovavit de priſtino ritu. “ Rata hæc adeo ſunt, ut & oppoſitæ ſententiæ Patroni concedant, Hebræos, Thalmudiſtas præſertim, & Cabaliſtas ſentire, autumno cæpiſſe mundum, annique civilis initia a Septembri ducenda, etſi a Deo Exodi 12. Niſan ſeu Martius anni ſacri primus poſtmodum conſtitutus ſit. „ Quæ„ ſitum eſt jamdudum, ait Petavius *Rat.* „ *temp. par.* 2. *l.* 2. *c.* 1., quanam anni „ tempeſtate mundus a Deo creatus ſit? „ Plerique vernum tempus præferunt: „ Nos cum aliis autumno magis arbitra„ mur, cujus conjecturæ inde argumen„ tum ducimus, quod ante Moſem caput „ anni erat in autumno. Itaque *c.* 23. „ *Exodi* Scenopegiæ feſtum indicitur *in* „ *exitum anni*, & c. 34., *in annum ver„ tentem* ſecundum hebraicam fidem, quod „ latinus *redeunte anno vertit*. Ad hoc tem„ pus autumni fuit menſe Tiſri. Quin, „ ut plerique ſentiunt, primus Moſes „ novum anni principium in *Niſan* ver„ no tempore ſtatuit, quod ex c. 12. Exo„ di colligitur; etſi dubium id aliis vi„ deatur, ut Greg. Nazian. *orat.* 42., „ ſed vulgo ſic exiſtimant, & eſt altero „ multo probabilius: Quare ante id tem„ pus aliud erat initium, quo veteres Pa„ triarchæ ſunt uſi. Igitur mundus a Deo „ conditus videtur in *libræ* cardine, anno Pe„ riodi Jul. 730., autumno illo, qui eſt ter „ milleſimus nongenteſimus octogeſimus „ quartus ante autumnum anni ab orbe con„ dito 3983., quo natus Chriſtus vulgo „ ponitur, qui eſt periodi Jul. 4713. Pri„ ma dies mundi in 26. Octobris diem in„ cidiſſet, ſi tunc in uſu forma hæc fuiſ„ ſet anni, quo die æquinoctium, ſeu „ medius in libræ cardinem ingreſſus, con„ tigit. Sed nos ab Januariis Calendis an„ norum exordia ſumemus, ac proinde „ diſſimulato, quod reliquum eſt anni Ju„ liani ad Decembris uſque finem, ab ſe„ quentibus Calendis numerabimus annos „ ab orbe condito. “

III. Quot vero inde numerandi? „ An„ norum numerus, ſcite ibidem ait idem „ Cl. Auctor, qui ad hanc ætatem ab „ orbe condito fluxerunt, nulla certa ra„ tione, ſed veriſimili tantum conjectura „ colligitur. Hinc illa in mundi annis pu„ tandis varietas Auctorum, nemo ut ſe„ re ſit, qui hoc in capite cum alterius „ opinione concordet. Hujus diverſitatis „ una hæc eſt, præcipuaque cauſa, quod „ annorum illorum calculus non aliunde, „ quam ex ſacrorum librorum hiſtoria de„ ducitur: Ea porro minus liquidam, & „ explicatam temporum ſubductionem con-

„ ti-

„ tinet. “ Quo vero probabilia, & vero proxima a commenticiis ſecernamus, illud ſumendum ut certum, quod exercit. 1. n. x. jam conſtituimus, futilia, & plane falſa eſſe, quæ de maxima mundi antiquitate Ægyptiis ac Caldæis credita olim ſunt, de quibus hæc Auguſtinus *l.* 12. *de Gen. ad lit. c.* x. habet: „ Fallunt eos „ etiam mendaciſſimæ literæ, quas per„ hibent, in hiſtoria temporum multa an„ norum millia continere, quum ex lite„ ris ſacris ab inſtitutione hominis non„ dum completa ſex annorum millia com„ putemus. “ Fac, eorum, qui tot annorum millia a mundi primordiis elapſa commenti ſunt, annos quaternis ſolum conſtitiſſe menſibus, noſtris propterea multo breviores: neque ſic tamen eos cum Græcæ hiſtoriæ fide, multo minus cum divinarum literarum auctoritate componi poſſe, demonſtrat Auguſtinus, qui iccirco concludit: „ Ideo Græcæ potius fides haben„ da eſt, quia veritatem non excedit an„ norum, qui literis noſtris, quæ vere ſa„ cræ ſunt, continentur. “ Bene habet: ſcrutari ergo volentibus annorum, qui ab orbe condito evoluti ſunt, numerum unus adeundus eſt Moſes, (quod exerc. 1. ſatis, ut puto, probatum eſt), eoque lumen præferente veritas inveſtiganda. Verum qui poſſumus tuto eam certoque attingere, quum in ejus narratione ipſa lateat craſſis circumfuſa & occultata tenebris? magnus enim ſtatim Græcorum codicum cum Latinis, Hebræiſque conflictus occurrit, quod priores mille fere ac quingentos annos ab Adamo ad Abrahami ortum amplius numerant, quam alii duo. Quorum vero certior fides? quibuſnam ſtandum? Hebræiſne ceu primigeniis, ex quibus ſunt & Græci & Latini derivati? Num Græcis, qui ſuam ex hebræo fonte verſionem, Spiritus ſancti afflatu, elaboraſſe feruntur? Card. Baronius cum in apparatu ad Annales, tum in notis ad Rom. Martyrol. multis conatur evincere, græcam Septuaginta Interpretum chronologiam hebrææ præferendam, majoribuſque conſtanter in more poſitum, annorum ab orbe condito ſummam ad Septuaginta ſenum numerandi rationem exigere, quod probare nititur Hippolyti M., Clem. Alex., Cypriani, Theophili Antioch., Julii Africani, Euſebii Cæſar., Lactantii, Philaſtrii, Hieronymi, Auguſtini, Oroſii, Anaſtaſii Sinaitæ & Nicæni, Juliani Toletani teſtimoniis, quin & Romanæ Eccleſiæ auctoritate, quæ in Martyrologio ad viceſimam quintam Decembris diem Chriſti Domini nativitatem ſecundum carnem anno conſignat *quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono a creatione mundi* juxta Septuaginta Interpretum chronotaxim. Verum quid inde? „ Etſi Eccleſia, pruden„ ter ait Malvenda *l.* 1. *de Antichriſto* „ *c.* 16., in ſuo Martyrologio juxta Se„ ptuaginta Interpretes potius, quam ſe„ cundum hebraicos fontes annorum a „ mundi exordio calculos ineat, quod id „ noluerit immutare, quod a pleriſque „ Veterum, ſive Latinorum, ſive Græco„ rum ob translationis Septuaginta Inter„ pretum venerationem per multa ſæcula „ uſurpatum invenerat, id tamen non fa„ cit, quod veram & incorruptam ean„ dem ſupputationem atque verſionem „ exiſtimet, quum huic ex diametro ad„ verſantem, ut veram & genuinam eam „ annorum ſummam, quæ in editione „ vulgata conſignata eſt, omnibus reci„ piendam proponat, ſed id tantum ſalu„ bri temperamento cavit, ut vetus ali„ quod venerandæ vetuſtatis monumen„ tum, tametſi lacerum & deforme, & „ pannis, anniſque obſitum exhiberet. “ Hinc qui Chronologiæ peritiſſimi feruntur, Joſephus Scaliger, Sethus Calviſius, Petavius, Uſſerius, Nat. Alexander, Card. Noriſius, aliique pro Hebræorum codicum chronologia pugnant, ſuoſque ad eam calculos dirigentes, annos numerant ab orbe condito ad Dionyſianum Chriſti natale circiter quatuor mille, & quatuor. Harum vero ſententiarum quæ magis ad veritatem accedit? Etſi Recentiorum plerique in Græcorum codicum calculo repudiando conveniant, in figenda tamen annorum a mundi origine ad nos uſque præteritorum ſumma tantum inter ſe diſcrepant, ut Jo. Albertus Fabricius in Biblioth. antiqu. c. 7., & Ricciolus l. 7. *Chronologiæ reformatæ* prolixum exhibeant indicem opinionum de mundi anno, quo natus eſt Chriſtus, in quas diſtracti ſunt, ſive qui Græcorum, ſive qui Hebræorum codicum calculos ſectantur, quarum ne duas quidem habeas inter ſe conſentientes: hanc autem opinionum varietatem ac colliſionem Sulpicius Severus prudentiſſime repetit, vel a Dei nutu atque conſilio, quo hominum ingeniis, ut ut in his torqueantur, ſtatuit, tempora hæc eſſe

eſſe incomperta, vel a vitio nimiæ vetuſtatis.

IV. Ut vero intoleranda præſidentia eſſet, qui annorum hactenus a mundi exordio evolutorum ſummam perceptam ſe habere, jactaret, & comprehenſam, ita mentis inops ſit, oportet, qui de annis ad ejuſdem mundi exitum certo fluxuris pronunciare velit. Unum id certum eſt, atque ratum, mundum hunc non fore perpetuum, ſed præfinito a Deo tempore conflagraturum, finemque habiturum; clariora enim ſunt divini eloquii, quæ veritatem hanc tradunt, teſtimonia, quam ut dubitare de hac quiſpiam poſſit, illud præſertim 2. Petri c. 3. *Adveniet dies Domini, in quo cæli magno impetu tranſient, elementa calore ſolventur, terra autem, & , quæ in ipſa ſunt, opera exurentur*. Veritatis hujus cognitionem aliquam & ad Ethnicos permanaſſe, *l.* 1. *de verit. Relig. Chriſti* §. 22. probat Grotius, quod hujus de mundo conflagraturo traditionis veſtigia extent apud Hyſtaſpen & Sybillas, teſteſque appellat Juſtinum Apologetico altero, & Clementem Stromateon 6., unde & illud ſumptum, quod ex tragædia recitatur: „

„ Nam veniet ille, veniet haud dubie dies,
„ Laxabit ignis quum redundantes opes
„ Auratus æther : lege tum ſpreta furens
„ Terras, & illis quidquid eſt ſublimius,
„ Depaſcet ardor ; inde quum defecerit
„ Hoc omne, nullas jam ferent undas vada,
„ Neque ulla ramos eriget tellus, neque
„ Exuſtus aer paſcet aligerum genus.

Ad hæc Grotii notam iſtam opponit Clericus: „ Mallem hæc omiſſa, quum nemini non ſuſpecta ſint Hyſtaſpis & Sybillarum ſcripta, “ quibus ſignificat, in ea ſe perſuaſione eſſe, in qua & Huetius in demonſtrat. Evang. *propoſit. 9. c.* 171., harum nempe ſcriptionum futilitatem tam ſolide & luculenter a Blondello l. 1. de Sybillis *c.* 8. 9. 10. demonſtratam, ut jam in longiori argumenti hujus tractatione labor poneretur inutilis. Quamquam de argumento hoc alibi copioſe diſputaverimus, nec confectam a Blondello rem, evincere, ſorte non infeliciter, niſi fuerimus, abſtinemus nunc tamen, quod ſit hæc tractatio a propoſito noſtro prorſus aliena. Miſſis itaque Sybillarum carminibus, extra controverſiam eſt, eandem hanc veritatem Ovidii, & Lucani carminibus celebratam, prioris quidem *l.* 1. *Metamorphoſeon*:

„ Eſſe quoque in fatis, reminiſcitur, „ affore tempus,
„ Quo mare, quo tellus, correptaque „ regia cæli
„ Ardeat, & mundi moles operoſa „ laboret.

poſterioris vero l. 1.

„ ——— Sic quum compage ſoluta
„ Sæcula tot mundi ſuprema coegerit „ hora,
„ Antiquum repetent iterum chaos omnia : mixtis
„ Sidera ſideribus concurrent : ignea „ pontum
„ Aſtra petent : tellus extendere littora nolet,
„ Excutietque fretum : fratri contraria Phæbe
„ Ibit, & obliquum bigas agitare per „ orbem
„ Indignata, diem poſcet ſibi, totaque diſcors
„ Machina divulſi turbabit fœdera „ mundi.

Præiviſſe Lucano patruum Senecam, fine *ad Marciam*, ubi ait „ Sidera ſideribus incurrent, & omni flagrante „ materia, uno igne, quidquid nunc ex „ diſpoſitio lucet, ardebit, “ hancque & Stoicorum fuiſſe ſententiam, ut eſt apud Clem. Alex. *l.* 5. *ſtrom.*, quin & apud Indos Siamenſes traditionem hanc conſervatam, quemadmodum refert Ferdinandus Mendeſius, notat ibidem Grotius.

V. Quando autem ſæculi finis & mundi conſumatio futura ſit, ut importune & perperam quæritur, ita nonniſi temere & inſolenter a quopiam definiretur, quum Chriſtus Matth. 24. dixerit : *De die illa & hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, ſed ſolus Pater*, & Act. 1. Diſcipulis de tempore reſtituendi regni Iſrael interrogantibus reſponderit : *Non eſt veſtrum,*

noſſe

noſſe tempora vel momenta , quæ Pater poſuit in ſua poteſtate , in quæ verba præclare Auguſtinus l. 18. de Civ. Dei c. 53. „ Hic quæri ſolet , quando illud erit ? „ Importune omnino ; ſi enim hoc nobis „ noſſe prodeſſet , a quo melius , quam „ ab ipſo Magiſtro interrogantibus Diſci„ pulis diceretur ? Nam enim ſiluerunt „ apud eum, ſed a præſente quæſierunt, „ dicentes : *Domine , ſi in hoc tempore re„ præſentabis regnum Iſrael?* Et ille , *non „ eſt* , inquit , *veſtrum* , *noſſe tempora* , *vel „ momenta* , *quæ Pater poſuit in ſua pote„ ſtate* . Non utique illi de die, vel hora, „ vel anno , ſed de tempore interrogave„ rant, quando illud accepere reſponſum. „ Fruſtra igitur annos , qui huic ſæculo „ remanent , computare , ac definire co„ namur, quum hoc ſcire , noſtrum non „ eſſe , ex ipſo veritatis ore audiamus . “ Hæc Auguſtinus , cui Theologi quique ſubſcribunt . Nonne ergo riſu digna Aſtrologorum quorumdam vanitas, qui mundi finem *anno magno* futurum eſſe , decernunt , quo nimirum ſol , luna , reliquaque aſtra ad idem cæli ſignum redierint, in quo condita primum fuerunt ; annum enim hunc maximum commenticium eſſe , Aſtronomi peritiſſimi jam demonſtrarunt ? Quid , ſi illum dederimus ? Quidpiamne inde ad mundi hujus durationem definiendam ? Nihil plane , quum breviorem alii, alii longiorem anno huic periodum aſſignent , alii demum eum infinitum , nec unquam in ſe reverſurum , exiſtiment .

VI. Ii ne vero minus inepti , qui mundi ætatem octo annorum millibus circumſcribunt , quod Meſſias natus eſſe putetur anno mundi quater milleſimo , ſint propterea ab ejus ortu ad mundi exitum anni quater mille volvendi , quum Chriſti ortus in medium annorum inciderit , juxta illud Habacuc 3. *Domine opus tuum : in medio annorum vivifica illud* ? Id ne autem ſibi Propheta voluit , quod voluiſſe illum Cornelius a Lapide, aliique , decernunt , ut ſit inde temporis ad mundi exitum fluxum ſumma determinanda ? Præterquam , quod laudata Prophetæ verba Septuaginta Interpretes reddiderunt : *In medio duorum animalium cognoſceris* , quæ nonnulli ad Chriſtum recens natum , ac duo inter teſtamenta , duoſque inter populos , Ethnicum & Judæum ſeſe manifeſtantem , aut ad eundem gloriæ corporis ſuæ ſpeciem Diſcipulis Moſen inter , & Eliam in monte præbentem , alii ad eundem cruci duos inter latrones ſuffixum accommodant : quid ſi in vulgatæ Auctoris lectione hæreamus ? Sermonem Prophetæ eſſe de Babylonica captivitate , qua nondum exacta cæptura erat Dei in Chaldæos , a quibus ii ſubacti fuerant , & in ſervitutem abſtracti , animadverſio , ut populum ſuum in ſpem erigat futuræ liberationis , quam hoſtium ſuorum ſupplicium confirmabat , non autem de mundi fine , Interpretum plurium ſententia eſt . Qui etiam ad ſex annorum millia mundi ætatem contrahunt , num melioris ſucci quidpiam afferunt ? Eſt quidem opinio hæc ex Eliæ, non Prophetæ Thesbitis , cujus eſt in ſacris literis mentio multa , ſed recentioris eo Hebræorum Doctoris , ut Genebrardo , & Jo. Gerardo Voſſio animadverſum , traditione derivata , & in Thalmudicum librum *Sanhedrin c. Helac* inſerta : „ Sex millia annorum mundus , ita „ ibi , ac poſtea interitus : duo millia „ inanitatis , ideſt abſque lege , duo millia „ legis , duo millia annorum Meſſiæ . “ Ut Hebræi , quos Cabbaliſtas dicunt , apud quos eſt hæc opinio communis , probabilitatem ei concilient , mille annos Deo in ſacris literis eſſe diei unius inſtar , adnotant , propterea ſicuti diebus ſex totius mundi opificium perfectum eſt , ſeptima autem die ſuis Deus ab operibus requievit , ſuumque vacare populum juſſit , ita ſexies mille annos duraturum mundum , ſeptimum vero millenarium ad futuri ſæculi ſtatum pertinere . Arriſiſſe hæc opinio fertur veterum Patrum nonnullis , Juſtino , Irenæo , Lactantio , Hieronymo : arridet & Theologis bene multis : infirmiſſimo illa tamen nititur fundamento ; mille enim annorum nomine , qui *ante oculos Domini* dicuntur eſſe *tanquam dies heſterna* , *quæ præteriit* , non certum annorum , ſed maximam ac indefinitam eorumdem multitudinem , imo , totam , quantacumque demum illa futura ſit , mundi ætatem venire , Auguſtino *l. 20. de Civ. Dei c. 7.* ſapienter animadverſum eſt . Quid ergo ? Concludendum , ſoli Deo mundi hujus Auctori compertum eſſe ejuſdem exitum ; ut enim ſolus eum condidit , quando voluit , ita ſolus eidem finem imponet , quum ſibi libuerit : divinæ autem voluntatis ſuæ arcanum nemini haſtenus manifeſtavit . Qui etiam ſuo nomine digni ſunt , Theologi contentur , etſi pro-

babilia ſint, quæ de ânni tempeſtate, qua mundus cæpit, & devoluta inde ad hanc diem ejus ætate inter Patres ac Interpretes ferri, notavimus, nihil tamen certi haberi poſſe, & explorati; quare haud ita pridem nemo ſapiens non vehementer miratus eſt eximiam cujuſdam, cujus nomini parcimus, confidentiam, qui a Geometria quidem, quam publice in Academia tradiderat, & ab utriuſque Juris ſcientia ſatis, ut puto, paratus, ab Hiſtoria tamen & Chronologia minus, quam pareat, inſtructus, tam firmiter perſuaſum habebat, ſe ope calculi, quem *decimalem* dicebat, rem tot ſummis atque eruditiſſimis Viris incompertam hactenus, & prorſus ignotam denotatam habere & comprehenſam, ut ſummis etiam Principibus perſuadere voluerit, cornicum ſe demum, ut ajunt, oculos confixiſſe, certo ſcilicet deprehendiſſe, quo mundi anno reipſa natus eſt Chriſtus, quo etiam in crucem lactus, quot iccirco a mundi primordiis ad nos uſque anni vere fluxerunt. Qui liberioris judicii, & linguæ erant, temeritatem, modeſtiores tamen, & qui hominis indolem perſpectam habebant, ſimplicitatem dixerunt; ſed de opere ſex dierum jam ſatis.

DE OPERE SEX DIERUM

FINIS.

EXER-

EXERCITATIONUM DE PRIMO HOMINE PARS PRIMA.

ABſoluto brevi in ſex dierum opera commentariolo, calamum admovemus ad præcipuum Dei opus, hominem videlicet, quem Dominus *conſtituit ſuper opera manuum ſuarum*, cujus etiam *ſub pedibus ſubiecit omnia, oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cæli & piſces maris &c.* Quoniam vero ad faciliorem rerum intellectum, Sapientum omnium conſenſu, multum momenti habet rectus doctrinæ ordo, & apta ſubiectæ materiei diſtributio, noſtras ad argumentum hoc exercitationes duas in partes tribuemus, in quarum prima omnia perſequemur, quæ de primi Hominis creatione, & creationis adjunctis Moſes narrat, atque Eccleſia tradit, in altera de ejuſdem noxa, quæ ad poſteros ejus traducta eſt, diſſeremus, ſtrictim complexuri, quidquid de his capitibus ſacræ literæ, Eccleſia, Patres, Interpretes, ac Theologi, D. Thomas in primis, docent.

EXERCITATIO I.

Adam omnium omnino hominum primus eſt, nec fingi ante eum alii poſſunt, niſi ſtultiſſime.

I. QUum lippis & tonſoribus notum ſit, Præadamitas, ſeu homines Adamo priores, Iſaaci Peirerii fœtum eſſe, qui eos ſæculo proxime elapſo in lucem edidit, non eſt, cur in vaniſſimo hoc ejus commento, quo nihil prope eſt magis decantatum, deſcribendo verba ponamus; neque etiam in eo refellendo, ut Theologorum plerique ſolent, multi erimus; ipſi enim nobis ſatis jam illud obtriviſſe videmur tota exercitatione prima *de opere ſex dierum*, in qua, niſi noſter nos fallit animus, plane confecimus, ex uno Moſe, quippe qui Scriptorum omnium antiquiſſimus eſt, idemque veraciſſimus, mundi a Deo conditi hiſtoriam petendam eſſe, & aliam quamcunque, ſi de ejuſdem mundi ortu vera tradit, e Moſe, qui omnium primus ſcripſit, derivatam, ſi autem ab eo diſſentit, falſam habendam & nullius auctoritatis. Quid vero Moſes de Adamo? Ita eum omnium omnino hominum primum deſcribit, ut *ſtultorum* inſtar *oculos in calcaneo habeat*, neceſſe ſit, qui veritatem hanc apertiſſimam in ſimplici ejus narratione non perſpicit, aliosque Adamo priores homines comminiſcitur. At reponit vir acutiſſimus, eum, cujus capite primo meminit Moſes, hominem alium longe ab eo eſſe, cujus fuſiorem habet capite ſecundo mentionem. Itane vero? Num alio, quam oculis opus eſt, ut delirare Peirerium, deprehendamus? Plura mittimus, quæ velut ante oculos ſtatuunt, continentem omnino eſſe cum capite primo, tum ſecundo Moſis narrationem, deque eodem homine illi utrobique ſermonem eſſe, preſſiorem in primo, paulo copioſiorem in altero, quod prioris anacephaleoſis eſt, dictorumque repetitio: unum vel alterum tantum urgebimus, quo plane efficitur, quod volumus. Primo, ſi homo in ſecundo capite memoratus alter ab eo eſt, qui in primo, quidni & herbas & plantas, & animantia, & volatilia *cæli, & beſtias terræ*, quorum in ſecundo cap. Moſes mentionem facit v. 4. & 5. *Iſtæ ſunt generationes cæli & terræ quando creatæ ſunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, . . . & omnem herbam regionis, &* v. 19. *formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus, & univerſis volatilibus cæli &c.*, ab iis differre, dixerimus, quorum originem capite primo deſcripſit? Cui autem ſobrio quidpiam ejuſmodi in mentem veniat? Ut ergo una ca-

eademque eſt in utroque capite totius mundi a Deo conditi, partiumque ejus primo productarum deſcriptio, omneſque plantæ, cunctaque animalia ex prioribus iis capite primo deſcriptis exorta ſunt, ita & omnium omnino hominum ab uno illo, de quo eſt in primo capite contractior, in ſecundo paulo prolixior ſermo, una origo. Rurſum, ſi jam plures ante Adamum homines erant, quorſum Deus illum creaſſet? Quum Philoſophorum commune effatum ſit, a Deo & a natura nihil fruſtra effici, quid novo homine opus erat, ſi tot jam alii fuiſſent, ex quibus Deus eligeret, quem ſpeciatim ornaret, gentiſque ab ſe electæ caput inſtitueret? Illud denique eſt decretorium, nec ulla tergiverſatione eludi poteſt, quod c. 2. v. 5. legitur: *non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram*. Hoc ne verum, ſi jam dudum ante Adamum alii erant homines? Nonne a Præadamitis illis coli pridem terra potuit, imo debuit, ut inde ſibi ad victum neceſſaria pararent?

II. Ad confirmandam Moſaicæ narrationis veritatem, quam, ſepoſita divina auctoritate, adverſus Incredulos, qui & hoc Peirerii commentum adoptant, quo Moſi fidem detrahant, tueri volumus, mirifice facit ſapientiſſima Auguſtini animadverſio l. 18. *de Civ. Dei c.* 40. „ Quum „ ab ipſo primo homine, ait, qui appellatus eſt Adam, nondum ſex annorum „ millia compleantur, quomodo non illi „ ridendi potius, quam refellendi ſunt, „ qui de ſpatio temporum tam diverſa, „ & huic exploratæ veritati tam contra„ria perſuadere conantur? Cui enim me„lius narranti præterita credimus, quam, „ qui etiam futura prædixit, quæ præſen„tia jam videmus &c.? “ Veraciſſimus itaque Moſes Hiſtoricus, quia & Propheta, cujus prædictis eventum plane reſpondit. Num poſterius hoc negabunt Increduli? Quum Moſen libri qui *Deuteronomium* dicitur, Auctorem eſſe, peræque ſaltem certum, exploratumque ſit, ac Ciceronem, Virgilium, Ovidium &c. eorum, qui ab iiſdem editi perhibentur, ejus certiſſime ſunt tot illa prædicta, quę capitibus 28., 29., 30., & 33. leguntur. Ea ne vero, quæ potuerint, ſola humanæ mentis acie pervideri? Omnia contra, quorum nulla erat cum natura, aut arte connexio: nullo igitur ingenio, nulla poterant ſagacitate prænoſci. Præcognita ſunt autem a Moſe, & prædicta conſtanter: prætulit ergo ei lumen Deus, qui ſumma eſt rerum omnium cauſa. Prædictorum autem Moſis aliquod num fefellit eventus? Univerſa Hebræorum gens teſtimonio experimentoque ſuo confirmat, impleta omnia perfectiſſime, nihilque eſt in eorum hiſtoria teſtatum magis, & apud alienigenas etiam pervulgatum. Eximius itaque fuit Moſes veri nominis Propheta, iſque ſemper habitus ab Hebræis. Cui ergo *melius præterita narranti credendum, quam, qui etiam futura prædixit, quæ præſentia jam videmus?* Si ergo Moſes primam rerum omnium originem tradens, Adamum omnium omnino hominum primum parentem ſtatuit, nonne *ridendus potius, quam refellendus* Peirerius, *qui tam diverſa, & huic exploratæ veritati tam contraria perſuadere conatur?*

III. Viſus eſt ſibi ille tamen, in ipſa Moſis narratione nonnulla deprehendiſſe, quibus errorem ſuum ſuſtentaret, efficeretque, alios multos ante Adamum fuiſſe homines, quos Moſes certo conſilio prætermiſerit, ut ſolius Adæ, & propagatæ ab eo gentis hiſtoriam perſequeretur. Primo, quum Gen. 4. idem ſcribat, Cain agricolam, Abelem vero ovium fuiſſe paſtorem, ſint autem agriculturæ exercendæ inſtrumenta multa, quæ nonniſi variis artibus confici pararique poſſunt, jam tum ergo artes illæ adinventæ, exercitæque: a quibus vero, niſi a Præadamitis? Neque enim alios ab Adamo tum genitos legimus præter Cain & Abel. Rurſum, ſi Abel ovium paſtor gregis cuſtos erat, latrones ergo tum fuerint, oportet, a quorum rapinis gregem tutaretur: a quorum vero niſi a Præadamitarum? Quum ſoli tunc Adamo geniti legantur Cain & Abel, quis credat, hunc debuiſſe gregem a fratris inſidiis cuſtodire? 2. ejuſdem c. 4. v. 6. & 7. Deus Cain in fratrem invidia ſtimulatum corripiens, inquit: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne, ſi bene egeris, recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Quid eſt, *peccatum in foribus adeſſe*, niſi peccati reum ad civitatis portas trahi, a Judicibus ibidem, pervetuſto Orientalium more, jus dicentibus merita pœna plectendum? Qui vero Judices, a quibus tum damnari potuiſſet Cain præter Præadamitas? 3. ejuſd. c. v. 14. Cain ob interem-

ptum

Digitized by Google

ptum fratrem a Deo objurgatus repoſuit: *Ecce ejicis me hodie . . . Omnis, qui invenerit me, occidet me?* A quibus autem metuere ſibi ille poterat, ſi interfecto Abele ſoli reliqui erant parentes ejus Adam & Eva? 4. ex verſ. 17. *cognovit autem Cain uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch, & ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui Henoch,* hæc in erroris ſui præſidium contorquet: Quæ hæc Cain uxor, ex qua filium ſuſtulit, quum nullas Adamum ante Cain filias genuiſſe legamus? Eſto, fuerint jam tum fœminæ ab Adamo genitæ, quas Scriptura non memorat: ſorori ergo ſuæ nupſerit Cain, oportet. Quis vero abſurdum velit tam immane concoquere? Rectius ergo dicimus, illum uxorem ex Præadamitarum gente duxiſſe. Rurſus: ſi civitatem condidit, quibus architectis, & operariis ad ejus extructionem uſus eſt, quum ſolus ipſe tunc eſſet, a Parentibus ſuis extorris? Denique, quum Joſephus *l.* 1. *Ant. c.* 3. ſcribat, Cain, Abele ſublato, accitis undique latrociniorum & nequitiæ ſociis, magiſtrum illis ad facinoroſam vitam effectum eſſe, tametſi hos latrociniorum & nequitiæ Cain ſocios Filios Nepoteſque ejus fuiſſe dederimus, intelligi profecto nequit, in quos exercere cædes & latrocinia ab eo edocti fuerint, niſi alios ponamus homines, qui aliunde quam ex Adæ familia genus ducerent; a ratione enim abhorret, ſuſpicari, eos ſibi mutuis fuiſſe latrociniis infeſtos.

IV. Futilia tamen hæc ſunt, & prorſus inepta ad permovendum ſanæ mentis hominem, eumque a Moſaicæ narrationis veritate ad confictam a Peirerio fabulam traducendum, quod, ut exploratum ſit, prænotandum cum Auguſtino *l.* 15. *de Civ. Dei c.* 8., non omnes Adæ liberos fuiſſe a Moſe ſingulatim expreſſos, ſed eos tantum, qui ad eum, quem ſibi ille propoſuerat, ſcopum pertinebant, quorum videlicet genealogia ad Abrahæ & populi Dei initia recta generationum ſerie ducenda erat, reliquos vero prætermiſſos, nec appellatos ex nomine, ſed generatim verbis his indicatos: *Et facti ſunt dies Adæ, poſtquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios & filias*. Qui ergo putant, tres duntaxat fuiſſe Adæ filios, Abel, Cain, & Seth, quod hi tres ſolum memorentur a Moſe, „ parum conſiderant, ait „ Auguſtinus, non omnes homines, qui „ tunc eſſe potuerunt, Scriptorem ſacræ „ hujus hiſtoriæ neceſſe habuiſſe, nomi„ nare, ſed eos ſolos, quos operis ſuſce„ pti ratio poſtulabat; propoſitum quippe „ illius fuit, per ſucceſſiones certarum ge„ nerationum ex uno homine propagata„ rum pervenire ad Abraham, ac deinde „ ex ejus ſemine ad populum Dei ita, „ ut nec de altera hominum ſocietate ta„ ceretur, quam terrenam dicimus civita„ tem, quantum ei commemorandæ ſatis „ eſſet, ut civitas Dei ſuæ etiam adver„ ſatiæ comparatione clareſceret. “ Quibus poſtremis verbis indicat Auguſtinus, ita Moſen populi Dei per Seth ab Adamo propagari hiſtoriam copioſe perſecutum eſſe, ut tamen omnino non prætererit, ſed perfunctorie digeſſerit filiorum hominum, ſive malorum ab Adamo ipſo per Cain originem ducentium ſeriem. Hoc prænotato, quum Adami vitam ad nongentos triginta annos productam Moſes ſcribat, quot filios & filias tanto vitæ tempore ex conjuge ſuſcepiſſe credendus eſt? quantum etiam ab ejus Filiis, Nepotibus, Pronepotibus, Abnepotibus &c. humanum genus propagatum fuiſſe, dicendum? Præſertim quum in iis maxime mundi primordiis divinum illud præceptum urgeret: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram &c.* denique providentia ad hanc humani generis procreationem ſpeciatim præſto eſſet; quare veriſimillime Interpretum plerique cenſent, Deum, ut diuturnam adeo vitam Patriarchis diluvio prioribus, ita & ſingularem eis fœcunditatem tribuiſſe, quo facilius & citius terra habitatoribus vacua repleretur.

V. Facile jam eſt, ſingula Peirerii commenta refellere, ac primum quidem; nam quo tempore Cain colendis agris vacabat, alii plures jam nati fuerant Adæ filii, quorum opera ad excolendam terram uti poterat Cain, neque enim in iis mundi initiis eo inſtrumentorum apparatu, qui poſtmodum adinventus eſt, exercita fuiſſe agrorum cultura credenda eſt, ſed ſimplici illo, faciliorique modo, quem Adam duro illi moleſtoque operi divina animadverſione addictus, *ut in ſudore vultus veſceretur pane*, filios verbis exemploque edocuerat. Sane, quum præcipuam, & ad conficienda, quibus terra ſubigitur, inſtrumenta maxime neceſſariam artem, ferrariam videlicet, a Tubalcain abnepore Cain primum inventam, Moſes *c.* 4. ſcribat,

illum

illum nempe *malleatorem* fuiſſe *& fabrum in cuncta opera æris*, *& ferri*, falſi Moſen impie & procaciſſime poſtulat, quiſquis ante Adam artes & artifices fingit, quarum primos inventores a ſolis poſteris Cain ille repetit, & nomine unumquemque ſuo compellat. Quid etiam Peirerio in mentem venit, fures prædoneſque gregibus ovium infeſtos tum comminiſci, quia Abel ovium paſtor fuiſſe legitur, quaſi vero, niſi latrones fuerint, qui arceantur a grege, paſtor quiſpiam eſſe, vereque dici non poſſit? Quiſquis mente viget, nonne Abelem paſtorem ovium fuiſſe, vereque dictum intelligit, quod educendis ad paſcua, & reducendis ad caulas, tondendis, curandis, mulgendis ovibus, prohibendiſque lupis vacaret, tametſi non eſſet, cur de furum, qui nulli tunc erant, nec eſſe poterant, vi aut inſidiis laboraret?

VI. Quam ſtulte etiam ex iis Dei verbis, *ſtatim in foribus peccatum aderit*, tribunalia Peirerius extruit, Judiceſque ſcelerum vindices in civitatum foribus jam tum ſedentes confingit? Fuerit hæc poſt plura ab orbe condito ſæcula apud Orientales invecta conſuetudo, judicia in portis urbium exercendi: quid tum inde? Ergo ne ad morem hunc ea Domini ad Cain verba alludunt? An homines jam tum fingendi, qui jus in portis dicerent civitatum? Quæ itaque horum Dei verborum germana ſententia? Patres ac Bibliorum Interpretes non appellabimus, quod eorum auctoritatem flocci pendat Peirerius: homini ſcriptum ſaltem Dei verbum reverenti literas ſacras opponimus, quibus melior nullus horum Dei verborum interpres, in quibus, quum illud in *foribus* eſſe dicatur, quod e veſtigio conſequitur, & prope eſt, rectiſſime certoque percipimus, eorum Dei verborum legitimum hunc ſenſum eſſe, ut benefactis mercedem ſuam, ita & ſceleribus pœnam præſto futuram. Sic Chriſtus Marci 13. de extrema mundi die, & horrificis, quæ illi præibunt, ſignis ad Diſcipulos verba habens, quo eos certiores faceret, ſigna illa proximi, jamque inſtantis judicii argumenta futura, ait: *Quum videritis hæc fieri*, *ſcitote*, *quod in proximo ſit in oſtiis*. Jacobus item Apoſt. in ſua catholica c. 5. de ſeveriſſimo, quod iis, qui fratrem opprimunt inopemque divexant, impendet, judicio loquens ait: *Ecce Judex ante januam aſſiſtit*. Monere itaque Deus iis verbis voluit Cain, ut a peccato caveret, ſtatim alioqui puniendus a ſummo Judice, qui in hominem admiſſi ſceleris reum æterni interitus illico ſententiam fert, eumque diris conſcientiæ angoribus vexat, quod Cain ipſe experimento ſuo didicit; Statim enim a perempto fratre Deus ei maledixit, eumque damnavit, ut *vagus & profugus ſuper terram* ſceleris ſui ſupplicium circumferret.

VII. Ejuſdem eſt furfuris, quod tertio loco Peirerius opponit, cujus ut futilitas deprehendatur, ſatis eſt, obſervare Abelem a fratre neci datum anno mundi centeſimo circiter & trigeſimo, quod ex iis, quæ Gen. 5. leguntur, haud obſcure colligitur: *Vixit autem Adam centum triginta annis*, *& genuit filium*, *vocavitque nomen ejus Seth*, quem c. 4. Moſes ſcripſerat, poſitum fuiſſe pro Abel, ſeu Adæ & Evæ a Deo datum in mæroris, quem ex Abelis cæde conceperant, ſolatium, ut ex iis patet: *Vocavit nomen ejus Seth dicens: poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel*, *quem occidit Cain*; unde Chronologi ac Interpretes inferunt, ortum Seth proxime conſecutum cædem Abelis, ad cujus dolorem leniendum natus parentibus dicitur, ideoque Abelem a fratre occiſum anno mundi centeſimo circiter & trigeſimo. Toto autem hoc tempore hominum genus quantum propagatum eſſet, ex dictis patet, patebitque amplius ex iis, quæ ſumus iterum ex Auguſtino recitaturi. Mirum ne ergo, Cain admiſſi ſceleris horrore perculſum capiti ſuo timuiſſe ab hominibus ex Adæ Patris ſui genere procreatis, ita ut poſuerit Deus in eo ſignum, ne impune occideretur? Cæterum, etſi nulli tunc fuiſſent homines præter Adamum, & Evam, „ potuit quidem, præ„ clare ait Ambroſius *l. 2. de Cain & Abel* „ *c. 9.*, & beſtiarum incurſus timere, qui „ legis divinæ jura violaverat, nec præ„ ſumere de ſubjectis animalibus cæteris, „ qui hominem occidi, docuerat. Potuit „ & parentes parricidas timere, qui do„ cuerat, parricidium poſſe committi; po„ tuerunt enim & parentes de filio di„ ſcere, quod didicerunt poſteri de pa„ rente. “

VIII. Nec mirum etiam, ſorori ſuæ nupſiſſe Cainum; quid enim ſi nullas jam tum genuiſſe Adamum filias legimus? Nullas ne ergo vere genuerat, ideo-

ideoque fingendi Præadamitæ, ex quibus fæminam aliquam ſibi conjugem Cain eligeret? Quaſi vero multa Scriptura non ſileat, quæ tamen neque negantur, nec vero negari poſſunt. Plures Adamum ſuſcepiſſe *filios* & *filias* Moſes tradit, nec tamen tempus conſignavit nativitatis eorum, neque fæminarum genealogias accurate digeſſit, quia propoſitum habebat, ab Adamo ad Abrahamum, electumque Dei populum hiſtoriam ſuam continenti generationum ſerie deducere, ad quam profecto non attinebat fæminarum genealogia; nam ab Hebræorum more alienum eſt, fæminarum genealogias perſequi. Unam itaque ex filiabus Adæ, ſororem iccirco ſuam, Cain uxorem habuit, quod id humani generis propagandi neceſſitas poſtularet, permitteretque Deus naturæ auctor & inſtitutor, quod profecto, ait Auguſtinus *l.* 15. de Civ. Dei c. 16., *quanto eſt antiquius compellente neceſſitate, tanto poſtea factum eſt deteſtabilius & damnabilius religione prohibente*.

IX. „ Quomodo Cain potuit condere „ civitatem, quum civitas alicui utique „ conſtituatur multitudini, illi autem duo „ parentes Adam & Eva, & duo filii „ fuiſſe referantur, quorum filiorum alter „ ab altero occiſus eſt, in cujus occiſi „ locum alius natus eſſe narratur? “ Hæc Auguſtinus *l.* 1. *quæſt. in Gen. qu.* 1.: Nonne hæc eadem Peirerius? Quid vero Auguſtinus? Num, quod nugaciſſimus iſte commentus eſt, alios ſcilicet multos jam tum fuiſſe ante Adamum homines a Moſe præteritos, qui Cain ad novam ædificandam urbem ſeſe præbuerint adjutores? „ An ideo quæſtio eſt, „ qui legunt, putant, ſolos tunc fuiſſe „ homines, quos divina Scriptura com„ memorat, nec advertunt, eos, qui „ prius ſunt conditi, duos, vel eos et„ iam, quos genuerunt, tamdiu vixiſſe, „ ut multos gignerent? Non enim & „ Adam eos ipſos ſolos genuit, quorum „ nomina leguntur, quum de eo Scriptu„ ra concludat, quod *genuerit filios* & „ *filias*; proinde quum multo plures illi „ annos vixerint, quam Iſraelitæ in Ægy„ pto fuerunt, quis non videat, quam „ multi homines naſci potuerunt, unde „ illa civitas impleretur, ſi Hebræi mul„ to minori tempore ita multiplicari po„ tuerunt? “ In quam ingentem vero hominum multitudinem quadringentorum & triginta circiter annorum ſpatio excreverit ſola Hebræa gens ab Abrahamo ſata, Moſes idem Exod. 12. tradit, in exitu ſcilicet filiorum Iſrael de Ægypto ſexcenta & amplius pugnatorum millia fuiſſe, præter fæminas, parvulos atque ſenes, quibus per ætatem arma tractare non licebat, præter Levitas quoque divinitus in tabernaculi miniſterium ſegregatos: Ad hos ſi adjeceris poſteros Iſmaelis, quem ex Agar ancilla, aliorum quoque filiorum, quos ex concubinis, ideſt ſecundi ordinis conjugibus idem Abraham ſuſtuliſſe narratur, totam quoque Idumæorum gentem ex Eſau Abrahæ nepote genus ducentem, quot habebis decies millies centena millia ab uno Abraham quatuor ſæculorum intervallo progenita? Huic itaque hominum multitudini ex Adamo, ejuſque filiis profeminatæ Cain civitatem Enoch filii ſui nomine appellatam extruxit.

X. Num vero contendet Peirerius, non ædificatam a Cain civitatem aliis hominibus ex Adamo procreatis, ſed uni familiæ ſuæ? Neque hoc ab humana fide alienum eſſe, demonſtrat Auguſtinus ipſe *l.* 15. *de Civ. Dei c.* 8., tantam ſcilicet jam tum fuiſſe ſolius familiæ Cain multitudinem, ut ejus gratia potuerit civitas ædificari. Quid enim, ſi *vocavit nomen ejus ex nomine filii ſui Henoch?* Num propterea Enoch primogenitus Cain dicendus? Non abs re eſt, quemadmodum ſcite ait Auguſtinus, „ ut propter „ aliquam cauſam, quum & alios filios „ jam haberet, diligeret eum Pater cæ„ teris amplius; neque enim & Judas „ primogenitus fuit, a quo Judæa cogno„ minata fuit, & Judæi. “ Fac tamen, fuiſſe illum primogenitum Cain: quid tum inde? An ſtatim ab ejus ortu Pater civitatem condidit, cui filii mox nati nomen imponeret? „ Non ideo putan„ dum eſt, pergit Auguſtinus, tunc a „ Cain conditæ civitati nomen Enoch „ impoſitum, quando natus eſt, quia nec „ conſtitui tunc ab uno poterat civitas, „ ſed quum illius hominis familia tanta „ numeroſitate creſceret, ut haberet jam „ populi quantitatem, tunc potuit utrique „ fieri, ut & civitatem conſtitueret, & „ nomen primogeniti ſui conſtitutæ im„ poneret civitati. “

XI. Hinc nullo negotio intelligimus, quo-

quomodo Cain collectæ ingenti impiorum manui, ut Joſephus ſcribit, ad exercenda latrocinia dux fieri potuerit, & magiſter. Poſt Abelis etenim necem a parentibus digrediens, *vagus & profugus ſuper terram*, orientalem plagam incoluit, quumque octo & amplius ſæcula vixiſſe feratur, familiam ſuam plurimum auxit propagavitque, Setho interim ejus fratre poſt Abelis cædem nato operam proſeminando humano generi aliis in regionibus dante. Aucta itaque mirum in modum eo temporis intervallo gente ſua, impius Cain, ut communis Patrum ſententia fert, eorum, quos Scriptura *filios hominum* vocat, ſeu malorum caput, & terrenæ civitatis Princeps, quidni potuit, magnam e familia ſua ſceleſtorum hominum manum cogere, ſibique adjungere, eoſque ad prædas & latrocinia excitare adverſus filios Seth, qui caput erat *filiorum Dei*, ſeu piorum, Deumque colentium hominum, & cæleſtis civitatis moderator? Quid enim ſi poſteri Seth nepotes Cain erant? Num propterea incredibile, eos a Caino hoſtiliter laceſſitos atque vexatos? Qui propter indolis moruмque diſſimilitudinem fratrem occiderat, an non eadem de cauſa multo magis potuit poſteros Seth bello appetere, & inſectari, quibuſcum vel remota nimis, vel nulla tum ei erat neceſſitudo atque cognatio?

XII. Levicula tamen hæc ſunt præ eo, in quo commenti ſui arcem Peirerius collocavit. In primo, quem edidit, libro, quemque inſcripſit, *Præadamitæ*, ſeu *Exercitationes in verſ.* 12. 13. & 14. *c.* 5. *epiſt. ad Rom.*, in iis Apoſtoli verbis: *Uſque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, quum lex non eſſet, ſed regnavit mors ab Adamo uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri*, ſibi viſus eſt, ſyſtematis ſui fundamentum ſolidiſſimum deprehendiſſe; in his enim argumentatur: Quum Paulus doceat, ante legem peccatum fuiſſe, quod non imputabatur, quæ lex iſta, ante cujus lationem non erat imputatio peccati? Non Moſaica profecto; ante illam enim peccatum imputatum fuiſſe, imo & ſevere mulctatum, Adæ & Cain exempla confirmant, univerſalis cataclyſmus, ignis in Pentapolitanos immiſſus &c. Lex itaque, ante quam peccatum non imputabatur, non alia a lege, quam Deus Adæ poſuit: Si ergo ante legem hanc peccatum fuiſſe ſcribit Apoſtolus, fuerunt itaque ante Adam homines, qui peccarant, quibus tamen peccatum non imputabatur, quum lex non eſſet. Rurſum: Si ab Adamo ad Moſen uſque regnaſſe mortem, ſcribit Apoſtolus, *in eos quoque, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, nonne manifeſtum eſt, & iis, quorum non erat ab Adamo origo, imputatum fuiſſe Adæ peccatum? Præadamitarum ſyſtema itaque a Pauli doctrina non abeſt de peccato Adæ, & de morte in omnes omnino homines pertranſeunte.

XIII. Quamquam ad ſtultiſſimum Peirerii figmentum nihil laudatum Pauli teſtimonium faciat, ut mox patebit, eſt illud tamen explicatu perdifficile, plurimumque negotii ſacris Interpretibus, ac Theologis hactenus faceſſivit. Plures Interpretum ac Theologorum libros evolvimus, nec quiſquam nobis viſus eſt, ad Apoſtoli mentem propius acceſſiſſe D. Thoma ſuis in commentariis in Epiſtolas Pauli lect. 3. in cap. 5. epiſt. ad Rom., ubi quum Auguſtini primum, & Ambroſii interpretationes exhibuiſſet, *tertiam*, ait, *ex utraque conflari poſſe, quæ magis videtur, ad intentionem Apoſtoli pertinere*, quam ipſe præeligit, & poſt eum Theologi ac Interpretes ferme communiter. Auguſtinum primo ait, laudata verba interpretatum de originali peccato, *quod etiam ſub lege remanſit, quaſi lege illud excludere non valente, quod quidem intelligi poteſt, & de lege naturæ & de lege Moyſis; peccatum enim originale erat in parvulo uſque ad uſum rationis, per quam homo hujuſmodi leges advertit . . . nec tamen ceſſat hoc peccatum lege naturali adveniente in homine, ſed magis excreſcit per additionem peccati actualis* . . . ſi vero ſit ſermo de lege Moſis, *quod peccatum fuiſſe in mundo dicitur uſque ad legem, poteſt intelligi non de originali ſolum, ſed etiam de actuali, quia & ante legem & ſub lege peccatum utrumque permanſit . . . . Quamvis autem lex peccatum non auferret, peccati tamen cognitionem fecit, quod antea non cognoſcebatur, unde ſubdit, peccatum autem non imputabatur; quod quidem planum eſt, ſi intelligatur de lege naturali; Quamvis*

vis enim peccatum originale ſit in parvulo ante legem naturalem, & ei reputetur a Deo, non tamen imputatur ei apud homines: Si autem intelligatur de lege Moyſis, planum eſt quantum ad aliqua peccata actualia, quæ non imputabantur ante legem, ſicut illa, quæ ſpecialiter ſunt per legem prohibita, quæ homines peccata non reputabant, ſicut . . . . . non concupiſces &c.: imputabantur tamen quædam peccata, prout erant contra legem naturæ, unde & Gen. 39. Joſeph legitur in carcerem miſſus propter adulterium ſibi impoſitum.

Mox addit, Ambroſium aliter verba iſta expoſuiſſe „ ſcilicet de peccato actua-
» li tantum, & de lege Moyſis, & ſe-
» cundum eum inducuntur hæc verba ad
» manifeſtandum, quod per primum Pa-
» rentem peccatum in hunc mundum in-
» travit, & in omnes tranſivit; *uſque*
» *enim ad legem*, ſcilicet Moyſis, pecca-
» tum erat in mundo, nempe actuale;
» homines enim multipliciter peccabant
» contra legem naturæ: *peccatum autem*
» *non imputabatur, quum lex non eſſet*,
» quod eſt intelligendum, non quod non
» imputaretur quaſi puniendum apud ho-
» mines, quum legantur quidam ante le-
» gem puniti ab hominibus pro pecca-
» tis, . . . Sed non imputabatur quaſi a
» Deo puniendum; tunc enim non cre-
» debant homines, quod Deus humana
» facta vel præmiaret vel puniret . . . .
» Sed poſtea lege divinitus data inno-
» tuit, quod peccata a Deo imputantur
» ad pœnam, & non ſolum ab homini-
» bus; & ideo quia homines non crede-
» bant ſe a Deo puniendos pro peccatis,
» libere & abſque fræno peccabant, ubi
» humanum judicium non timebant, &
» ideo ſubdit, *ſed mors*, ideſt peccatum,
» *regnavit*, ideſt omnimodam *ab Adam*
» *uſque ad Moyſen* poteſtatem exercuit;
» nam per Moyſen data eſt lex, quæ
» cæpit regnum peccati minuere incu-
» tiens timorem divini judicii: *Regnavit*
» *peccatum* quidem *uſque ad Moyſen*,
» non tamen in omnes, ſed *in eos, qui*
» *peccaverunt in ſimilitudinem prævarica-*
» *tionis Adæ*; dicit enim Ambroſius, in
» antiquis libris non inveniri hanc nega-
» tionem *non*, unde credit appoſitam a
» corruptoribus: Adam quippe magis
» credidit promiſſioni diaboli, quam com-
» monitioni divinæ, & ideo quodammo-
» do diabolum prætulit Deo. Sic igitur
» *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*
» prævaricantur idololatræ, qui relicto
» Dei cultu diabolum colunt. In tales
» ergo *mors*, ideſt peccatum, totaliter *re-*
» *gnavit*, quia eos omnino poſſedit. Fue-
» runt autem ante legem Moyſis viri
» Dei cultores, qui, etſi peccarent, non
» tamen peccatum in eis regnabat, quia
» non totaliter eos a Deo ſeparabat, ſed
» peccabant ſub Deo, ideſt ſub fide unius
» Dei, etſi peccarent mortaliter, vel ſub
» charitate Dei, quum peccabant veniali-
» ter. “ Hæc D. Thomas ex Ambroſio, ſeu verius ex Auctore Commentariorum in epiſt. Pauli inter Ambroſii opera.

Demum ex harum expoſitionum, quarum ſenſa ſolum, non verba deſcripſit, utraque tertiam conflat, profertque, quæ Apoſtoli ſcopum propius attingit, ajens:
„ Dixerat Apoſtolus, quod *per unum ho-*
„ *minem peccatum in hunc mundum in-*
„ *travit*, & quia peccatum eſt divinæ le-
„ gis tranſgreſſio, poſſet videri alicui,
„ quod hoc non eſſet verum, quantum
„ ad tempus ante legem, præſertim,
„ quum ſupra dixerit: *ubi non eſt lex*,
„ *nec prævaricatio*: Et ideo poſſet aliquis
„ credere, quod non per unum hominem
„ peccatum intravit in mundum, ſed ma-
„ gis per legem; Et ideo ad hoc exclu-
„ dendum dicit, quod *uſque ad legem*,
„ ideſt tempus ante legem, *peccatum*
„ *erat in mundo*, & originale & actua-
„ le; non tamen erat peccatum cogni-
„ tum, præſertim quaſi a Deo punien-
„ dum: & hoc eſt quod ſubdit: *pecca-*
„ *tum non imputabatur*, ſcilicet quaſi con-
„ tra Deum exiſtens, quum lex divinitus
„ data non eſſet; fuerunt enim quidam,
„ ut Philoſophus dicit 5. *Ethic.*, qui cre-
„ diderunt, quod nihil eſt juſtum natu-
„ raliter, & per conſequens nec inju-
„ ſtum, ſed per ſolam poſitionem legis
„ humanæ, & ſecundum hoc non impu-
„ tabatur aliquod peccatum quaſi contra
„ Deum exiſtens, & præcipue peccatum
„ originale, ideſt non cognoſcebatur:
„ Sed quod iſta reputatio eſſet falſa, o-
„ ſtenditur per effectum, quia *mors* cor-
„ poralis *regnavit* ab Adamo, per quam
„ intravit peccatum originale in mun-
„ dum, *uſque ad Moyſen*, ſub quo data
„ eſt lex, & ita, quum mors ſit effectus
„ peccati, præcipue originalis, manife-
„ ſtum eſt, quod ante legem fuit pecca-

 „ tum

„ tum originale in mundo : Et ne aliquis dicat, quod moriebantur homines „ propter peccata actualia, ad hoc excludendum dicit, quod *regnavit mors* „ *etiam in eos, qui non peccaverunt*, proprio actu, ſcilicet *pueros*, & in juſtos, „ qui non peccaverunt mortaliter, qui „ tamen peccaverunt in primo homine, „ ut ſupra dictum eſt : & ideo ſubdit, „ *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, „ inquantum ſimilitudinem illius peccati „ traxerunt per originem ſimul cum ſimilitudine naturæ, quaſi dicat, quod „ moriebantur abſque proprio peccato, „ demonſtrat, quod in eis erat diffuſa ſimilitudo peccati Adæ per originem ; „ & hoc eſt, quod Apoſtolus manifeſtare intendit, ſcilicet quod per Adam „ originale peccatum intravit in mundum. “ Interpretatio hæc Apoſtoli propoſito in antecedentibus & conſequentibus ſatis expreſſo plane conſentanea, & ex ſtrenuiſſimo illo catholicæ de originaria noxa doctrinæ Vindice & Aſſertore Auguſtino deprompta tam Præadamitis quam recentibus Pelagianis, Socinianis videlicet, & Arminianis, jugulum petit, præſertim quum omnino reſonet Æthiopicæ Epiſtolarum D. Pauli verſioni, quæ in Briani Vualtoni poliglottis laudata, Pauli verba ſic reddit : *Et propterea, quemadmodum per iniquitatem unius hominis peccatum in hunc mundum introiit, & per illud peccatum advenit mors ſuper omnes homines, eo quod omnibus hominibus imputatur illud peccatum, etiam non cognoſcentibus, quid illud peccatum ſit. Uſque dum venit lex, manſit peccatum in mundo, non cognitum, quid fuit, quum peccatum non reputabitur, eo quod non venerat eo tempore mandatum legis. Verumtamen dominata eſt mors propterea ab Adamo uſque ad Moyſen, tam in iis, qui peccaverunt, quam in iis, qui non peccaverunt, per illud peccatum Adami, eo quod unuſquiſque in ſimilitudinem Adami natus eſt.*

XIV. Fuerat hæc aliis, quæ de primo homine futuræ ſunt, exercitationibus proœmii loco præmittenda : jam vero in iis habendis eum conſervabimus ordinem, quem *1. p. q. 90.* ſibi propoſuit D. Thomas, cui inter cætera a Sapientibus maxima in laude ponitur, quod mirabilis apud eum ſit, & prope divina rerum diſtributio. Ille autem poſt abſolutam de ſex dierum operibus tractationem, quo aptiſſimam conſequentium cum antecedentibus connexionem veluti ſub oculis poneret, ait q. 75. : „ Poſt conſiderationem creaturæ ſpiritualis (Angelorum „ nempe, de quibus copioſe egerat), & „ corporalis (quam in tract. *de opere ſex* „ *dierum* complexus erat), conſiderandum eſt de homine, qui ex ſpirituali, „ & corporali ſubſtantia componitur, & „ primo de natura ipſius hominis, ſecundo de ejus productione. Naturam „ autem hominis conſiderare pertinet „ ad Theologum ex parte animæ, non „ autem ex parte corporis, niſi ſecundum „ habitudinem, quam habet corpus ad „ animam, & ideo prima conſideratio „ circa animam verſabitur. “ Omnia exinde latiſſime & accurate perſequitur, quæ ad animæ humanæ *eſſentiam*, *virtutem*, atque *operationem* pertinent, in quindecim, quas in plures concidit articulos, quæſtionibus animæ naturam, facultates, mentem ſcilicet, voluntatem, atque ſentiendi vim, harum facultatum indolem, modum, energiam, ſingula, in quæ feruntur, objecta, & propriam cujuſque facultatis actionem, diligentiſſime excutiens, & luculentiſſime exponens, quæ omnia nos præterimus, quod a propoſito noſtro aliena ſint, & de iis, quum Philoſophiam traderemus, egerimus. Hinc a primo, quod ſibi conſiderandum ſumpſerat, nempe *a natura hominis* recta tranſit ad alterum, *ad primam ejus* videlicet *productionem* „ &c. circa hoc conſiderandа ſunt quatuor, ait, primo de „ productione ipſius hominis, ſecundo de „ fine productionis, tertio de ſtatu & „ conditione hominis primo producti, „ quarto de loco productionis. Circa „ productionem autem conſideranda ſunt „ tria, primo de productione hominis „ quantum ad animam, ſecundo quantum ad corpus Viri, tertio de productione quantum ad corpus Mulieris. “ Quum in oculos cujuſque ſapientis incurrere, quam ſit ordo iſte aptus & rectus, merito exiſtimemus, non eſt, cur in eo declarando verba ponamus : Eum potius religioſe tenturi jam ad rem ipſam aggredimur.

EXER-

EXERCITATIO II.

De Hominis primo producti anima.

I. IN hominis anima mirum, quam immaniter erratum ſit. Auguſtinus *l. 3. de origine animæ c. 15.* quædam enumerat *multum aperteque perverſa, & fidei Catholicæ adverſa*, quorum primum eſt, *Deum animam non de nihilo, ſed de ſe ipſo feciſſe*. Ethnicis ferme omnibus hic olim error inſedit, quorum alii animam *divinæ particulam auræ*, ut Horatius, alii *ætherium ſenſum*, ut Virgilius, alii *ſenſum, quem a cæleſti demiſſum traximus arce*, ut Juvenalis, vocarunt. In erroris hujus originem inquirens D. Thomas *1. p. q. 90. ar. 1. in c.*, ex duabus antiquorum poſitionibus illum repetit ajens: „ Primi, qui naturas rerum conſiderare „ cœperunt, imaginationem tranſcendere „ non valentes, nihil præter corpora eſſe „ poſuerunt, & ideo Deum dicebant, cor„ pus quoddam eſſe, quod aliorum corpo„ rum judicabant eſſe principium: & quia „ animam ponebant eſſe de natura illius „ corporis, quod dicebant eſſe principium, „ per conſequens ſequebatur, quod anima „ eſſet de ſubſtantia Dei, juxta quam „ poſitionem Manichæi Deum eſſe quan„ dam lucem corpoream exiſtimantes, „ partem quandam lucis illius animam „ eſſe poſuerunt corpori alligatam. “ Teterrimum errorem hunc a Priſcillianiſtis ſæculo Eccleſiæ quarto recoctum, & late in Hiſpaniis graſſantem Synodi plures confixerunt, Toletana prima cap. 21. de regulis fidei ajens: *Credimus, & animam hominis non divinæ eſſe ſubſtantiæ, ... ſed creaturam dicimus Dei voluntate creatam ... Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei eſſe ſubſtantiam, anathema ſit*; Bracarenſis item prima can. quinto: *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit*. Adverſus eundem hunc errorem hæc ad Damaſum Papam ſcribebat Hieronymus: *Animas a Deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus, anathematizantes eos, qui animas quaſi partem divinæ dicunt eſſe ſubſtantiæ ... Hæc eſt fides, Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus*. Neque tamen his Eccleſiæ fulminibus opus erat ad hunc proterendum errorem, quem naturalis ipſa ratio ſatis ſuperque convellit: ſatis eſt explicare, ac evolvere intelligentiam noſtram, ut videamus, quæ ſit in ea ſpecies, forma, & notio Dei, & quantum a germana ejus idea inſanus iſte error abhorreat. Hanc, quam in animis informatam & veluti complicatam habemus, evolvens D. Thomas tum ibidem, tum 2. contra Gent. c. 86., demonſtrat evidentiſſime, nihil eſſe errore hoc divinæ naturæ magis injurium, quod ſit ille *actus purus, nihil ab alio accipiens, nullam in ſe diverſitatem habens, maxime unus, ſimpliciſſimus*, ideoque *impartibilis, omnino immobilis*, & cujuſque prorſus mutationis expers &c.: hæc autem omnia tolli, deſtrui iccirco Deum, ſi hominis anima *de ejus ſubſtantia* ponatur, nullo negotio intelliget quiſquis voluerit ad rationem animum revocare, neque enim vacat in rebus exploratis diutius immorari.

II. Alterum erroris hujus peſtilentiſſimum fontem indicat ibidem D. Thomas, pergens: „ Secundo vero proceſſum fuit „ ad hoc, quod aliqui quidpiam incorpo„ reum eſſe, apprehenderunt, non tamen „ a corpore ſeparatum, ſed corporis for„ mam, unde & Varro dixit, quod Deus „ *eſt anima, mundum intuitu, vel motu* „ *& ratione gubernans*, ut Auguſtinus „ narrat *l. 7. de civ. Dei c. 6.* Sic igitur „ illius totalis animæ partem aliqui po„ ſuerunt animam hominis, ſicut homo „ eſt pars totius mundi, non valentes in„ tellectu pertingere ad diſtinguendos di„ verſos ſpiritualium ſubſtantiarum gra„ dus, niſi ſecundum diſtinctiones corpo„ rum. “ Erroris hujus haud obſcura veſtigia deprehendere eſt, cum in iis quæ in ſexto Æneidos, quem Servius ait, ex plurimis Veterum ſcriptis fabricatum, Virgilius habet: „

„ Principio cælum, & terras, cam-
„ poſque liquentes,
„ Lucentemque globum lunæ, Tita-
„ niaque aſtra
„ Spiritus intus alit, totamque infu-
„ ſa per artus
„ Mens agitat molem, & magno ſe
„ corpore miſcet:
„ Inde hominum, pecudumque ge-
„ nus, vitæque volantum,

„ Et.

„ Et quæ marmoreo fert monſtra ſub
„ æquore pontus.
„ Igneus eſt ollis vigor , & cæleſtis
„ origo
„ Seminibus &c.

tum Georgicon 4. „

„ His quidam ſignis , atque hæc ex-
„ empla ſecuti,
„ Eſſe apibus partem divinæ mentis,
„ & hauſtus
„ Ætherios dixere ; Deum namque
„ ire per omnes
„ Terraſque tractuſque maris , cæ-
„ lumque profundum .
„ Hinc pecudes , armenta , Viros ,
„ genus omne ferarum ,
„ Quemque ſibi tenues naſcentem ar
„ ceſcere vitam. “

Fuit & Stoicis communis , quibus mundus totus non ſapiens ſolum , & rationis compos, ſed & Deus erat, quem errorem validiſſime refellit Cotta Academicus apud Ciceronem *l.3. de nat. Deorum n.* IX. An ab errore hoc multum abſit præpoſtera Spinoſæ poſitio, ii cenſeant, qui in operum ejus lectione verſati ea mentis celeritate & acumine ſunt, ut hominis non ſolum maxime impii, ſed & obſcuriſſimi (meditato neſcias, an ſuapte natura) atque impeditiſſimi certum ſenſum aſſequi potuerint. Illud tamen pervulgatum eſt , hodiernos religionis naturalis aſſeclas puræque rationis cultores , quos *Deiſtas* dicunt, religionis ſuæ fundamenti loco ponere, Deum non mundum ipſum , ſed ejus animam eſſe, materialem illum quidem (quum nullus ſit ſpiritus,) delicatiorem tamen ſubtilioremque materiel portionem , *omnes hominum ac beſtiarum animas animæ mundi particulas eſſe*, quæ, diſſoluto, quum moriuntur , *corpore , iterum cum ſuo toto miſcentur & confunduntur, vaſorum inſtar eſſe, quæ aquæ plena in mari natarent, quorum, ſi frangantur , aqua cum mari commiſcetur , non aliam eſſe ſingularum animarum ſortem , quando organa, quibus conſtrictæ ſunt , morte ſolvuntur* ; tunc enim corporis cum terra , *ſeu craſſiori mundi parte, animæ vero cum ſubtiliori, ſeu cum mundi anima , quæ Deus eſt, fit conjunctio :* Ita Bayle p. 2631. , aliique cum eo : heu quam multi ! Etſi plures horum impietatem eodem hoc & ſuperiori ſæculo ſolide coarguerint, nemo tamen validius D. Thoma tum 1. *p. q.* 3. *ar.* 1. & 8. , tum *contr. gent. c.* 26. & 27. & alibi; quare hic ea , quæ jam ſcripſerat, duntaxat indicans , ait : *Hæc autem omnia ſunt impoſſibilia* (ſeu cum recta Dei idea nulla ratione componi poſſunt), *ut ſupra probatum eſt ; unde eſt manifeſte falſum, animam eſſe de ſubſtantia Dei* .

III. Ejuſdem hujus erroris cauſas alias ex præpoſtera verborum Geneſeos intelligentia ductas aperit D. Thomas 2. *cont. gent. c.* 86. ſcribens : „ Potuit ex ipſa ſimilitudine animæ noſtræ ad Deum hic error naſci ; intelligere enim (quod maxime æſtimatur proprium Dei) nulli ſubſtantiæ in mundo inferiori convenire invenitur niſi in homine propter animam, unde videri potuit anima ad divinam naturam pertinere , & præſertim apud homines , in quorum opinionibus erat firmatum , quod anima eſſet immortalis. Adhuc etiam coadjuvare videtur , quod *Gen.* 1. poſtquam dictum eſt, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſubditur , *formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* : ex quo quidam accipere voluerunt , quod anima ſit de natura divina; qui enim in faciem alterius ſpirat, idem numero, quod in ipſo erat , in alium emittit , & ſic videtur Scriptura innuere, quod aliquid divinum a Deo in hominem ad ipſum vivificandum immiſſum ſit . “ Paucis exin, ſed nervoſe utrumque refutat, ajens: „ Similitudo prædicta non oſtendit , animam hominis aliquid eſſe divinæ ſubſtantiæ , quum intelligendo defectum multipliciter patiatur, quod de Deo dici non poteſt; unde hæc ſimilitudo magis eſt indicativa cujuſdam imperfectæ imaginis, quam alicujus ſubſtantialitatis , quod etiam Scriptura innuit , quum dicit , *ad imaginem Dei* hominem factum. “ Sed de hoc uberius infra , quum de fine productionis hominis ſermo erit . Illud quoque, quod ex inſpiratione Dei in faciem Adæ ad craſſi hujus erroris præſidium nonnulli trahebant , luculentiſſime explicans addit : „ Inſpiratio prædicta proceſſum vitæ a Deo in hominem ſecundum quandam ſimilitudinem demonſtrat , non ſecundum unitatem ſubſtan-

„ tiæ „

„ tiæ, propter quod & *in faciem* dicitur „ ſpiritus vitæ inſpiratus, quia, quum „ in hac parte corporis ſint plurium ſen- „ ſuum organa ſita, in ipſa facie eviden- „ tius vita monſtratur. Sic igitur Deus „ *inſpiraſſe in faciem hominis ſpiraculum* „ *vitæ* dicitur, quia ſpiritum vitæ homi- „ ni dedit; nam & qui corporaliter inſuf- „ flat in faciem alicujus (unde videtur „ ſumpta eſſe metaphora), aerem in fa- „ ciem ejus impellit, non aliquam ſuæ „ ſubſtantiæ partem in ipſum emittit. “

IV. Hominis itaque animam Deus non *de ſe ipſo fecit*, ſed creavit ex nihilo, quod D. Thomas *ar.* 2. & 3. ejuſdem quæſt. nonageſimæ firmiſſime probat, quod & ante eum nitide declarat S. Eucherius Lugd. Epiſc. *l.* 1. *ſup. Gen.* ajens. „ Quæ- „ ritur, utrum Deus animam inſufflando „ fecerit, an eam, quam fecerat, corpo- „ ri dando potius inſufflarit? Utrumque „ enim puto eſſe, nec aliquid habere quæ- „ ſtionis, quoniam ſive inſufflando ani- „ mam fecerit, ſive creando donaverit, „ non de aliquo flatu ſuo, nec de ſeipſo, „ ſed ex nihilo, aut ſufflando creavit, aut „ creando corpori inſufflavit, non quia il- „ lud ſpiraculum converſum eſt in animam „ viventem, ſed operatum eſt animam „ viventem. “ Præclare quoque Chryſo- ſtomus *hom.* 9. *in Gen.* laudata Gen. ver- ba, in quibus allegoriam ineſſe, nemo non percipit (neque enim Deus corpus eſt, quod emittere halitum poſſit) exponens ſcribit: „ Ut doceret nos, quod forma- „ tum illum de terra miſericordia Domi- „ ni & rationalem animæ eſſentiam habe- „ re voluerit, per quam animal hoc ab- „ ſolutum fieret atque perfectum, *inſpi-* „ *ravit*, inquit, *in faciem ejus ſpiraculum* „ *vitæ*. Vitalem dicere vult operandi ef- „ ficaciam ei, qui de terra formatus eſt, „ ſpiraculum datum eſſe, & hoc ſubſtan- „ tiam animæ conſtitutam; unde ſubdit: „ *& factus eſt homo in animam viven-* „ *tem*.

V. Dubitatum olim apud antiquos, an primi hominis anima creata a Deo fuerit ante corpus, vel una cum corpore. D. Thomas ar. 4. ejuſdem quæſt. nonageſimæ primo refert, Origenem *l.* 2. *Periarch. c.* 7. & 8. poſuiſſe, non primi hominis ſolum, ſed & omnium hominum animas diu ante corpora ſimul cum Angelis fuiſſe creatas; putavit enim, ſpirituales omnes ſubſtantias naturæ conditione æquales eſſe, & merito ſolo diſtare, ita ut earum quædam, hominum ſcilicet vel cœleſtium corporum animæ corporibus fuerint alligatæ, aliæ vero *ſecundum diverſos ordines in ſui puritate permanſerint*. Quum D. Thomas ab errore hoc refellendo hic abſtineat, quod eum ſuperius refutarit, 1. p. ſcilicet q. 47. ar. 2., illum & nos prætermimus, quoniam jam de illo non ſemel: nonnulla ſolum libabimus, quibus eundem a Joanne Hieroſolymitano Antiſtite Origenis placitis plus æquo addicto ſub quinti ſæculi initium recoctum exagitavit Hieronymus in epiſt. ad Pammachium: „ Si „ fuit anima, antequam Adam in paradiſo „ formaretur, & vixit, & egit aliquid, „ neceſſe eſt, ut aliqua cauſa præceſſerit, „ cur quæ prius ſine corpore fuit, poſtea „ ſit circumdata corpore: &, ſi naturale „ eſt animæ, eſſe ſine corpore, ergo con- „ tra naturam eſt, eſſe in corpore. Si „ contra naturam eſt, eſſe in corpore: „ ergo reſurrectio corporis contra naturam „ erit: ſed non fiet reſurrectio contra na- „ turam: ergo, juxta ſententiam veſtram „ corpus, quod contra naturam eſt reſur- „ gens, animam non habebit. “

Secundo memorat, alia permotum Auguſtinum fuiſſe ratione, ut *l.* 7. *ſup. Gen. ad lit. c.* 24. & 25. primi hominis animam ante corpus cum Angelis creatam fuiſſe, ſentiret; quum enim exiſtimaret, corpus hominis in ſex dierum operibus *non actu*, ſed *ſolum ſecundum cauſales rationes*, fuiſſe productum, nefas vero ſit, idem ſentire de anima, quæ neque ex corporea materie, neque ex ſpirituali, quæ jam eſſet, ſubſtantia, nec ex creata quavis virtute formari potuit, veriſimilius cenſuit, eam in operibus ſex dierum, quibus omnia facta ſunt, una cum Angelis ante corpus fuiſſe creatam, ad quod adminiſtrandum ſua ſe poſtmodum voluntate inclinarit. Pro eximia, qua, ut alios Eccleſiæ Patres, ita & Auguſtinum perpetuo proſequitur, reverentia, hanc ejus opinionem benigne interpretatur, & nonnullam nititur ei veritatis ſpeciem conciliare. Cæterum quum Auguſtinus ipſe in ea ſe non conſtanter, ſed hæſitanter eſſe, ſatis aperiat ibidem *c.* 9. ajens: „ Credatur, ſi „ nulla Scripturarum auctoritas, ſeu verita- „ tis ratio contradicit, hominem ita fa- „ ctum ſexto die, ut corporis quidem hu- „ mani ratio cauſalis in elementis mundi „ eſſet, anima vero jam ipſa crearetur, “ ab

Digitized by Google

ab ea D. Thomas modeſte reſilit, & in communem aliorum Patrum ſententiam tranſit, ſtatuitque, *hoc omnino eſſe non poſſe*, non potuiſſe videlicet primi hominis animam ante corpus creari, quod Deus primas res in perfecto naturæ ſuæ ſtatu inſtituerit, ut cujuſque ſpecies exigebat; anima autem, quum totus homo non ſit, ſed hominis pars, naturalem perfectionem non habeat, niſi ſecundum quod eſt corpori unita; quare *conveniens non fuiſſet, animam ſine corpore creari*.

Quæſtione item 3. de pot., quæ *de creatione* inſcribitur, ar. x. in c., temperatiſſime, & ut ſummum, acerrimique judicii Theologum decet, hæc habet: *unde nec anima rationalis poteſt niſi in corpore creari ſecundum naturæ ſuæ convenientiam abſque divinæ tamen præjudicio poteſtatis*. Quia vero Auguſtini non intercedebat auctoritas, quo minus opinionem non deſereret ſolum ſed & refelleret, in quam ipſemet tum loc. cit. *de Gen. ad lit.*, tum in libro *de origine animæ* ſe iviſſe, teſtatur, *inveſtigando magis, quam aſſerendo*, idcirco eam nervoſe ibidem refutat ſubdens: „ Si anima rationalis extra corpus „ creata fuit, & ibi habuit naturalis ſui „ eſſe complementum, impoſſibile eſt, „ convenientem cauſam aſſignare unionis „ ejus ad corpus; non enim dici poteſt, „ quod proprio motu ſe adjunxit ad corpus, quum videamus, quod deferere „ corpus non ſubjacet animæ poteſtati, „ quod eſſet, ſi ex voluntate ſua eſſet „ corpori unita: Præterea, ſi eſt creata „ omnino ſeparata, non poteſt dici, quare unio corporis voluntatem animæ ſeparatæ illexiſſet. Nec iterum poteſt dici, quod poſt aliquos annorum circuitus „ naturalis ei appetitus ſupervenerit adhærendi ad corpus, & quod ex operatione naturæ hujuſmodi unio ſit cauſata . . . . . Similiter non poteſt dici „ quod a Deo ſit corpori alligara, ſi eam „ prius abſque corpore creaviſſet; ſi enim „ dicatur, quod ad ejus perfectionem hoc „ fecit, non fuiſſet ratio, quare abſque „ corpore crearetur: Si vero in pænam „ hoc factum eſt, ut corpori quaſi cuidam carceri intruderetur, ſicut Origenes dixit, propter peccata commiſſa, „ ſequeretur, quod inſtitutio naturarum „ ex ſpirituali & corporali ſubſtantia compoſitarum eſſet per accidens, & non ex „ prima Dei intentione; quod eſt contra „ id, quod legitur Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, ubi manifeſte oſtenditur, bonitatem Dei, & non malitiam cujuſcunque „ creaturæ fuiſſe cauſam bonorum operum „ condendorum. “ His, quæ plane invicta ſunt, evidenter efficitur, primi hominis animam non fuiſſe ante corpus a Deo creatam. Quid vero de reliquorum hominum animabus ſentiendum? Audiendus idem D. Thomas, cui Theologi quique conſentiunt. „ Circa hanc quæſtionem, ait *q.* 3. *de pot. art.* 9. *in c.*, antiquitus diverſa dicebantur a diverſis; „ Quidam namque dicebant, animam filii ex parentis anima propagari, ſicut „ corpus propagatur ex corpore: Alii vero dicebant, omnes animas ſeorſum „ creari, ſed ponebant, eas a principio extra corpora ſimul creatas, & poſtmodum corporibus ſeminatis conjungebantur, vel proprio motu voluntatis ſecundum quoſdam, vel Deo mandante, „ & faciente, ſecundum alios; Alii vero dicebant, animas, quum creantur „ ſimul corporibus infundi: Quæ quidem „ opiniones, quamvis aliquo tempore ſuſtinerentur, &, quæ earum eſſet verior, in dubium verteretur, ut patet ex „ Auguſt. *in* 10. *ſuper Gen. ad lit. c.* 21. *&* 22., primæ tamen duæ poſtmodum „ judicio Eccleſiæ damnatæ ſunt, & tertia approbata; unde dicitur in *l. de Eccleſiaſt. dogmatibus c.* 3. *& ſeq.* (inter „ opera Auguſtini, cui olim perperam tributus eſt, quum Gennadii Maſſilienſis „ Presbiteri certo ſit): animas hominum „ non eſſe ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec ſimul creatas credimus, ſicut Origenes fingit; neque cum „ corporibus per coitum ſeminantur, ſicut „ Luciferiani, & Cyrillus, & aliqui Latinorum Præſumptores affirmant: ſed „ dicimus, corpus tantum per conjugii „ copulam ſeminari, ac formato jam corpore animam creari & infundi. “

Hinc Theologus graviſſimus Melchior Cano *l.* 12. *de loc. theol. c.* 14., in quo de animæ immortalitate diſputationem inſtituit, jam inter fidei dogmata cenſet, animam non ex traduce fieri, ſeu non per propaginem generari, ſed a Deo creari, corporique infundi, cujus verba quod luculentam contineant Moſaicæ hujus, quam expendimus, narrationis explicationem, operæ pretium erit, exſcribere.

„ Poſt

„ Poſt Auguſtini ſæculum nemo fidelium in dubinm vertit, quin animæ rationales creentur ex nihilo, & ſingulæ ſingulis corporibus infundantur, ut Concilii Lateranenſis verbo utar; quod ſi non generantur vi naturæ animæ rationales, nec de materiæ potentia educuntur, ſed foris veniunt, nimirum ex ſe ſubſiſtunt, quare non cum corpore intereunt. Illud vero teſtimonium, *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, ne Auguſtinus quidem ipſe expedit; ſi enim foris venit Spiritus, conſequens fit, ut nulla vi agentis naturalis propagetur: quocirca ſi ingenitus natura eſt, natura quoque incorruptus; nec enim naturales cauſæ corrumpunt aliquid, niſi quod eædem poſſunt gignere; nam quod interpretatur Auguſtinus, Deum primo homini ſpiritum dediſſe, quum *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, in illo vero, qui cæterorum hominum caput erat, cæteris dediſſe ſpiritum, (pace tanti Viri dictum ſit) nulla ex parte argumenti vires infringit; Quum enim Moſes in principio Geneſeos rerum naturalinm propriam vim & naturam exprimat, quod in primo homine ſignificatum eſt, id de reliquis etiam intelligitur. Scriptura porro, ut oſtenderet, reliqua viventia naturæ viribus edi poſſe, ait: *Germinet terra herbam virentem &c.* & rurſum: *Producant aquæ reptile animæ viventis &c.* & iterum: *Producat terra jumenta, & reptilia &c.* Nemini quippe ambiguum eſſe poteſt, prima cetorum, volucrum, jumentorum, ſerpentium, leonum individua a Deo ſine media cauſa adjuvante condita, creataque fuiſſe: ob id namque adjectum eſt: *Creavitque Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas.* Item: *& fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas &c.* At ſignificare Scriptura voluit, ſic tunc a Deo hujuſmodi animantia eſſe edita, ut in vitamen elementorum, & corporum, quæ ex elementis conflarentur, illorum generationem ſitam eſſe, cenſeremus. At enim quum ad hominem ventum eſt, ne hujus ſimilis conditio crederetur, de corpore quidem ait: *fecit Deus hominem ex limo terræ*: de animo autem: *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, quod differentis conditionis varium diſcrimen a Moſe adeo accurate obſervatum manifeſte indicat, cæterorum viventium animas in materiæ potentia eſſe, hominis ſpiritum, quo *factus eſt in animam viventem*, non eſſe, ſed a Deo creari, & infundi, qui ſolus ejus & ſpirator, & creator eſt. “ Hæc ſapientiſſimus Vir, qui Auguſtinum poſtea ſibi obiiciens, non ſemel ſed ſæpius docuiſſe, non eſſe fidei quæſtionem, an animæ rationales ex traduce ſint, an potius ex nihilo in ſingulis creentur ſingulæ, reſpondet, fidei quæſtionem duobus accipi modis poſſe, & ex natura ſua, & quoad nos, illam eſſe fidei ex natura ſua quæſtionem, quæ eſt a Deo Eccleſiæ revelata, tametſi e pleriſque ignoretur, Spiritum S. a Patre Filioque procedere, Spiritus ipſe Apoſtolis revelavit, item Sanctorum animas ſtatim ac a corpore exierint, videre Deum, de quibus licuit olim varie ſentire, & ſine fidei diſcrimine aut affirmare, aut negare, quum neutra res ſcilicet erat ab Eccleſia definita, ita quoad nos non ſemper fidei quæſtiones illas habitas, ſed, ſalva fide, Viros quoſdam doctos contrariam veritati ſententiam tenuiſſe, quomodo Auguſtinus aſſeruit, fidei quæſtionem non eſſe, num rationalis anima ex traduce ſit, nunc autem, quum poſt ea tempora Theologorum fideliumque omnium conſenſu firmatum ſit, animum non per generationem, ſed per creationem exiſtere, quæſtionem illam ad fidem jam ſine dubio pertinere. Addit, „ Hieronymi perpetuam conſtantemque fuiſſe ſententiam, animas in ſingulis corporibus creari ſingulas, quem poſt tota Eccleſia ſecuta eſt; animas enim non creari, ſed ex parentum ſemine eſſe, Luciferianorum error fuit, ut Auguſtinus refert *in l. de hæreſ. c.* 81. Ac certe, quum Zacharias *c.* 12. ait: *Dixit Deus extendens cælum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo*, nihil aliud ſignificat, niſi ea opera a Deo ipſo ſine cauſa ſubjecta & ſubſerviente patrari, quemadmodum Hieronymus idem admonuit. Vide Jeſai 42., & 45. “ Verum, ut una eſt animarum primi hominis, poſterorumque ejus, ab opifice Deo, qui illas creavit, & quotidie creat, origo, ita num eadem corporis Adæ, ac reliquorum hominum procreatio? Erit hoc exercitatione ſequenti declarandum.

EXER-

EXERCITATIO III.

De corporis primi hominis productione.

I. QUod Moſes hæc de primi hominis formatione habeat, *formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, quidam eundem eſſe rerum, qui verborum, ordinem repntantes, commenti ſunt, formatum prius a Deo humanum corpus, eique jam formato poſtmodum infuſam animam, quam eorum commentationem ſolide refutat D. Thomas 1. p. q. 91. ar. 4. ad 3. ajens, ,, contra rationem perfectionis pri- ,, mæ rerum inſtitutionis eſſe, quod Deus ,, vel corpus ſine anima, vel animam ſine cor- ,, pore fecerit, quum utrumque ſit pars hu- ,, manæ naturæ: & hoc etiam eſt magis in- ,, conveniens de corpore, quod dependet ex ,, anima, & non e converſo. " Alios e veſtigio refert priora Moſis verba, *formavit Deus hominem de limo terræ*, interpretatos eſſe, productum ſimul cum anima corpus, poſteriora vero, *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, Spiritum ſanctum homini infuſum, ſicut & Dominus in Apoſtolos inſufflavit ajens: *accipite Spiritum Sanctum &c.* Jo. 20. Hanc autem expoſitionem ſequentibus Scripturæ verbis explodi, ait; ſubditur enim: *& factus eſt homo in animam viventem*, quod Apoſtolus 1. *ad Cor.* 15. non ad ſpiritualem, ſed ad animalem vitam refert inquiens: *Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt: factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam* (nempe Chriſtus) *in ſpiritum vivificantem &c.* quod & Auguſtino animadverſum eſt *l.* 13. *de Civ. Dei c.* 24. Quid ergo? ,, Per ſpi- ,, raculum vitæ intelligitur anima, ſubdit ,, Angelicus, ut ſic, quod dicitur, *inſpi-* ,, *ravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, ,, ſit quaſi expoſitio ejus, quod præmiſe- ,, rat, nam anima eſt corporis forma: " nempe Moſes hominis primo producti narrationem exequens, ambas, ex quibus ille conſtat, partes complexus eſt, corpus, quod ait a Deo de limo terræ formatum, & animam, qua corpus vivit, quam ſcribit a Deo inſpiratam; neque enim movere quempiam debet, quod *hominem* dixerit *de limo terræ* formatum, quaſi vero totus homo terrenus ſit, ſeu de terra procreatus; *hominem* enim pro ſolo corpore per ſynecdochen (qui tropus eſt in ſacris literis frequens) poſuit, totumque pro parte uſurpavit, quod & Tertullianus animadvertit, animadvertique jubet in l. de Reſurrect. carnis c. 5.: ,, *Hominem* au- ,, tem memento carnem proprie dici, quæ ,, prior vocabulum hominis occupavit. "

II. Summus itaque rerum omnium Opifex ſe ſe ad formandum hominis corpus figuli inſtar admovit, quod formaſſe dicitur ſive plaſmaſſe atque finxiſſe, quemadmodum Auguſtinus, aliique Patres exponunt, quare & Adam ab Eccleſia & a Patribus *protoplaſtus*, ſeu primo plaſmatus paſſim dicitur, & Job c. x. ad Deum ait: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmaverunt me: . . . memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me &c.* & Jeſaias c. 64. *Domine, Pater noſter es tu, nos vero lutum, & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Quorſum vero tanta in formando homine ſummi artificis diligentia, & in ejus deſcribendo opificio ſpecialis Scriptoris ſacri accuratio? Annon omnia, quæ in cælis & terra ſunt, peræque a Deo facta? Præclare D. Thomas ibidem *ad* 1.: ,, Sicut Auguſtinus dicit *l.* ,, 6. *ſuper Gen. ad lit. c.* 12., non in hoc ,, præeminet homo aliis rebus, quod Deus ,, fecit ipſum hominem, quaſi alia ipſe ,, non fecerit, quum ſcriptum ſit: *Opera* ,, *manuum tuarum ſunt cæli*, & alibi, *ari-* ,, *dam fundaverunt manus ejus*, ſed in hoc, ,, quod ad imaginem Dei factus eſt ho- ,, mo. Utitur tamen Scriptura in produ- ,, ctione hominis ſpeciali loquendi modo ,, ad oſtendendum, quod alia propter ho- ,, minem facta ſunt; Ea enim, quæ prin- ,, cipaliter intendimus, cum majori deli- ,, beratione & ſtudio facere conſuevimus. "

III. Unde vero fingendi humani corporis materiem divinus Opifex ſumſit? De limo terræ, ideſt de pulvere humente, ſeu ex humore terraque concreto, qui proprie limus dicitur, ſeu de humo, unde *hominem* Latini dixere, quaſi de humo ſumtum: *Adamum* vero dictum Joſephus ſcribit *l.* 1. *Antiqu. c.* 2. a terra rubra, ex qua corpus ejus confictum a Deo fuit, quod hoc glebæ genus aqua mixtum facilius cogatur, & tenacius cohæreſcat. Favet Joſephi opinioni hebræum limi vocabulum *Adama*, quod, ut ait Robertus Stephanus in ſua Hebraicorum, Chaldæorum, Græcorum, & Latinorum nominum, quæ in bibliis utriuſque teſtamenti ſparſa ſunt, inter-

interpretatione, *terram ſignificat aut ruſam aut ſanguineam, quare Adam Homo ſive terrenus, aut rufus, vel ſanguineus. Nomen primi hominis creati a Deo Gen.* 2. Faceſſant itaque inſaniſſimi Manichæi, qui elementa quinque commenti, ex quibus omne aſpectabilium rerum genus extitetit, *fumum* nempe, *tenebras*, *ignem*, *& aquam*, *& ventum*, animantes qualque bipedes, & *inter* has hominem ipſum, ex fumo concretas fictaſque fuiſſe effutierunt, quod commentum erroris peſtilentiſſimi germen eſt, humanum ſcilicet corpus & carnem, ut & reliqua viſibilia, a malo Deo malorum omnium parente proceſſiſſe. Rectius ac ſapientius de humani corporis origine veteres Ethnici philoſophati ſunt, quos inter Cicero in l. de conſolatione hæc de homine egregie habet; „ Recte igitur dictum
„ eſt, corpus terram eſſe, mentem ignem
„ de cælo ſumptum (in quo erraſſe Ve-
„ teres, exercit. ſuper. adnotatum eſt),
„ id quod clarorum virorum acta cum
„ virtute vita, præclaræque actiones faci-
„ le teſtantur; quomodo enim omnia hu-
„ manæ vitæ commoda contemneret, aut
„ voluptates cunctas pro nihilo duceret,
„ aut vitam ipſam laudis honeſtatiſque
„ gratia profunderet, qui nihil quidquam
„ ad ſe, præter hæc ipſa mortalia, quæ
„ manibus contrectat, quæ terit pedibus,
„ pertinere cogitaret? Verum hæc non
„ ita ſe habent: Corpus enim e terra con-
„ cretum tamdiu terreſtrium rerum amo-
„ re ducitur, quoad in terram ipſam, un-
„ de ortum duxit, revertatur, animus ve-
„ ro, qui e cælo ſumptus eſt, ſempiter-
„ num quiddam & cæleſte appetit, nec iiſ-
„ dem, quibus corpus, finibus cogitatio-
„ nes coercet ſuas. Itaque nunquam quie-
„ ſcere, nec vere vivere putandus eſt,
„ quamdiu corpore concluſus, invitus pro-
„ pemodum mortali labe, terreniſque vin-
„ culis cohibetur. " Non ignoramus, Ciceroni a quibuſdam librum hunc abjudicari (jure ne an injuria, loci hujus non eſt definire.) Quid porro? Annon Veterum Philoſophorum, Poetarumque pleriſque cum Moſe convenit, hominem ex luto formatum? Heſiodum, Homerum, Callimachum appellat Grotius *in l. de ver. Rel. Chriſt. l.* 1. §. 16. quibus addit in notis Euripidem *Hypſipyle*, cujus hæc Cicero *l.* 3. *Tuſc.* ſic latine reddidit: „

„ Quæ generi humano angorem ne-
„ quicquam adferunt,
„ Reddenda eſt terræ terra: tum vi-
„ ta omnibus
„ Metenda, ut fruges: ſic jubet ne-
„ ceſſitas.

& hæc ejuſdem *ſupplicibus*: „

„ Jam ſinite, mortuos terræ gremio
„ tegi:
„ Res unde quæque ſumpſerat pri-
mordium,
„ Eo recipitur: Spiritus cælo redit,
„ Corpuſque terræ: jure; nec enim
„ mancupi,
„ Sed brevis ad ævi tempus utendum
„ datur,
„ Mox terra repetit, ipſa quod nu-
„ triverat. "

addit & Cenſorini locum: „ Democrito
„ vero Abderitæ ex aqua limoque primum
„ viſum eſt, homines procreatos: nec lon-
„ ge ſecus Epicurus. "

IV. Etſi quotquot argumentum hoc verſant, multi eſſe ſoleant in refutandis ſtultiſſimis Hebræorum commentis, quorum alii fingunt, tale a Deo corpus Adæ formatum, quale infantis eſt recenter e vulva effuſi, alii contra tam immanis proceræque ſtaturæ, ut nec Poetarum Titanes, qui bellum Diis intuliſſe feruntur, eo majores, alii demum biforme, & utrumque ſexum referens, (quod commentum mirum eſt, ab Auguſtino Stheuco Eugubino Viro cæteroqui doctiſſimo & peracuto adoptari potuiſſe) videremur ipſi tamen nobis, literis & otio abuti, ſi de tam ridiculis, quorum futilitas in cujuſque oculos ſtatim incurrit, ſerio laboraremus. Utiliora perſequimur, quæ ad divinam, quæ in humano corpore potiſſimum elucet, commendandam ſapientiam conferre poſſunt, illudque inprimis, quod *Eccleſ.* 7. Salomon ait: *Deus fecit hominem rectum*, ſeu, ut interpretatur D. Thomas, optimam ei maximeque convenientem corporis diſpoſitionem attribuit, quod luculenter declarat *loc. cit. ar.* 3. *in. c. ajens*: „ Omnes res
„ naturales productæ ſunt ab arte divina,
„ unde ſunt quodammodo artificiata ipſius
„ Dei: Quilibet autem artifex intendit
„ operi ſuo optimam diſpoſitionem indu-
„ cere non ſimpliciter, ſed per compara-
„ tionem ad finem, & ſi talis diſpoſitio

,, habet ſecum adjunctum aliquem defe-
,, ctum, artifex non curat, ſicut artifex,
,, qui facit ſerram ad ſecandum, facit eam
,, ex ferro, ut ſit idonea ad ſecandum...
,, nec ex vitro, quæ eſt pulcrior materia,
,, quia talis pulcritudo eſſet impedimen-
,, tum finis. Sic igitur Deus unicuique rei
,, naturali dedit optimam diſpoſitionem
,, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum
,, ordinem ad proprium finem: finis au-
,, tem proximus humani corporis eſt ani-
,, ma rationalis; & operationes ipſius...
,, Deus ergo inſtituit corpus humanum in
,, optima diſpoſitione ſecundum convenien-
,, tiam ad talem formam, & ad tales o-
,, perationes; & ſi aliquis defectus in diſ-
,, poſitione humani corporis eſſe videtur,
,, conſiderandum eſt, quod talis defectus
,, ſequitur ex neceſſitate materiæ ad ea,
,, quæ requiruntur in corpore, ut ſit de-
,, bita proportio ipſius ad animam, & ad
,, animæ operationes. "

V. Quid ergo ſi animalia quædam homini ſenſuum acumine & motus velocitate præſtant, ut canum multo acrior fertur olfactus, volucrum, & plurium etiam quadrupedum multo major pernicitas motus? Optime ibidem reſpondet *ad* 1., tactum, qui cæterorum ſenſuum fundamentum eſt, in homine eſſe quam in reliquis animantibus, perfectiorem, oportuiſſe propterea, ut eſſet ejus inter omnia animalia complexio temperatiſſima. Hinc declarat, quadam neceſſitate contingere, ut hominis exteriores quidam ſenſus præ aliis animalibus minus acres acutique ſint, ſicut hominis obtuſior eſt odoratus; ,, ne-
,, ceſſarium enim fuit, ut homo inter alia
,, animalia reſpectu ſui corporis haberet
,, maximum cerebrum, tum ut liberius
,, in eo perficerentur operationes interio-
,, rum virium ſenſitivarum, quæ ſunt ne-
,, ceſſariæ ad intellectus operationem, tum
,, etiam ut frigiditas cerebri temperaret
,, calorem cordis, quem neceſſe eſt, in
,, homine abundare, ut ſit rectæ ſtaturæ:
,, magnitudo autem cerebri propter ejus
,, humiditatem eſt impedimentum olfactus
,, qui requirit ſiccitatem. Similiter aſſi-
,, gnari poteſt ratio, quare animalia quæ-
,, dam ſint acutioris viſus, & ſubtilioris
,, auditus, quam homo, propter impedi-
,, mentum horum ſenſuum, quod neceſſe
,, eſt, conſequi in homine ex perfecta
,, complexionis æqualitate: Eadem eſt ra-
,, tio aſſignanda, quod animalia quædam
,, ſunt homine velociora, cui excellentiæ
,, velocitatis repugnat æqualitas humanæ
,, complexionis. "

VI. Quid etiam, ſi homini nudum, inerme, & molle corpus dedit Deus, animantes contra alias coriis texit, alias veſtivit villis, pluma alias, alias ſquammis obduxit, alias armavit cornibus, ſpinis alias, aliis pennarum effugia tribuit? Argumentum hoc, quod & adverſus Dei providentiam torqueri ab impiis ſolet, perſpicue diſſolvit Angelicus ibidem *ad* 2. ſcribens: ,, Cornua & ungulæ, quæ ſunt
,, quorumdam animalium arma, & ſpiſſi-
,, tudo corii, & multitudo pilorum ac plu-
,, marum, quæ ſunt animalium tegumen-
,, ta, teſtantur abundantiam terreſtris ele-
,, menti, quæ repugnat æqualitati & te-
,, neritudini humanæ complexionis, & ideo
,, hæc homini non competebant, ſed loco
,, eorum habet rationem & manus, qui-
,, bus poteſt, parare ſibi arma & tegu-
,, menta & alia vitæ neceſſaria infinitis
,, modis, unde & manus *in 3. de anima*
,, dicitur *organum organorum;* & hoc et-
,, jam magis competebat rationali naturæ,
,, quæ eſt infinitarum conceptionum, ut
,, haberet facultatem infinita ſibi inſtru-
,, menta parandi. ,,

VII. Quam ſunt etiam ea concinna, quam firma, quam ad divinæ ſapientiæ, & providentiæ commendationem apposita, quibus rectam, qua Deus inter cætera animalia ſolum hominem eſſe juſſit, ſtaturam maxime convenientem eſſe, demonſtrat! ,, Primo quidem, quia ſenſus
,, ſunt homini dati non ſolum ad vitæ
,, neceſſaria procuranda, ſicut aliis ani-
,, malibus, ſed etiam ad cognoſcendum;
,, unde, quum cætera animalia non de-
,, lectentur ſenſibilibus, niſi per ordinem
,, ad cibos & ad venerea, ſolus homo
,, delectatur ipſa pulcritudine ſenſibilium
,, ſecundum ſeipſam: & ideo, quia ſen-
,, ſus præcipue vigent in facie, alia ani-
,, malia habent faciem pronam in terra,
,, quaſi ad cibum quærendum, & ad
,, providendum ſibi de victu, homo vero
,, habet faciem erectam, ut per ſenſum,
,, præcipue per viſum, qui eſt ſubtilior,
,, & plures differentias rerum oſtendit,
,, libere poſſit, ex omni parte ſenſibilia
,, cognoſcere, & cæleſtia & terrena, ut
,, ex omnibus intelligibilem colligat veri-
,, tatem. Secundo, ut interiores vires
,, liberius ſuas operationes habeant, dum

,, cere-

Digitized by Google

„ cerebrum , in quo quodammodo perfi-
„ ciuntur, non eſt depreſſum , ſed ſuper
„ omnes partes corporis elevatum . Ter-
„ rio, quia oporteret , quod ſi homo ha-
„ beret pronam ſtaturam , uteretur ma-
„ nibus loco anteriorum pedum , & ſic
„ utilitas manuum ad diverſa opera per-
„ ficienda ceſſaret . Quarto , ſi haberet
„ pronam ſtaturam , & manibus uteretur
„ loco anteriorum pedum , oporteret, ut
„ cibum ore caperet , & ita haberet os
„ oblongum , & labia dura & groſſa ,
„ linguam etiam duram , ne ab exterio-
„ ribus læderetur , ſicut patet in aliis
„ animalibus, & talis diſpoſitio omnino
„ impediret locutionem , quæ eſt pro-
„ prium opus rationis. Et tamen homo
„ ſtaturam rectam habens maxime di-
„ ſtat a plantis; nam homo habet ſupe-
„ rius ſui , ideſt caput, verſus ſuperius
„ mundi , & inferius ſui verſus inferius
„ mundi , & ideo eſt optime diſpoſitus
„ ſecundum diſpoſitionem totius : plantæ
„ vero habent ſuperius ſui verſus inferius
„ mundi , nam radices ſunt ori propor-
„ tionales, inferius autem ſui verſus ſu-
„ perius mundi : Animalia vero bruta
„ medio modo ſe habent , nam ſuperius
„ animalis eſt pars, qua accipit alimen-
„ tum , inferius autem eſt pars , qua
„ emittit ſuperfluum. “

VIII. Quoniam autem in argumento verſamur, quo ad demonſtrandam adverſus veteres recenteſque Epicuræos ſummi Artificis ſapientiam providentiamque nullum eſt luculentius ac validius, lubet Ciceronem afferre, qui illud idem *l. 2. de nat. Deorum* perſequitur eloquentiſſime :

„ Ad hanc providentiam naturæ tam di-
„ ligentem , tamque ſolertem adjungi
„ multa poſſunt, e quibus intelligatur ,
„ quantæ res hominibus a Deo , quam-
„ que eximiæ tributæ ſint, qui primum
„ eos humo excitatos , celſos & erectos
„ conſtituit , ut Deorum cognitionem ,
„ cælum intuentes, capere poſſent. Sunt
„ enim e terra homines non ut incolæ
„ & habitatores , ſed quaſi ſpectatores
„ ſuperarum rerum atque cæleſtium, qua-
„ rum ſpectaculum ad nullum aliud ge-
„ nus animalium pertinet : Senſus au-
„ tem, interpretes ac nuntii rerum, in
„ capite tanquam in arce mirifice ad
„ uſus neceſſarios & facti & collocati
„ ſunt; nam oculi tamquam ſpeculatores
„ altiſſimum locum obtinent , ex quo
„ plurima conſpicientes fungantur ſuo
„ munere; & aures quum ſonum perci-
„ pere debeant , qui natura in ſublime
„ fertur, recte in altis corporum parti-
„ bus collocantur : itemque nares , eo
„ quod omnis odor ad ſupera fertur , re-
„ cte ſurſum ſunt, & quod cibi & po-
„ tionis judicium magnum earum eſt ,
„ non ſine cauſa vicinitatem oris ſecutæ
„ ſunt . Jam guſtatus , qui ſentire eo-
„ rum, quibus veſcimur, genera debe-
„ ret , habitat in ea parte oris , qua
„ eſculentis & potulentis iter natura pa-
„ tefecit : Tactus autem toto corpore
„ æquabiliter fuſus eſt, ut omnes ictus ,
„ omneſque nimios frigoris & caloris ap-
„ pulſus ſentire poſſimus; atque, ut in
„ ædificiis architecti avertunt ab oculis
„ & naribus dominorum ea , quæ ne-
„ ceſſario profluentia tetri eſſent aliquid
„ habitura, ſic natura res ſimiles procul
„ amandavit a ſenſibus . Quis vero opi-
„ fex, præter naturam (ideſt ſummum
„ naturæ artificem) qua nihil callidius ,
„ tantam ſolertiam perſequi potuiſſet in
„ ſenſibus ? “

IX. Singulorum exinde ſenſuum mirabilem ſtructuram deſcribit, oculorum primo, quos natura lubricos fecit ac mobiles, ut & declinarent , ſi quid noceret , & adſpectum , quo vellent, facile converterent , quos & palpebris texit molliſſimis tactu , ne læderent aciem , & aptiſſime factis & ad claudendas pupulas, ne quid incideret, & ad aperiendas , cum maxima celeritate , quibus demum & tamquam vallo pilorum e palpebris extantium munitis, & ſuperciliis , quæ ſudorem repellerent a capite, & a fronte defluentem , obductis , naſum tanquam murum interjecit, tum & auditus, qui , etſi ſemper pateat, flexuoſum tamen iter habet , ne quid intraret , ſi ſimplex & directum pateret, cui & proviſum, ut, ſi qua minima beſtiola conetur irrumpere, in ſordibus aurium, tanquam in viſco inhæreſcat, cujus & regendi & tutandi cauſa factæ ſunt aures , duros & quaſi corneolos habentes introitus , multiſque cum flexibus , quod his naturis relatus amplificatur ſonus, ſimiliter & narium, quæ quod ſemper propter neceſſarias utilitates patulæ ſint , contractiores habent aditus, ne quid in eas, quod noceat, pervadere poſſit, humoremque ſemper habent, ad pulverem multaque alia de-

depellenda non inutilem, guſtatus denique a natura præclare ſepti, & ad uſum apti & ad incolumitatis cuſtodiam.

X. Quam diſerte demonſtrat, omnes hominum ſenſus multo antecellere ſenſibus beſtiarum! oculos primum in iis artibus, quarum judicium eſt oculorum, in pictis, fictis, cælatiſque formis, in corporum etiam motione atque geſtu multa ſubtilius cernere, colorum etiam & figurarum venuſtatem atque ordinem, & ut ita dicam, decentiam judicare, atque etiam his majora, nam & iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignavum, timidumque cognoſcunt, aurium quoque admirabile quoddam eſſe, artificioſumque judicium, quo judicatur, & in vocis, & in tibiarum, fidiumque cantibus ſonorum varietas, intervalla, diſtinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuſcum, læve, aſperum, grave, acutum, flexibile, durum, quæ hominum ſolum auribus judicantur, narium etiam, & guſtandi, & arte tangendi exquiſitiora judicia eſſe, ad quos ſenſus capiendos, & oblectandos, plures etiam, quam oporteret, decereique, artes repertæ ſunt; perſpicuum eſt enim, quo compoſitiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia, noſtra hac præſertim ætate, proceſſerint.

XI. Nihil vero iis præclarius, quæ de manuum, quas multarum artium miniſtras natura homini dedit, conſtructione differit atque utilitate. „ Digitorum, ait,
„ contractio facilis, faciliſque porrectio
„ propter molles commiſſuras & artus
„ nullo in motu laborat. Itaque ad pin-
„ gendum, ad fingendum, ad ſcalpen-
„ dum, ad nervorum eliciendos ſonos ac
„ tibiarum, apta manus eſt, admotione
„ digitorum, atque hæc oblectationis,
„ alia neceſſitatis, cultus dico agrorum,
„ extructioneſque tectorum, tegumenta
„ corporum vel texta, vel ſuta, omnem-
„ que fabricam æris & ferri, ex quo in-
„ telligitur, adinventa animo, percepta
„ ſenſibus, adhibitis opificum manibus
„ omnia nos conſecutos, ut tecti, ut
„ veſtiti, ut ſalvi eſſe poſſimus, urbes,
„ muros, domicilia, delicias haberemus.
„ Jam vero operibus hominum, ideſt
„ manibus, cibi etiam varietas invenitur,
„ & copia; nam & agri multa ferunt
„ manu quæſita, quæ vel ſtatim conſu-
„ mantur, vel mandentur condita vetu-
„ ſtati: Præterea veſcimur beſtiis & ter-
„ renis, & aquatilibus, & volatilibus,
„ partim capiendo, partim alendo: Effi-
„ cimus etiam domitu noſtro quadrupe-
„ dum vectiones, quorum celeritas atque
„ vis nobis ipſis affert vim atque celeri-
„ tatem. Nos onera quibuſdam beſtiis,
„ nos juga imponimus, nos elephantorum
„ acutiſſi.nis ſenſibus, nos ſagacitate canum
„ ad utilitatem noſtram abutimur: nos
„ e terræ cavernis ferrum elicimus, rem
„ ad colendas agros neceſſariam, nos
„ æris, argenti, auri venas penitus abdi-
„ tas invenimus, & ad uſum aptas, &
„ ad ornatum decoras: arborum autem
„ confectione, omnique materia & cul-
„ ta & ſilveſtri, partim ad calefacien-
„ dum corpus, igni adhibito, & ad mi-
„ tigandum cibum utimur, partim ad
„ ædificandum, ut tectis ſepti frigora ca-
„ loreſque pellamus. Magnos vero uſus
„ affert ad navigia facienda, quorum cur-
„ ſibus ſuppeditantur omnes undique ad
„ vitam copiæ, quaſque res violentiſſi-
„ mas natura genuit, earum moderatio-
„ nem nos ſoli habemus, maris atque
„ ventorum, propter nauticarum rerum
„ ſcientiam, plurimumque maritimis re-
„ bus fruimur atque utimur. Terreno-
„ rum item commodorum omnis eſt in
„ homine dominatus. Nos campis, nos
„ montibus fruimur, noſtri ſunt amnes,
„ noſtri lacus: nos fruges ſerimus, nos
„ arbores: nos aquarum inductionibus
„ terris fæcunditatem damus, nos flumi-
„ na arcemus, dirigimus, avertimus, no-
„ ſtris denique manibus in rerum natura
„ quaſi alteram naturam facere cona-
„ mur. “

XII. Mittimus, quæ de interioris humani corporis præcipuarum partium, aſperæ arteriæ, ſtomachi, pulmonum, cordis, jecoris, alvi, inteſtinorum, venarum, oſſium, nervorumque incredibili ſtructura luculentiſſime habet, quorum etſi aliquid ceu minus ad veritatem exactum Andreas Veſalius *l. 5. de humani corporis fabrica c. 6.* reprehendat, Beiulejus tamen, adhibito Macrobio, viro rerum naturalium minime imperito, & utriuſque linguæ callentiſſimo, ſequeſtre & interprete, Ciceronem plane ad veritatem ſcripſiſſe, eique cum Galeno in præſtantiſſimo opere *de uſu partium* probe convenire, demonſtrat. „ Hæc con-
„ tuens-

„ tuens animus qui poteſt non Dei co- „ gnitionem accipere, ex qua oritur pie- „ tas, cui conjuncta juſtitia eſt, reliquæ- „ que virtutes, e quibus vita beata exi- „ ſtit par & ſimilis Superum, nulla re, „ niſi immortalitate, quæ nihil ad bene „ vivendum, cedens cæleſtibus.„ Quibus „ rebus expoſitis, concludit Cicero, ſatis „ docuiſſe videor, hominis natura quan- „ to omnes anteiret animantes; ex quo „ debet intelligi, nec figuram ſitumque „ membrorum, nec ingenii mentiſque „ vim effici potuiſſe fortuna; “ nam, ut ait rectiſſime Grotius l. ſæpius laudato de ver. Rel. Chriſt. §. *6.* „ Si huma- „ ni corporis admirabilem conſtructionem „ intus extraque conſpicimus, &, ut o- „ mnia ibi, etiam minima, ſuos uſus „ habeant, nullo ſtudio, nulla arte Pa- „ rentum, arte vero tanta, ut Philoſo- „ phorum ac Medicorum præſtantiſſimi „ nunquam ea ſatis poſſint admirari, „ oſtendit hoc, opificem naturæ eſſe „ Mentem excellentiſſimam, qua de re „ videri poteſt Galenus, præſertim qua „ parte oculi & manus uſum examinat.“ Sed de corporis primi hominis formatione jam ſatis: Diſquirendum, an & mulieris, quam ſociam ei Deus dedit & adjutricem, corpus eadem fuerit ratione formatum.

EXERCITATIO IV.

De productione mulieris.

I. PAulo operoſior hæc exercitatio futura eſt, quod ſit ipſa Moſaicæ narrationis veritas vindicanda; eam namque affert difficultatem, ut Catholicorum nonnullis allegoriam continere viſa ſit, non hiſtoriam. Hæc de muliere Moſes Gen. 2. *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus: Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam; quumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, adduxitque eam ad Adam: Dixitque Adam: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quia de viro ſumpta eſt.* Eo itaque conſilio Deus ad mulieris formationem aggreſſus eſt, ut homo *ſimile ſibi adjutorium* haberet ad ſobolis procreationem, ad domeſtica ſocialis vitæ munia ſuſtinenda, & ad alendam educandamque tenellam prolem, quod ut impleret, *immiſit ſoporem in Adam*, non naturalem, quem corporis laſſitudo, aliæve cauſæ ſolent inducere, ſed myſticum ſive propheticum, quo captus Adam probe perciperet, quid ageretur, quidve in eo myſterii ineſſet, quæ veterum Patrum ſententia eſt, quam & Septuaginta Interpretum confirmat auctoritas, qui pro *ſopore extaſim* transſtulerunt. Dum ſomnus ejuſmodi Adamum complexus eſſet, Deus de latere ejus coſtam detraxit, ex qua mulieris corpus effecit. Quid porro cauſæ fuit, ut ex viro mulierem Deus efformare voluerit, quum in nulla animentium ſpecie quidpiam ſimile præſtitiſſe, legatur? Quatuor divini hujus conſilii rationes 1. *p. q.* 92. *art.* 2. *in c.* profert D. Thomas: „ Primo quidem, „ ut in hoc quædam dignitas primo ho- „ mini ſervaretur, ut ſecundum Dei ſi- „ militudinem & ipſe eſſet totius ſpeciei „ ſuæ principium, ſicut Deus eſt princi- „ pium totius univerſi; unde & Paulus „ dicit Act. 17. *Deus fecit ex uno omne* „ *genus hominum:* Secundo, ut vir ma- „ gis diligeret mulierem, eique inſeparabilius inhæreret, dum cognoſceret eam „ ex ſe eſſe productam; unde dicitur „ Gen. 2. *De viro ſumpta eſt*: Quamo- „ brem *relinquet homo patrem & ma-* „ *trem, & adhærebit uxori ſuæ.* Et hoc „ maxime neceſſarium fuit in humana „ ſpecie, in qua mas & fæmina comma- „ nent per totam vitam, quod non con- „ tingit in aliis animalibus: Tertio, „ quia mas & fæmina conjunguntur in „ hominibus non ſolum propter neceſſita- „ tem generationis, ſed etiam propter „ domeſticam vitam, in qua ſunt aliqua „ opera viri & fæminæ, & in qua vir „ eſt caput mulieris; unde convenienter „ ex viro formata eſt mulier ſicut ex ſuo „ principio: Quarta vero eſt ratio Sa- „ cramentalis; figuratur enim per hoc, „ quod Eccleſia a Chriſto principium ſu- „ mit; unde Apoſtolus ad Eph. 5. ait: „ *Sacramentum hoc magnum eſt: ego au-* „ *tem dico in Chriſto, & in Eccle-* „ *ſia.*

II. Perbelle quoque ibidem *art. 3. in corp.* exponit, cur de viri coſta potius, quam de alia quavis corporis ejus parte mulierem Deus effinxerit; neque enim id conſilio atque myſterio vacare credendum

dum

dum eſt : „ Primo quidem, ait, ad ſi-
„ gnificandum, quod inter virum & mu-
„ lierem debet eſſe ſocialis conjunctio ;
„ neque enim mulier debet dominari in
„ virum, & ideo non eſt formata de ca-
„ pite, neque debet a viro deſpici, tam-
„ quam ſerviliter ſubjecta, & ideo non
„ eſt formata de pedibus : Secundo pro-
„ pter Sacramentum, quia de latere Chri-
„ ſti dormientis in cruce fluxerunt Sacra-
„ menta, ideſt ſanguis, & aqua, quibus
„ eſt Eccleſia inſtituta. “ Eſt & aliud
in hac mulieris formatione myſterium,
quod Chiſtus ipſe *Math.* 19. declaravit,
quum Phariſæis interrogantibus, an viro
liceret, uxorem quacunque de cauſa di-
mittere, reſpondens ait : *Non legiſtis,
quia qui fecit hominem ab initio, maſcu-
lum & fœminam fecit eos, & dixit, pro-
pter hoc dimittet homo patrem & ma-
trem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt
duo in carne una ? Itaque jam non ſunt
duo, ſed una caro. Quod ergo Deus con-
junxit, homo non ſeparet* ; quibus verbis
damnatam a Chriſto polygamiam, &
perpetuum matrimonii vinculum confir-
matum Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14.,
quæ de Sacramento matrimonii eſt,
animadvertit, ajens : „ Hoc autem vin-
„ culo duos tantummodo copulari & con-
„ jungi, Chriſtus Dominus apertius do-
„ cuit, quum poſtrema illa verba tam-
„ quam a Deo prolata referens ait : *Ita-
„ que jam non ſunt duo, ſed una caro* ;
„ ſtatimque nexus ejuſdem firmitatem ab
„ Adamo tanto ante pronunciatam his
„ verbis confirmavit : *Quod ergo Deus
„ conjunxit, homo non ſeparet*. Idem an-
„ tiquis Patribus, Chryſoſtomo præſer-
„ tim, animadverſum, qui *hom. 63. in
„ Math.* hæc habet : Antequam ſenten-
„ tiam proferret, confirmationem a Scri-
„ ptura poſuit, oſtendens, Dei & Patris
„ omnium id eſſe mandatum, & quod
„ ea, quæ ab ipſo ſunt dicta de non re-
„ pudianda uxore, non modo non repu-
„ gnant, ſed valde cum Moſe conve-
„ niunt. Conſiderandum autem eſt,
„ quod non ſolum ab opificio, ſed etiam
„ ab ipſo præcepto ſententiam corrobo-
„ rat ; non enim dixit, quia virum &
„ mulierem unam ſolummodo fecit, ve-
„ rum etiam, quia juſſit, ut unus uni
„ conjungarur : nam ſi voluiſſet, alte-
„ ram etiam duci uxorem, uno viro crea-
„ to, multas formaſſet mulieres, nunc
„ vero & creationis & ſanctionis modo
„ unam uni perpetuo conjungi, & nun-
„ quam reſcindi oportere, perdocuit. “
Unam autem tantum a Deo in mundi
exordiis formatam fuiſſe mulierem, da-
tamque Adæ ſociam, tunc erat adeo per-
vulgatum, Hebræiſque tam firmiter per-
ſuaſum, ut Chriſto palam aperteque id
memoranti Scribarum Phariſæorumque
nullus contradixiſſe legatur ; quare recen-
tior eſt, & Chriſti ætate poſterior fabula
apud Judæos pervagata, duas a Deo mu-
lieres efformatas, ac primo homini con-
juges attributas. Hanc merito ridet, va-
lideque refellit Auguſtinus *l. 2. contra
Adverſarium legis & Prophetarum c.* 1.,
quum enim obſcurus quidam de Marcio-
nis vel Manetis ſchola blateraret, ſacras
vet. teſt. literas ab Apoſtolis ipſis redar-
gui, damnarique, a Paulo præſertim 1.
ad Tim. c. 1. ſcribente : *Ne intendas fa-
bulis judaicis, & genealogiis infinitis,
quæ quæſtiones magis pariunt, quam ædi-
ficationem*, & ibid. c. 4. *Profanas & ani-
les fabulas devita*, Auguſtinus oſtendit,
Paulum non ſcriptas veteris teſtamenti
literas inſectari, ſed traditiones quaſdam
commenticias, quas a Majoribus ſuis ac-
ceptas, non ſolum præter, ſed & contra
apertam divini verbi auctoritatem, He-
bræi mordicus retinebant, quas inter non
infimum obtinebat locum figmentum il-
lud vaniſſimum de duabus fœminis primo
formatis : „ Neſcit autem (ita Mani-
„ chæum perſtringit Auguſtinus), Ju-
„ dæos habere, præter Scripturas legiti-
„ mas, & propheticas, quaſdam tradi-
„ tiones ſuas, quas non ſcriptas habent,
„ ſed memoriter tenent, quas *deuteroſim*
„ (ideſt ſecundo loco a Scripturis ha-
„ bendas) vocant, ubi etiam dicere au-
„ dent, & credere, Deum primo homi-
„ ni duas formaſſe mulieres, ex quibus
„ texunt genealogias, vere, ſicut ait A-
„ poſtolus, infinitas, parientes quæſtiones
„ infructuoſiſſimas. “

III. Multo futiliora ſunt commenta,
quibus Philoſophi ac Poetæ Ethnici nar-
rationem hanc Moſis inquinarunt ac cor-
ruperunt. Plato Moſis librorum expilator
fabellam cudit, cujus a Rabbinis poſtmo-
dum, deinde ab Eugubino adoptatæ ſu-
periori exercitatione meminimus, primum
nempe hominem, ut eſt apud Euſebium
l. 12. de præpar. Evang. c. 12., androgy-
num, ſive utroque ſexu inſtructum fuiſſe

con-

conditum, atque ita conformatum, ut maris & fœminæ corpora adverſis humeris atque cervicibus arctiſſime cohæreſcerent, quæ a Jove poſtea diſſecta mutuum in conſpectum venerint, ſicque facti ſint mas & fœmina, quo generationi locus eſſet, jubente Jove, diviſi. Heſiodum quoque Origenes, Cyrillus Alexand. aliique graviter reprehendunt, quod in librorum Moſis, quos tamen non intellexit, lectione verſatus, partim per inſcitiam, partim incredibili illa, quam ſibi arrogare Poetæ ſolent, fingendi licentia, quæ de Evæ formatione a Moſe traduntur, præpoſtere confuderit, turpiterque vitiarit; Commentus eſt enim, iratum mortalibus Jovem, ut eos peſtilenti, blando tamen malo mulctaret, formandæ mulieris Vulcano; fallacibus pigmentis liniendæ Palladi, pravis moribus, fallacibuſque artibus imbuendæ partes Mercurio demandaſſe, quo factum eſt, ut e fœmina, quam *Pandoram* dici voluit, ita efformata ac inſtituta, omne malorum genus in terrarum orbem eruperit:

„ Nam prius humano generi mala
„ nulla fuerunt:
„ Expers ſoliciti vita laboris erat,
„ Morborumque aberant vultu pal-
„ lente catervæ,
„ Qui ſenium cunctis debile ferre
„ ſolent:
„ Fœmina ſed vacuo dum tollit o-
„ percula vaſi,
„ In mundum peſtis provocat omne
„ genus. "

Quis in commentis hujuſmodi ſola hominum, quibus, ut & Pictoribus,

„ Quidlibet audendi ſemper fuit æ-
„ qua poteſtas "

libidine excogitatis, ſerio convellendis bonas velit horas inſumere? Eſt in rebus gravioribus, ſcituque utilioribus calamus exercendus.

IV. Hæc Moſis narratio num hiſtorica, an mera parabola? rem vere geſtam num continet, an myſterium? Monſtri ſimile cuiquam videbitur, hanc a nobis quæſtionem poni; tam ſimplex enim eſt, tam aperta, eoſque veræ hiſtoriæ characteres refert Moſis narratio, ut vix ac ne vix quidem concipi poſſit, dubitationi alicui locum eſſe. Cajetanus tamen cæteroqui doctiſſimus, optimeque de Eccleſia meritus de hoc non dubitavit ſolum, ſed & conſtanter aſſeruit, quæ de mulieris formatione tradit Moſes, non veræ hiſtoriæ ſed parabolæ loco habenda eſſe, neque veritus eſt a communi Patrum, Interpretum, Theologorumque ſententia recedere; quare a nonnullis, qui hæreſeon hiſtoriam contexuerunt, inter Hæreticos relatus eſt, non inique tamen ſolum, ſed etiam inſcite; quum enim exploratum ſit, ſubiecille illum, quæcunque ſcripſerat, Romanæ Eccleſiæ judicio & correctioni; qui tam immiti, injurioſaque illum cenſura perculerunt, ignoraſſe plane videntur germanam hæreſeos hæreticique notionem; nam, ut recte ait D. Thomas *lect.* 2. *in cap.* 3. *epiſt. ad Titum*, *qui paratus eſt, corrigi ſecundum Eccleſiæ determinationem, hæreticus non eſt, quia non ex malitia errat, ſed ex ignorantia, quod de craſſa etiam ignorantia dictum accipio*, ſubdit veriſſime Melchior Cano . . . *quocirca nec errorem eligit, nec gravate feret, quum ab Eccleſia corrigetur, errorem ipſe ſuum corrigere*, quod toto capite 8. *l.* 12. *de locis theolog.* ſolide eloquenterque perſequitur. Quid ergo? Num huic Cajetani errori parcemus? Imo illum exagitabimus & pro virili refellemus: operæ tamen pretium ducimus, honoris, & juſtitiæ cauſa, præfari, quæ de eo habet idem Melchior Cano *l.* 7. *de loc. theol. c.* 3., in quo immodicam, quam ſibi ille tribuit, literas ſacras præter communem Veterum ſenſum interpretandi licentiam omni argumentorum genere inſectatur & comprimit. „ Ego
„ Virum hunc, ut ſæpe alias teſtatus ſum,
„ ſemper feci maximi; plurimum enim
„ Eccleſiam Chriſti ſuis operibus juvit.
„ Longum eſt autem, hominis commen-
„ dare ſive eruditionem ſive ingenium:
„ moleſtum etiam, univerſa ipſius opera
„ commemorare. Illud breviter dici pot-
„ eſt, Cajetanum ſummis Eccleſiæ ædi-
„ ficatoribus parem eſſe potuiſſe, niſi qui-
„ buſdam erroribus doctrinam ſuam, quaſi
„ cujuſdam lepræ admixtione fœdaſſet, &
„ vel curioſitatis libidine affectus, vel cer-
„ te ingenii dexteritate confiſus, literas
„ demum ſacras ſuo arbitratu expoſuiſſet,
„ feliciſſime quidem fere, ſed in quibuſ-
„ dam paucis locis, acurius ſane multo,
„ quam felicius; nam & vetuſtæ tradi-
„ tionis parum tenax, & in Sanctorum
„ le-

„ lectione parum quoque verſatus, libri „ ſignati myſteria ab his noluit diſcere, „ qui non ſuo ſenſu illa, ſed Majorum „ traditione, vera ſcilicet verbi Dei cla- „ vi, aperuerunt. Ita quum plurima ſcri- „ pſiſſet egregie, vertit ad extremum om- „ nia, & novis quibuſdam Scripturæ ex- „ poſitionibus aliorum, quæ vel graviſſi- „ me dixerat, aut elevavit, aut imminuit „ certe auctoritatem. Invitus quidem fa- „ cio, ut doctiſſimum Virum nomine etiam „ expreſſo reprehendam, ſed quum nomi- „ nis ac gloriæ celebritas hoc loco a Lu- „ theranis obiiceretur, notandam temeri- „ tatem putavi. “ Eſt ſanæ ætate noſtra erroris hujus magis neceſſaria refutatio, quod arripere inde anſam Increduli poſſint, univerſæ Hiſtoriæ ſacræ veritatem repudiandi ac contemnendi.

V. Sed jam, paucis his de fama Cajetani dictis, ad rem ipſam, qua nulla ſane gravior, aggredimur. Si enim non ex viri latere, ut Moſes narrat, ſed una cum viro ſimul de limo, Cajetano interprete, Eva formata eſt, falſa ſint, oportet, plura, eaque diſertiſſima, quæ de eodem hoc capite ſunt, utriuſque fœderis teſtimonia, actum iccirco de divini eloquii veritate; nam ut mulierem ex ſe formatam Adam intuitus eſt, dixiſſe, ſcribitur Gen. 2.: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, & *caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt*. At ſi mulier reipſa de viro formata non fuerat, deceptus eſt Adam, fueratque a Deo monendus, & ab inſigni hoc errore revocandus. Nonne & falſus fuerit, neceſſe eſt, Eccleſiaſtici Auctor, qui primorum parentum creationem commemorans c. 17. ait: *Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum: creavit ex ipſo adjutorium ſimile ſibi?* Si enim ſimul cum viro de eodem limo primum a Deo compacta eſt, nemo non perſpicit, eam vere non *ex ipſo creatam*. Quid etiam facias iis, quæ Paulus 1. ad Cor. c. XI., ut probet, oportere, mulierem viro ſubeſſe, ait; *non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro*, 1. quoque ad Timoth. c. 2. *Adam primus formatus eſt, deinde Eva*, item Act. 17., *fecit Deus ex uno*, nempe Adamo, *omne genus hominum inhabitare ſuper terram?* Qui hæc cum Cajetani interpretatione compones? Si *mulier non ex viro*, ſed cum viro ſimul a Deo eadem prorſus ratione formata, ineptus, imo iniquus Apoſtolus, qui mulieres jubeat viris ſubiici atque parere, quod ſit mulier ex viro ſumpta; nam ſi eadem formationis utriuſque ratio, jam non eſt, cur mulier potius viro, quam mulieri ſubiacere vir debeat. Si ambo ſimul creati, falſus Apoſtolus, qui virum *primo*, *deinde* mulierem formatam ſcribit, falſus item, qui omnis hominum generis originem *ex uno* repetit; erat enim & Eva homo, ſed non *ex uno* illo, Adamo videlicet. In promptu tamen habet vir acutiſſimus, quo ab ultimo hoc Apoſtoli teſtimonio ſe expediat, reponitque, generali illa Pauli oratione primam fœminam non comprehenſam, ſicut, quum Gen. 3. Eva *cunctorum viventium* dicitur *mater*, nemo tam excors fuerit, ut illam & Adæ matrem exiſtimet; neque tamen animadvertit, quam ſit ſuum hoc reſponſum leve & infirmum: Quis enim Evam cunctorum viventium Matrem primo vocaſſe, legitur? Nonne Adam? Apertiſſime ergo Scriptura ſignificat, Adamum, qui hoc uxori ſuæ nomen primus impoſuit, in eorum viventium numero non cenſendum, quorum Eva futura erat Mater. Eadem porro Scriptura teſtatur locupletiſſime, Evam non aliunde, quam ex viri latere ſumptam, & de ejus corpore fabricatam; quare neceſſario, concludendum, in *omni hominum genere*, quod *ex uno*, Adamo nempe, Paulus diſerte ait a Deo factum, Evam quoque fuiſſe concluſam.

VI. Quorſum autem ad profligandam peregrinam hanc & temerariam commentationem conſtantem, perpetuamque veterum Patrum traditionem conferamus, atque luculentiſſima, ut multi faciunt, Baſilii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Theodoreti, aliorumque, eorum præſertim, qui Moſaicæ hujus narrationis veritatem adverſus ſubtiliſſimas Juliani Apoſtatæ cavillationes tutati ſunt, teſtimonia recitemus? Dat Cajetanus perlibenter, expoſitionem ſuam novam eſſe, & a communi Veterum interpretatione alienam, nec tamen eorum auctoritate, & conſenſione præciſam ſibi aliiſque putat aliter literas ſacras interpretandi licentiam, ac Veteres ante eum omnes interpretati ſint. In initio ſiquidem Commentariorum in Gen. „ Si quando, inquit, occurrerit „ novus ſenſus textui conſonus, licet a „ torrente Doctorum Sanctorum alienus, „ æquum ſe præbeat Lector Cenſorem...

„ Nul-

„ Nullus deteſtetur novum ſacræ Scriptu„ ræ ſenſum, ex hoc quod diſſonat a pri„ ſcis Doctoribus ; non enim alligavit „ Deus expoſitionem ſacræ Scripturæ pri„ ſcorum Doctorum ſenſibus, ſed Scriptu„ ræ ipſi integræ ſub catholicæ Eccleſiæ „ cenſura : alioqui ſpes nobis & poſteris „ tolleretur exponendi Scripturam ſacram, „ niſi transferendo , ut ajunt, de libro in „ quinternum. “ Hactenus ille. „ Ac re„ vera (pergit Melchior Cano, qui hæc „ retulit) ſequi majores noſtros per omnia, „ & in illorum veſtigiis nos quoque pedes „ noſtros figere , ut pueri faciunt per lu„ ſum , nihil videtur eſſe aliud , quam „ ingenia noſtra damnare, judicio nos pri„ vare noſtro, & facultate inquirendæ ve„ ritatis. Sequamur Veteres, bene habet, „ ſed ut duces , non ut dominos ; non „ enim fidei noſtræ dominaturi ſunt , nec „ illis ita debemus addicti eſſe, & manci„ pati, ut in ſacris literis exponendis nul„ lum habeamus arbitrium : Hoc ſcilicet „ argumento Cajetanus moveri potuit , „ ut quintæ concluſioni adverſaretur , “ quæ eſt de communis Veterum in ſacrarum literarum expoſitione conſenſus auctoritate.

VII. Quantum autem deceptus fuerit, quamque a vero procul abierit homo alioqui eximius , multis demonſtrat ibidem Melchior Cano, qui jam inde a principio pollicitus, ſe hanc cum Cajetano cauſam ratione magis , quam teſtimoniis tranſactorum, tam validis Theologiæ rationibus hunc ejus errorem confutat, ut manus ea re cogatur quilibet non plane contumax , ſcienterque a vero averſus . Quod autem ajebat ille, non alligaſſe Deum expoſitionem Scripturæ ſacræ priſcis Doctoribus &c. „ Imo vero alligaſſe , reponit Cano , ſi „ omnes ad unum in eandem ſententiam „ concurrerint ; tenentur enim univerſi „ Catholici ſenſum Eccleſiæ ſequi : ſen„ ſum autem Eccleſiæ fuiſſe , qui idem „ fuit Doctorum Eccleſiaſticorum omnium, „ explicatum eſt paulo ante, ſatis, ut ar„ bitror, diligenter ; nec Eccleſia nunc de „ Scripturarum ſenſu judicat divinando , „ ſed ex traditione majorum eas interpre„ tatur, quemadmodum etiam, ſi qua alia „ fidei quæſtio occurrerit , Eccleſiæ judi„ cium nihil novi auribus Chriſtianæ ple„ bis infert, ſed majorum antiquam in ea „ re fidem, & inquirit, & ſequitur , ita „ quum de ſacrarum literarum ſenſu exi„ ſtit aliqua controverſia , nullam novam „ intelligentiam a cenſura Eccleſiaſtica „ expectare debemus , ſed eam , quam , „ magna facta diſquiſitione Patrum no„ ſtrorum , communem eſſe , conſtiterit . „ Spes , inquiunt, nobis & poſteris tolli„ tur exponendi ſacras literas , niſi trans„ ferendo de libro in quinternum . Mini„ me gentium ; nam, ut illud prætercam, „ quod in ſacris Bibliis loci ſunt multi , „ atque adeo libri integri , in quibus In„ terpretum diligentiam Eccleſia deſiderat, „ in quibuſque proinde Juniores poſſunt , „ & ingenii & eruditionis poſteris ipſi „ quoque ſuis monumenta relinquere , „ nonnihil nos Chriſtiano populo , ſi vo„ lumus, præſtare , & quidem utiliſſime „ poſſumus ; poſſumus enim , & vetuſtis „ novitatem dare, obſoletis nitorem , ob„ ſcuris lucem , faſtiditis gratiam, dubiis „ fidem, omnibus naturam ſuam, & na„ turæ ſuæ omnia . “ Hinc doctiſſimum elegantiſſimumque Vincentii Lirinenſis monitum adſcribit , dignum illud profecto , quod aureis literis ſcriberetur, novo nimirum Interpreti enitendum, ut intelligatur, eo exponente , illuſtrius , quod antea obſcurius credebatur , eadem tamen , quæ didicit, doceat, &, quum dicat nove , nova non dicat . Hinc etiam pater , quod nobis relictum ſit in literis ſacris exponendis arbitrium , ad quod & ingenium judiciumque exercere noſtrum , utiliter poſſumus, & facultatem inquirendæ veritatis explere, quin Veterum mancipia ſimus , & in illorum veſtigiis pedes quoque noſtros figere , puerorum more , cogamur , modo, quod idem Vincentius Lirin. graviſſime commonet, ducatum nobis religio præbeat , non nos religionis, nec majorum ſenſa, qua volumus, trahamus, ſed potius; qua illa trahunt , retrahuntque , ſectemur, atque ita poſteris noſtra tradamus , ut , quod Chriſtianæ modeſtiæ ac gravitatis proprium eſt, a majoribus accepta ſervemus .

VIII. Quoniam autem Cajetanus ita ſua voluit poſteris tradere , ut a Majoribus accepta interdum non ſervarit, in quę ſe abſurda coniecit ? Si enim liceat Cajetano, hanc Moſis narrationem non hiſtoriæ ſed parabolæ loco habere , annon & inter parabolas referre cogitur , quidquid de prima rerum origine Moſes literis conſignavit ? Mera ergo parabola non hiſtoria , quod de volucrum piſciumque ex aquis,

aquis, de animantium ac reptilium ex terra, de primi hominis e limo formatione a Moſe traditur: idne vero Cajetanus concedet, quum eodem hæc omnia ſtylo, eademque ſermonis poteſtate ita a Moſe deſcripta ſint, ut vel omnia parabolam redolere, vel omnia veram hiſtoriam, ſeu rei vere geſtæ narrationem continere, neceſſario fatendum ſit? Quum etiam Catholicorum omnium conſenſu illud maxime probetur, quod l. 1. de Gen. ad lit. c. 1. Auguſtinus ſcripſit: „ Admonendum arbitror, illud a nobis flagitandum eſſe, „ ut ad proprietatem literæ defendatur, „ quod geſtum narrat ille, qui ſcripſit: ſi „ autem in verbis Dei, vel cujuſpiam „ Perſonæ in officium propheticum aſſumptæ dicitur aliquid, quod ad literam, „ niſi abſurde, non poſſit intelligi, procul „ dubio figurate dictum ob aliquam ſignificationem accipi debet. “ Cajetani jam eſt, declarare, quid abſurdi habet Moſis de Evæ formatione narratio, quo minus *ad literam defendi* poſſit, quod non idem habeant illa, quæ de avibus & volatilibus ex aqua, de animantibus & reptilibus e terra, de homine e limo formatis Moſes ſcripſit: vel itaque omnia parabolica, vel hiſtorica. Multo ſane Cajetano præſtitiſſet, in præclaro Auguſtini monito conquieſcere *l. 8. de Gen. ad lit.* „ primitus „ accipiantur promptiſſime ad literam, ut „ deinde ex illis, quid etiam futurum res „ ipſæ geſtæ ſignificaverint, exculpatur, “ veritatem ſcilicet hiſtoriæ retinere, hinc quid in ea myſterii lateret, exponere, quam in eam reprehenſionem incidere, qua Origenem perſtrixit Vincentius Lirin., quod tantus nimirum ac talis, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibique ſatis credit, quum parvipendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum Eccleſiaſticas traditiones & Veterum magiſteria contemnens, quædam Scripturarum capitula more ſuo interpretatur, meruerit, ut de eo quoque diceretur: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta . . . & dixerit: Eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras . . . non audies verba Prophetæ illius.* Deuter. 13.

IX. Plura tamen in Moſis narratione deprehendiſſe ipſe ſibi viſus eſt Cajetanus, quibus omnem a ſe temeritatis notam amoliretur, omnemque a peregrina opinione ſua invidiam averteret, ac illud primo Gen. 1. v. 27. & 28. *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam . . . maſculum & fæminam creavit eos, & dixit, creſcite & multiplicamini, & replete terram*: Qui hæc vera erunt, ſi nonniſi poſt creatum Adamum ex ejus latere fæmina formata fuerit? Secundo illud, quod c. 2. legitur, *Adæ vero non inveniebatur adiutor ſimilis illi*, quis poſſit *ad proprietatem literæ* accipere, niſi & Deum intelligat de inveniendo inter creatas res, qui Adæ ſimilis eſſet, adiutore ſolicitum? Quam eſſet autem hæc divinæ ſapientiæ indigna inquiſitio! Tertio ſi Evam ex Adæ coſta vere Deus extruxit, procul ergo ab Adamo illa non aberat: quorſum ergo Deus illam ad Adamum dicitur adduxiſſe? Non eſt itaque hiſtorica Moſis narratio, neque *humano more*, ut & Chryſoſtomus *hom. 15. in Gen.* monet, ſeu ad literam accipienda. Ad hæc addi poſſunt, quæ ſibi D. Thomas obiecit, quibus forte permotus etiam eſt Cajetanus, ut novam cuderet expoſitionem. Qua Deus ad compingendum Evæ corpus uſus eſt, Adæ coſta, vel erat Adæ neceſſaria, vel ſupervacua: ſi primum, neceſſaria itaque corporis ſui parte minutus Adam maucus exinde fuit, & imperfectus: ſi ſecundum, monſtroſum ergo erat Adæ corpus, quod parte inutili redundabat. Rurſum qui fieri potuit ea coſtæ detractio ſine vehementi Adæ dolore? Hunc autem cum primi illius ſtatus felicitate quis compoſuerit? Denique concipi plane nequit, quomodo mulieris jam puberis & ad generationem aptæ corpus effingi e ſola viri coſta potuerit: relinquitur ergo, Moſen meram diſſe parabolam.

X. Verum non erat, cur his momentis a communi Patrum ac Theologorum ſenſu vir ſummus abſtraheretur; ea enim non eſſe, quæ cordatum movere debeant, patebit, eundo per ſingula; ac primo quidem, etſi eadem ſexta die virum ſimul & mulierem Deus crearit, non tamen eodem tempore, neque ſimul; clariora enim ſunt, quæ jam laudavimus, Apoſtoli verba, *Adam primus creatus eſt, deinde Eva*, quam ut ulla poſſint tergiverſatione eludi. Moſes itaque in primo Gen. capite in percenſendis ſex dierum operibus totus, ad ejus calcem viri & fæminæ formationem ſtrictim indicavit; ad ſextæ enim diei pertinebat opera, eratque omnium Dei operum finis & conſumatio: at in ſecundo capite, præmiſſa ſingulorum Dei ope-

operum, quæ cap. 1. late diſtinčteque deſcripſerat, generali brevique mentione, formationis viri ac mulieris, cujus veluti ſubſtantiam ſolum capite primo tradiderat, modum ordinemque fuſe ac definite deſcribit, viri corpus ajens de limo terræ, mulieris vero de Adæ coſta formatum; quare utriuſque capitis narratio vere hiſtorica eſt; in priori enim ſummatim maris & fœminæ formationis ſubſtantia perſtringitur, in poſteriori formationis eorumdem modus & ordo ample, partiteque narratur. Quid vero Cajetano in mentem venit, illud *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ſibi*, tam inepte interpretari? Etiamne in re adeo perſpicua erit cavillationi locus? Nonne uſitato apud homines loquendi modo *inveniri* pro *eſſe* uſurpatur? Quod ergo Moſes ait, *Adæ vero non inveniebatur &c.*, germanum hunc naturalemque ſenſum habet, *Adæ non erat adjutor &c.*, ut quum Eccl. 44. legimus, *Non eſt inventus ſimilis illi*, Abrahæ ſcilicet, nemo fuerit uſque eo ſtipes, qui ſuſpicetur, laboraſſe Deum in quærendo Abrahæ ſimili, nec inveniſſe. Quid etiam cogit, quod legimus, *& adduxit illam ad Adam*, fingere, Evam ab Adamo longe abfuiſſe, & ad eum a Deo adductam propius acceſſiſſe? Nonne percommode exponi poteſt, ut communis Patrum ac Interpretum ſententia fert, eam adductam, ſeu ad latus ejus formatam, mox ut ille e ſomno excitatus eſt, oculis ejus oblatam? Fac tamen, eam vere ab Adamo procul abfuiſſe, vereque ad eum adventaſſe? Quid tum inde? Annon potuit Deus mulieris corpus e viri coſta formare, ubi voluit, aut procul a loco, ubi Adamum ſomnus ceperat, aut etiam extra paradiſum, eamque eminus effictam ad virum, de quo ſumpta erat, adducere, ut illi in conjugem eſſet & ſociam? Nugæ hæ ſunt Viro graviſſimo indignæ. Nec pro eo facit Chryſoſtomus, qui in id unum intendit, non ita nos Scripturæ verbis addictos eſſe debere, ut de ſummo Deo minus digne, quam par eſt, ſentiamus, neque Deum putemus, ita inſufflaſſe, plaſmaſſe corpus viri de limo, tuliſſe coſtam, ædificaſſe ex ea mulierem, quaſi vero os ille habeat, halitumque, qui corporum viventium eſt, & manus ad tractandam cretam idoneas, ut ſtultiſſimi Antropomorphitæ ſecum animo reputarunt, ſed hæc omnia, etſi, vere, ſolo tamen voluntatis imperio geſta eſſe, credamus.

XI. Paulo plus ſucci in iis eſſe videtur, quæ ſibi D. Thomas oppoſuit, quæ forte ad ſuſtentandum errorem ſuum Cajetanus arripuit, perperam tamen; tam perſpicue enim, tamque ſcite ab eodem D. Thoma diſſoluta ſunt, ut in iis impediri jam nemo prudenter poſſit; reponit ſiquidem ad primum, coſtam illam in Adami, ut ſingularis perſona erat, corpore redundaſſe, ſecus tamen ut totius humani generis caput erat, ex quo & primam ipſam mulierem Deus efformare decreverat, ſicut & ſemen animale atque prolificum ad humani corporis integritatem non pertinet, niſi quatenus ſingularis homo propagandæ per generationem humanæ ſpeciei dare operam poteſt. Etſi vero coſta illa in Adæ, ut ſingularis homo erat, corpore redundaret, monſtroſum ne proprerea corpus ejus? Tam apte cohæreſcebat illa ad cæteras coſtas, adjunctamque carnem, ut nulla hinc extaret in corpore Adæ deformitas, labes nulla; neque enim naturæ vitio, ſed ſummi ſapientiſſimique artificis conſilio ad reliquas adjecta fuerat, ut in efformandi poſtmodum fœminei corporis materiem cederet. Ea ne vero detracta, mutilatum Adæ corpus ac imminutum? Quum non pertineret illa ad ſubſtantialem, ut ajunt, corporis Adæ integritatem, locumque, ea ſublata, vacuum Deus, ut Moſes ſcribit, illico carne repleverit, nihil iccirco de corporis Adæ perfectione deceſſit. Quamquam autem Sancti Epiphanius & Bernardus ſcribant, *immiſiſſe* Deum propterea *ſoporem in Adam*, ne, dum detraheretur coſta, doleret, Chryſoſtomus quoque *hom.* 15. *in Gen.*: „ Ne illum in auferendo, dolore, neque ob ablationem triſtitia afficeret, utraque ſic diſpenſavit, ut & citra cruciatum illius auferret, & impleto eo loco, unde abſtulerat, factorum ſenſum percipere non ſineret, “ qui tamen divinam omnipotentiam expenderit, ne addubitarit quidem, quin veriſſime D. Thomas ſcripſerit: „ Semen, quod eſt de perfectione generantis, operatione naturali cum delectatione reſolvitur; unde multo magis virtute divina corpus mulieris potuit de coſta viri abſque dolore formari. “

XII. Quid denique, ſi percipi modus nequit, quo perfectum mulieris puberis

cor-

corpus potuerit e ſola viri coſta formari? Ideo ne ad parabolam confugiendum? Quidni & inter parabolas referatur, quod de hominis e limo, animantium e terra, volucrum piſciumque ex aquis formatione narratur a Moſe, quum nos & formationis horum modus perinde lateat? Etſi vero priſci quidam Scholaſtici ad modum hunc explicandum aggreſſi, opinati ſint, coſtam illam fuiſſe divina virtute tam dilatatam, & ad eam raritatem redactam, ut mulieris corpori effingendo ſufficeret, D. Thomas hanc eorum refutat opinionem, ſtatuitque, oportuiſſe, ut ad coſtam illam tanta fieret materiei adiectio, quanta perfecto mulieris corpori formando ſat eſſet. Quæ vero & unde materies hæc? An in hunc finem tunc a Deo creata? Quum poſt abſolutum ſex dierum opificium nihil materiale a Deo *de novo creari*, Patres communiter ſentiant, probabilius D. Thomæ videtur, tantum materiei jam creatæ a Deo coſtæ viri fuiſſe additum, quantum ſat erat, ut inde perfectum mulieris corpus extaret, remque ita geſtam, quemadmodum Auguſtinus interpretatur, quinque hominum millia a Chriſto quinque panibus ſaturata, & ſingulis annis a Deo ex paucis tritici granis ſegetum copiam procreari, videlicet, ſicut Chriſtus tantum extraneæ materiei in quinque panes divina virtute convertit, ut quinquies mille hominibus ſaturandis ſufficerent, & tantum terreſtris humoris & ſucci ad pauca tritici grana Deus adjicit, ut inde copioſa meſſis exiſtat, ita tantum extraneæ materiæ in coſtam Viri converſum, ut perfectum mulieris corpus conflari inde potuerit. His de corporum viri ac mulieris productione habitis, „ conſiderandum eſt, ait D. Thomas, de fine ſive termino productionis hominis, „ prout factus dicitur ad imaginem & ſimilitudinem Dei.“

EXERCITATIO V.

De imagine Dei, ad quam homo factus eſt.

I. Hominem ad Dei imaginem factum & priſcis Ethnicis cognitum, nec ſane aliunde, quam ex Moſis Hiſtoricorum omnium antiquiſſimi libris, in quibus Deus dixiſſe legitur: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram . . . . Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum: maſculum & fœminam creavit eos*. Vere itaque ad Dei imaginem homo. At nonne ſolius æterni Verbi proprium eſt, Dei imaginem eſſe, de quo ad Col. 1. ait Apoſtolus: *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*, ad Hebr. item 1., *Qui quum ſit ſplendor gloriæ, & figura*, ſeu imago, *ſubſtantiæ ejus*, de quo & Sap. 7.: *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius?* Solum Verbum naturalis atque perfecta Dei imago, homo autem imago plurimum deficiens & imperfecta; nam, ut præclare ait D. Thomas 1. p. q. 93. ar. 1., quum Auguſtinus in l. 83. quæſtionum ſcribat, *ubi eſt imago, continuo & ſimilitudinem eſſe, ſed ubi eſt ſimilitudo, non continuo imaginem*, patet ſimilitudinem ad imaginem exigi, imaginem tamen quidpiam ad ſimilitudinem addere, nimirum ut unum ſimile altero ductum ſit & expreſſum; quare ovum, utut ſit alteri ſimile & æquale, ejus tamen imago non dicitur, quod de illo expreſſum non ſit. Quum etiam ibidem Auguſtinus aſſerat, *ubi eſt imago, non continuo æqualitatem eſſe*, quod videre eſt in cujuſpiam imagine, quæ relucet in ſpeculo, conſtat, æqualitatem ad rationem imaginis neceſſario non ſpectare, niſi imago perfecta ſit, cui nihil eorum deſit, oportet, quæ in altero inſunt, unde expreſſa eſt. Solum autem Verbum, quod ejuſdem ſit cum Patre naturæ, ſitque illi *per omnia omnino ſimile, & æquale*, perfecta ejus imago eſt: in homine vero, etſi aliqua Dei ſimilitudo ſit, a Deo ceu a primo exemplari deducta, quia tamen ſimilitudo non eſt *ſecundum æqualitatem*, imo ſummum inter exemplar, & hominem inde expreſſum infinita diſtantia, imperfecta ſolum eſt Dei imago, quod & Scriptura ſignificavit, quum ait, hominem factum *ad imaginem Dei*; præpoſitio enim *ad* acceſſum quemdam ſignificat, qui non eſt niſi rei diſtantis.

II. Imperfecta hæc vero ac deficiens Dei imago peculiarene, propriumque hominis decus? Ita ſane; „ Hoc enim, „ ait Auguſtinus l. 6. de Gen. ad lit. c. „ 13., excellit in homine, quia Deus ad „ imaginem ſuam fecit illum propter hoc,

Digitized by Google

„ hoc, quod dedit ei mentem intelle„ ctualem, qua præſtat pecoribus; " quæ ergo intelligentia, & mente carent, ad imaginem Dei non ſunt; nam, ut egregie ibidem *art.* 2. diſſerit D. Thomas, non quælibet ſimilitudo, licet de altero expreſſa ſit, ad rationem imaginis ſufficit, ſed ea neceſſaria eſt, quæ vel eſt ſecundum ſpeciem, ut imago regis in filio ſuo eſt, vel ſaltem ſecundum accidens aliquod ſpeciei proprium, præcipue ſecundum figuram, ſicut imago Regis in nummo argenteo, quare & Hilarius in l. de Synodis ait: *Imago eſt ſpecies indifferens*. Aſſimilantur autem aliqua Deo; primo quidem & maxime communiter, inquantum ſunt, ſecundo vero, inquantum vivunt, tertio vero, inquantum ſapiunt, & intelligunt, quæ, ut Auguſtinus dicit in l. 83. quæſt. q. 55., *ita ſunt Deo ſimilitudine proxima, ut in creaturis nihil ſit propinquius*; quare, quum manifeſtum ſit, ſpeciei ſimilitudinem ſecundum ultimam differentiam attendi, ſolæ intellectuales creaturæ, *proprie loquendo*, ad imaginem Dei ſunt; ſolæ enim Dei ſimiles in eo ſunt, quod velut ultimam divinæ naturæ differentiam noſtro more concipimus, in intelligendo videlicet, ideoque veriſſime Auguſtinus ſcripſit in ſerm. 27. de verbis Apoſt.: *Deus nulli alii creaturæ dedit, quod ſit ad imaginem ſuam, niſi homini*.

III. Ex his ſponte fluit, omnes omnino homines, quod ejuſdem intelligentis naturæ ſint, ad imaginem Dei factos eſſe; ſunt tamen aperta quædam in divinis literis teſtimonia, quæ & fæminis, & impiis, & æterno interitui deſtinatis ſingulare hoc humanæ naturæ decus eripiunt. Quid ergo? Num Scripturæ ſacræ invicem non cohærent, earumque ſummus Auctor Spiritus ſanctus ſibi ipſe non conſtat? Mirifice componit omnia D. Thomas ibid. art. 2., cujus doctrina digna eſt, quæ aureis literis ſcriberetur. „ Quum homo, inquit, ſecundum intel„ lectualem naturam ad imaginem Dei „ eſſe dicatur, ſecundum hoc eſt maxime „ ad imaginem Dei, ſecundum quod in„ tellectualis natura Deum imitari pot„ eſt: imitatur autem intellectualis na„ tura maxime Deum quantum ad hoc, „ quod Deus ſeipſum intelligit, atque „ amat; unde imago Dei poteſt in ho„ mine tripliciter conſiderari, uno qui„ dem modo ſecundum quod homo apti„ tudinem naturalem habet ad intelli„ gendum & amandum Deum, & hæc „ aptitudo in ipſa natura mentis conſi„ ſtit, quæ omnibus hominibus commu„ nis eſt: Alio modo ſecundum quod „ homo actu vel habitu Deum cogno„ ſcit, & amat, imperfecte tamen, & „ hæc eſt imago per gratiæ conformita„ tem: Tertio modo ſecundum quod ho„ mo Deum actu cognoſcit, & amat „ perfecte, & ſic attenditur imago ſe„ cundum ſimilitudinem gloriæ; unde „ ſuper illud Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper* „ *nos lumen vultus tui Domine*, Gloſſa „ diſtinguit triplicem imaginem ſcilicet „ *creationis*, *recreationis*, & *ſimilitudinis*. „ Prima ergo imago, (quæ & *naturæ*) „ invenitur in omnibus hominibus: ſe„ cunda, (quæ & *gratiæ*) in juſtis tan„ tum: tertia vero (quæ & *gloriæ* dici „ ſolet) ſolum in Beatis. "

IV. Hac præmiſſa doctrina jam facile eſt, Scripturarum teſtimonia, quæ dictis obſtare videntur, exponere. Quid enim ſi 1. ad Cor. c. 11. Apoſtolus ait; *Vir eſt imago Dei, mulier autem eſt imago viri*? Num fæminas a tanto hoc honore removit? Viſum id quidem obſcuris aliquot, qui & eas per ſummam contumeliam mentis expertes eſſe, ſanxerunt; ſtulte tamen & iniquiſſime, quod non eſt loci hujus evincere. Conſtituto itaque ceu explorato, & fæminas ejuſdem cum maribus naturæ eſſe, ideoque mente pollere, evidens eſt, & in eis imaginem Dei eſſe, ſicut ait D. Thomas ibidem, „ quantum ad id, in quo principaliter „ imaginis ratio conſiſtit, quantum ſcili„ cet ad intellectualem naturam; unde „ Gen. 1. quum dixiſſet, *ad imaginem* „ *Dei creavit illum*, hominem nempe, „ ſubdidit: *maſculum & fæminam crea*„ *vit eos*, pluraliter, ut Auguſtinus dicit „ l. 3. ſup. Gen. c. 22., *ne intelligatur*, „ *in uno individuo uterque ſexus fuiſſe* „ *conjunctus*: ſed quantum ad aliquid ſe„ cundarium imago Dei invenitur in vi„ ro ſecundum quod non invenitur in „ muliere; nam vir eſt principium mu„ lieris & finis totius creaturæ; unde „ quum Apoſtolus dixiſſet, quod *vir ima*„ *go & gloria eſt Dei, mulier autem eſt* „ *gloria viri*, oſtendit, quare hoc dixerit „ ſubdens, non enim vir eſt ex muliere, „ ſed mulier ex viro, *& vir non eſt*

„ *crea-*

„ *creatus propter mulierem*, *ſed mulier*
„ *propter virum*. Aliter hoc idem Apo-
ſtoli teſtimoninm expouit lect. 2. in
laudatum epiſt. ad Cor. caput: „ Obji-
„ citur, quod imago Dei attenditnr in
„ homine ſecundnm ſpiritum, in quo non
„ eſt differentia maris & fœminæ, ut di-
„ citur ad Coloſ. 3., non ergo magis di-
„ ci debet, quod vir ſit imago Dei,
„ quam mulier. Dicendum autem, quod
„ vir dicitur hic ſpecialiter imago Dei ſe-
„ cundum exteriora quædam, ſcilicet qnia
„ vir eſt principium totius humani gene-
„ ris, ſicut Deus eſt totius creaturæ prin-
„ cipium, & quia de latere Chriſti iu
„ cruce fluxerunt Sacramenta ſanguinis
„ & aquæ, quibus ſabricata eſt Eccleſia.
„ Poteſt etiam quantum ad interiora di-
„ ci, quod vir ſpecialius dicitur imago
„ Dei ſecundum mentem, iu quantum
„ in eo ratio magis viget. Sed melins
„ diceudum, quod Apoſtolus ſignanter
„ loquitur: nam de viro dixit, qnod
„ *imago & gloria Dei eſt*, de muliere au-
„ tem ſolum quod *eſt gloria viri*, ut de-
„ tur intelligi, quod eſſe imaginem Dei
„ commune viro eſt & mulieri, eſſe au-
„ tem gloriam Dei immediate proprium
„ eſt viri. " Quæ demum Scripturæ te-
ſtimonia ab impiis & reprobis Dei ima-
giuem removent, manifeſtum eſt, de
imagine intelligenda *gratiæ* & *gloriæ*,
nou *naturæ*.

V. Porro, quum multa in homine ſint,
ſecundum quæ poteſt ad imaginem Dei
factus intelligi, multæ quoque, variæque
Veterum ſententiæ fueruut, in quo po-
tiſſimum ſit hujus imaginis ratio collo-
canda, quas memorare, haud iujucundum
fuerit, priuſquam illam ſtatuamus, quam
ceu aliis probabiliorem, veroqne propio-
rem ducimus eligendam. Non mora-
mur Hæreticos, quos abſque nomine in-
dicat Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus hær.
97., & ex Philaſtrio Auguſtinus in l.
de Hæreſ. c. 76., qui blaterarunt, cor-
pus, non animam Dei imaginem eſſe,
ueque Antropomorphitas, qui non in
hominis mente, ſed in corpore Dei ima-
giuem conſtituerunt, quod Deum ipſum
corporeum crederent figura & lineamentis
hnmanis diſtinctum, qualem ſe olim Pa-
triarchis & Prophetis ſpectabilem legitur
exhibuiſſe; pinguiſſimi etiam erroris hujus
ſua eſt in tractatu de divina ſimplicitate
refutatio. Cæterum, quamquam omnino
certum ſit, Dei imaginem pertinere ſo-
lum ad mentem, quia tamen, ait D.
Thomas, „ corpus hominis ſolum inter
„ terrenorum animalium corpora non
„ pronum in alvum eſt, ſed eſt tale, nt
„ ad contemplandum cælum ſit aptius,
„ magis hoc ad imaginem & ſimilitudi-
„ nem Dei, qnam cætera animalium
„ corpora factum jure videri poteſt, nt
„ ait Auguſtinus *in l. 83. quæſt. q.* 51.,
„ quod tamen ita intelligeudum non eſt,
„ quaſi in corpore hominis ſit ipſa Dei
„ imago, ſed quia figura humaui corpo-
„ ris repræſentat per modum veſtigii ima-
„ ginem Dei in anima. " At ſi in ho-
minis mente ſolum non iu corpore Dei
imago eſt, qnorſum Moſes ait: *Creavit
Deus hominem ad imaginem ſuam: ad
imaginem Dei creavit illum, maſculum
& fœminam creavit eos?* Neque enim
ſecundnm mentem, ſed duntaxat ſecun-
dnm corpus ſexuum diſtinctio eſt. Vete-
rum nonnullos in hujus teſtimonii inter-
pretatione inſigniter erraſſe, adnotat D.
Thomas ajens: „ Sicut Auguſtinns dicit
„ l. 12. de Trin. c. 5., quidam imagi-
„ nem Trinitatis in homine poſuerunt
„ non ſecundum unum individuum, ſed
„ ſecundum plura, dicentes, quod *vir
„ Patris perſonam intimat, Filii vero Per-
„ ſonam, qui de viro ita proceſſit, ut
„ de illo naſceretur, atque ita tertiam
„ Perſonam velut Spiritum ſanctum dicunt
„ eſſe mulierem, quæ ita de viro proceſ-
„ ſit, ut non eſſet ipſa filius aut filia*,
„ quod prima facie abſurdum videtur,
„ primo quidem, quia ſequeretur, qnod
„ Spiritns ſanctus eſſet principium filii,
„ ſicut mulier eſt principium prolis, quæ
„ naſcitur de viro, ſecundo quia nnus
„ homo non eſſet niſi ad unius Perſonæ
„ imaginem, tertio quia ſecundum hoc
„ Scriptura de imagine Dei mentionem
„ facere non debuiſſet, niſi producta jam
„ prole. Et ideo dicendum, quod Scri-
„ ptura, poſtquam dixerat, *ad imaginem
„ Dei creavit illum*, *addit*, *maſculum &
„ fœminam creavit eos*, non quod imago
„ Dei ſecundum diſtinctionem ſexuum at-
„ tendatur, ſed quia Dei imago utrique
„ ſexui eſt communis, quum ſit ſecun-
„ dum mentem, in qua non eſt diſtin-
„ ctio ſexuum, unde Apoſtolus, poſtquam
„ ad Col. 3. dixerat, *induentes novum
„ hominem, qui renovatur in agnitionem
„ Dei ſecundum imaginem ejus, qui crea-*

„ *vit*

-it illum, ſubdit, *ubi non eſt maſculus & femina.* "

VI. Licet autem antiqui Eccleſiæ Pa-
es Dei imaginem in ſola hominis men-
mira conſenſione conſtituant, quanta
men eos inter in explicanda imaginis
ſimilitudinis hujus ratione varietas!
ertulliano l. 3. contra Marcionem c. 5.
6. viſus eſt homo ad Dei imaginem
tus, quod liberi arbitrii ſit, ut & ſum-
s hominis Opifex Deus: in hanc ejus
tentiam conceſſerunt Sancti Ambro-
s, Hieronymus, Jo. Damaſcænus, alii-
: plures, quorum teſtimonia adſcribit
t. Alex. in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. ar.
prop. 2. ad 1. mundi ætatem. Fauſtus
jenſis Epiſcopus, & S. Maximus M.
nati ſunt, hanc Dei in homine imagi-
n in immortalitate, æternitateque ſi-
i eſſe, quæ non ſolum menti natura-
eſt, ſed & corpori poſt reſurrectionem
mittitur. Chryſoſtomus ac Gregorius
iſſenus in imperio eam collocant domi-
ique, quem Deus homini mox ut il-
condidit, in animantia quæque, uni-
umque terrarum orbem contulit, qui-
concinit Marius Victor l. 1.

„ Nunc hominem faciamus, ait, qui
„ regnet in orbe,
„ Et ſit imago Dei: ſimilem decet
„ eſſe creanti,
„ Liber ad arbitrium fruitur qui
„ mente creatus. "

aſius Cyzicænus in actis Nicænæ Sy-
i hanc Dei imaginem non in aliquo
træ bono, ſed in vitæ ſanctimonia,
umque integritate repoſuit, in quam
ntiam propendere videtur & Ambro-
in l. de bono mortis c. 5., Epipha-
denique ſenſit, divinæ hujus imagi-
ationem fruſtra perquiri; neque enim
nima., neque in virtute, neque in
rio, neque in quovis alio nobis
rato dono ſtatuenda eſt, ſed in ali-
nobis hactenus incomperto, quod nec
ari poteſt: „ Non eſt, ait, ullo
do definiendum aut affirmandum,
nam in parte illa imago conſiſtat;
ineſſe quidem in homine fatendum
, ne divinum beneficium tollamus e
dio . . . . Quæcunque enim ille di-
, vera ſunt, tametſi nonnullæ ſen-
tiæ ſint, quæ aciem noſtræ mentis
giant. "

VII. Quid nos vero in hac opinionum varietate? In eam libentius imus, quam D. Thomas e Sanctis Ambroſio & Auguſtino deſcriptam adoptavit, quamque ex eodem depromptam ſic proferimus & explicamus. Imaginis Dei, quæ in homine elucet, ratio collocanda videtur in anima, quæ una quum ſit, & tribus facultatibus, mente nimirum, memoria & voluntate, prædita, Divinarum Perſonarum in naturæ unitate Trinitatem, imperfecte licet, adumbrat, & exprimit, ita ut in homine Dei, ut unus & trinus eſt, imaginem ineſſe intelligamus, ut unus quidem eſt, quia Deum imitatur non ſolum in hoc, quod *eſt*, *& vivit*, ſed *& in hoc quod intelligit*, ut trinus vero, quia & in homine eſt verbi, amoriſque proceſſio, ac proinde principium, verbum, & amor, & quemadmodum ex Deo Patre procedit Verbum, ex Patre ſimul & Verbo Spiritus ſanctus qui amor eſt, ita intra hominem *ex notitia formatur verbum*, & *ex verbo in amorem prorumpitur*. Ambroſius in l. de dignitate conditionis humanæ c. 11. primo explicans, quomodo ad Dei unius imaginem homo ſit, inquit: „ Sicut Deus eſt, & vivit, „ & ſapit, ita anima ſecundum modum „ ſuum eſt, vivit, & ſapit: " exin declarans, quomodo ad ejuſdem, ut trinus eſt, imaginem ſit, addit: „ nam „ licet unius illa naturæ, tres tamen in „ ſe dignitates habet, intellectum, vo„ luntatem, & memoriam; nam ſicut „ ex Patre generatur Filius, & ex Patre „ Filioque procedit Spiritus ſanctus, ita „ ex intellectu generatur voluntas, & ex „ his item ambobus procedit memoria; „ & ſicut Deus Pater, Deus Filius, & „ Deus Spiritus ſanctus eſt, non tamen „ tres Dii ſunt, ita & anima intelle„ ctus, anima voluntas, anima memo„ ria, non tamen tres animæ in uno cor„ pore, ſed una anima, habens tres di„ gnitates, atque in his tribus ejus ima„ ginem mirabiliter gerit in ſua natura „ noſter interior homo." Hæc Ambroſius, quibus gemina habet in ſuis de Trinitate libris Auguſtinus, in quibus ait: „ Mens „ meminit ſui, intelligit ſe, & diligit „ ſe: hoc ſi cernimus, cernimus Trini„ tatem, nondum quidem Deum, ſed „ imaginem Dei. " Habet ibidem ſimilia plura, quæ Polemici tractatores ad probandum, Trinitatis myſterium, etſi natu-

Digitized by Google

naturali ratione multo ſuperius ſit, ab ea tamen non abhorrere, conferre ſolent; & hæc *de fine*, ſive *termino productionis hominis* dicenda fuerant. In D. Thomæ veſtigiis inſiſtentes ad *ſtatum* ſeu *conditionem hominis primo producti* calamum admovemus.

EXERCITATIO VI.

De feliciſſimo innocentiæ ſtatu.

I. PRiuſquam argumentum hoc penitius diſquiramus, & quæ e divino eloquio, & Eccleſiæ Patribus hauſta copioſe tradit Angelicus, verſemus, in tuto ponenda ejus veritas eſt, & pro virili demonſtranda; ſunt enim ætate noſtra non pauci, Pope in primis, Voltaire, aliique puræ rationis naturaliſque religionis cultores, qui negant, alio unquam fuiſſe hominem ſtatu, quam quo eſt, quæque de beata primorum hominum ante lapſum conditione feruntur, eodem loco & gradu habenda ſtatuunt, quo quæ a Poetis de aurea Saturni ætate jactantur; quamquam & ex iis, quæ non Poetæ ſolum, ſed & veteres Ægyptii apud Diodorum Siculum *l.* 1., Plato *in Polit.*, Dicearchus Peripateticus citatus tum Porphirio *l.* 4., tum Varroni *de re ruſtica*, & vetuſtiſſimi Indi apud Strabonem *l. xv.*, de priorum hominum, *quos Deus ipſe paſcebat*, *cuſtoſque eorum erat*, *mira ſimplicitate*, *optima indole*, *vita* item *optima*, ac florentiſſimis rebus tradiderunt, argumentum Grotius ducit l. 1. de ver. Rel. Chriſt. §. 16. *in notis*, quo confirmet, vetuſtiſſimam apud omnes gentes famam ita habuiſſe, ut Moſis ſcripta prædicant; quum indubitata enim ſit ſcriptorum ejus antiquitas, cui nullum aliud ſcriptum poſſit contendere, quæcunque de iiſdem rebus a poſterioribus in literas relata cum ejus narratione conveniunt, deprompta ex ejus ſcriptis certiſſime ſunt. Quo vero momento adducti ſunt noſtræ ætatis Increduli, ut veritatem negarent Ethnicis ipſis creditam, & Poetarum carminibus, Philoſophorumque teſtimoniis celebratam? Mundum, ajunt, nec perfectiorem unquam fuiſſe, nec eſſe potuiſſe; nam *mundus*, *ut hodie eſt*, *omnium*, *qui eſſe poſſunt*, *eſt perfectiſſimus*: *neceſſario*, & *ſuapte natura talis*, *ut hodie eſt*; *mutari enim non potuerunt*, *nec vero poſſunt naturæ*, *legeſque ab ipſo creationis exordio poſitæ*. *Semper ergo fuit mundus*, *ſemperque erit*, *ut hodie eſt*. *Tantum felix homo nunc eſt*, *quantum eſſe poteſt ac debet in mundi hujus omnium*, *qui eſſe poſſunt*, *perfectiſſimi curſu*: *non fuit ergo ejus melior*, *quam quæ nunc eſt*, *ab initio conditio*, *neque melior poſt mortem ſperanda vita*. Bone Deus! Hominum, qui puriori ratione duce ac Magiſtra gloriantur, quot & quanta ſunt adverſus rationem ipſam peccata! Quidquam ne eo falſius, & abſurdius, & a recta ratione magis abhorrens, quod principii loco conſtituunt, *mundum hunc omnium*, *qui eſſe poſſunt*, *perfectiſſimum eſſe?* Quoniam res nobis cum hominibus futura eſt, qui *Deiſtæ* dicuntur, & unius Dei infiniti, ſapientiſſimi, omnipotentis, opinione ſaltem, (nam re vera eos Atheos eſſe, demonſtrari facillime & firmiſſime poſſet) cultores, oſtendendum eſt, cedere hoc eorum principium in ſummam Dei *infiniti*, *ſapientiſſimi*, & *omnipotentis* injuriam.

II. Præmittenda certiſſima D. Thomæ doctrina 1. p. q. 25., quæ eſt *de divina potentia*, ex qua momenta ducemus invicta, quibus falſiſſimum hoc Bayle, Pope, Voltaire, aliorumque ejuſdem farinæ Philoſophorum principium convellamus. Inquirit ille ibidem art. 5. *an poſſit Deus facere*, *quæ non facit*, adnotatque primum, quoſdam dupliciter in hoc erraſſe; poſuerunt enim aliqui, agere Deum quaſi ex neceſſitate naturæ, &, quemadmodum ex naturalium rerum actione oriri alia non poſſunt, niſi quæ eveniunt, ut ex hominis ſemine homo, ex olivæ ſemine oliva, ita ex divina operatione non alias effluere poſſe res, vel alium rerum ordinem, quam qui nunc eſt. Subdit autem, errorem hunc jam ſatis ſuperque ab ſe refutatum q. 19. quæ *de voluntate divina* inſcribitur, ar. 3., cujus titulus, *an quidquid Deus vult*, *ex neceſſitate velit*, ibique demonſtratum, non agere Deum extra ſe *quaſi ex neceſſitate naturæ*, ſed voluntatem ejus primam eſſe rerum omnium cauſam, hancque neque naturaliter, neque neceſſario ad has res, vel ad hunc rerum ordinem determinari. Alios exin dixiſſe refert, determinari ad hunc rerum curſum Dei poten-

Digitized by Google

entiam propter divinæ ſapientiæ juſtitiæ-
ue ordinem, extra quem nihil a Deo
r, probatque, & hos erraſſe turpiſſime,
uod cum veris falſa permiſcentes perver-
e concluſerint, non poſſe Deum alia fa-
ere, quam quæ facit. Quum enim Dei
otentia, quæ ipſa eſt ejus eſſentia, ipſa
Dei ſapientia ſit, recte quidem vereque
icitur, nihil in Dei potentia eſſe, quod
on in divinæ ſapientiæ ordine ſit, nam
ec comprehendit, quidquid poteſt illa;
rdo tamen, quem divina ſapientia re-
s indidit (in quo rationem divinæ ju-
tiæ conſiſtere docuit q. 21., quæ *de di-
na juſtitia* eſt, art. 2., *an divina juſti-
a ſit veritas*) ita divinam ſapientiam
n adæquat, ut illa ad hunc ordinem
ntrahatur. Conſtat autem, totam or-
nis rationem, quæ a Sapiente rebus a
factis imponitur, ex fine ſumi. Quan-
ergo finis rebus propter finem factis
portionatus eſt, tunc facientis ſapien-
e ad determinatum aliquem ordinem
trahitur; quare, quum ſumma boni-
, quæ divinæ ſapientiæ finis eſt, infi-
a intervallo rebus quibuſcunque crea-
ſuperior ſit, relinquitur, divinam ſa-
ntiam ad certum rerum ordinem non
contrahi, quin poſſit ab ea alius re-
n curſus effluere: Abſolute ergo di-
dum, poſſe Deum alia facere, quam
: fecit. Quid horum non ad puram
onem exactum? Quid non ad ger-
nam Dei ideam plane conforme?
id, quod ſi tollas, jam non Deum
es, ſed quod ipſe tibi Dei loco fin-
i? Quid ergo eo falſius, quod nova
Philoſophiæ Numina fundamenti lo-
jaciunt, *mundum hunc omnium, qui
poſſunt, perfectiſſimum?* Quum enim
quid poteſt habere rationem entis,
uadmodum egregie ait D. Thomas,
abſolute poſſibile, quod autem hujuſ-
i eſt, abſolute poſſit a Deo fieri,
dum hunc omnium, qui *eſſe* poſ-
, perfectiſſimum, in idem recidit,
ſſe illum perfectiſſimum omnium,
facere poteſt Deus. Si eſt autem
ium, quos facere Deus poteſt, per-
ſſimus, non poteſt ergo Deus perfe-
em eo facere: exhauſta ergo in eo
ndo Dei ſapientia atque potentia:
ra ergo infinita, ideoque nec infini-
Deus, qui ſuamet potentia atque ſa-
tia eſt.

I. Quæ autem D. Thomas adverſus
veritatem hanc ſibi ibidem obiicit, non
poſſe ſcilicet Deum facere, quæ ſe factu-
rum neque præſcivit, neque præordinavit,
non poſſe ideirco facere, niſi quæ facit,
quum alia ſe facturum non præſcierit ne-
que præordinarit; Deum facere non poſ-
ſe, niſi quod debet, quodque fieri, juſtum
eſt, facere ergo non poſſe, niſi quæ facit,
quia nec debet, neque juſtum eſt, eum
facere, quæ non facit; denique non poſſe
illum facere niſi quod bonum eſt, rebuſ-
que factis conveniens, quare quum rebus
ab eo factis, nec bonum ſit, nec conveniens,
aliter eſſe, quam ſunt; nequit Deus facere,
quam quæ facit; hæc, inquam, nonne eadem
ferme ſunt cum præcipuo illo naturalis re-
ligionis ſcito, exiſtere nempe Deum, ſive
mentem, quæ omnia condidit, quæ, &
quum infinite ſapiens ſit, condere mun-
dum omnium, qui eſſe poſſunt, perfectiſ-
ſimum debuit, opuſque ſuum ad genera-
lium motus legum colligationes exigere,
nec jam aliud vult, quam generales has
leges impleri? Quid vero ad illa D. Tho-
mas? Ex iis, quæ ibi reponit, manifeſtum
eſt, a vera Dei notione, rationeque recta
aberrare Adverſarios quam longiſſime. Re-
ſpondet primo, quum Dei eſſentia, poten-
tia, intellectus, ſapientia & juſtitia unum
idemque res ipſa ſint, nihil in Dei poten-
tia eſſe poſſe, quod eſſe & in voluntate
ejus juſta, ejuſque ſapientiſſimo intellectu
non poſſit. Cæterum quia nec ejus vo-
luntas ad hæc vel illa (niſi forte aliqua
ſuppoſitione facta), nec ejus juſtitia ad
hunc ordinem ulla neceſſitate determina-
tur, nihil prohibet, quin aliquid in Dei
potentia ſit, quod non vult, nec ordine,
quem rebus ſtatuit, continetur. Quia ve-
ro divina potentia ut exequens, voluntas
ut imperans, intellectus & ſapientia ut
dirigens intelligitur, quidquid divinæ po-
tentiæ ſecundum ſe conſideratæ attribui-
tur, hoc poſſe dicitur Deus *abſoluta po-
tentia*, & hujuſmodi omne illud eſt, quod
rationem *entis* habere poteſt: quod vero
eidem potentiæ attribuitur, ſecundum quod
voluntatis juſtæ imperium exequitur, hoc
poſſe dicitur Deus facere *potentia ordinata*.
Abſoluta ergo potentia alia poteſt Deus
facere, quam quæ ſe facturum præſcivit,
atque præordinavit: repugnat tamen ali-
qua ab eo fieri, quæ ſe facturum non præ-
ſcierit atque præordinarit, quia *facere* præ-
ſcientiæ ſubjacet ac præordinationi, non
autem *poſſe*, quod eſt *naturale*; facit enim

Deus aliqua, quia vult, non tamen iccirco poteſt, quia vult, ſed quia talis eſt ejus natura.

Reſpondet ſecundo, Deum nihil cuipiam niſi ſibi debere, quare quum facere non poſſe dicitur, niſi quod debet, non aliud ſignificatur, quam non poſſe Deum facere quam quod ſibi *conveniens & juſtum eſt*. Horum tamen verborum, *conveniens & juſtum*, duplex eſſe poteſt ſenſus atque intelligentia: vel enim Dei potentiam ad præſentem rerum ordinem contrahunt, ſignificantque facere non poſſe Deum, niſi quod *modo conveniens, juſtumque eſt*: vel tacitam hanc conditionem includunt, non poſſe ſcilicet Deum facere, niſi id, *quod ſi faceret*, conveniens, juſtumque foret. Primus ſenſus perquam falſus eſt, & a recta Dei idea prorſus alienus; infinitæ enim ejus potentiæ limites figit, quam præſenti rerum ordine circumſcribit: Alter vero maxime verus eſt, & cum Dei notione plane conveniens; neque enim juſtiſſimus ac ſapientiſſimus Deus facere poteſt, niſi quod juſtitiam ſuam ac ſapientiam decet. Poſtremo reſpondet, licet hic rerum curſus ad ea, quæ nunc ſunt, determinetur, eo tamen divinam ſapientiam poteſtatemque non definiri, neque concludi; quare, etſi rebus, quæ nunc fiunt, nullus alius curſus bonus eſſet atque conveniens, poſſet tamen Deus alia facere, aliumque eis ordinem conſtituere. Hinc ergo manifeſte conficitur, mundum hunc a ſapientiſſimo juſtiſſimoque Deo conditum perfectiſſimum eſſe, legibus optimis conſtitutum, eique præſcriptum ordinem atque curſum optimum eſſe atque convenientiſſimum: eſſe autem hunc mundum, omnium, qui eſſe poſſunt, (ſeu quos facere Deus poteſt, eadem namque eſt hujus dictionis ſignificatio) perfectiſſimum, ejuſque ordinem, curſum, & leges omnium, quæ inſtitui poſſunt, optima atque convenientiſſima, quis dixerit, niſi aut mundum ipſum æternum, infectum, Infinitum, ideoque Deum eſſe, ſenſerit, (cujus nefarii erroris Adverſarii non inique accuſantur) aut, ſi illum velit a ſumma intelligentia factum, finitum, neque æternum, ſummum ejus artificem e gradu ſuo deiiciat, quippe qui infinitam ejus potentiam, ſapientiamque finito ſuo opere putet exhauſtam?

IV. Ad confirmandam hanc veritatem faciunt & quæ ibidem habet D. Thomas ar. ſexto, *an Deus poſſit meliora facere ea, quæ facit*; reſpondet enim, duplicem eſſe cujuſpiam rei bonitatem, aliam, quæ ad eſſentiam rei pertinet, ut ratione pollere naturæ hominis eſt, aliam, quæ præter rei naturam eſt, ut hominem virtute vel ſapientia præditum eſſe: ſi de prima bonitate ſit ſermo, non poſſe Deum rem eandem meliorem facere, quam ipſa ſit, etſi poſſit alias ea meliores facere, ut nec poteſt quaternarium majorem facere, quia quaternarius jam non eſſet, ſed alius numerus; differentiæ rerum enim ſunt ſicut numeri, quibus, ſi quidpiam addas, vel demas, ſolvitur ſpecies; ſi vero de altera bonitate verba ſint, poſſe Deum res a ſe factas multo meliores facere, ſicut & abſolute poteſt, qualibet re a ſe facta alias facere multo meliores, cui doctrinæ adverſari ii tantum poſſunt, qui rectam non habent in animo Dei notionem, deque infinita ejus potentia atque ſapientia minus honorifice ſentiunt. Quod de ſingulis hujus univerſi rebus primum, mox de tota rerum univerſitate pronuntiat, ajens, univerſum (ſuppoſitis iſtis rebus) non poſſe melius eſſe propter decentiſſimum rebus his attributum a Deo ordinem, in quo bonum univerſi conſiſtit, quo ſi unum quidpiam melius eſſet, ordinis proportio tolleretur, ſicut ſi una chorda plus quam par eſt, intendatur, citharæ melos pervertitur, poſſe tamen alia facere, vel alia jam factis addere, tuncque illud univerſum melius fore. Hæc, quæ ex germana ipſa Dei idea ſponte fluunt, ſuntque omnium conſenſione certiſſima, falſi aperte revincunt, quod Adverſarii principii loco ſtatuunt, mundum hunc omnium, qui eſse poſsunt, perfectiſſimum eſse, nec aliter unquam fuiſse, aut eſse poſse, quam nunc eſt, quod rerum naturæ legeſque ab initio conſtitutæ mutari non poſſint. Numquam hæc tam abſurda, & Philoſophi indigna animo imbibiſſent, ſi ad mox laudatam D. Thomæ doctrinam animum attendiſſent.

V. Jam vero ad aſſerendum feliciſſimum innocentiæ ſtatum via nobis patet certa, neque longa, neque difficilis. Quum Moſes ſcribat, primos homines, priuſquam ligni vetiti eſu in Dei offenſionem incurrerent, eo ſtatu fuiſſe, adjungenda eſt illi fides ceu Scriptori ut omnium antiquiſſimo, ita & veraciſſimo; neque, quod longe diverſus nunc iſt hominum ſtatus,

debue-

debuerat Voltaire, (quemadmodum literarum Belgicarum Auctori ſcite animadverſum eſt, cujus animadverſiones multo nobis uſui erunt), adverſus hiſtoriæ veritatem præteritum innocentiæ ſtatum explodere, ſed potius, quæ de illo Moſes refert, ad informatam animo mundi perfectiſſimi ideam ac notionem adjungere, ſecumque reputare, ut mundus perfectus eſſet, debuiſſe eo primum ſtatu eſſe, cui alius poſtea ſuccederet, oportuit, præteritum denique peræque ac præſens atque futurum ad univerſitatem complexionemque rerum omnium perfectiſſimam pertinere. „ Si Moſi innocentiæ ſtatum de„ ſcribenti non credit, cur eidem fidem „ adhibet, quæ poſterioris ævi ſunt, re„ ferenti, etſi Voltaire ætate multo an„ tiquiora, & quæ ſuis ipſe oculis videre „ non potuit? Si dignus Moſes, cui hæc „ narranti credatur, cur & non illa? Ni„ hil habent, ait Voltaire, poſteriora, „ quod ab humana fide abhorreat; ſimi„ lia enim eorum ſunt, quæ ſub oculos „ quotidie cadunt: priora vero incredibi„ lia, quum nihil ejuſmodi jam videre „ ſit. Nihil ergo verum ac credibile, niſi „ quod videre Voltaire poteſt? An omne „ verum perſpectum habet? Non id qui„ dem ſibi ille arrogat, at quum omnia, „ quæ in oculis habet, a Deo ſint facta, „ non aliter ab initio fuerunt, quam ho„ die ſunt, &c. ab eo videntur, rerum „ enim naturæ fixæque a creationis exor„ dio leges mutari non poſſunt: num„ quam alius iccirco rerum ſtatus, quam „ qui hodie: commenticia ergo, quæ de „ *innocentiæ* ſtatu feruntur. Si fuiſſent „ homines eo quondam ſtatu, & nunc „ eſſent. Idem ergo ſemper fuit homo, „ qui eſt, taliſque eſt ille hodie, qualem „ eum Deus primo condidit, quodque „ nunc hominis *vitium*, *corruptio*, *concu„ piſcentia* vocitatur, pravitas non eſt, „ ſed Dei opus. “

VI. Sunt ne hæc Philoſophi, quem multi maxime in laude, ac in deliciis habent, differentis judicia, an delirantis ſomnia? Quantum ſua illum Dialectica a recta ratione, cui ſoli fidit, procul abduxerit, nullo negotio intelliget, qui in animum revocarit, quæ de *duplici rerum bonitate* ex D. Thoma mox recitavimus: ad coarguendam tamen pinguiſſimam hanc Viri ſuorum judicio ſummi aberrationem, huc conferre placet, quæ laudatus Belgicarum literarum Auctor habet epiſt. 9., quæ *de ſtatu innocentiæ* eſt: „ Etſi ratum ſit, naturas, rerum corru„ ptioni non eſſe obnoxias, neque variari „ earumdem eſſentias, mutari tamen ea„ rum adjuncta, quæ *accidentia* dicimus, „ poſſe, nemo negarit. Unde autem Vol„ taire novit, miſeram illam, in quam „ homo incidit, corruptionem quidpiam „ eſſe præter adjunctorum ſive acciden„ tium mutationem? Id probe noſſet, ſi „ vellet; neque enim eſt cognitu diffici„ le. Homo primum *juſtus* erat, nunc „ vero *injuſtus*: utrumque non naturæ „ hominis, ſed adjunctum. Voluntas ejus, „ cui naturale eſt *amare*, primo *ferebatur* „ *ad bonum*, eadem hæc voluntas, cui „ ſemper ſecundum naturam eſt amor, „ *ad malum nunc fertur*: quid in hac „ varietate præter accidentium mutatio„ nem? Expers erat olim homo concupi„ ſcentiæ, ſeu *indeliberatæ* ad creata bona „ *proclivitatis*, quam hodie in ſemetipſo „ experitur; nec in hoc ulla naturæ, ſed „ accidentium ſola mutatio. “

„ VII. At qui poteſt merum accidens „ eſſe, quod in omnibus omnino ab ipſo „ cujuſque ortu conſtanter ineſt? Ita ſa„ ne; quot enim plantæ a calidioribus ad „ frigidas oras translatæ degenerant, mul„ tamque faciunt nativæ virtutis jactu„ ram? Quid ſi quiſpiam diceret: tenuiſ„ ſimos, ac nullius pene ſaporis fructus „ ab his cernimus arboribus ferri: hæc „ ergo earum natura: omnes ubique per„ inde imperfectæ: commenticia ergo, „ quæ de exquiſitis, quos alibi ferre di„ cuntur, fructibus jactitantur; rerum „ enim naturæ mutari non poſſunt, ea„ demque eſſe heic debent, quæ ubicum„ que: quæ oculis ſubſunt, ſatis indicant, „ quæ ab aſpectu remota ſunt: aliorum „ teſtificatione, aut hiſtoriis opus non eſt, „ quæ falſæ ſint, oportet; quippe quæ „ cum iis, quæ in oculis ſunt, non con„ veniunt: oculorum judicio res tranſigi„ tur. Qui naturam nunc videt, eandem „ perſpicit, ut jam fuit, atque erit; mu„ tationem enim natura neſcit: qui eam „ heic videt, eandem, ut ubique terra„ rum eſt, intuetur, mutationis enim na„ tura eſt expers. Quum harum, quæ „ vitiatæ degenereſque dicuntur, planta„ rum hæc ſit natura, aliarum ejuſdem „ generis melior neque eſt, neque poteſt „ eſſe conditio. Qui ſic diſſereret, nonne

„ fal-

„ fallleretur inſigniter ? Nonne vitium ,
„ quod naturæ accidit , poteſt per origi-
„ nem communicari, & quandam induere
„ perennitatem ? Satis animum Adverſarii
„ non advertunt ad ea , quæ ante oculos
„ quotidie habent. Quæ in æſtuoſis regio-
„ nibus *immortales* ſunt , arbores , ſeu qua-
„ rum vita ad plures annos ibi produci-
„ tur , ſunt in frigidis oris *mortales* , &
„ niſi hypocauſtorum ope ab eis frigus &
„ gelu arcerentur, vix biennium viverent.
„ Qui animo & ratione uti norunt, hinc
„ habent , corpus ita comparatum , ut
„ mortis eſſet expers, potuiſſe ita de pri-
„ ſtino ſtatu convelli, ut jam illud mor-
„ talitas conſequatur. Quot ejuſmodi ex
„ empla ſcite recteque philoſophantibus
„ occurriſſent ! Morbi quidam a parenti
„ bus, qui iis laborant, in prolem quoti
„ die traducuntur. Idne vero quiſpiam
„ naturæ homiuis tribuerit ceu neceſſarium
„ & immutabile ? “

VIII. Quoniam autem Voltaire , ceu ineptus cithariſta eadem ſemper oberrans chorda, illud perpetuo regerit, quod axio matis loco conſtituit , *naturas* videlicet , *& generales ab initio latas leges* mutari nec potuiſſe , nec *poſſe* , ſi tunc iccirco fuiſſet felix innocentiæ ſtatus ille , qui creditur, neceſſe fore, ut & nunc eſſet, quamquam ſatis ſuperque confectum ſit , errare illum turpiſſime in ſui illius axiomatis intellectu , addere libet , quæ memoratus literarum Auctor ex ipſa Voltaire , & *Deiſtarum* doctrina ducta reponit ; ſunt enim illa tam valida, ut nullo poſſint reſponſo infriugi aut infirmari. Subtilior illa atque purior animorum noſtrorum materies, quæ, lege a principio poſita, cogitabat, cogitare deſinit , quum interimus. Quid hac mutatione inſignius ? Nonne major, quam quæ homini in crimen lapſo accidiſſe , a nobis creditur ? Vel ſunt ergo leges illæ principio conſtitutæ mutationi obnoxiæ , vel immutabiles : Si mutari poſſunt , quæque prius cogitabat animi materies , ceſſare perpetuo a cogitando poteſt , quorſum legum harum ferrea firmitas atque immutabilitas jactitatur ad reiiciendum innocentiæ ſtatum , & concludendum , numquam illum fuiſſe , quia jam non eſt ? Poſt hominis mortem animi ejus materies jam non cogitat : numquid inferre per Adverſarios licet , nec antea cogitaſſe ? Si autem ſunt illæ immutabiles : animi ergo poſt mortem cogitare pergunt , & quum ſit legum illarum æterna firmitas, erit ergo & animorum æterna vita , hæcque aut perpetuo felix aut miſera. Adverſariorum eſt eligere , quod præoptant.

IX. Hactenus adverſus Voltaire : nunc adverſus Pope novum illum Anglorum , gentis nimirum , quæ ſola jam ſapere, ſola cogitare putatur , Horatium , qui in carmine an. 1737., edito , quod *ſpecimen hominis* inſcripſit , multa habet , quibus evidenter efficitur , & ſecum pugnare Deiſtas, & eundem ſæpe Auctorem a ſe ipſo diſcedere. Verba ejus dabimus , quæ apud laudatum literarum Auctorem ſunt , cujus & in illa animadverſiones addemus, quibus cuique perſpectum fiet , nihil eſſe hoc hominum genere ut vanius , ita & inconſtantius , minuſque cohærens . En qui innocentiæ ſtatum deſcribat Pope p. 110.

„ Regnabat tunc ſui amor , placidus ta-
„ men atque tranquillus , eratque natura-
„ lis felicitatis anima . Pacate tunc cum
„ beſtiis vivens homo, in arborum umbra
„ ſecurus ab earum feritate quieſcebat ,
„ nec opus erat , ut ex earum carnibus
„ victum , ex earum pellibus ſibi indu-
„ menta pararet ; tunc enim terra abſque
„ labore atque cultu ſtratum ei , eſcamque
„ ſuppeditabat . . . . . Heu tamen quam
„ indole & moribus differens , a primis
„ ſuis Auctoribus degeneravit ! Naturæ
„ vocem amplius non exaudit : non hor-
„ ret cruorem fundere ; in beſtias ferus ,
„ in domeſticos iniquus , una *cum inno-*
„ *centia* bonorum omnium jacturam fa-
„ cit. At impotentem hunc luxum juſta
„ ſtatim pœna conſequitur : febris , do-
„ lor , malorum turba ex animalium ſan-
„ guine certatim erumpit , hujuſque ex-
„ tranei ſanguinis violentus impetus affe-
„ ctiones ejus vehementer accendit “ (ſtatuit enim, prima mundi ætate hominem cujuſcunque invaletudinis prorſus expertem in hæc, quibus affligamur , morborum genera incidiſſe , quod animalium ſanguinem ederit , qui cum humano in venis permixtus naturalem corporis temperationem vitiavit , atque pervertit .) Unde hanc autem horum malorum cauſam accepit Pope ? Quo ex probato monumento hauſit ille factum his malis obnoxium hominem , quod animalium cruorem fuderit, eorumque veſci carnibus cœperit ? Nullo Auctore, nullo teſte , ſed ſola fingendi licentia fretus rem ita , ut vaniſſime coniicit , geſtam conſtanter effert , nec alio opus eſt , ut

Digitized by Google

tejus admiratores Moſis ſcriptis, & Chriianæ religionis teſtificationi hoc ejus commentum anteferant. Si probatiſſimas hiorias Adverſariis obiicias, eas niſi præconceptis opinionibus faveant, vel in dubium vocant, vel reiiciunt, Græciſque, quas el ſapientiores inter Ethnicos ſemper rirunt, fabulis poſthabent, & quas ipſi lunt, præ quovis alio ut ut legitimo, ætatæque auctoritatis documento, in hore & pretio eſſe, decernunt. Mirum? li, ſi Superis placet, ſapiunt, ſoli coant, ſoli judicio pollent.

X. Quis vero poſſit, ſecum ipſum Pocomponere? tantum enim a ſe ipſo decit, ut alter omnino eſſe videatur. „ Quare, ait, affectionum ſuarum & mancipium & dominus cum tanta inirmitate tantam homo copulat magniudinem? Cur ſecum perpetuo pugnans, e ipſum modo deprimit infra ſe, ad upremam modo omnium cauſam aſſurit? Quod malum videtur hominis, manum generali rerum ordini bonum afert. Ne contendas ergo, eſſe hominem mperfectum. Talis a Deo conditus eſt, ualis eſſe reipſa debuerat . . . . Perfeior enim ſtatus non decuiſſet. “ Heus e! Itane tui oblitus es? Nonne ſcrii, *a primis ſuis Auctoribus degeneraſſe inem, crudelem in animalia, adverſus injuſtum*, omnia *cum innocentia bona amiſiſſe*, necnon *febri, doloribus, & nti morborum vi*, atque *furioſo affectioi æſtu vexatum criminis ſui pœnas dediſſe?* um eſt, hæc cum iis, quæ nunc ſcri, conciliare. Si hominem Deus *eum fequi eſſe debebat*, nec jam eſt ille *imctus*, quomodo *a primis ſuis auctoridegeneravit?* Quomodo *innocentiæ rerumque bonorum* jacturam fecit, ea terea malorum ſerie mulctatus, quam ibis? Si hominis primo innocentis, mque malorum omnino neſcii, mox lis in animalia, & in ſuos injuſti maec ſupplicium & pœna ſunt, jam ere his malis *punitus* non eſt a Deo s, qualis vere eſſe debuerat, falſoque s, non eſſe illum *imperfectum*, nec ıri, commodiorique conditione eſſe ſſe: aut ſi ferebat natura ejus, ut ita, nec perfectiorem ſtatum habere poſdecipis ergo, dum ſcribis, inflicta hæc applicii loco fuiſſe ad ſumendas de e1 animalia feritate, & in ſuos inice meritas pœnas; quod enim a natura eſt, ſupplicium a Judice de reo ſumptum inſipientiſſime diceretur.

XI. Gemit præterea dolerque Pope, hominem indole atque moribus, heu nimium! diſparem a primis ſuis Auctoribus factum eſſe degenerem: melior ergo erat, perfectiorque primorum hominis Auctorum ſtatus. At ſi ſtatus ille perfectior, falſo ergo jactatur, mundum, ut hodie eſt, omnium, qui eſſe poſſunt, perfectiſſimum eſſe, falſo ſcribitur, neque alium umquam ejus ſtatum fuiſſe nec eſſe deinceps poſſe, quam qui hodie eſt; fuit enim, fatente Pope, multo melior perfectiorque primorum hominum conditio, a quibus, quum indole & moribus multum deflexiſſet, fecit innocentiæ aliorumque bonorum damnum, & in mala plurima incurrit, a quibus antea immunis erat. Quid ergo cum ipſe, tum ejus aſſeclæ ſtatum innocentiæ abſurdum eſſe clamitant, & commenticium, imo & repugnare, quia, quum ſit mundus *omnium, qui eſſe poſſunt, perfectiſſimus*, nihil umquam perfectius fuit, quam hodie eſt, nec aliter quidpiam eſt hodie, eritque poſtea, quam olim fuit? Vere novi hi Philoſophi neque ſe ipſos intelligunt, neque, (quod de falſis quibuſdam legis Doctoribus ajebat Paulus) *quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, neque ejus, quod fundamenti loco jaciunt, mundum hunc nempe, omnium qui eſſe poſſunt, perfectiſſimum eſſe, ſatis explicatam, diſtinctamque notionem habent. Quum vitæ hujus ærumnas brevitatemque cogitant, priorum hominum ætatem laudant, anteferunt, atque reſtitui cupiunt, qua nimirum hominis vita ad plura ſæcula producebatur, licebatque ſatis diu voluptatibus frui, qua propterea erat perfectior mundus; eſt enim hodie ærumnoſiſſima & perbrevis hominum vita, vixque primoribus, ut dicitur, labris guſtari cœpta eſt pars aliqua voluptatis, ut importuna mors vivendi ſimul fruendique finem invitis affert. Quid tum facias decantato principio: mundus eſt omnium perfectiſſimus? Quo ilet, ad præteritum æque ac ad præſens tempus illud extendunt, ajuntque, ad maximam ejus perfectionem neceſſario pertinere & quædam tempora, quibus minus perfectus eſt. Cæterum, ſi ablegandus ſit innocentiæ ſtatus, quem Chriſtiana religio tradit, jam tum ſolus, qui hodie eſt, mundus eſt omnium perfectiſſimus, nec alium excogitare

tare ratio patitur perfectiorem; ſuapte enim natura & neceſſario talis eſt, *nec mutari potuerunt naturæ, legeſque ab initio conſtitutæ*: idem ergo ſemper fuit, qui eſt, idem propterea & in jactato innocentiæ ſtatu, in quo erat homo haud ſecus, ac hodie, *concupiſcentiæ* obnoxius: hæc itaque naturalis eſt homini, perfectio eſt, Deique omnium Auctoris opus, non depravatio, non vitium: indulgendum ergo illi, non reſiſtendum.

XII. At repugnare ajunt, mundum abſque defectu, & uſquequaque perfectum. Itane? Ita, reponunt; nequit enim Deus agere non ſapientiſſime & perfectiſſime: ipſe mundum hunc condidit: eſt ergo mundus hic omnium, qui eſſe poſſunt, perfectiſſimus; quum ergo inſint in mundo hoc ſua vitia, neceſſario fatendum, repugnare mundum non imperfectum. Concedit Belgicarum literarum Auctor, mundum hunc, ſi præteritum, præſens, futurumque tempus, innocentiæ ſtatum, qui ab initio fuit, necnon & æternæ felicitatis, quæ poſt hanc vitam probis piiſque promiſſa eſt, comprehendere intelligatur, *omnium poſſibilium perfectiſſimum* eſſe, nec alium eſſe poſſe rationi conformem propoſitionis hujus ſenſum. Valde tamen mirari ſubit, hominem eximie catholicum, atque acutiſſimum hoc dediſſe, nec ſecum reputaſſe animo, quæ inde abſona, & plane falſa conſectaria naturaliter fluant; Niſi enim velimus abuti vocibus, quum ad id, quod ſummum eſt, neque fieri, neque intelligi poſſit additio, ſi vere mundus hic, ut præterita, præſentia, futura complectitur, *omnium poſſibilium perfectiſſimus eſt*, nihil ergo jam poterit Divina ſapientia atque potentia perfectius facere: idne vero cum infinitæ ſapientiæ potentiæque Dei idea conciliari poteſt? Numquid in hujus mundi, etiam ut ad ejus integritatem non præſentia ſolum, ſed & præteritum innocentiæ, & futurum ſempiternæ beatitatis ſtatum pertinere intelligimus, opificio ſapientia ac potentia Dei ita exhauſta, ut nihil jam poſſit perfectius edere? Ad revincendam itaque argumenti Adverſariorum falſitatem ea ſolum opportuna atque efficacia ſunt, quæ ſuperius ex D. Thoma deſcripſimus, quibus ad germanam Dei notionem exactis efficitur, etſi omnia Deus ſapientiſſime, convenientiſſime & juſtiſſime fecerit, abſolute tamen poſſe multo plura & meliora facere iis, quæ fecit, quia ordo, quem univerſo huic præſtituit, etſi decentiſſimus, nec ſummi artificis ſapientiam adæquat, neque finem cujus gratia agit, qui non alius eſt ab infinita bonitate ſua; ideoque neque ejus ſapientia, neque bonitas, neque potentia ad ordinem iſtum contrahitur.

XIII. Decantatus, denique ajunt, hic innocentiæ ſtatus jam non videtur, & credatur, oportet: in adjungenda autem iis, quæ ſub oculos non cadunt, fide, multum errandi periculum eſt. Videmus contra homines cunctos ærumnis, morbis, morti obnoxios: jure ergo concludimus, hanc illorum naturam eſſe, nec eos alio unquam fuiſſe ſtatu. Credere itaque Adverſarii nolunt, niſi quæ vident: At cuncta ne vident? Qui poſſunt ex iis, quæ in eorum oculis fiunt, de iis, quæ alibi geruntur, judicium ferre? Præſentia vident: Hiſtoriæ quoque ope, quæ a pluribus ſæculis geſta ſunt, perſpecta habent: priora ne vero & mundo ipſi coæva num vident, ut feliciſſimum innocentiæ ſtatum negare conſtanter poſſint? Conjecturis tantum ducuntur, quibus tamen ferri ad decernendum, ſapientis gravitatis atque conſtantiæ, Cicerone Judice, indignum eſt. Decernunt tamen, nihil fuiſſe olim, nihil deinceps futurum, quod ab iis, quæ videntur, diverſum ſit; ſi rationem quæras, ſtat pro ratione voluntas; maximi enim eorum intereſt, res numquam aliter fuiſſe, aut deinceps fore, quam ſunt, neque ex principio illo, quo impotenter abutuntur, *mundum hunc ſcilicet eſſe poſſibilium omnium perfectiſſimum* (cujus falſitatem jam ſæpe revicimus), aliud conſequi vere poteſt, quam & præterita, quæ repudiant, remotiſſima tempora, & futura, *mundi hujus perfectiſſimi* partes eſſe, ideoque eam, quæ in illa incidit, incidetque, rerum varietatem ad ſummam mundi hujus perfectionem neceſſario pertinere. Quis autem Voltaire, Pope, eorumque gregalibus omnia declaravit, quæ ad perfectiſſimam univerſi hujus complexionem, quocunque demum velint nomine, ſunt neceſſaria? An eos, quum mundum hunc moliretur, ſummus omnium artifex in conſilium adhibuit? An perceptas habent & comprehenſas *poſſibiles* omnes generalium legum colligationes ac profectiones, ut definire poſſint, has excludendas ceu quæ cum complexione omnium perfectiſſima componi nequeant? Opus non eſſe, regerunt,

ſunt, ut illas perſpectas habeant & denotatas, ſatis eſſe, perfectiones has abeſſe a mundo hoc, quem videmus, ut concludendum certo ſit, repugnare illas mundo omnium perfectiſſimo; ſi enim componi cum eo poſſent, reipſa eſſent, & oculis perciperentur. Verum omnia ne videnr, ex quibus mundus iſte conflatur? Tam abſolutus enim mundus non eam ſolum, in qua degimus, terræ partem complectitur, ſed & reliquam rerum univerſitatem, cujus perexiguum eſt, quod oculis animoque percipimus, ideoque de eo non poſſumus, niſi temere pronunciare. Quum mundus hic non præſens tempus ſolum, ſed & præteritum futurumque, ut una cum terra cæleſtia omnia comprehendat, & ex horum omnium complexione univerſitas hæc rerum tam perfecta conſurgat, tota ſpectanda eſt, dedecetque Philoſophum, totum ex una ſuarum partium æſtimare. Unde Voltaire futura omnia novit, ut de is tollit ſententiam dicere? Unde futuras omnes rerum converſiones ad totum hoc perfectiſſimum neceſſarias? Unde ſcit, numquam futuras mundi hujus viciſſitudines? Unde demum, tempus hoc, quo vivit, ut e illud, cujus ex hiſtoria cognitionem aliquam habere poteſt, quo tamen, etſi illud it præ ſæculorum omnium ſerie perexiguum ititur ad ferendum de reliquo judicium, infirmiorem miſerabilioremque non eſſe dmirandi hujus univerſi partem? &c. Pro erto habeo, in harum quæſtionum qualibet ira impeditum iri Voltaire, ut ex naturali, quam tantopere prædicat, ratione nihil habere poſſit, quod reſpondeat. Hæc x ſæpe laudato literarum Belgicarum Auore epiſt. ſeptima, quæ eſt *de futura ita*.

XIV. Innocentiæ ſtatu ſatis, ut putamus, aſſerto, in eum paulo operoſius inquirendum eſt, ac declarandum, quæ homini bona attulerit, quandiu perſtitit, quæve allaturus fuiſſet, ſi perduraſſet. De is nemo copioſius, atque ſolidius D. Th., imo etiam diſtinctius magis, magiſque ornate. „ Deinde, ait, conſiderandum eſt de ſtatu vel conditione primi hominis, & primo quantum ad animam, ſecundo quantum ad corpus. " Quoniam autem duæ ſunt animi præcipuæ facultates, intellectus videlicet & voluntas, quæ utriuſque fuerit in felici illo ſtatu conditio, minutatim inquirit, & luculenter exponit, ab intellectu ſus, qui naturæ ordine prior eſt voluntate; quare & nos de illo primum dicemus.

EXERCITATIO VII.

De conditione hominis quantum ad intellectum.

I. Quum proprium intellectus ſive mentis, quæ princeps eſt animi pars, bonum atque perfectio ſit ſcientia, felix mentis Adæ in innocentiæ ſtatu conditio ex ejus ſcientia pendenda eſt. Quæ iſta vero? Numeris omnibus abſoluta; ut enim egregie diſſerit D. Thomas quæſt. 18. de ver., quæ *de cognitione primi hominis* inſcribitur, ar. 4., *An Adam in ſtatu innocentiæ cognitionem habuerit creaturarum omnium*, „ duplex in Adam „ cognitio fuit, ſcilicet naturalis & gra„ tiæ: Cognitio autem naturalis humana „ ad illa omnia extendi poteſt quæcun„ que ductu naturalis rationis cognoſcere „ poſſumus, cujus quidem naturalis cogni„ tionis eſt accipere principium, & termi„ num: principium autem ejus eſt in „ quadam confuſa cognitione omnium, „ prout ſcilicet homini naturaliter ineſt „ cognitio univerſalium principiorum, in „ quibus ſicut in quibuſdam ſeminibus „ virtute præexiſtunt omnia ſcibilia, quæ „ naturali ratione cognoſci poſſunt; ſed „ hujus cognitionis terminus eſt, quando „ ea, quæ virtute in principiis ſunt, ex„ plicantur in actu, ſicut quum ex ani„ malis ſemine, in quo virtute præexi„ ſtunt omnia animalis membra, produ„ citur animal diſtincta habens & perfe„ cta membra omnia, dicitur eſſe genera„ tionis animalis terminus. Adam autem „ in principio ſuæ conditionis oportuit, „ ut non ſolum haberet naturalium cog„ nitionem quantum ad ſuum principium, „ ſed etiam quantum ad terminum, quia „ ipſe condebatur ut pater totius humani „ generis: A Patre autem accipere filii „ debent non ſolum eſſe per generationem, „ ſed etiam diſciplinam per inſtructionem, „ & quia non convenit alicui eſſe prin„ cipium ſecundum quod eſt in potentia, „ ſed ſecundum quod eſt actu, ratione „ cujus actus naturaliter eſt prior poten„ tia, naturæ operatio ſemper a perfectis „ incipit, inde eſt, quod oportuit, pri„ mum hominem mox in ipſa ſui condi„ tione conſtitui in termino perfectionis, „ & quantum ad corpus, ut eſſet conve„ niens principium generationis totius hu„ mani generis, & quantum ad cognitio-

Digitized by Google

„ nem , ut eſſet ſufficiens inſtructionis „ principium ; & ſicut nihil erat in ejus „ corpore non explicitum in actu , quod „ pertineret ad perfectionem corporis ipſius , „ ita quidquid virtualiter erat in primis „ principiis rationis , totum erat explici- „ tum ſecundum perfectam cognitionem „ eorum omnium , ad quæ virtus primo- „ rum principiorum ſe extendere poterat ; „ unde dicendum eſt , quod quidquid ho- „ mo de cognitione eorum naturali ingenio „ aſſequi potuit , hoc totum Adam natu- „ rali cognitione habitualiter ſcivit . “ „ Alia vero , ait 1. *p. q.* 94. *ar.* 3. , quæ „ nec naturali hominis ſtudio cognoſci poſ- „ ſunt , nec ſunt neceſſaria ad gubernatio- „ nem vitæ humanæ , primus homo non „ cognovit , ut ſunt futura contingentia , „ cogitationes hominum , & quædam ſin- „ gularia , puta quot lapilli jaceant in flu- „ mine , & alia hujuſmodi . “

II. Quoniam autem nonnulli Veterum docuerunt, cognoviſſe Adamum multa, quæ naturaliter ſciri non poſſunt, ut contingentia futura, cordium cogitationes, creaturarum diſpoſitionem, prout divinæ providentiæ ſubſunt, loco cit. de verit. reſpondet Angelicus, ad hujuſmodi cognoſcenda adjutum fuiſſe primum hominem ſuperiori alia, quæ gratiæ eſt, cognitione, per quam Deus ei interius loquebatur, ut ait Auguſtinus *l.* 8. *de Gen. ad lit. c. ult.* ; Etſi enim futurorum aliorumque hujuſmodi cognitio naturæ humanæ perfectio ſit, quæ & homini lapſo a Deo non ſemel communicatur, non eſt illa tamen homini naturalis, ideoque non oportuit , ut & Adam innocens ea polleret ; Solum Chriſtum omnia habere decuit , quæ aliis quibuſcunque Sanctis per gratiam collata ſunt , quod ſit ille nobis principium gratiæ , ſicut Adam naturæ principium, quo nomine erat ei debita naturalis ſcientiæ perfectio, de qua non eſt, cur plura dicamus, quum de argumento hoc late ſcribant , quotquot in Philoſophiæ originem inquirunt , quorum nullus eſt qui ad naturalis Adæ ſcientiæ perfectionem adſtruendam laudata D. Thomæ ratione non utatur.

III. Poſitioni huic tamen obſtare nonnulla videntur , quæ ſubmovere , operæ pretium eſt. Unde enim hæc Adæ naturalium rerum omnium perfecta ſcientia ? An per ſpecies , quas veteres Philoſophi *acquiſitas*, Recentes *factitias* dicunt ? Scientia hæc tamen *experimentalis* dicitur, quod experimento comparetur : Quæ vero Adam fuerat jam tum expertus ? An per ſpecies connaturales ? At Philoſophis bene multis , non antiquis ſolum ſed & recentibus , probatur , quod Ariſtoteles 3. de anima text. 14. ait : animam noſtram ſcilicet velut tabulam eſſe , in qua nihil eſt ſcriptum ; quum eſſet ille ergo ejuſdem, ac nos ſumus, naturæ , connaturales has ſpecies non habebat. Num denique per ſpecies infuſas ? Fuiſſet itaque in eo earumdem naturalium rerum cognitio diverſæ rationis a noſtra , quod plane videtur abſurdum . Rurſus : quæ ejuſdem ſpeciei ſunt , debitam ſibi perfectionem eadem via aſſequuntur ; quum ergo cæteri homines non ſubito, ſed paulatim ſcientiam ſuo modo acquirant, non aliter eam ſibi comparaſſe Adam cenſendus eſt . Demum : ſi habuit Adam ab ipſo ſuæ creationis initio omnium ſcientiam, nullus ergo potuit deinceps ejus in ſcientia proceſſus eſſe : præterquam quod autem hoc videtur a ratione abhorrere , quo illi attributi a natura ſenſus, qui, ut ait præclare Cicero , ceu interpretes ac nuntii rerum, in capite tamquam in arce mirifice ad uſus neceſſarios & facti & collocati ſunt, . . . nam & ea animis effinguntur noſtris, quæ ſunt a ſenſu tradita atque impreſſa ?

IV. Facillime tamen ac nitidiſſime hæc expedit diluitque D. Thomas ajens , accepiſſe primum hominem omnium ſcientiam per ſpecies a Deo , quum primum formatus eſt, menti ejus infuſas , quin tamen ejus ſcientia fuerit alterius rationis a noſtra , ſicut nec oculi , quos cæco nato Chriſtus dedit, diverſæ ab oculis, quas natura aliis hominibus attribuit, rationis fuerunt . Quid vero , ſi reliqui homines ſenſim labore multo atque ſtudio ſcientiam ſibi parant ? Adam , reſpondet D. Thomas , quatenus primus homo erat, cæterorum principium atque caput , quidpiam debebat perfectionis habere , quod cæteris non convenit hominibus, ut fuſe demonſtratum eſt ; decebat enim , eum, ut erat totius humani generis auctor , atque Magiſter non confuſa , ſed diſtincta, qua inſtituere alios poſſet , & plena rerum cognitio *ex divina operatione*, quæ reliquos homines non decet , qui inſtituti non ſunt, ut eſſent humani generis principium . Exin demonſtrat, potuiſſe Adamum dupliciter in ſcientia proficere , „ primo modo quoad ea quæ neſcivit , „ ad quæ ſcilicet naturalis ratio ferri non

„ pote-

Digitized by Google

„ poterat, in quibus proficere potuit, par„ tim ex revelatione divina, ut in co„ gnitione divinorum myſteriorum, par„ tim ex ſenſuum experimento, ſicut in „ futurorum cognitione, quæ quum ad„ implebantur, nota illi fuiſſent, quum „ prius ignota eſſent: alio modo quoad „ ea quæ ſciebat, ut ſcilicet quod ſciebat „ tantummodo cognitione mentis, poſtmo„ dum cognoſcere poſſet etiam per expe„ rientiam ſenſus. “ Hinc patet, nec ſenſus fuiſſe Adæ perperam attributos; debuit enim ille, ut ſcite diſſerit idem D. Thomas, plene perfectęque, quæ naturæ hominis ſunt, omnia habere; quare ſicut adaugeſcendi virtutem habuit, non ut per eam membrorum ſtaturæque acceſſionem caperet, ſed ut eorum, quæ ſunt ad naturæ perfectionem neceſſaria, nullo careret, ita & ſenſus, eoſque valentiſſimos habuit, non ut eorum ope ſcientiam acquireret, ſed ut perfectam naturam haberet, necnon & ea, quæ mente norat, ſenſibus experiretur.

V. Præcipua tamen cumulatiſſimæ hujus ſcientię perfectio in felici ſita erat a quovis errore ac deceptione immunitate; nam quemadmodum recte ait Auguſtinus l. 3. de lib. arbit. c. 18.: *approbare vera pro falſis*, ſeu decipi atque errare, *non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati*. Luculentiſſime argumentum hoc verſat D. Thomas tum 1. *p. q.* 94. *ar.* 4., tum *q.* 18. *de ver. ar.* 6., quibus ex locis ea promemus, quæ ad hanc primi hominis perfectionem illuſtrandam opportuniora fuerint, & expedienda ea, quæ difficultatem afferre videntur. Præmittit, duas Veterum fuiſſe de hac quæſtione opiniones; Quidam, quod Adam cuncta omnino non norit, ſed quorumdam ſcientiam habuerit, nonnulla vero ignorarit, in his, quæ ſciebat, decipi illum non potuiſſe, ſenſerunt, puta in his quæ naturaliter cognoſcuntur, vel quæ illi divina revelatio manifeſtarat, de aliis vero, quorum ſcientia carebat, cujuſmodi ſunt cogitationes cordium, futura contingentia, & ſingularia, quæ a ſenſibus abſunt, potuiſſe illum falſam exiſtimationem habere, falſum quidam leviter opinando, ſe tamen a certo aſſenſu ſuſtinendo, non potuiſſe ideirco in eum errorem cadere, nec pro falſis vera approbare, quia error & falſi approbatio certum aſſenſum dicunt, neque tamen falſam illam qualemcunque exiſtimationem a credulitatis aſſenſu ſejunctam ſtatum innocentiæ dedecuiſſe, quia *exiſtimare falſum in talibus, non eſt homini noxium, & ex quo aſſenſus temere non adhibetur, non eſt culpabile*. Alii opinionem hanc improbant, & Auguſtini auctoritate refellunt, qui in Enchir. c. 17. omnem falſam exiſtimationem errorem nominat, omnemque errorem malum eſſe, pronuntiat, in magnis quidem magnum, in parvis parvum. His præmiſſis, ſubdit Angelicus, non eſſe de his admodum laborandum; quia quum de rebus agitur, ſupervacua eſt quæſtio de nominibus; quare ſtatuit, in felici innocentiæ ſtatu non ſolum errorem ullum, ſed nec qualemcunque falſam opinionem locum habere potuiſſe, quod non una ratione demonſtrat: Primo anima multo nobilior eſt corpore; quum ergo homo in ſtatu innocentiæ a quovis corporis defectu prorſus immunis eſſet, multo magis a deceptione, quæ non leve eſt animæ vitium: Secundo in ſtatu innocentiæ nihil eſſe poterat hominis voluntati contrarium; alioqui fuiſſet tunc ille dolori obnoxius; quum ergo, ut ait Auguſtinus in Enchir. c. 17., decipi voluntati hominum, eorum etiam, qui decipere volunt, adverſetur, falli tunc homo non poterat: Tertio qualiſcunque error vel eſt culpa vel pœna, quorum neutri in ſtatu innocentiæ locus erat: ergo nec errori: Quarto ut Auguſtinus ait l. 14. de civ. Dei c. 10., *in illo ſtatu erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum malum omnino eſſe poterat*; quum itaque falſum ſit malum intellectus, ut verum eſt bonum ejus, quandiu innocentiæ ſtatus perſtitiſſet, mens hominis alicui falſo quomodocunque acquieſcere quaſi vero non poterat. Ejus quidem mens alicujus rei cognitione carere poterat, falſam aliquam tamen imbibere exiſtimationem non poterat, ſicut, etſi in membris corporis ejus perfectio aliqua, puta claritas, non ineſſet, procul tamen ab iis aberat deformitas & vitium qualecunque. Hinc ab eo ſtatu non falſam ſolum, ſed & quamcunque removet opinationem, quam Cicero *imbecillem aſſenſionem* definit, unamque homini innocenti certam rerum ſcientiam attribuit.

VI. Quamquam hæc plurimum efficacitatis habeant ad perſuadendum, non potuiſſe in ſcientiam primi hominis ullam deceptionis, errorisve labem incurrere,

 mul-

multa tamen ſunt, eaque ſpecie tenus moleſta, quæ animum ab hac perſuaſione cohibent, quæ propterea diſſolvere & expedire, operæ pretium eſt, ne in iis quiſpiam impediatur; ac primo quidem videtur Apoſtolus ipſe poſitioni huic noſtræ adverſari 1. ad Tim. c. 2. ſcribens: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*. Eva ſane, ut Magiſter ſcribit *in 2. ſent. diſt.* 21., ſerpentem loquentem iccirco non horruit, quia quum noviſſet creatum eſſe, & loquendi officium a Deo accepiſſe putavit: hac autem exiſtimatione quid falſius? Speravit etiam conſequi ſe poſſe, quod ſerpens promittebat: alioqui ſtulte illud appetiviſſet: illud ergo fieri poſſe putavit, quum nihil ſperetur, niſi quod obtineri poſſe exiſtimatur. At nonne fieri plane non poterat, quod per ſerpentem diabolus promittebat? Decepta itaque mulier, quę antequam manum ad lignum vetitum admoveret, ejuſque eſu innocentiæ jacturam faceret, falſo illi promiſſo fidem adjunxit. Sed nec Adam a deceptione omnino immunis fuit; In laudata enim Apoſtoli verba ait Gloſſa Interl.: „ Adam non „ fuit ſeductus eo modo, quo mulier, ut „ putaret verum eſſe, quod diabolus ſug„ gerebat: in eo tamen ſeductum fuiſſe „ credi poteſt, quod commiſſum veniale „ putaverit, quod erat peremptorium: " in quo ſane quantum erraverit, funeſto didicit experimento.

VII. Primam hanc difficultatem mira perſpicuitate extricat Angelicus ajens, mulieris ſeductionem, de qua Apoſtolus, etſi peccatum operis, vetiti ſcilicet fructus eſum anteverterit, interioris tamen elationis, ſive ſuperbiæ crimen ſubſecutam eſſet; ait enim Auguſtinus l.11. ſuper Gen. ad lit. c. 15.: *Mulier verbo ſerpentis non crederet, niſi jam ineſſet menti ejus amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio*. Magiſtri autem auctoritate ſubdit non eſſe, ut quiſpiam permoveatur; tam pinguem enim errorem cadere in mulierem potuiſſe nec ii ſentiunt, quibus perſuaſum erat, primos parentes decipi in ſtatu innocentiæ potuiſſe; concordiſſime enim ſtatuunt, errare eos non potuiſſe in dijudicandis naturis rerum, quas plane perceptas habebant ac denoratas; quare quum ſoli animali, quod rationis eſt particeps, naturale ſit loqui, eo capi Eva errore non potuit, ut ſerpentem ſuapte natura loqui putaret. Quid ergo? Dicendum, ait, non crediſſe mulierem, ſerpenti loquendi uſum a natura attributum, ſed occulta virtute aliqua, quæ intra eum operabatur, neque conſideraſſe, Dei num eſſet, an dæmonis. Quid vero ſperavit illa? conſequi ſe, quod ſerpens promiſerat, poſſe, & poſſe illud aliqua ratione fieri exiſtimavit, in quo ſane decepta fuit, ut ait Apoſtolus; hanc deceptionem tamen quædam animi elatio ſerpentis verbis excitata præceſſit, qua excellentiam ſuam præter modum appetiit, ſicut homines ſæpe aſſentatorum verbis inflati inſolentius efferuntur. Prima hac animi elatione ſuam generatim excellentiam appetivit, hæcque prima ejus culpa fuit, quam conſecuta eſt ſeductio ab Apoſtolo memorata, qua ſerpenti, quaſi vera diceret, fidem adhibuit, hancque excepit elatio, qua ſpecialem ſibi a ſerpente promiſſam excellentiam concupivit. Falſæ quoque opinationi, quam Adam *veniale* putavit, *quod erat peremptorium*, anteivit mentis elatio, ſicut & de muliere dictum eſt; quare ambo ſuperbia elati ab innocentia jam exciderant, quum errarunt, fuitque amborum deceptio pœna criminis animo jam admiſſi, etſi nondum exteriori opere conſumati.

VIII. At videntur hæc minus ſolide dicta; ut enim ait Ambroſius ſerm. 22. in Pſal. 118., *omne peccatum ex errore* eſt: & Adæ ergo peccatum ex errore fuit: prius itaque erravit, quam innocentiam amitteret. Profecto, quum voluntas nonniſi boni ſit, ſi in illud fertur, quod reipſa bonum eſt, non peccat, peccat autem, ſi illud eligat, quod etſi boni ſpeciem habeat, vere malum eſt; Peccavit itaque Adam, quod rem elegit, quam falſo bonam æſtimavit, quum mala eſſet: in ea itaque exiſtimatione deceptus eſt. Mirum ne vero, quum & Demones, quorum & multo acrior intelligendi vis, & multo cumulatior ſcientia, falſa de Chriſto exiſtimatione deceptos fuiſſe, Patrum ſententia ſit? Demus ergo, in iis, quæ certo evidenterque norat, falli Adamum non potuiſſe, quum tamen bene multa neſciret, errare in iis ſine dubio potuit. Quid ſi ipſa ejus natura ſpectetur, quam innocentiæ ſtatus non immutavit? In eo enim, ut ait Boetius *in l. de duabus naturis finem verſus*, dormiviſſet ille, ideoque & in varia viſa atque ſomnia incidiſſet: per ſomnum au-

tem

Digitized by Google

tem quilibet homo decipitur, quum rerum imaginem quaſi res ipſas conſectetur, eiſque inhæreat. Nonne & iiſdem tunc corporis ſenſibus uſus fuiſſet ille, quibus utuntur & cæteri? A ſenſibus autem quoties in errorem inducimur? Quoties eminus quidpiam intuentes plura judicamus, quæ nonniſi unum ſunt, parva, quæ multo ſunt majora? Quum itaque & in Adamo innocente eadem eſſet natura ſenſuum, pati perinde ac nos, ab iis potuit deceptionem.

IX. Neque hæc tamen poſſunt veritatem propoſitam infirmare; dictum enim Ambroſii nitide explicat D. Thomas *loc. cit. de ver. ad* 1. ajens, errorem, ex quo omne peccatum oritur, errorem electionis eſſe, quatenus homo eligit, quod eligi ratio vetat, quare & Philoſophus dicit 3. Ethic. c. 1., *omnem peccantem ignorantem eſſe*, hunc autem errorem appetitus pravitate poſteriorem eſſe; ex quo enim appetitus ſentiens delectabili bono nimis afficitur, neque illum, ut debet, voluntas cohibet, impeditur ratio, ne eligat, quod *habitualiter habet*, hincque patet, errorem hunc electionis non eſſe peccati originem, ſed conſectarium: idem itaque de primi hominis peccato dicendum, qui neque, antequam peccaret, quidpiam bonum eſſe, falſo exiſtimavit, quod bonum reipſa non eſſet; quemadmodum enim ibidem *ad* 2. declarat Angelicus, quod putatur apparens bonum, malum omnino non eſt, ſed quidpiam boni habet, ſecundum quod a principio ut bonum exiſtimatur, puta quum cibus vere noxius percipitur ut viſu pulcher, & guſtu ſuavis, & appetitus inferior in hujuſmodi bonum ceu in objectum proprium fertur. At quando appetitus ſuperior ſeu voluntas inferiori ſe permittit, eumque ſequitur, tunc illud, quod nonnihil boni habet, abſolute tamen malum eſt, proſequitur, tuncque ſuperioris appetitus pravitatem error excipit electionis, ut dictum eſt.

X. Quid vero ſi decipi poſſunt dæmones etſi homine multo perſpicaciores ac ſcientiores, & re ipſa decepti ſunt? Reſpondet ibidem aptiſſime D. Thomas *ad* 7.: „ Sicut homo in ſtatu innocentiæ defen„ debatur a paſſione corporali intrinſeca, „ ſicut eſt febris, & hujuſmodi, per effi„ caciam naturæ, ab exteriori autem, „ ſicut eſt percuſſio vel vulnus, non ali„ qua virtute interiori, quum non habe„ ret dotem impaſſibilitatis, ſed a provi„ dentia divina, quæ illum ab omni no„ cumento ſervabat immunem, ita etiam „ a deceptione illa, quæ interius contingit, „ quum aliquis per ſe ipſum paralogizat, „ defendebatur vigore propriæ rationis, ab „ exteriori autem deceptione defendebatur „ auxilio divino, quod ei ad omnia neceſ„ ſaria tunc aderat, dæmonibus autem „ non adeſt, & propter hoc decipi poſ„ ſunt, “ & non raro decepti ſunt; quare „ in his, quorum notitiam non habe„ bat, a deceptione defendi poterat, „ partim ab interiori, quia ejus intelle„ ctus in alteram partem inclinatus non „ fuiſſet, niſi a ſufficienti motivo, partim „ & principalius a providentia divina, „ quæ illum a deceptione ſervaſſet im„ munem. “ Quoniam autem, quod D. Thomas non ſemel inquit, divinæ providentiæ tunc fuiſſe, ab Adamo deceptionem arcere, nonnullis minus probabatur, nam, quum Adami maximi intererat, ab errore liberari, nimirum quum ab uxore fructum vetitum offerente, & ſerpentis promiſſa memorante illectus eſt, divina ei providentia præſto non fuit, permiſit imo capi illum errore, reſpondet e veſtigio, non fuiſſe Adæ in ea tentatione ſubventum, ne falleretur, tametſi divina ope tunc maxime egeret, quia jam animi ejus elatio, & interior culpa præceſſerat, nec Dei præſidium tunc imploravit.

XI. Licet etiam Veterum nonnulli opinati ſint, dormiturum quidem tunc Adamum fuiſſe, nec tamen ſomniaturum, ne ſcilicet viſis per ſomnum incurrentibus falleretur, rationem hanc D. Thomas improbat ceu ineptam; neque enim viſa, quæ in ſomnis occurrunt, animum pellunt ſed phantaſiam; quare, ſi qua tunc deceptio fuiſſet, ea non mentis, quæ per ſomnum libera non eſt, ſed phantaſiæ ſolius fuiſſet. Quod poſtremo e ſenſibus, quorum eadem plane in Adamo ac in nobis natura fuiſſet, argumentum ducitur, breviter nitideque diluit *loc. cit. de ver. ad* 15., ajens, quando ſenſus, quod extrinſecus oblatum accipit, repræſentat, non eſſe in ſenſu falſitatem, ut Auguſtinus inquit in l. de vera Relig. c. 26., ſed in mente, quæ rem ita eſſe judicat, ut a ſenſu repræſentatur: Abfuiſſet ab hoc tamen judicio Adamus innocens, quia vel a judicio ceſſaſſet animus, ut in ſomniis, vel ſomno ſolutus & vigilans de ſenſui obnoxiis judicium ferens, vera judicandi inſtrumenta adhibuiſſet; & hæc de condi-

tione

tione primi hominis quantum ad intelle- ctum, ſeu de ſcientiæ ejus perfectione dicta ſint ſatis: convertendus jam ad ea, quæ ad ejus voluntatem pertinent, ſermo; quia vero D. Thomas duo circa hoc conſideranda proponit, *gratiam ſcilicet & juſtitiam primi hominis, & hujus juſtitiæ uſum quoad dominationem in alia*, duo hæc capita duabus exercitationibus conabimur pro modulo noſtro excutere, ac illuſtrare.

EXERCITATIO VIII.

De primi hominis gratia atque juſtitia.

I. PRæcipuam hanc ſtatus innocentiæ perfectionem declaraturi, ſingula delibemus capita, oportet, ex quibus illa conſurgit, quæque D. Thomas 1. p. q. 95. quatuor articulis luculentiſſime perſecutus eſt, gratiam ſcilicet & juſtitiam, quam *originalem* dicunt, animæ affectiones, ſive paſſiones, virtutes, & meritum, ſeu potius merendi efficacitatem. A gratia autem orſi animadvertendum ducimus, etſi Patrum atque Theologorum communis fere ſententia ſit, primum hominem gratia, quæ *ſanctificans*, ſive *gratum faciens* dicitur, fuiſſe præditum, eos inter tamen non convenire, an quod de Angelis Auguſtinus affirmat l. 12. de Civ. Dei c. 9., *Deus erat ſimul in eis condens naturam & largiens gratiam*, ſit & de primo homine intelligendum, an ſcilicet a Deo naturam ſimul acceperit, & gratiam; quidam enim, ait D. Thomas „ dicunt, quod primus „ homo non fuit creatus in gratia, ſed „ tamen poſtmodum fuit ei collata, ante- „ quam peccaret; plurimæ autem aucto- „ ritates Sanctorum atteſtantur, hominem „ in ſtatu innocentiæ gratiam habuiſſe." Neque tamen definiunt, an eam habuerit ipſo ſuæ creationis momento una ſimul cum natura collatam, an poſtea. Hæc quum ita ſint, falſo nimiſque fidenter *in l. de Gratia primi hominis & Angelorum c.* 1. Janſenius Iprenſis ſcripſit, dogma fidei eſſe, Adamum in gratia fuiſſe conditum, nec id jam poſſe in controverſiam abſque fidei injuria vocari. Ecquod enim ille momentum habet, ex quo novum hunc fidei articulum condat? Num perſpicuum aliquod divini eloquii teſtimonium? An apertam Eccleſiæ definitionem, vel conſtantem Patrum traditionem? Meminiſſe debuerat, hos, qui a D. Thoma contra ſenſiſſe memorantur, Hugonem fuiſſe a S. Victore *l.* 1. *de Sacram. par. 6. c.* 17., Magiſtrum ſent. *l.* 2. *diſt.* 24., D. Bonaventuram *in* 2. *ſent. diſt.* 29. *ar.* 2. *q.* 2., Alenſem *in Summa par.* 2. *q.* 96. *memb.* 1. ad quos acceſſerunt Scotus *in* 2. *ſent. diſt.* 29. *q. unica*, aliique plures: tantos autem Viros a fide aperte deſciviſſe, cui in mentem veniat? Adamum itaque, priuſquam peccaret, ſanctificante gratia, ac juſtitia præditum fuiſſe, omnibus ratum: an autem donis his in ipſa creatione inſtructus fuerit, incertum: probabilius id quidem Divo Thomæ, ejuſque aſſeclis, non tamen certum, nec fide credendum. Hinc prudentiſſime Tridentina Synodus, cui unice conſtanterque propoſitum fuit, fidei dogmata definire, oppoſitoſque errores configere, ſancte autem ſibi a ſcholæ quæſtionibus temperare, *ſeſ.* 5., quæ *de peccato originali* eſt, can. 1. ita doctrinam Eccleſiæ proponit, ut Scholæ controverſiam non attingat, ajens: „ Si quis non confi- „ tetur, primum hominem Adam, quum „ mandatum Dei in paradiſo fuiſſet tranſ- „ greſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, „ in qua fuerat *conſtitutus*, amiſiſſe &c." *Conſtitutum Adamum in ſanctitate & juſtitia* fuiſſe, certo tenendum: quandonam vero, ſcholarum diſputationi permiſſum. At nonne Eccleſiaſtæ 7. Salomon ait, *fecit Deus hominem rectum*? Scilicet: quandonam autem, explicate non tradit.

II. Multo craſſior atque intolerabilior Michaelis Baii error, (quem & in libris *de ſtatu naturæ puræ* recoxiſſe Janſenius fertur,) cujus inter confixas a S. Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII. propoſitiones hæ de primi hominis conditione leguntur: 21. „ Humanæ naturæ ſu- „ blimatio & exaltatio in conſortium di- „ vinæ naturæ debita fuit integritati pri- „ mæ conditionis, & proinde naturalis „ dicenda eſt, non ſupernaturalis." 23. „ Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, „ hominem ab initio dono quodam ſuper- „ naturali & gratuito ſupra conditionem „ naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut fide, „ ſpe, & charitate Deum ſupernaturali- „ ter coleret." 24. „ A vanis & otioſis „ hominibus ſecundum inſipientiam Phi- „ loſophorum excogitata eſt ſententia, quæ „ ad Pelagianiſmum reiicienda eſt, homi- „ nem ab initio ſic conſtitutum, ut per „ dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate „ Conditoris ſublimatus, & in Dei Filium

„ ado-

„ adoptatus . “ 26. „ Integritas primæ „ creationis non fuit indebita naturæ hu„ manæ exaltatio , ſed naturalis ejus „ conditio. “ Lovanienſem hunc Doctorem a vero immaniter aberraſſe, nemo non percipit: ſtomachum tamen non cordatis omnibus movere non poteſt indigna Chriſtiano homine procacitas , qua aliter ſentientes exagitat. Mitto veteres Patres, quorum *plurimas auctoritates* D. Thomas *atteſtari ait*, *hominem in ſtatu innocentiæ gratiam habuiſſe: Vani ne & otioſi* Auguſtinus præſertim & Thomas , quos ignorare ille non poterat, in oppoſita ſententia eſſe ? Ii ne hanc ſententiam *ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitarunt ?* Eorum ne ſententia , quæ & Eccleſiæ certo eſt, *abſurda*, *& ad Pelagianiſmum reiicienda?* Momentum, quo D. Thomas veritatem hanc plane conficit , ſimulque primi ſtatus *rectitudinem* ſive integritatem exponit, Bajus jam diſiiciat, ſi tanti eſt, aut infirmet . Explicans ille mox laudatum Salomonis dictum , *fecit Deus hominem rectum*, ſubdit, primi hominis rectitudinem in eo poſitam , quod Deo ſubdebatur ratio , rationi vero inferiores vires , & corpus animæ , quarum ſubiectionum prima ſecundæ & tertiæ cauſa erat, quia, ut ait Auguſtinus *l. de nat. & grat. c.* 15. & *l. de correp. & grat. c.* 11. , tamdiu inferiora rationi ſubdebantur , quandiu ipſa Deo . Quum ergo & corporis animæ, & inferiorum virium rationi ſubiectio naturalis non eſſet, alioqui , & poſt admiſſum crimen, perſtitiſſet, quum & in Dæmonibus integra poſt peccatum, communi Theologorum ſcito, data naturalia permanſerint, manifeſtum eſt , & primam illam , aliarumque cauſam, qua ratio Deo parebat, ſubiectionem , non a natura , ſed ex ſupernaturali gratiæ dono fuiſſe ; quare Auguſtinus l. 13. de Civ. Dei c. 15. ſcribit : „ Poſteaquam præcepti tranſgreſſio facta „ eſt, confeſtim, gratia deſerente divina , „ de corporum ſuorum nuditate confuſi „ ſunt : ſenſerunt enim motum inobe„ dientis carnis ſuæ tanquam reciprocam „ pœnam inobedientiæ ſuæ . “ Ex quo patet, ſi, deſerente gratia, ſoluta eſt obedientia, quam animæ caro exhibebat, ſolius gratiæ, quæ in anima inerat , beneficio, non autem naturæ debito , inferiora tum fuiſſe rationi ſubiecta . Horum ne quidpiam *abſurdum* , *& ſecundum inſipientiam Philoſophorum a vano otioſoque homine excogitatum ?* Annon omnia potius ad veritatem exacta ? Verum num & in re tam perſpicua , jamque ſolemni Eccleſiæ judicio finita argumentatio quærenda eſt, aut conjectura capienda? Qui Tridentino Concilio interfuit , a Philippo II. Hiſpaniarum Rege eo Theologus allegatus, qui ignorare potuit, quod canone mox laudato omnibus credendum confitendumque ab eo edictum eſt, amiſſam ſcilicet a primo homine *ſtatim* ac peccavit, *ſanctitatem & juſtitiam* , *in qua fuerat conſtitutus* , nec non ejuſdem doctrinam ſeſſ. 6. de juſtificatione ſub capitis ſeptimi finem , *renatos* videlicet *veram chriſtianam juſtitiam accipere ceu primam ſtolam pro illa , quam Adam ſua inobedientia ſibi, & nobis perdidit?* Naturam ne Adam peccando amiſit , an gratiam ? Num naturæ hominis eſt, ut ſit *ſanctus & juſtus?* Quod pro eo, cujus jacturam Adam peccando ſibi ſuiſque fecit, *renatis per Chriſtum donatur*, an naturale eſt, atque naturæ debitum? At bene habet, quod inſignem errorem hunc revocavit ipſe, qui illum primo vulgarat .

III. En itaque , quam primo homini tunc afferret gratia, rectitudinem . Superiorem ejus partem , ſive rationem Deo plene ſubiiciebat, qua ſubiectione fiebat, ut & inferiores vires rationi , & corpus animæ, ſubderentur, ſeu caro in eo non concupiſceret adverſus ſpiritum , nec alia eſſet in membris ejus lex legi mentis repugnans ; ille enim, nempe Adam , ait præclare Auguſtinus *in l. de correpț. & gr. c.* 11. „ nulla tali rixa a ſe ipſo adverſus ſe „ ipſum tentatus , atque turbatus , in illo „ beatitudinis loco, ſua ſecum pace frueba„ tur; “ & *l.* 13. *de Civ. Dei c.* 14. „ Quam „ igitur felices erant primi illi homines! „ Et nullis agitabantur perturbationibus „ animorum, & nullis corporum lædeban„ tur incommodis ; “ aberant enim a felici illo ſtatu morbi quilibet, ærumnæ atque mors; nam corpus erat animæ plene ſubiectum . Quamquam autem , quemadmodum cum D. Thoma jam adnotatum eſt, prima illa ſubiectio, mentis nimirum Deo, ſecundæ & tertiæ cauſa eſſet , & prior illa hominibus in baptiſmate , vel in Sacramento pœnitentiæ reſtituatur , ſecundam tamen & tertiam in mortalis hujus vitæ curriculo non reſtitui , fide certum eſt, & quotidiano comprobatur experimento . De inferiorum enim virium perpetua cum ſpiritu pugna, quam *concu-*

pi-

Digitized by Google

piſcentiam, ſive *fomitem* dicimus, hæc habet Tridentina Synodus ſeſſ. 5. de peccato originali can. 5. „ Manere autem in „ baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, „ hæc Sancta Synodus fatetur & ſentit, „ quæ, quum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter „ per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus „ non poteſt, quin imo, qui legitime certaverit, coronabitur. “ De mortalitate vero, aliiſque vitæ hujus incommodis hæc D. Thomas 1. p. q. 97. ar. 1. ad 3.: „ Vis „ illa præſervandi corpus a corruptione „ non erat animæ humanæ naturalis ſed „ per donum gratiæ; & quamvis primus „ homo gratiam recuperaverit ad remiſſionem culpæ & meritum gloriæ, non „ tamen ad amiſſæ immortalitatis effectum; „ hoc enim reſervabatur Chriſto, per „ quem naturæ defectus in melius reparandus erat, ut infra dicetur, “ in tertia ſcilicet parte; hic tamen naturæ defectus ſapientiſſimo divinæ providentiæ conſilio reparandus a Chriſto non eſt, niſi extrema mundi die, qua *vivificabit mortalia corpora noſtra . . . & reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem, qua etiam poſſit, ſubiicere ſibi omnia*.

IV. Quum Auguſtinus *l.* 14. *de Civ. Dei* de primorum hominum felicitate agens ſcribat, *fuiſſe in eis imperturbatum amorem in Deum*, & *quaſdam alias animæ paſſiones*, quæ paſſiones illæ? Eædem ne illæ affectiones commotionesque animi, quæ in nobis, quibus numquam non agitamur, & cum quibus aſſidua nobis conflictio ſit, oportet? Mirifice quæſtionem hanc expedit Angelicus 1. *p. q.* 95. *ar.* 2. ajens, omnium animæ paſſionum quaſdam ad bonum, ut amor & gaudium, quaſdam ad malum, ordinari, ut timor & dolor. Quia ergo in primo ſtatu nullum erat, nec imminebat malum, nec bonum ullum aberat, quod bona voluntas cuperet tunc habendum, ut ait Auguſtinus *l.* 14. *de Civ. Dei c.* 10., paſſiones illæ propterea, quæ mali ſunt, ut timor, dolor, aliæque hujuſmodi, procul ab Adamo aberant, ut & illæ, quæ boni ſunt non habiti, & nunc habendi, ut cupiditas æſtuans: quæ vero præſentis boni eſſe poſſunt, ut amor & gaudium, vel quæ futuri ſunt ſuo tempore habendi, ut deſiderium, & ſpes non affligens, in jucundiſſimo illo ſtatu fuerunt, longe tamen aliter quam in nobis; quandoque enim paſſiones rationis noſtræ judicium antevertunt impediuntque, quandoque illud conſequuntur, prout inferiores vires rationi quodammodo obediunt. In ſtatu vero innocentiæ appetitus inferior rationi omnino ſuberat, quare nullæ tunc erant animi affectiones, niſi rationis judicium conſequentes. Hanc quoque ſtatus illius felicitatem l. 14. de Civ. Dei c. 26. paucis complexus eſt Auguſtinus, ſed diſertiſſime: „ Summa erat in carne ſanitas, in animo tota tranquillitas. Sicut „ in paradiſo nullus erat æſtus vel frigus, „ ſic etiam in ejus habitatore nulla ex „ cupiditate vel timore accedebat bonæ „ voluntatis offenſio: nihil omnino triſte, „ nihil inaniter lætum; gaudium enim „ perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, patientia „ bona, & fide non ficta. “

V. Ex poſtremis Auguſtini verbis patet, fuiſſe in Adamo innocente virtutes aliquas, nec tamen conſtat, an omnes. Verum omnibus illum tunc ornatum fuiſſe virtutibus, probat luculentiſſime D. Thomas ibidem *ar.* 3. *in c.*; ea enim erat primi ſtatus rectitudo, ut ratio Deo, rationi autem inferiores vires plene ſubeſſent. Quid vero virtutes, niſi perfectiones quædam, quibus & ratio ordinatur in Deum, & inferiores vires ad rationis regulam diriguntur? Ferebat ergo primi ſtatus rectitudo, ut homo *aliqualiter* virtutes omnes haberet. Meditato autem D. Thomas tempeſtate locutus eſt, & adverbium illud appoſuit; animadvertendum enim, ſapientiſſime monet, virtutum quaſdam eſſe, quarum naturæ nulla imperfectio adiuncta eſt, ut charitas, & juſtitia, haſque *ſimpliciter*, & *quoad habitum*, & *quoad actum* in ſtatu innocentiæ fuiſſe, quaſdam vero, quarum vel actui vel materiæ imperfectio neceſſario adhæret. De his autem quid decernendum? Num a primo illo ſtatu ablegandæ? Si earum imperfectio perfectioni ſtatus innocentiæ non repugnet, nihil obſtat, quo minus in eo eſſent, ut fides, quæ eorum eſt, quæ non videntur, & ſpes, quæ eſt eorum, quæ non habentur; neque enim ea erat ſtatus innocentiæ perfectio, ut tunc Dei eſſentiam homo clare intueretur, frueretur que ſummo bono cumulatiſſime, ſicut comprehenſores in patria; quare fides & ſpes in primo ſtatu eſſe poterant, & *quo ad habitum*, & *quoad actum*. Cæterum ſi virtu-

tis

tis alicujus imperfectio primi ſtatus perfectioni repugnet, virtutis hujuſmodi poterat in eo habitus eſſe, non actus; quare *pænitentia & miſericordia ſecundum habitum in primo homine erant, non vero ſecundum actum*; quum enim pænitentia dolor ſit de admiſſo crimine, miſericordia triſtitia de aliena calamitate, manifeſtum eſt, a primi ſtatus perfectione abhorrere dolorem ac triſtitiam haud ſecus, ac culpam atque calamitatem. Erat itaque primus homo ita animo comparatus, ut, ſi præceſſiſſet culpa, doleret, item, ſi alium videret miſerum, miſeriam ejus, pro viribus relevaret, ſicut & Philoſophus ait *l.* 4. *Eth. c. ult.*: „ Verecundia, quæ eſt de „ turpi facto, contingit ſtudioſo ſolum ſub „ conditione; eſt enim ſic diſpoſitus, ut „ verecundaretur, ſi turpe aliquid com„ mitteret. "

VI. Difficile tamen adhuc intellectu eſt, qui virtutes omnes in primo homine habitu vel actu fuerint; quum enim in ſtatu innocentiæ nulla eſſe potuerit appetitionum ſive paſſionum impotentia, opus plane non fuiſſe videtur certis virtutibus, quarum eſt, paſſionum impotentiæ modum ponere, ut temperantia, quæ concupiſcentiam immodicam, fortitudo, quæ timorem nimium, manſuetudo, quæ iram immoderatam cohibet. Perſeverantia denique certiſſime virtus eſt: hac vero caruiſſe Adamum, quis dubitet, quem in accepta juſtitia non perſtitiſſe, exploratiſſimum eſt? Quidquid difficultatis in hoc capite reliquum eſſe videtur, facillime a D. Thoma diſpellitur, genuinam ſingularum, de quibus contentio eſt, virtutum naturam atque indolem exponente ibidem *ad* 1. & 2. Primo ait, temperantiæ ac fortitudinis eſſe, paſſiones regere ac moderari; accidere autem, ut ſit harum impotentia coercenda, quod effrænatæ in homine ſint, modumque non habeant; quare quum in primo ſtatu rationi perfecte parerent, non erant a temperantia & fortitudine conſtringendæ, ſed moderandæ. Secundo declarat, paſſiones, quæ mali ſunt, quod in eum, quem paſſio afficit, cadit, ut timor & dolor, cum primi ſtatus perfectione pugnare, quæ vero mali ſunt, quo alter afficitur, perfectioni ejus non repugnare; quare, homo innocens, ut Dei bonitatem diligere, ita & Dæmonum malitiam odiſſe poterat, virtutum iccirco, quarum eſt, eas paſſiones moderari, potuiſſe in primo ſtatu eſſe & habitum & actum. Quæ vero virtutes paſſiones temperant, quæ mali ſunt, quod in illum cadit, qui iis afficitur, *ſi circa hujuſmodi paſſiones ſolas ſunt*, non poterant, in primo ſtatu eſſe *ſecundum actum*, ut de pænitentia atque miſericordia mox dictum eſt: Si quæ vero & aliarum paſſionum, quæ mali non ſunt, moderandarum provinciam habent, ut temperantia, quæ non triſtitiæ ſolum, ſed & delectationibus, fortitudo, quę non timori tantum, ſed & audacię & ſpei modum adhibent, poterant in eo ſtatu eſſe etiam *ſecundum actum*, eſſe iccirco tunc poterat temperantiæ actus, quatenus non triſtitias, ſed delectationes moderandi officio fungitur, ut & fortitudo, quatenus non timorem, ſed audaciam & ſpem certa ratione gubernat. Habuit denique Adam & perſeverantiam, quatenus peculiaris eſt virtus, ſeu recta mentis habitudo, qua homo libere eligit conſtantiam in bono: ea tamen caruit, ut eſt quoddam virtutis adiunctum, ſignificatque virtutis continuationem abſque intermiſſione.

VII. Hæc ſi ita ſint, fuerunt itaque hominis innocentis opera ad merendum minus efficacia, quam noſtra; minus enim ille tunc eguiſſet gratia, quam nos: minus propterea meruiſſet minori inſtructus gratia, quæ eſt meriti radix. Rurſum, quum Apoſtolus 2. ad Tim. c. 2. ſcribat, non coronandum, *niſi qui legitime certaverit*, Philoſophus quoque 2. eth. c. 3. *virtutem eſſe circa difficile & bonum*, cum quo Adæ certandum, cujus erant omnia pacatiſſima, ut mox dictum eſt? Quæ impedire illum aut retardare a recte agendo difficultas poterat, cujus ratio Deo, inferiores vires rationi, & caro ſpiritui plene ſuberant? Noſtra itaque plus ad merendum efficacitatis habent opera; ampliori enim donati ſumus gratia, quam Dei miſericordia magis indigentibus largitur copioſiorem. Itane vero? Num dabimus, meliorem jam eſſe hominis in peccatum lapſi conditionem, quam innocentis? Dandum enim neceſſario eſt, ſi major ſit noſtrorum, quam Adæ innocentis operum efficacitas ad merendum. At longe aliter ſentiendum perſuadet firmiſſima D. Thomæ doctrina, qui loc. cit. *ar.* 4. in *c.*, duobus ex capitibus quantitatem meriti pendi poſſe declarat, primo ex charitatis & gratiæ radice, cui quantitati præmium eſſentiale, ſeu Dei fruitio, reſpondet, qui enim ma-

jori charitate quidpiam agit, perfectius Deo fruetur; ſecundo ex operis quantitate, quæ duplex eſt, *abſoluta* videlicet, atque *proportionalis*; vidua enim, quæ *duo minuta æra in gazophilacium miſit*, minus *abſolute* iis fecit, qui magna in illud munera intulerunt; *proportionaliter* tamen, Domini ſententia, *plus cæteris miſit*, quia exiguum illud facultate ejus multo majus erat: utrique huic tamen meriti quantitati ſolum reſpondet accidentale præmium, quod gaudium eſt de creato bono. Hac præmiſſa diſtinctione ſancit, ſi quantitas meriti ex gratia & charitate pendatur, efficaciora futura fuiſſe ad merendum hominis opera in ſtatu innocentiæ, quam poſt peccatum, qua tum fuiſſet gratia copioſior, quum nullum tunc gratiæ impedimentum natura afferret, idemque cenſendum, ſi abſoluta operis quantitas æſtimetur; quum enim tunc majoris virtutis homo eſſet, majora feciſſet opera; verum ſi *proportionalis* ſpectetur operis quantitas, majorem poſt peccatum meriti rationem eſſe propter hominis infirmitatem; parvum etenim opus multo ſuperius eſt ejus viribus, qui agendi difficultate laborat, quam magnum viribus ejus, qui facile expediteque operatur.

VIII. Hinc nullo negotio diluuntur, quæ videbantur, oppoſitum perſuadere; falſo enim ſumitur, largiorem nobis conferri gratiam, quod magis illa egeamus, quaſi vero Adam minus ea opus habuerit. Poſt peccatum, ait D. Thomas, *ad plura* quidem homo eget gratia, ſed *non magis*, quam ante culpam; nam & tunc indigebat gratia ad æternam obtinendam vitam, quæ præcipua & ſumma eſt gratiæ neceſſitas: poſt culpam præterea eadem indiget & ad peccati remiſſionem, & ad imbecillitatis ſuſtentationem ---- Pugna vero & difficultas ad quantitatem meriti pertinent, quæ ex proportionali operis quantitate æſtimatur, ſignificatque voluntatis alacritatem, quæ ad difficile enititur, ea autem alacritas ex charitatis magnitudine proficiſcitur. Poteſt autem aliquis quidpiam facile ea voluntatis alacritate præſtare, qua alius arduum & difficile, quia ita eſt animo comparatus, ut illud faceret, etſi difficile foret; quare, etſi homini innocenti nihil eſſet difficile, multum tamen & in facilibus mereri poterat, propter voluntatis alacritatem ex charitate profectam, qua operatus eſſet. Peculiare tamen hoc habet difficultas operis, quatenus incommoda eſt & moleſta, ut, qui ab agendo ea non abſterretur, ſuis pro culpis Deo faciat ſatis.

IX. Quum ſit hæc D. Thomæ doctrina veriſſima, quippe quæ divino eloquio, & diſertiſſimis Patrum, Auguſtini in primis, teſtimoniis mirifice conſonat, quis mirati ſatis poſſit pinguiſſimam Michaelis Baii aberrationem ea de primi hominis meritis paradoxa efferentis, ut percipi ſane non poſſit, homini cæteroqui cordato atque docto venire illa in mentem potuiſſe? Propoſitionum ejus ſemel iterumque ab Eccleſia proſcriptarum prima hæc erat: „ Nec Angeli, nec primi hominis merita „ recte vocantur gratia. “ 2. „ Sicut opus „ malum ex natura ſua eſt mortis æternæ „ meritorium, ſic bonum opus ex natura „ ſua eſt vitæ æternæ meritorium. “ 3. „ Et bonis Angelis, & primo homini, ſi „ in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non „ gratia. “ 7. „ Primi hominis integri „ merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ non recte vocantur gratia, quo „ fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari. “ 9. „ Dona „ conceſſa homini integro, & Angelo, „ forſitan aliqua non improbanda ratione, poſſunt dici gratia; ſed quia ſecundum uſum ſacræ Scripturæ, nomine „ gratiæ ea tantum muneta intelliguntur, „ quæ per Jeſum Chriſtum male meritis, „ & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, „ gratia dici debet. “ 13. „ Opera bona „ a filiis adoptionis facta non accipiunt „ rationem meriti ex eo, quod fiunt per „ Spiritum Dei corda illorum inhabitantem, ſed tantum ex eo, quod ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur „ obedientia legi. “ 15. Ratio meriti non „ conſiſtit in eo, quod, qui bene operatur, habet gratiam, & inhabitantem „ Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolum, „ quod obedit legi divinæ. “ Hæcne ad Scripturarum loquendi modum exacta? Qui iſthæc ſcripſit, non Thomam quidem, quem tanti, quanti par erat, forte non habuit, ſed Auguſtinum, cujus doctrinæ volebat ſtudioſiſſimus audire, num legit? An non potius ſuæ phantaſiæ largius indulſit, ſuiſque totum præjudiciis ſe permiſit? Nihil eſſet horum omnium refutatio-

tione facilius, ſi id loci hujus eſſet, nec horum pravitas, & ab Eccleſiæ doctrina diſtantia in omnium oculos inſiliret.

X. Illud vero quis pacate ferat, quis moderate patiatur, quod prop. 12. & 17. ait : „ Pelagii ſententia eſt : opus bonum „ citra gratiam adoptionis factum, non „ eſt cæleſtis regni meritorium. Sentiunt „ cum Pelagio, qui dicunt, eſſe neceſſa„ rium ad rationem meriti, ut homo per „ gratiam adoptionis ſublimetur ad ſta„ tum deificum. “ Ubinam gentium ſumus ? Uſqueue adeo Bajo in Pelagiana hiſtoria viſi ſumus infantes, ut Pelagii errores ab eo docendi eſſemus ? Illos ignoraſſe dicendi erunt Hieronymus, Auguſtinus, aliique ejus ævi Scriptores, nec non & Concilia multa adverſus eum habita, ſi ea fuerit Pelagii ſententia, quam illi Bajus adſcribit : *Sentire* quoque *cum Pelagio* cenſendi, quotquot poſt Auguſtinum & Thomam in ea ſententia ſunt, quam Bajus perperam inter Pelagii errata numerat. Sed nolumus, eum preſſius exagitare, nec ejus inſultare erroribus, cujus ingenium ſuſpicimus eximia præſertim cum pietate conjunctum, maxime quum ea fuerit hominis modeſtia, ut errores ſuos ab Eccleſia damnatos revocarit, cenſuræque in eos latæ prompte ſubſcripſerit, quod ei multa in laude ponunt Aubertus Miræus, Antonius Poſſevinus, Cardinalis Pallavicinus, nec non Theophilus Raynaudus (qui utinam ex præclaro Baii exemplo profeciſſet !) ad calcem operis *de libris configendis n.* 571. hæc de Bajo ſcribens : „ Quo in genere Michael Bajus æternum „ quibuſvis Scriptoribus exemplum ſapien„ tiæ ac virtutis ſtatuit, quum confixis a „ Franciſco Toleto per Pontificem ad id „ delegato nonnullis ejus libris, oblataque „ cenſura, an acquieſceret, rogatus, mal„ le ſe, ait, porcos paſcere, quam cujuſ„ cunque per Eccleſiam delecti judicio de „ ſcriptis ſuis pervicaciter obluctari. “

EXERCITATIO IX.

De attributa homini innocenti in cætera dominatione.

I. PRæmittenda Moſis verba, ut inde pateat, quam late dominatio hominis porrigeretur. *Et ait* (Deus) : *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem .... benedixitque illis Deus, & ait : Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Moſi concinit Eccleſiaſtici Auctor c. 17. : *Deus creavit de terra hominem .... & dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram : poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum, & volatilium.* Data itaque homini a Deo in univerſa animantia poteſtas & dominatus. Quo vero hæc illi attributa dominatio, quum animantibus tunc non egeret ? In ſtatu innocentiæ, reſpondet D. Thomas *1. p. q. 96. art. 1. ad 3.*, nulli ſervire animalia potuiſſe hominis neceſſitati ; neque enim homines animantibus indigebant ad indumentum, nudi enim erant, neque erubeſcebant, nullo tunc ſtimulante pravæ concupiſcentiæ motu, neque ad cibum, quum paradiſi fructibus veſcerentur, neque ad vehiculum propter corporis robur : eis tamen egebant, ut *experimentalem* naturæ eorum cognitionem caperent, qua Deus ad Adamum animalia adduxit, ut eis nomina imponeret, quæ eorum naturas deſignant.

II. Videtur tamen captu difficile, qui animalia tot non diverſæ ſolum, ſed & contrariæ naturæ, inter quæ nulla poteſt concordia eſſe, potuerint hominis dominatu contineri. An iis aſſentiemur, qui opinati ſunt, quemadmodum ibidem memorat D. Thomas, animalia nunc ferocia aliiſque infeſta & exitioſa, futura tunc non erga hominem ſolum, ſed & adverſus reliqua animantia fuiſſe manſueta ? Abhorret hoc a ratione ; neque enim poſt hominis culpam animalium natura mutata eſt, ita ut, quibus naturale nunc eſt, aliorum animalium carnibus veſci, tunc herbis & fructibus vitam ſuſtentaſſent. Et tunc ergo, ſcite ait D. Thomas, fuiſſet inter quædam animalia diſcordia naturalis, neque tamen hæc obſtitiſſet, quo minus in hominis dominatu fuiſſent, ſicut nec obeſt, quin ſupremæ Dei dominationi ſubſint, cujus providentia univerſum hoc regitur, atque adminiſtratur, cujus providentiæ homo tunc miniſter fuiſſet & executor, ut & videre nunc eſt in hujuſmodi animantibus domi-

tis atque manſuefactis, quibus ab homine domeſticorum animalium carnes ſuppeditantur in cibum.

III. At, quum factus dicatur homo, non ut præeſſet animantibus ſolum, ſed & *omni terræ*, vel, ut poſt Veteres legit D. Thomas, *univerſæ creaturæ*, quæ hæc ejus in univerſa dominatio? Num & Angelis præfuiſſet? nam & ipſi *creaturæ* ſunt. Præclare D. Thomas *ibidem art.* 2. hoc Gen. teſtimonium interpretatur, ajens, quum in homine quadam ratione ſint omnia, (nam ut hom. 29. in Evang. ait Gregorius M. „ omnis creaturæ aliquid habet homo, habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: ſi ergo cum omni creatura commune aliquid habet homo, juxta aliquid omnis creatura eſt homo "), eo modo, quo iis, quæ in ſemetipſo habet, dominatur, convenire ei, & in alia dominari; quum ergo mente ſive ratione polleat; in qua cum Angelis convenit, *ſentiendi viribus*, quas cum brutis animantibus, *viribus naturalibus*, quas cum plantis communes habet, *corpore* demum inſtructus ſit, quod cum rebus inanimis eſt illi commune, inde ferendum eſt de ejus in alia, cum quibus convenit, dominatu judicium. Mens porro ſeu ratio num ſubjecta? num ſerviens? imo dominatrix & princeps: Nec Angelis ergo, cum quibus mentem communem habet, in primo ſtatu dominabatur homo, quodque dicitur, *omni creaturæ*, ad eas referendum, quæ ad imaginem Dei non ſunt. In ſentiendi vires, quæ rationi quodammodo obediunt, dominatur animus imperando; quare & in ſtatu innocentiæ in bruta quæque animantia imperio dominabatur; quum vero in naturales vires, & in corpus ſuum dominetur homo non imperio ſed uſu, & in ſtatu innocentiæ plantis, atque inanimatis rebus præerat homo non imperando, aut eas ad nutum immutando, ſed omnium horum *auxilio abſque impedimento*, & libere *utendo*.

IV. Verum ſi laudatorum Gen. verborum germanus hic ſenſus eſt, *ut præſit univerſæ creaturæ, quæ non eſt ad Dei imaginem facta*, nulla itaque fuiſſet in ſtatu innocentiæ homines inter differentia, nulla inæqualitas: fuiſſent ergo omnes & corpore & animo prorſus æquales. Ita ſane viſum Almarico Carnotenſis Eccleſiæ Clerico, & Pariſienſi Doctori, cujus alios inter errores ab Innocentio III. *in c. Damnamus de Summa Trinitate, & fide Catholica* confixos, hic quoque cenſetur, ſi perduraſſet felix innocentiæ ſtatus, nullam tunc futuram fuiſſe ſexuum diſtinctionem, neque aliter multiplicatum tunc homines iri, quam Angelos, quam doctrinam laudatus Pontifex *non tam hæreticam, quam inſanam cenſendam eſſe*, recte pronunciat; Nonne enim, ut ad Rom. 13. ait Apoſtolus, & ex eo argumentatur D. Thomas ibid. ar. 3., *quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt*? Si a Deo homines, fuiſſet itaque eos inter ordo: Quid vero ordo, niſi, ut eum definit Auguſtinus l. 19. de Civ. Dei c. 13., *parium, diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio*? Si ablegari ergo ab innocentiæ ſtatu, niſi ſtulte, ordo non poteſt, iſque omnium decentiſſimus, nec aliqua inde excludi poterit inæqualitas. Sane quid ſtultius, quam ab innocentiæ ſtatu diſtinctionem ſexuum removere? Quum natura hominis longo intervallo ab Angelica certiſſime diſtet, nonne vaniſſime fingitur, Angelorum inſtar homines in ſtatu innocentiæ multiplicandos? At futura tunc erat hominum multiplicatio; dictum enim eis à Deo fuerat: *creſcite, & multiplicamini, & replete terram*: Qua autem via, niſi quam natura ab Auctore ſuo primum inſtitutam hactenus retinuit conſtantiſſime, generatione videlicet? Qui autem hæc eſſe potuiſſet abſque ſexuum diſtinctione? At ſi tunc & ſexuum diſtinctio, & generatio, & nativitas, ætatis itaque & diſparitas: ſed de his rurſus infra.

V. Pergit D. Thomas, demonſtratque, futuram tunc fuiſſe homines inter & animæ & corporis differentiam, ac inæqualitatem; neque enim hominis natura fert, ut neceſſario operetur, ſed libere, ex quo habet, ut animum poſſit ad quidpiam vel agendum vel cognoſcendum, magis minuſve applicare; quare & tunc quorundam fuiſſet major præ aliis in juſtitia atque ſcientia proceſſus pro majori in his poſito ſtudio. Potuiſſe & tunc homines corpore diſpares & varios eſſe, patet; nam non erat tunc humanum corpus ita naturæ legibus ſolutum, ſeu non obnoxium, ut ab exterioribus cauſis quidpiam commodi & auxilii ma-

gis

gis minuſve non caperet, quum & cibis vita eorum ſuſtentaretur. Dici ergo non abs re poteſt, pro diverſa exteriorum cauſarum concurſione, poſitu atque vi, procreandos tunc fuiſſe aliquos præ aliis viribus valentiores, ſtatura proceriores, formoſiores, melioriſque temperamenti, ita tamen, ut ab iis, quorum fuiſſent, aut minus valentes vires, aut ſtatura humilior, aut minus elegans forma, aut non adeo felix corporis temperatio, omne prorſus abeſſet corporis, aut animæ vitium.

VI. Si tunc fuiſſet inter homines inæqualitas, num & hominis in hominem dominatus? Hunc ab innocentiæ ſtatu arcere videtur Auguſtinus *l. 19. de Civ. Dei c. 15.* ajens: „ Hominem rationalem ad imaginem ſuam factum non voluit Deus, niſi irrationalibus dominari, non hominem homini, ſed hominem pecori. " Profecto, ſi, ut ipſe Auguſtinus ait l. 14. de Civ. Dei c. 10., *ab eo ſtatu nihil aberat, quod bona voluntas cupere poſſet*, quid optabilius libertate? Sicut autem ea, ut & Cicero inquit, nihil dulcius, ita ſervitute nihil durius & gravius, quam & poſtremum malorum omnium vocat. Ne ergo a feliciſſimo ſtatu illo præcipuum hominis bonum, libertatem ſcilicet, abſuiſſe dicamus, neve tantum in illo malum, ſervitutem nempe, ponamus, eliminandus inde dominatus, ex qua ſervitus neceſſario conſequitur; nonne etenim hæc peccati ſupplicium, quum inter alias mulieri poſt peccatum inflictas pœnas Deus hanc quoque conſtituerit, *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*? Quid malo itaque, quo Deus animadvertit in culpam, cum innocentiæ ſtatu?

VII. Solidiſſimæ tamen D. Thomæ doctrinæ ſtandum eſt, quam ibidem *art. 4.* tradit, & ſtatuendum, non abhorruiſſe ab innocentiæ ſtatu hominis in hominem dominatum; numquid enim hominis innocentis conditio Angelorum dignior conditione? Nonne autem Angelorum quidam in alios dominantur, quum inter eos peculiaris ordo ſit, qui *Dominationum* dicitur? Nihil ergo de ſtatus innocentiæ dignitate derraxiſſet hominis in hominem dominatio. Informanda eſt animo recta dominationis notio, & diligenter excutiendum, quæ cum innocentiæ ſtatu dominatio pugnaret; duplex enim eſt, ut ſapienter adnotat D. Thomas, dominatus acceptio; altera, ut ſervituti opponitur, ſicque Dominus dicitur, cui quiſpiam tanquam ſervus ſubjectus eſt, altera, ut ad quomodocumque ſubjectum refertur, ſicque & ille, qui liberos gubernandi dirigendique officio fungitur, Dominus dici poteſt. Abſuiſſet ſane ab innocentiæ ſtatu primum, non autem ſecundum dominationis genus, cujus egregiam plane rationem ſubjicit D. Thomas. Servus a libero differt, quod *liber eſt cauſa ſui*, ut ait Philoſophus l. 1. Metaph., *ſervus autem ordinatur ad alium*. Tunc ergo quiſquam in alium dominatur ut ſervum, quando illum in ſui utilitatem refert; quia vero ſuum quiſque appetit bonum, graviterque fert bonum proprium in alterius tantum utilitatem cedere, hujuſmodi dominatus iccirco nequit a ſubjectorum moleſtia atque pœna ſejungi, ideoque procul ab innocentiæ ſtatu abfuiſſet. Tum vero quiſquam in alterum dominatur ut liberum, quum vel ad proprium ejus, qui dirigitur, vel ad commune eum dirigit bonum; hujuſmodi autem hominis in hominem dominatum ſtatum innocentiæ decuiſſe, duo perſuadent, primo quum ſit homo animal naturaliter ſociale, & in ſtatu innocentiæ fuiſſent homines vitæ ſocietate conjuncti, quæ ſocietas coli continerique non potuiſſet, niſi præfuiſſet aliquis, communis boni curam ſibi propoſitam habens; multi enim in multa ſingulatim intenti ſunt, unus vero in unum; quare & Philoſophus in princip. Politic. inquit: *quandocumque multi ordinantur ad unum, ſemper unum invenitur ut principale & dirigens*. Secundo, quia ſi tunc aliquis aliis ſcientia & juſtitia præſtitiſſet, dedecuiſſet, eum ſcientiæ juſtitiæque ſuæ præſtantiam in aliorum non conferre utilitatem, ſecundum illud 1. Pet. c. 4. *unuſquiſque gratiam, quam accepit, in alterutrum illam adminiſtrantes*, illud quoque Auguſtini l. 19. de Civ. Dei c. 14., *Juſti non dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: hoc naturalis ordo præſcribit, ita Deus hominem condidit*.

VIII. Hinc patet, quum a ſtatu innocentiæ dominatum idem Auguſtinus excluſerit, qui ſcilicet Domini eſt in ſervos, quibus ad ſuum tantummodo commodum utitur, qui & libertati, quæ inter præcipua hominis bona cenſetur, in-

te-

feſtus eſt, non autem eum, qui in liberos eſt, quorum vel privata, vel communis utilitas promovetur. De teſtimonio vero Gen. 3. ex inſtituto infra, quum ad pœnas primis parentibus poſt culpam a Deo inflictas ſermo pervenerit. Hactenus *de ſtatu vel conditione primi hominis quantum ad animam*. Non eſt a D. Thomæ veſtigiis diſcedendum, ſed cum eo ordinate expendenda, quæ ad ſtatum conditionemque ejus pertinent *quoad corpus*. Quoniam autem ille minutatim omnia perſpicuitatis gratia concidit, conditionem humani corporis excutit primo *quo ad individui conſervationem*, exin *quoad ſpeciei propagationem*, poſtremo & in conditionem generandæ tunc prolis inquirit, de ſingulis, de quibus ille quæſtionem inſtituit, exercitationes habebimus.

EXERCITATIO X.

De immortalitate, aliiſque dotibus humano corpori in innocentiæ ſtatu attributis.

I. UT Catholicis omnibus ratum eſt, primum hominem a Deo immortalitate donatum, ſola enim culpa in mundum mortem intulit, ut ait Sapientiæ Auctor c. 1. *Deus creavit hominem inexterminabilem . . . invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*, Apoſtolus quoque, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit*, ita omnibus perſuaſum, quod D. Thomas ſcribit 1. p. q. 74. ar. 5. ad 1., *corpus hominis ante peccatum immortale fuiſſe non per naturam, ſed per gratiæ donum*, quod ex Auguſtino depromſerat, qui l. 2. de Gen. ad lit. c. 15. inquit: *Poſſe non mori præſtabatur Adamo de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ: mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris*. Hæcne animo complectebatur Bajus, dum propoſit. 78. ſcriberet: *Immortalitas primi hominis non erat beneficium gratiæ, ſed naturalis conditio?* Si a paradoxo hoc Bajum tantorum Doctorum, quos plurimi ſemper fecit Eccleſia, non cohibebat auctoritas, qui fieri potuit, ut illum vel ratio ipſa non abſterruerit? Si enim primi hominis immortalitas non a Conditoris beneficio, ſed a naturali conditione petenda; quidni & in Adamo poſt culpam, & in tota ejus poſteritate permanſerit? jam enim cum D. Thoma animadverſum eſt, peccato natura neque immutari, neque corrumpi, quum & in Dæmonibus naturalia perſtiterint integra poſt peccatum. Non intraſſet ergo per peccatum in mundum mors, ſi immortalitas erat primi hominis conditio naturalis.

II. Quæ vero primi hominis immortalitas? Ejuſne ſimilis, quæ juſtis in cælo promiſſa eſt, de qua Apocal. 21. dicitur, *& mors ultra non erit?* Tripliciter, ait D. Thomas 1. *p. q.* 97. *art.* 1., quidpiam dici poteſt incorruptibile, ſive indiſſolubile, primo, quod eſt omnino materiei expers, ut Angelus, hocque dicitur ſuapte natura incorruptibile; ſecundo, quod etſi naturaliter diſſolubile, quadam tamen diſpoſitione affectum eſt, quæ omnem ab eo diſſolutionem removet ſeu corruptionem, hocque incorruptibile dicitur *ſecundum gloriam*, de quo Auguſtinus *epiſt.* 56. ad Dioſcorum ait: „ Tam „ potenti natura Deus fecit animam, ut „ ex ejus beatitudine redundet in corpus „ plenitudo ſanitatis, & incorruptionis „ vigor. “ Tertio demum incorruptibile quidpiam dicitur *ex parte cauſæ efficientis*, ſicque fuiſſet homo in ſtatu innocentiæ incorruptibilis & immortalis; neque enim in ejus corpore inerat immortalitatis vigor, quo fieret indiſſolubile, ſed in anima virtus quædam a Deo ſupra naturæ vires illi attributa, qua poterat corpus cujuſque corruptionis expers ſervare, quandiu fuiſſet illa Deo ſubjecta, quod ſapientiſſime factum eſt; quum enim anima materiei corporeæ longe præſtet, decuit, eam in principio virtute donari, qua conſervare corpus poſſet ſupra materiei corporeæ naturam & conditionem.

III. Nulla ergo fuiſſet in ſtatu innocentiæ cibi neceſſitas, nullus uſus; „ remota enim vita corruptibili, ſcite ait „ D. Thomas 4. *c. gent. c.* 83. neceſſe „ eſt, ea removere, quæ corruptibili vitæ deſerviunt; manifeſtum eſt autem, „ quod ciborum uſus corruptibili vitæ „ deſervit; ad hoc enim cibos aſſumimus, ut corruptio vitetur, quæ poſſet „ accidere ex conſumptione naturalis humidi. “ At quorſum Deus primis hominibus dixit Gen. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram*,

ram,

Digitized by Google

ram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam? Rurſum Gen. 2. *Ex omni ligno paradiſi comede*, quare Eva ſerpenti reſpondit Gen. 3. *De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur?* Si autem hæc omnia a Deo parata primis hominibus in cibum, eſca itaque tunc egebant: immortales ergo non erant; „ quomodo enim, ait Auguſtinus *in l. de quæſt. vet. & nov. teſt. q.* 19., immortale corpus habebat, quod cibo ſuſtentabatur? immortale enim non eget eſca, neque potu." Quæſtionem hanc mira perſpicuitate dirimit Angelicus ibidem *art.* 3., ajens, hominis in ſtatu innocentiæ vitam fuiſſe animalem; quæ cibis opus habebat, poſt reſurrectionem vero futuram ſpiritualem, quæ nullo egebat cibo; anima enim hominis, & anima & ſpiritus eſt; anima eſt & dicitur, quatenus corpori vitam dat; quare Gen. 2. legitur: *factus eſt homo in animam viventem*: ſpiritus vero dicitur, quatenus virtute intelligendi pollet materiei omnino experte. In ſtatu itaque innocentiæ anima hominis communicabat corpori, quod ſibi aliiſque animalibus eſt commune, vitam nempe, quare & corpus illud *animale* dicebatur, ideſt ab anima vitam habens. Quum autem, ut *in l. 2. de anima text.* 34. & 49. ait Philoſophus, in his inferioribus primum vitæ principium ſit anima vegetans, cujus propria opera ſunt, alimento uti, procreare, & augeri, hæc & homini in primo ſtatu conveniebant. In ultimo vero ſtatu poſt reſurrectionem communicabit quodammodo anima corpori quod peculiare habet & proprium, ut ſpiritus eſt, omnibus quidem immortalitatem, bonis autem impaſſibilitatem, & virtutem, & gloriam, quare horum corpus *ſpiritale* dicitur ab Apoſtolo. Nulla ergo poſt reſurrectionem cibi neceſſitas, quo tamen egebant homines in ſtatu innocentiæ.

IV. Videntur hæc tamen cum iis componi non poſſe, quæ ibidem D. Thomas docet, a ſtatu ſcilicet innocentiæ abfuiſſe non mortem ſolum, ſed & paſſionem quamlibet; Neceſſarius enim eſt homini cibus, ut, quod de ſubſtantia ejus quotidie decedit, reſtauretur. Quæ autem fieri poterat de corpore Adæ deceſſio, quod erat indiſſolubile ſive incorruptibile? Quo ergo cibis egeret? Nonne & cibus neceſſarius nobis eſt ad vitæ conſervationem? Nonne autem Adæ ſatis erat, non peccare ad vitandam mortem, conſervandamque perpetuo vitam? Cibis etiam neceſſario utimur nutrimenti gratia, nequit autem eſſe ſine paſſione nutritio; quum ergo nihil in ſtatu innocentiæ corpus hominis pati poſſet, nec poterat ergo nutriri; cibis ergo opus non habuiſſet, quos ad nutriendos homines natura paravit. Denique ſi tunc ciborum uſus, neceſſario ergo egerenda fuiſſent ſubſidentia & redundantia purgamenta, quæ, quum tetri aliquid habeant, non poterant non ſenſibus gravia eſſet, & incommoda. Dignitatem autem primi ſtatus hæc dedecere videntur; quare concludendum, ſi felix perſtitiſſet innocentiæ ſtatus, nullum futurum tunc fuiſſe ciborum uſum.

V. Nihil horum tamen poſitioni huic incommodat; quid enim ſi erat tunc corpus hominis immortale? Quum non eſſet immortalitas primi ſtatus, reſpondet D. Thomas, a diſpoſitione aliqua, qua corpus ipſum effectum eſſet, ſed a ſupernaturali quadam vi animæ communicata, poterat quidpiam de corporis humido caloris actione deperdi; quare, ne omnino conſumeretur, ciborum uſu erat homini ſubveniendum. Quid etiam ſi non mori homo poterat, modo non peccaret? Peccaſſet utique, ſi cibo ſibi non ſubveniſſet, ait Angelicus, ſicut peccavit lignum vetitum edens; nam ſimul ei præceptum fuerat, ut a ligno ſcientiæ boni & mali abſtineret, alioque omni paradiſi ligno veſceretur. Etſi autem nutritionem quædam paſſio comitetur, ea non corporis eſt, quod nutritur, ſed alimenti, quod in ſubſtantiam ejus, quod alitur, tranſmutatur. Quamquam, etſi daremus, & corpus, quod cibo alitur, pati, non decuiſſet innocentiæ ſtatum hujuſmodi paſſio, quippe ad naturæ perfectionem pertinet; ſola enim a felici illo ſtatu exulaſſet paſſio, quæ corpus a naturali ſua diſpoſitione removet, eſtque corpori incommoda & nocens, non autem paſſio, quæ ad naturæ bonum ordinatur, ejuſque promovet perfectionem, ut ſentire, dormire &c. Ad poſtremum vero quid reponemus? Num, quod nonnullis viſum eſt, in ſtatu ſcilicet innocentiæ hominem tanto ſolum uſurum fuiſſe cibo, quanto habuiſſet opus, quare nihil tunc redundans fuiſſet & ſuperva-

cuum,

cuum, quod emitteretur? Senrimus & nos, temperatiſſimum tunc futurum fuiſſe ciborum uſum, nec homines gulæ, ſed uni naturæ neceſſitati fuiſſe inſervituros. Quid porro? „ Irrationabile vide-
„ tur, ait D. Thomas, quod in cibo
„ aſſumpto non eſſet aliqua fæculentia,
„ non apta, ut converteretur in hominis
„ nutrimentum; unde oportuiſſet, ſuperflui-
„ tates emitti. Tamen divinitus provi-
„ ſum fuiſſet, ut nulla ex hoc indecen
„ tia eſſet. “

VI. Quum autem inter ligna in cibum homini attributa *lignum vitæ* ſpeciatim memoretur a Moſe Gen. 2. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum viſu, & ad veſcendum ſuave, lignum etiam vitæ in medio paradiſi*, quæ ligni hujus natura? quæ virtus? quis uſus? Fuiſſe lignum illud vere corporeum, nec dubitare ſe, ait Auguſtinus *l.* 8. *de Gen. ad lit. c.* 4., nec dubitari a quoquam poſſe, illud quoque addens, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur, non ſicut ex alio cibo, ſed nonnulla inſpiratione ſalubritaris occulta. Occulta hæc vero ſalubritas num innata arbori, & naturalis? Ita quidem Veterum nonnulli ſenſerunt, rectius tamen veriuſque Auguſtinus, in cujus ſententiam alii communiter eunt, *ex mirabili Dei gratia* occultam illam reperir ſalubritatem. At quum homini in cibum ligna omnia pulcra viſu, & ad veſcendum ſuavia ſuppeterent, quem in uſum ad cætera vitæ lignum adjectum? Quid ſpeciale erat illud veſcenti homini collaturum? Præclare idem Auguſtinus *l.* 13. *de Civ. Dei c.* 20. uſum ejus virtutemque declarat ajens: „ Licet morituri non eſſent,
„ niſi peccaſſent, alimentis ramen ut ho-
„ mines utebantur, nondum ſpiritalia,
„ ſed adhuc animalia corpora terrena ge-
„ ſtantes, quæ licet ſenio non veteraſce-
„ rent, ut neceſſitate perducerentur ad
„ mortem, (qui ſtatus eis de ligno vi-
„ tæ, quod in medio paradiſi cum arbo-
„ re vetita ſimul erat, mirabili Dei gra-
„ tia præſtabatur) ramen & alios ſume-
„ bant cibos præter unam arborem, qua
„ fuerat interdicta . . . . Alebantur ergo
„ aliis, quæ ſumebant, ne animalia cor
„ pora moleſtiæ aliquid eſuriendo ac ſi-
„ tiendo ſentirent, de ligno autem vitæ
„ propterea guſtabatur, ne mors eis un-
„ decunque ſubreperet, vel ſenectute con-
„ fecta decurſis temporum ſpatiis interi-
„ rent; & cap. 23. Primus homo de
„ terra terrenus in animam viventem fa-
„ ctus, non in ſpiritum vivificantem,
„ quod ei per obedientiæ meritum ſerva-
„ batur. Ideo corpus ejus, quod cibo ac
„ potu egebat, ne fame afficeretur & ſi-
„ ti, & non immortalitate illa abſoluta
„ atque indiſſolubili, ſed ligno vitæ a
„ mortis neceſſitate prohibebatur, atque
„ in juventutis flore tenebarur, non ſpi-
„ ritale, ſed animale fuiſſe, non dubium
„ eſt, nequaquam ramen moriturum, ni-
„ ſi in Dei prædicentis, minantiſque ſen-
„ tentiam corruiſſet; & alimentis qui-
„ dem etiam extra paradiſum non nega-
„ tis, a ligno tamen vitæ prohibitus,
„ traditus eſſet tempori vetuſtatique fi-
„ niendus, in ea duntaxat vita, quam
„ in corpore licet animali, donec ſpirita-
„ le obedientiæ merito fierer, poſſet in
„ paradiſo, niſi peccaſſet, habere perpe-
„ tuam. “

VII. Idem luculentius exponit D. Thomas *quæſt. cit. art.* 4., diſtinguitque ſubtilius, quo nomine aliorum ciborum uſu, & quo ligni vitæ homo ad ſui conſervationem opus haberet, ajens, duo in primo ſtatu homini parara fuiſſe remedia, quorum uſu duobus defectibus ſubveniret; primo enim, quum caloris naturalis actione humidum abſumatur, aliorum paradiſi lignorum uſu huic defectui ſubveniebatur, ut & nunc nobis ciborum ope, quos ſumimus. Secundo, quia ut Philoſophus *l.* 1. *de generar. text.* 34. & 39. inquit, quod ex quopiam extraneo gignitur, additum ei, quod prius inerat, ſpeciei virtutem minuit, ſicut aqua vino adjuncta, primo quidem vini ſaporem induit, largius ramen adjecta ejus virtutem enervat, & randem conficit; quare & quotidiano experimento compertum eſt, ſpeciei virtutem adeo ab initio valentem eſſe, ut tantum poſſit alimenti converrere, quantum ſatis eſt, non ad deperditi inſtaurationem ſolum, ſed etiam ad incrementum. Exin, quod additur, rantum virium habet, ut corpus nutriat, non ut augeat: Confecta demum ætate nec hoc poteſt, hincque corporis imbecillitas, ac tandem diſſolutio conſequitur. Ad hoc autem malum in primo ſtatu arcendum ab homine Deus lignum vitæ in paradiſo plan-

plantaverat, cui attribuerat, ut ſpeciei virtutem confirmaret, debilitatemque repelleret, quæ permixtionem extranei conſequebatur, ſicut & Auguſtinus *l.* 14. *de Civ. Dei c.* 26. ait „ Cibus aderat homi„ ni, ne eſuriret, potus, ne ſitiret, & „ lignum vitæ, ne ſenectus eum diſſol„ veret: “ & *in l. de quæſt. vet. & nov. teſt. q.* 19. „ Vitæ arbor medicinæ modo „ corruptionem hominum prohibebat. “ Animadvertit tamen Angelicus, ligni vitæ uſum immortalitatem *ſimpliciter*, ſeu abſolute afferre homini non potuiſſe, nam neque virtus, qua conſervare corpus anima poterat, a ligno vitæ erat, neque hoc poterat eam immortalitatis diſpoſitionem præſtare corpori, quæ ab eo diſſolutionem perpetuo removeret; Cujuſque enim corporis virtus finita eſt: nec ergo ligni vitæ uſu effici poterat, ut infinito tempore duraret corpus, ſed uſque ad certum tempus, quo evoluto, vel ad ſpiritualem vitam translatus fuiſſet homo, vel ad producendam ultra animalem vitam novo ejuſdem ligni eſu opus habuiſſet.

EXERCITATIO XI.

De conſervandæ ſpeciei modo, ſi felix innocentiæ ſtatus perſtitiſſet.

I. AB argumento hoc perlibenter abſtinuiſſemus, niſi & veterum Patrum, nec non D. Thomæ, qui in illud ſibi inquirendum eſſe, duxerunt, nos confirmaſſet auctoritas, & nonnulla cum eo arctiſſime connexa ſint, quæ dicendis quum de originaria noxa erit ſermo, plurimum ſunt lucis allatura, quæ iccirco fundamenti loco jacienda ſunt, quibus catholica, cujus infra adverſus Remonſtrantes, Socinianos, noſtrique ævi Incredulos defenſionem ſuſcepturi ſumus, doctrina innitatur. Quoniam itaque ſummus rerum omnium Auctor Deus, ut creatis piſcibus & volucribus *benedixit . . . . dicens, creſcite & multiplicamini & replete aquas maris, & aves multiplicentur ſuper terram*, ita & primis hominibus *benedixit . . . dicens, creſcite, & multiplicamini, & replete terram &c.* manifeſtum eſt, juſſiſſe illum, ut piſcium, aviumque, ita & hominum genus multiplicari: qui potuiſſent autem abſque nova generatione multiplicari, quum duo tantum a Deo fuiſſent primo inſtituti? Et in primo ergo ſtatu generatio fuiſſet, qua humanum genus propagaretur „ alioqui, ſi ab eo abfuiſſet, „ ait D. Thomas 1. *p. q.* 98. *ar.* 1., pec„ catum hominis fuiſſet valde neceſſarium, „ ex quo tantum bonum, (humani vide„ licet generis procreatio) conſecutum „ eſt. “ Momentum mitto e naturali ratione petitum, quo eandem hanc veritatem D. Thomas ibidem confirmat, illudque unum delibo, quod ad excludendam ab eo ſtatu hominum propagationem idemmet ſibi obiicit, nitideque diſſolvit, quo magis felix ſtatus illius conditio comprobetur. Qui hominem condidit, Deus eundem omnium conſtituit Dominum: ſi ergo multiplicati fuiſſent generatione homines, in omnes traductus fuiſſet dominatus ille, rerum icciroo, quæ dominationi ſuberant, inducta diviſio. Hoc autem a naturali jure abhorret, quo, ut Iſidorus ait *in l. Etymolog. c.* 4., omnia ſunt communia. At qui ſic diſſerunt, minus recte ex præſenti ſtatu de feliciſſimo illo judicium ferunt; nunc enim, reſpondet Angelicus, multiplicatis dominis, neceſſe eſt poſſeſſiones dividi, quia *communitas poſſeſſionis eſt occaſio diſcordiæ*, ut Philoſophus ſcribit l. 2. Politic. c. 3. Cæterum tunc ita fuiſſent voluntates hominum ordinatæ, ut abſque ullo diſcordiæ periculo rebus in ſuo dominatu poſitis fuiſſent uſi communiter, prout ſingulis conveniſſet, quum & nunc id factitent probi multi.

II. Quæ vero procreandi propagandique tunc humani generis via? Eademne, quæ conſtanti naturæ lege hactenus fuit, eſt, atque erit? Fœda hæc adeo, tamque indecora Veterum nonnullis, ut memorat D. Thomas ibidem *ar.* 2., viſa eſt, ut coitum ab innocentiæ ſtatu ablegarint. Qua ergo via multiplicati tunc homines? Haud ſecus ac Angeli, ajebat Gregorius Nyſſenus l. 8. *de Provident.* c. 3., & in l. *de Homine* c. 18., *ſola divinæ virtutis operatione abſque concubitu*. Quo ergo ſexuum diſtinctio? nam Gen. 1. legimus, *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum: maſculum & fœminam creavit eos*, hæc autem ſexuum diſtinctio ordinatur ad coitum, ait D. Thomas. Reponebat Nyſſenus, Deum, quum *ab initio creaturæ maſculum & fœminam fecit eos* Mar. 10., non innocentiæ ſtatum, ſed generationis modum, qui poſt peccatum, quod certiſ-

ſime præſcibat, futurus erat, propoſitum habuiſſe : Minus tamen ſcite (pace tanti Doctoris dictum ſit), & ad divini eloquii veritatem minus appoſite . Quid ſibi enim voluit Deus, quum ait Gen. 2. *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum : faciamus ei adjutorium ſimile ſibi ?* Cujus operis gratia hoc homini addendum cenſuit adjutorium? Nonne ſolius rei uxoriæ gratia ? nam ad alia quælibet opera melius aptiuſque adjuvari vir potuiſſet ab alio viro, quam a muliere. Quum ergo fœminam mari Deus in ſtatu innocentiæ dederit adjutricem, intelligere par eſt, eundem & tunc futurum viro fuiſſe fœminæ uſum ad ſobolis procreationem, qui nunc eſt. Præterea, annon innocens Adam erat, quum primum fœminam de latere ſuo formatam intuitus, ait Gen. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea : hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt; quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una ?* Poſtremis his verbis nonne exploratum eſt, commixtionem ſexuum deſignati? Ea vero dum Adam a Deo afflatus protulit, digitum ne ad futurum poſt peccatum generationis modum intendit? At caſum ſuum ille omnium omnino conſenſione neſciebat. De ſe ergo ſuiſque poſteris daturis ad ſuſcipiendam prolem rei uxoriæ operam, etiamſi nulla ſubſecuta eſſet culpa, qua a felici innocentiæ ſtatu deiicerentur, hæc pronuntiavit : & tunc ergo fuiſſet eadem procreandæ prolis ratio, quæ nunc.

III. Hanc Nyſſeni opinionem demonſtat ibidem Angelicus, minus cum ratione congruere; Quæ enim naturalia ſunt, peccato nec auferuntur, neque adiiciuntur. Nonne autem homo etiam ante culpam animalem vitam agebat, quemadmodum *exerc.* x. dictum eſt ? Hujus porro vitæ, quæ erat homini cum cæteris animantibus communis, nonne naturale opus eſt, *generare per coitum ?* Nonne & ei tunc dictum a Deo, ut & cæteris animantibus, *creſcite & multiplicamini, & replete terram?* Quid, quod & ſeipſa ſexuum diſtinctio, & naturalia membra ad uſum hunc deſtinata veritatem hanc manifeſtant ? Num illa perperam a naturæ Auctore inſtituta? Fuiſſet itaque & horum, ut & cæterorum membrorum naturalium, ante peccatum uſus. Declarat ſubinde Angelicus, quid Nyſſenum alioſque in hanc minus cum ratione congruentem opinionem impulerit; in re etenim uxoria non ſecernentes quod naturæ eſt, ab eo, quod vitii, illam a ſtatu innocentiæ ablegarunt, quod ejus uſus poſt peccatum deformitatem habeat & turpitudinem : in ea tamen ſecundum præſentem ſtatum duo conſideranda ſunt, ait D. Thomas, unum quod naturæ eſt, maris ſcilicet fœminæque conjunctio ad generandum, quem in finem & ſexus natura diſtinxit, & peculiaria in hunc uſum conformata membra cuique attribuit, aliud, quod vitii eſt, quædam ſcilicet immoderatæ concupiſcentiæ deformitas. Quum naturæ ordo exigat, ut ad generandum mas & fœmina conveniant coeantque, fuiſſet & in innocentiæ ſtatu hæc a natura inſtituta conjunctio; procul tamen ab ea ab fuiſſet immoderata quælibet libidinis intemperantia, quoniam tunc inferiores vires rationi omnino ſuberant; quemadmodum & Auguſtinus ait *l. 14. de Civ. Dei c. 16.:*
„ Abſit, ut ſuſpicemur, non potuiſſe pro-
„ lem fieri ſine libidinis morbo : ſed eo
„ voluntatis nutu moverentur illa mem-
„ bra, quo cætera, & ſine ardore, & il-
„ lecebroſo ſtimulo cum tranquillitate ani-
„ mi & corporis. “

IV. Obeſſe adhuc tamen nonnulla videntur, quo minus poſitioni huic animus aſſentiatur; quum enim Damaſcænus ſcribat l. 2. de fid. orth. c. 11., & l. 4. c. 25., *fuiſſe hominem in paradiſo terreſtri velut Angelum quemdam*, nullam ibi fuiſſe carnalem maris cum fœmina conſuetudinem, inferendum eſt; nam & in futuro reſurrectionis ſtatu, in quo *erunt homines, ſicut Angeli Dei, neque nubent, neque nubentur*, ut Chriſtus ait Matth. 22.; præſertim quum non in alio magis opere beſtiarum ſimilis homo fiat, quam in uxorio ob vehementiam delectationis; quare & continentia, qua ab ejuſmodi delectationibus homo abſtinet, potiſſimum commendatur. Qui etiam poteſt opus illud cum innocentiæ ſtatus conditione componi ? Exerceri enim nequit abſque virginalis integritatis corruptione; nonne autem exploratum eſt, procul a ſtatu illo omnem abſuiſſe corruptionem? Profecto ſi ſtatum illum hoc non dedecuiſſet opus, primi homines, quorum erat perfecta ætas & ad generationem apta, ei in paradiſo vacaſſent : quis autem id aſſerat, reclamante Scriptura? Et hoc itaque argumento eſt, carna-

ſem

lem maris & fœminæ conjunctionem inhoneſtam adeo fœdamque ſuapte eſſe, ut ab innocentiæ ſtatu exulaſſet.

V. Omnem tamen, quam hæc afferre videntur, difficultatem tam docte ſubmovet D. Thomas ibidem, ut nihil reliquum ſit, quod ab aſſenſu cohibere animum poſſit. Erat quidem, ait, *primus homo in paradiſo velut Angelus quidam* quoad ſpiritalem mentem, corpore tamen animalem vitam agebat: poſt reſurrectionem autem erit homo Angelorum ſimilis, non mente ſolum ſed & corpore ſpiritalis effectus, quemadmodum t. ad Cor. c. 15. docet Apoſtolus, *ſeminatur corpus animale*, *reſurget corpus ſpirituale*. Si ergo primi hominis in paradiſo erat animale corpus, vita animalis, cur non & naturali operi vacaſſet, quod eſt liberis conſueto naturæ ordine operam dare? Ad diſſolvendam autem ſecundam difficultatem ipſa Angelici verba lubet exſcribere: „ Beſtiæ, „ ait, carent ratione, unde ſecundum hoc „ homo in coitu beſtialis efficitur, quia „ delectationem coitus, & fervorem concupiſcentiæ ratione moderari non poteſt; ſed in ſtatu innocentiæ nihil hujuſmodi fuiſſet, quod ratione non moderaretur, non quod eſſet minor delectatio ſecundum ſenſum, ut quidam dicunt (tanto fuiſſet tanto major delectatio ſenſibilis, quanto eſſet natura purior, & corpus magis ſenſibile) ſed quia „ vis concupiſcibilis non ita inordinate ſe „ extuliſſet ſuper hujuſmodi delectatione „ regulata per rationem, ad quam non „ pertinet, ut ſit minor delectatio in ſenſu, ſed ut vis concupiſcibilis non immoderate delectationi inhæreat, & dico „ *immoderate*, propter menſuram rationis; „ ſicut ſobrius in cibo moderate ſumpto „ non minorem habet delectationem, „ quam guloſus, ſed minus ejus concupiſcibilis in hujuſmodi delectatione requieſcit; & hoc ſonant verba Auguſtini „ (ſuperius inducta) quæ a ſtatu innocentiæ non excludunt magnitudinem delectationis, ſed ardorem libidinis, & inquietudinem animi. Et ideo continentia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet laudabilis, quæ in tempore iſto laudatur „ non propter defectum fœcunditatis, ſed „ propter remotionem inordinatæ libidinis. Tunc autem fuiſſet fœcunditas „ abſque libidine. “ Ut autem tunc ſine libidine fœcunditas, ita & corporum ſine integritatis corruptione commixtio; nam ut ait Auguſtinus l. 14. de civ. Dei c. 26. „ In illo ſtatu nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris: ita enim potuit utero conjugis, „ ſalva integritate fœminei genitalis, virile ſemen immitti, ſicut nunc poteſt, „ ſalva eadem integritate, ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti; ut „ enim ad pariendum non doloris gemitus, ſed naturalis impulſus fœminea viſcera relaxaret, ſic ad concipiendum „ non libidinis appetitus, ſed voluntarius „ uſus naturam utramque conjungeret. “ Ideo autem primi parentes, ut idem Auguſtinus ſentit l. 5. ſuper Gen. ad lit. c. 4., in paradiſo non cojerunt, quia formationem mulieris inter, & eorum culpam, atque e paradiſo depulſionem perbreve tempus effluxit: „ vel, quia, ſubdit D. Thomas, expectabatur divina „ auctoritas ad determinatum tempus commixtionis, a qua acceperant univerſale „ mandatum. “

VI. Neceſſario fuerunt iſta ex S. Auguſtino & Thoma ſtrictim delibata huc conferenda, tum propter doctrinæ ordinem, quem tenere cum Angelico, propoſuimus, tum propter plurimam, quam ad inferius dicenda habent, utilitatem; permagni enim intereſt noſſe, quantum concupiſcentiam inter, quæ nunc probis ipſis, & *ſpiritu viventibus* tantum moleſtiæ creat, de qua, quum ad originariæ noxæ pœnas ſermo deductus fuerit, agendum erit, & *carnalium ſenſuum*, in ciborum, conjugiique uſu, *voluptatem* intercedat, quam ab *illo tantæ felicitatis loco*, abſtuliſſe, & cum innocentiæ ſtatu pugnaſſe, numquam Auguſtinus, aut Catholicorum poſt Auguſtinum Doctorum alius quiſpiam docuit. Plura non addimus, quod ſit infra quæſtio hæc graviſſima ex inſtituto operoſius retractanda, ſed D. Thomæ veſtigia perſequentes in generandæ tunc prolis conditionem inquirimus. Si enim in ſtatu innocentiæ futurus erat conjugii uſus, ſuſcipienda ergo proles; hujus enim gratia *maſculum & fœminam fecit eos Deus*, eoſque juſſit, *creſcere*, *& multiplicari*, *& replere terram*. At quæ prolis tunc ſuſcipiendæ conditio? Eadem ne, ac primorum parentum, ita ut mox in lucem edita corpore perfecte valeret, rerum omnium ſcientiam mente complecteretur, eademque, qua primi parentes, juſtitia polleret? De ſingulis his

capitibus quæſtionem D. Thomas inſtituit, quæ & totidem exercitationibus illuſtrare, pro modulo noſtro conabimur.

EXERCITATIO XII.

De prolis in ſtatu innocentiæ gignendæ conditione quo ad corpus.

I. ERit hæc exercitatio levior; vix enim in argumento ejus occurrit, in quo ſerio ſit calamus exercendus. Etſi veterum Scholaſticorum nonnulli, quemad modum refert D. Thomas q. 18. de ver. ar. 7. eandem pueris in ſtatu innocentiæ procreandis animæ perfectionem, virtutum ſcilicet atque ſcientiæ plenitudinem, quæ Adæ fuit, ſtatim a nativitate attribuerint, nemo tamen uſque eo deſipuit, ut perfectam recentibus ab utero ſtaturam adſcripſerit; *quod autem non eſſent perfecti quantum ad corpus*, ajebant, *hoc erat propter neceſſitatem materni uteri, quia oportebat, naſci*. An vero, ut ea, quæ puſionum nunc eſt, fuiſſet tunc corporis eorum ſtatura, ac ætatis infirmitas, ita & eadem virium imbecillitas, qua movendis perfecte membris impares eſſent, in quæſtionem vocari ſolet. Hæc ſane ſtatum illum dedecuiſſe videtur infirmitas, ſoliuſque peccati conſectarium eſſe; *infirmitati* enim *mentis congruit*, ait Auguſtinus in l. de peccat. mer. & remiſ. c. 38., *hæc infirmitas corporis*, qua nimirum laborant pueri: Si ergo nulla tunc mentis, nulla & corporis fuiſſet infirmitas. Alienum præterea a ratione eſt, hominem cæteris animantibus multo nobiliorem non ea virtute tunc polluiſſe, qua nonnulla animantia, quæ ex utero effuſa ad membrorum motum perfecta ſunt. Hanc etiam virtutem ſi pueris in ſtatu innocentiæ gignendis denegamus, affligi illos, ac dolere tunc potuiſſe fateamur, oportet, quod a ſtatus illius felicitate alienum eſt; fac enim eos, quopiam delectabili propoſitio excitatos: ſi obtinere illud per membrorum imbecillitatem eis non licuiſſet, nonne dolor conſequeretur, neceſſe erat? Concludendum ergo, in eo ſtatu, ut nullam ſenectutis, ita nec infantiæ infirmitatem fuiſse futuram.

II. Mirifice quæſtionem hanc excutit tranſigitque D. Thomas 1. p. q. 99. ar. 1. ajens, quæ ſupra naturam ſunt, ſola fide teneri, deberi autem auctoritati, quod credimus, ideoque noſtrum de rebus judicium ad earum naturam exigendum eſse, præter ea, quæ, quum ſupra naturam ſint, divina auctoritate traduntur. Nonne autem naturale eſt, humanæque naturæ principiis conveniens, pueros mox natos non eſse ad perfectum membrorum motum idoneos? Quum ſit enim hominis cerebrum proportione majus aliorum animantium cerebro, naturale eſt, quod ſit puerorum cerebrum maxime humidum, nervos, qui motus inſtrumenta ſunt, ad movenda membra ineptos eſse. Quoniam vero dubitare Catholicorum nemo poteſt, quin fieri divina virtute poſſit, ut pueri mox in lucem editi membra queant perfecte movere, diſpiciendum, an id pueris in ſtatu innocentiæ attribuendum a Deo fuiſse, e facris litteris elici poſſit. Nihil autem habent illæ, quam *feciſſe Deum hominem rectum*, quod Auguſtinus in l. de nat. & grat. c. 15., & in l. de corrept. & grat. c. x1. interpretatur, quod corpus animæ perfecte ſubeſset; quare ut nihil tunc in membris hominum ineſse poterat, quod ordinatæ hominis voluntati repugnaret, ita membra hominis voluntati ejus non poterant non parere. Quæ vero voluntas hominis ordinata? Quæ in eos, qui ſibi conveniunt, actus tendit. Num vero iidem actus homini qualibet ætate conveniunt? In ſtatu ergo innocentiæ infantes movere membra ad actus quoslibet non potuiſsent, ſed ad eos tantum, qui illi ætatulæ congruebant, ut ubera ſugere, aliaque hujuſmodi.

III. Quæ vero oppoſitum ſuadere videbantur, nullius momenti eſſe, demonſtrat ibidem Angelicus. Quam enim *corporis infirmitatem infirmitati mentis* in pueris nunc *congruere*, ſtatuit Auguſtinus? Eam, quæ & ad actus pueritiæ proprios in ipſis quotidie deprehenditur, quod ex iis patet, quæ ibidem habet: *Juxta ſe jacentibus mammis magis poſſunt eſurientes flere, quam ſugere*: hanc autem a pueris in ſtatu innocentiæ gignendis procul abfuturam fuiſse, jam diximus. Quid vero ſi nonnulla animalia ſtatim ab ortu membrorum uſum habent? Num quod ſint cæteris nobiliora? Perfectiora iis alia eo carent. Ad membrorum ergo motum ſtatim idonea ſunt, quod ſit eorum cerebrum magis ſiccum, ſintque, qui eorum ſunt proprii, actus tam imperfecti, ut parva virtus ſufficere iis poſſit. Neque eſt, cur affligi illos

tunc

tunc debuiſse, quis metuat, quod membrorum imbecillitas impediret, ne propoſitum ſibi delectabile conſequerentur; „ nihil enim, reſpondet D. Thomas, appetiviſsent, niſi ordinata voluntate conveniſset eis ſecundum ſtatum ſuum; “ quare, quum ad ea, quæ pueritiæ erant, obtinenda idonei per membra eſsent, non fuiſset, cur dolore aliquo afficerentur. Cur denique a feliciſſimo innocentiæ ſtatu exulaſset ſenectutis, non item primæ ætatis infirmitas, rationem aptiſſimam tradit D. Thomas, ajens, „ Homo in ſtatu innocentiæ generatus fuiſset, ſed non fuiſſet corruptus; & ideo in ſtatu illo potuiſsent eſse defectus pueriles, qui conſequuntur generationem, non autem defectus ſeniles, qui ordinantur ad corruptionem. “

IV. Dubitatum olim a nonnullis, an, ſi perduraſſet innocentiæ ſtatus, ſoli procreati fuiſſent mares, an etiam fœminæ; quum enim tunc homines a morte immunes eſſent, propagari ſatis ab Adamo & Eva ſemper victuris humanum potuiſſet genus, quin ſeminas gigni oporteret, quas eorum liberi uxores ducerent ad ſuſcipiendam ex eis prolem. D. Thomas tamen ad veritatem rationem revocans ſtatuit, futuram & in eo ſtatu fuiſſe marium fœminarumque procreationem; neque enim aliter tunc natura gignendo proceſſiſſet, quam prout a Deo fuerat inſtituta: nonne autem *Deus*, ut Gen. 1. legimus, *creavit hominem ad imaginem ſuam maſculum & fœminam creavit eos?* Fuiſſent ergo & tunc genitæ cum maribus fœminæ. Præſertim quum alienum a ratione ſit fingere, defuturum tunc quidpiam fuiſſe, quod ad humanæ naturæ perfectionem ſpectaret; quum ergo, ut ad univerſitatis rerum expletionem diverſi earum gradus, ita ad humanæ naturæ abſolutionem ſexuum diverſitas attineat, utrumque ſexum & tunc gignendum fuiſſe, fatendum eſt. Nec obſcure eandem hanc veritatem ſacræ literæ innuunt; Jam enim adnotatum eſt, communi Patrum ſcito Adamum non prænoviſſe, fore, ut a felici illo ſtatu peccando excideret; quum ergo ait Gen. 2., *Relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, digitum ad eum, in quo tunc erat, ſtatum intendit, in quo data fuiſſet, ut ſuperius demonſtratum eſt, rei uxoriæ opera. Num vero id de ſe protulit, qui Patrem nullum, nullam Matrem habuerat? De poſteris ergo locutus eſt, quorum ipſe Pater futurus erat, ac Eva Mater, ac de aliis, qui exinde erant parentes alios proximos habituri. Si ergo hi, patre matreque relictis, erant uxori ſuæ adhæſuri, conſequens eſt, & fœminas tunc fuiſſe gignendas, quibus mares nuberent, ac adhærerent.

V. At fœminam vocat Ariſtoteles l. 2. de generat. animal. c. 3. *marem occaſionatum*, quaſi quidpiam innaturale, & præter naturæ intentionem ortum. Sinit ne vero ratio, ut quidpiam hujuſmodi in innocentiæ ſtatu ponamus? Alio etiam nomine id ab eo ſtatu abhorret; nunc enim naſcuntur fœminæ, vel quod maris gignentis imperfecta ſit virtus, vel quod materies in fœmina concipiente ſatis diſpoſita non ſit, neutrum autem horum in ſtatum innocentiæ cadere potuiſſe, denotatum perſpectumque eſt. Cæterum hæc inepta eſſe, oſtendit ibidem Angelicus; eſt enim fœmina *mas occaſionatus*, quia præter naturæ particularis intentionem eſt, univerſalis tamen naturæ, ſeu Dei totius naturæ Auctoris intentioni reſpondet, qui quum hominem ad imaginem ſuam creaſſet, *maſculum & fœminam fecit eos*, ut eſſent *duo in carne una*, humanique generis propagationi vacarent. Hanc creandæ fœminæ præcipuam cauſam fuiſſe, probat D. Thomas 1. p. q. 92. ar. 1.; quare, etſi mox allatas cauſas nunc ad fœminæ ortum concurrere, non negemus, earumque neutri fuiſſet in ſtatu innocentiæ locus, natæ tamen & tunc fuiſſent fœminæ, quod id ferret prima naturæ humanæ inſtitutio. Num vero, quia tum fuiſſent homines a morte immunes, perpetuoque victuri, ableganda inde fœminarum procreatio? „ Proles, ait D. Thomas, tunc fuiſſet genita vivens vita animali, ad quam, ſicut pertinet alimento uti, ſic etiam generare; unde conveniebat, quod omnes generarent, & non ſolum primi parentes; ad quod conſequens videtur, quod tot generatæ fuiſſent fœminæ, quot & mares. “

VI. De pari autem fœminarum, mariumque, quos ſtatus innocentiæ ſuſtuliſset, numero quod habet Angelicus, certum ratumque non eſt, ſed probabile, ut ex iis patet, quæ idem tradit quod l. 3. quæſt. 11. artic. 25., cujus titulus: *Utrum, Adam non peccante, tot fuiſſent nati mares, quot fœminæ*; Circumſpecte enim reſpondet, & ut acerrimi graviſſimique judicii

Theo-

Theologum decet : „ Si Adam non pec-
„ caſſet , nec aliquis de ſtirpe ejus , ſatis
„ probabiliter videtur concedendum , quod
„ tot naſcerentur mares , quot fœminæ, ſi-
„ cut ratio probat ; . . In paradiſo enim,
„ ubi ſecundum Auguſtinum fuiſſet *thorus*
„ *immaculatus* , *&* *honorabiles nuptiæ* ;
„ nullus continuiſſet , ſed omnes matrimo-
„ nio uſi fuiſſent , ut impleretur præce-
„ ptum Domini primis hominibus datum
„ Gen. 1.: *creſcite*, *&* *multiplicamini*, *&*
„ *replete terram* ; ſed in ſtatu innocentiæ
„ nullus maſculus plures habuiſſet uxores,
„ nec aliqua mulier plures viros, nec ali-
„ quis aut aliqua mortem ſenſiſſet ; ergo
„ ſequitur , quod tot mares naſcerentur
„ quot fœminæ . " Quum in hac argumentatione etſi nonnulla ſint, quæ ab omni procul dubitatione abſunt, alia tamen ſint non uſquequaque certa , iccirco probabiliter ſolum oſtendit, non neceſſario demonſtrat , ſapientiſſimeque concluſit Angelicus , *ſatis probabiliter videri concedendum* , quod ſit concluſionis ratio non neceſſaria , ſed probabilis; ſed de hoc capite pluſquam ſatis: ad paulo graviora , ſcituque utiliora procedamus.

EXERCITATIO XIII.

De prolis in ſtatu innocentiæ gignenda ſcientia .

I. VEterum Scholæ Magiſtrorum duas, eaſque invicem pugnantes opiniones olim fuiſſe, tradit D. Th. q. 18. de Verit., quæ *de cognitione primi hominis* inſcribitur, art. 7. ; quidam enim eandem pueris in innocentiæ ſtatu procreandis virtutum, ac ſcientiæ perfectionem, quæ primi omnium parentis Adæ erat, attribuerunt; alii vero in Hugonis a S. Victore ſententiam conceſſerunt *l. 1. de Sacr. par. 3. c. 26.* ſcribentis , pueros, ſicut ad perfectam ſtaturam tempore tunc proceſſiſſent , ita ad perfectam ſcientiam tempore perventuros . Quoniam vero, qui in prima opinione erant , nihil primum parentem inter, ac ejus poſteros diſcriminis ſtatuebant, concludebantque futuram tunc æque perfectam ſcientia prolem mox genitam , ac primum omnium patrem, quod eadem animæ prolis ac patris natura eſſet , præſertim quum Anſelmus *in l. de peccato origin. c.* 10. , *&* 16. ſcribat, *qualis fuit Adam , tales filios geniturum*, D. Thom. hallucinatos eos fuiſſe demonſtrat , multumque Adamum inter , & progignendos ex eo liberos interceſſiſſe ; quia enim Adam ut totius humani generis Pater, principium ac inſtructor conditus fuerat , non eo ſolum inſtructus ſtatim eſſet , oportuit , quod ad naturalis perfectionis initium, ſed & quod ad ejuſdem terminum pertinet ſive coſumationem, quemadmodum ſuperius declaratum eſt . Num vero eadem filiorum ejus inſtitutio ? Quum eſſent ii a primo totius humani generis principio, non oportebat , ut eſſet eorum naturalis perfectio expleta , & conſumata , ſed ſatis erat , tanta eos mox natos perfectione pollere , quanta erat ad naturalis perfectionis initium neceſſaria . Quid ergo , ſi erat animæ Adæ , poſterorumque ejus natura eadem ? Non idem tamen officium , ſcite ibidem reſpondet D. Thomas ; Adæ enim anima conſtituta fuerat veluti quidam fons, unde in poſteros omnis diſciplina manaret; ideoque ſtatim perfecta eſſet, oportuit, ſecus autem prolis ex eo propagandæ anima . Qualis itaque fuit Adam , tales filios genuiſſet in iis, quæ ſpeciei natura exigit; in iis vero, quæ illi ut totius humani generis principio ſpeciatim collata fuerant, non oportebat , ut filii ejus ſimiles naſcerentur .

II. Cæterum, quoniam de ipſo naturalis cognitionis initio veteres Philoſophi diverſa ſenſerunt , in varias eorum opiniones D. Thomas ibidem inquirit . Platonicos primum docuiſſe refert, animam ad corpus totius ſcientiæ plenam delabi , ſed nube corporis opprimi , ac impediri , ne ſcientia, quam ſecum afferr, libere poſſit uti , niſi quoad univerſalia principia, ſenſuum dein exercitatione, atque ſtudio impedimenta hæc ita tolli , ut ſcientia ſua expedire uti poſſit, diſcere iccirco aliud non eſſe , quam reminiſci . Hæc ſi vera ſunt, pueri in innocentiæ ſtatu mox nati perfectam omnium ſcientiam habuiſſe dicendi ſunt ; quum enim animæ corpus tunc plene ſubeſſet , non potuiſſet anima ita mole corporis opprimi, ut perfectionis ſuæ jacturam faceret. Opinionem hanc tamen falſam eſſe, ſubdit Angelicus ; orta enim inde videtur , quod eadem Platonicis eſſet animæ & Angeli natura , haberetque iſta, quum primum ad corpus venit , plenam omnium cognitionem , *ſicut & intelligentia dicitur plena formis creata* ; quare & animas ponebant ante cor-

pora

pora eſſe, & poſt corpus redire ad compares ſtellas, veluti quaſdam intelligentias, quæ quidem opinio *non eſt conſona catholicæ veritati*. Nec ei probabilitatis quidquam conciliat, quod Damaſcænus ait *l. 2. de fid. orthod. c.* 11., hominem ſcilicet in paradiſo fuiſſe *velut Angelum quemdam*. In ſtatu namque innocentiæ, ita Damaſcænum interpretatur Angelicus, dictus eſt homo *quaſi alius Angelus* propter plenitudinem gratiæ; etſi enim Angeli ſint animabus naturæ gradu altiores, ideoque quod Angelis naturaliter debetur, nequeat homini convenire, poſſunt tamen Angelis homines in gratiæ beneficiis æquales eſſe.

III. Quum itaque a vero abſit opinio hæc, alios Ariſtotelem ſecutos memorat D. Thomas ſtatuiſſe, quum ſit intellectus humanus tabulæ inſtar, in qua nihil eſt ſcriptum, univerſalium duntaxat principiorum cognitionem ab initio habens, cæterorum vero ſcientiam ſenſuum adminiculo, atque ſtudio pedetentim ſibi comparans, non oportuiſſe, ut Adæ filii ſtatim ab ortu omnium ſcientia vigerent, ſed eam quotidiano profectu conſequerentur, præter eligendorum vitandorumque ſcientiam, qua ſtatim perfecti eſſent, oportuit. Cur vero? Quum una cum natura fuiſſet tunc ab Adamo in prolem traducta originalis juſtitia, hanc virtutes omnes comitarentur, neceſſe erat, ideoque & prudentia, ſine qua reliquæ virtutes, ut probatur *6. Ethic. c.* 12. & 13., eſſe non poſſunt. Qui poteſt autem ſine boni malique ſcientia ſuo prudentia fungi munere? Fuiſſet *hæc* ergo ſcientia tunc in pueris ab initio *perfecta*. In hanc opinionem ceu veriorem ſe ire, ait Angelicus, ſi illud ſpectetur, quod naturæ integritas tunc requirebat, neque affirmari poſſe, ſupra id, quod ſtatus illius conditio, & naturæ ferebat integritas, ita fuiſſe divino munere collatum, *quum non habeatur ex auctoritate expreſſum*. Hoc idem 1. p. q. 101. ar. 1. luculentius declarat ajens, quæ ſupra naturam ſunt, ſola auctoritate credi, qua deficiente naturæ conditio ſpectanda eſt, & ex ea ferendum de rebus judicium; quare, quum natura hominis ferat, ut ſcientiam per ſenſus acquirat, ſicut 1. p. q. 55. ar. 2., & q. 84. ar. 6., in ſtatu innocentiæ nati non fuiſſent pueri ſcientia perfecti, ſed eam, procedente ætate, inveniendo, vel addiſcendo, ſibi nullo labore comparaſſent.

IV. Tametſi jam ſint hæc omnibus rata, expedienda tamen nonnulla, quæ nonnihil difficultatis iniiciunt; Si enim pueri tunc nati fuiſſent omni virtute, (quod poſuimus ut exploratum) referti, cur non & omni ſcientia perfecti? Nonne etiam tunc fuiſſent ab omni corporis vitio prorſus immunes? Multo magis ergo ab omni ignorantia, quæ animi vitium eſt; præſertim quum Beda infirmitatem, concupiſcentiam, ignorantiam, & malitiam inter funeſta peccati conſectaria recenſeat; ſicut ergo tunc nulla fuiſſet in pueris infirmitas, vel concupiſcetia, vel malitia, ita nulla ignorantia: omnium itaque ſcientiam etiam recentes ab uberibus habuiſſent. Nonne denique reliqua animantia vix nata naturalem habent æſtimationem convenientis & noxii, ſive ejus, quod eſt ad naturam accommodatum, & eidem infeſtum, ſicut agnus mox in lucem editus lupum averſatur & fugit, matrem vero ſequitur, eique adhæret? Alienum itaque a ratione eſt, perfecta omnium ſcientia pueros in eo ſtatu fraudare.

V. Nihil horum tamen communi ſententiæ incommodat; ac primo quidem nullo negotio declaratur, cur fuiſſent pueri tunc omni ſtatim virtute perfecti, non item omni ſcientia exculti; ad perfectam enim cum Deo conjunctionem, reſpondet D. Thomas, quam ſtatus innocentiæ requirebat, neceſſaria erat virtutum omnium complexio, non item ſcientiarum omnium, earum præſertim, quæ ſpeculatione continentur. His vero carentes pueri num propterea ignorantia, quæ animi labes eſt, & peccati conſectarium, laboraſſent? Etſi ignorantia ac inſcientia ſive neſcientia Grammaticis ac Rhetoribus ſynonima ſint, Theologis tamen diverſa utriuſque nominis eſt poteſtas; *ignorantiam* enim dicunt eorum inſcientiam, quæ ſciri poſſunt, debentque, *neſcientiam* vero eorum inſcitiam, quorum neque debita eſt, neque neceſſaria cognitio. Abfuiſſet illa ab innocentiæ ſtatu, quippe quam ſolum peccatum induxit, non autem iſta, quæ & in Angelis eſt; neque enim primi ſtatus conditio ferebat, ut homines omnia tunc, & quavis ætate ſcirent. Num vero ita tum fuiſſent puerorum perfecta corpora, ut nullo prorſus carerent bono? Fuiſſent ſolum ejus defectus expertia, quo bono tunc ſibi debito privarentur, caruiſſent tamen bono, ad quod, procedente tempore, vel naturæ viribus,

ribus, vel Dei munere perveniſſent, perfecta nempe ſtatura, virili robore, & dono gloriæ; quare & eorum animi fuiſſent eligendorum vitandorumque ſcientia, quemadmodum dictum eſt, ab initio perfecti, quod eſſet hæc cum originali juſtitia, in qua nati fuiſſent, neceſſario connexa, ſecus autem aliorum ſcientia, quæ pro eo ſtatu ac ætate neceſſaria non erat. Cur demum cæteræ animantia naturalem ſtatim ab ortu habeant convenientis & noxii æſtimationem, pueri in eo ſtatu non item, luculenter explicat D. Thoma. ibidem ad 7. ajens: „ Animalia bruta in „ ſui principio naturalem æſtimationem accipiunt ad cognoſcendum noxium & conveniens, quia ad hoc propria inquiſitione pervenire non poſſunt; homo autem ad hæc aliaque multa poteſt per rationis inquiſitionem pervenire, unde non oportet, ut omnis ei ſcientia naturaliter inſit. Et tamen ſcientia operabilium ad prudentiam pertinens eſt homini naturalior, quam ſcientia ſpeculabilium; unde quidam inveniuntur naturaliter prudentes, non autem naturaliter ſcientes, ut dicitur 6. Ethic., & propter hoc prudentiam non facile obliviſcuntur homines, ſicut ſcientiam. Et ideo pueri magis tunc fuiſſent perfecti in his, quæ pertinent ad prudentiam, quam in his, quæ pertinent ad ſcientiam ſpeculativam, ut dictum eſt in corp. art. “

VI. At ſi non fuiſſet tunc in pueris mox natis plena omnium ſcientia, perfectus ne ſaltem rationis uſus? Et in hoc definiendo veteres Scholaſticos invicem diſſenſiſſe memorat D. Thom. quæſt. cit. 18. de ver. ar. 8.; Quidam enim ſanciebant, fore, ut pueri in ſtatu innocentiæ integro ac expedito membrorum omnium uſu pollerent, & quæ in pueris nunc apparet, infirmitatem, qua pedibus e. g. ad incedendum, manibus ad ſcalpendum &c. uti nequeunt, non aliunde, quam ex primi parentis crimine repetebant. Alii contra ex naturalibus principiis hanc oriri infirmitatem conſiderantes, puta ex humido, quo puerorum corpora abundent, neceſſe eſt, puerorum in ſtatu innocentiæ membra futura non fuiſſe ad ſuos actus idonea, ſentiebant, quamvis nec tam imbecilla tamque inepta, quam modo, quia nunc ad id, quod naturæ eſt, quod etiam eſt corruptionis, accedit. Secundam hanc opinionem probabiliorem ſibi videri, pronuntiat D. Thomas, ratumque habens, quod de humido in pueris redundante traditur, concludit, nec tunc ſtatim ab ortu futurum fuiſſe in pueris expeditum rationis uſum; quum enim puerorum maxime cerebrum humido abundare neceſſe ſit, ſuaque in eo ſint organa phantaſiæ, æſtimandi ac recordandi viribus, necnon communi ſenſui, ut harum facultatum actus humoris redundantia tunc impediri oportuiſſet, ita & intellectus, ad quem illæ multum momenti habent; quare cum ibi, tum 1. p. q. 101. ar. 2. negat, habituros tunc pueros plenum rationis uſum, quo perfecta ætate polluiſſent, utrobique tamen concedit, perfectiorem tunc in eis uſum illum futurum fuiſſe, quam nunc, quo ad ea, quæ illius ætatis ac ſtatus erant, ſicut & de membrorum uſu ſupra dixerat.

VII. Verum, quid tum poterat ad perfectum rationis uſum impedimentum afferre? Num corpus? Quum illud plene ſubeſſet animæ, qui obſtare poterat, ne ratione uteretur? *Corpus ſane, quod corrumpitur, aggravat animam*, ut Sap. 9. ſcriptum eſt: at fuiſſet tunc puerorum corpus cujuſque corruptionis expers: impedire itaque non potuiſſet animam, ne liberum haberet rationis uſum. Quum etiam animalia quædam mox, ac in lucem effuſa ſunt, naturalis induſtriæ uſum habeant, ſicut agnus vix natus ad matris ubera labia admovet, lupum vero fugit, abſonum videtur, pueris in ſtatu innocentiæ uſum rationis eripere. Non diſcedendum tamen a D. Thomæ, quæ communis eſt, ſententia; animadvertit enim, duobus animam modis a corpore impediri, primo, quatenus corpus animæ reſiſtit, eique tenebras obducit, quod ſane ab innocentiæ ſtatu procul abfuiſſet: ſecundo, quatenus corpus aptum ad ea omnia explenda non eſt, quibus anima ſuapte natura ſufficeret, nihilque vetat, quin hoc modo corpus in ſtatu innocentiæ animam impediret; nam & tunc obſtitiſſet corpus, ne per obſtruſa permearet tranſiretque anima, ne locum ea facilitate mutaret, qua mutat ſoluta corpore, ſicque obſtitiſſet, ne facultatum ſuarum liberum expeditumque uſum ſemper haberet. Num vero ex hoc, quod ſibi corpus attuliſſet, impedimento doloris quidpiam cepiſſet anima? Nihil omnino; recta enim, maximeque ordinata quum eſſet, ait D. Thomas, nihil imperaſſet, ni-

ſi

ſi quod exequi corpus poſſet. Hinc declarat, quid corpus inter, quod nunc corruptioni obnoxium eſt, & tunc corruptionis omnino neſcium corpus interſit; hoc enim *animam aggravat*, non ſolum, quia ad ea quibus illa ſufficeret, explenda ineptum eſt, ſed & quia animæ reſiſtit, eamque inobſcurat, nec non ei impedimentum eſt ad ea quoque, quæ hominis ſunt quacunque ætate: illud vero animæ actus ſolum impediviſſet, quod nondum ejus eſſet perfecta virtus vel diſpoſitio, nec alios retardaſſet, quam qui ætati non conveniebant. Quod demum ex naturali nonnullorum animalium mox natorum induſtria petitur, argumento nihil effici, ibidem demonſtrat Angelicus; num enim naturalis ille induſtriæ uſus in animalibus tam perfectus eſt a principio, quam poſtea? Nonne & aves pullos ſuos volare docent, & ſimilia diſciplinæ hujus exempla in aliis animantium generibus deprehenduntur? Nec tamen ad ea, quæ ſuæ ætatis erant; habuiſſent pueri in ſtatu innocentiæ inſtitutione opus, ad quæ fuiſſet in eis ſufficiens, ut membrorum, ita & rationis uſus, licet non ad ea, quæ ſupra ætatem erant.

EXERCITATIO XIV.

De generandæ tunc prolis conditione quo ad juſtitiam.

I. JAm non eſt amplius Scholarum diſputationi permiſſum, nec dubitare cuiquam licet, verum eſſe, quod in l. *de conceptu Virginis* c. 10. ſcripſit Anſelmus: *ſimul, quum rationalem haberent animam, juſti eſſent, quos generaret homo, ſi non peccaret;* nec jam amplius locus eſt opinioni veterum quorumdam Scholæ Magiſtrorum, qui, ut 1. p. q. 100. ar. 1. ad 2. ſcribit D. Thomas, gratiam gratum facientem inter, quæ meriti principium eſt, & originalem juſtitiam, acute magis quam ſolide diſtinguentes, pueris, qui tunc nati eſſent, hanc, non illam attribuerunt; quamquam enim Tridentina Synodus veritatem hanc expreſſe non definierit, ex iis tamen, quæ ſeſſ. quinta can. 2. credenda edicit, neceſſario conſequitur, ſi perſtitiſſet felix innocentiæ ſtatus, ſanctitatem atque juſtitiam, qua ornati ipſi erant, a primis parentibus fuiſſe traducendam in prolem; poſtquam enim can. 1. anathemate perculit, *non confitentes, primum hominem Adam, quum mandatum Dei fuiſſet in paradiſo tranſgreſſus, ſtatim juſtitiam & ſanctitatem, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam prævaricationis hujuſmodi iram & indignationem Dei &c.* canonem ſecundum edit in eos, *qui Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerunt, nocuiſſe, & aceptam a Deo ſanctitatem & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ* &c. Si Adam acceptam a Deo juſtitiam & ſanctitatem non ſibi ſoli, ſed & nobis perdidit, juſtitiam ergo ſanctitatemque a Deo non ſibi ſoli acceperat, ſed & derivandam in prolem: niſi ergo eam ſibi nobiſque peccando amiſiſſet, fuiſſet illa in prolem, origine & propagatione, traducta.

II. Declarari confirmarique hæc veritas poteſt iis, quæ D. Thomas loco mox laudato habet: Quum homo ſimilem ſibi ſpecie naturaliter generet, in his, quæ naturam ſpeciei conſequuntur, prolem oriri parentibus ſimilem, neceſſe eſt, niſi in naturæ operationem vitium incidat, quod ab innocentiæ ſtatu abfuiſſet, in his vero, quæ non naturæ propria ſunt, ſed perſonæ, neceſſe non eſt, liberos parentum ſimilitudinem gerere. Originalem autem juſtitiam; *in qua primus homo fuerat conſtitutus*, naturæ bonum fuiſſe, non quidem ex ſpeciei principiis profluens, ſed divina liberalitate toti naturæ attributum, probat D. Thomas, quod oppoſita unius generis ſunt, originale autem peccatum, quod juſtitiæ opponitur, de qua agimus, peccatum naturæ dicitur, atque una cum natura in prolem a parente traducitur; quare & tunc orta eſſet proles parentibus originali juſtitia ſimilis. Quid vero ſibi voluit Hugo de S. Victore, quum l. 1. de Sacram. par. 6. c. 23. ſcripſit, *Primus homo ante peccatum generaret quidem filios ſine peccato, ſed non paternæ juſtitiæ hæredes?* Hoc ejus dictum, quod a communi videtur certaque ſententia abhorrere, de executione actus, non de ipſo juſtitiæ habitu, D. Thomas interpretatur; ut enim geniti tunc fuiſſent a parentibus liberi, & rationis compotes, & omnibus, quæ humani corporis ſunt,

ſunt, membris inſtructi, neque tamen expeditum perfectumque rationis membrorumque uſum ſtatim ab ortu habuiſſent, ita quamvis nati fuiſſent *paternæ juſtitiæ* hæredes, exercere tamen illius juſtitiæ opera per ætatis imbecillitatem, impeditumque rationis uſum non licuiſſet. Num propterea fuiſſet in eis ſanctitatis juſtitiæque habitus ſupervacuus? Ut a Viennenſi Generali Concilio, & a Clemente V., qui ei præerat, ceu *probabilior, dictiſque Sanctorum magis conſona ſententia electa eſt*, quæ habet, *pueris in baptiſmo gratiam & virtutes infundi*, a qua diſcedere, niſi temere & inconſiderate, jam nemo poteſt, neque tamen gratiæ virtutumque habitus in pueris baptiſmate regeneratis redundare quis dixerit, quod iis uti nequeant, niſi quum cœperint ratione & judicio pollere, ita nec ſupervacanea in pueris, quos ſtatus innocentiæ ſuſtuliſſet, originalis juſtitia dicenda eſt, quod præſtare ſtatim ejus opera per ætatem non potuiſſent.

III. Etſi autem hæc a parentibus in prolem fuiſſet generatione traducta, quamobrem *originalis* dicitur, abſit, ut quiſpiam eam iccirco dixerit *naturalem*: „ non „ enim, ait egregie D. Thomas ibidem „ ad 2., fuiſſet tranſfuſa per virtutem ſe„ minis, ſed fuiſſet collata homini ſta„ tim, ac habuiſſet animam rationalem, „ ſicut etiam ſtatim, ac corpus eſt diſpo„ ſitum, infunditur a Deo anima ratio„ nalis, quæ tamen non eſt ex traduce.“ Revocanda huc ſunt, quæ adverſus Bajum exerc. VIII. jam diximus, qui præpoſtere falſoque ſtatuit, *primæ creationis integritatem*, ſeu originalem juſtitiam ac ſanctitatem, *naturalem fuiſſe hominis conditionem, naturæ non indebitam, & a vanis otioſiſque hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum eam largitati Creatoris* acceptam referri; nihil enim eſt, quod ad ea ex laudatis præſertim Tridentini Concilii verbis petita, quibus immanem hunc Baii errorem ibi refellimus, adjiciamus.

IV. Operæ pretium eſt, quæſtionem excutere, quam veteres quidam Scholæ Magiſtri poſuerunt, *an pueri in ſtatu innocentiæ orti confirmati in juſtitia fuiſſent*. Mirum potuiſſe nonnullos id affirmare, quo naturalis ipſa ratio percellitur; ut enim 1. p. q. 100. art. 2. diſſerit D. Thomas, manifeſtum eſt, pueros tunc futuros non fuiſſe ſuis parentibus perfectiores: Hi vero quamdiu procreandis liberis dediſſent operam, animalemque vitam duxiſſent, num fuiſſent in juſtitia confirmati? Tum ſolum rationalis creatura in juſtitia confirmatur, quum aperta Dei viſione beata fit, cui viſo non poteſt non immobiliter inhærere; eſt enim Deus ipſa bonitatis natura ac plenitudo, a qua nullus averti poteſt, quum nihil deſideretur atque ametur, niſi prout boni rationem habet; non fuiſſent itaque primi parentes in juſtitia confirmati, niſi quum fuiſſent clara Dei viſione beati. Quum primum autem tantum eis obtigiſſet bonum, ſpiritales & mente, & carne evaſiſſent, deſiſſentque animali vita, in qua ſola fuiſſet generationis uſus; ſi ergo quamdiu vitam animalem degentes generationi vacaſſent, non fuiſſent ipſi in juſtitia confirmati, nec confirmatam in ea ſobolem procreaſſent. Eandem hanc veritatem colligit D. Thomas ex iis, quæ D. Auguſtinus l. 14. de Civ. Dei ſcribit: „ Tunc felix eſſet uni„ verſa humana ſocietas, ſi nec illi, ſci„ licet primi parentes, malum in poſteros „ trajicerent, nec quiſquam ex ſtirpe eo„ rum iniquitatem committeret, quæ „ damnationem reciperet: “ quibus plane ſignificat, etſi primi homines non peccaſſent, poſteros tamen potuiſſe peccare; quod argumento eſt, non fuiſſe illos in juſtitia confirmatos.

V. Quamquam autem D. Thomas confirmationem in juſtitia a ſola perſpicua Dei viſione repetat, propoſitionem tamen ſuam prudentiſſime temperat ajens: „ hoc dico ſecundum legem com„ munem; quia ex aliquo ſpeciali privi„ legio ſecus accidere poteſt, ſicut credi„ tur de Virgine Matre Dei, “ eam videlicet ſingulari Dei munere ita fuiſſe in gratia confirmatam, ut neque graviter, neque leviter peccare unquam potuerit. Digna eſt, quæ exſcribatur, clariſſimi D. Thomæ Interpretis Seraphini Capponi a Porrecta ad hæc Angelici verba annotatio: „ His ſi junxeris D. Thomam hoc „ expreſſe dicentem, fateberis, tuto dici „ ab omnibus poſſe, quod B. Virgo ex „ ſpeciali privilegio fuit in præſenti vita „ confirmata in gratia, & conſequenter „ quod nec etiam venialiter peccare po„ tuerit. Quis tantum privilegium non „ admiretur, & privilegio illi de præſer-

„ va-

„ vatione ab originali non anteponat? „ Quanto dignius eſt, confirmari in gra- „ tia, quam præſervari a miſeria? Ma- „ gis ergo, & multo magis B. Virginem „ ſanctus Doctor devote laudavit, confir- „ matam illam in gratia adhuc morta- „ lem fuiſſe dicendo, quam ſi ab actu „ contrahendo originale immunem dixiſ- „ ſet. Cæterum, an ly *creditur*, quod „ de confirmatione in juſtitia textus hic „ dicit, ſumi debeat pro fide catholica „ ad ſalutem neceſſaria, vel pro fide hu- „ mana ſatis probabili, aliorum eſto ju- „ dicium, præſertimque Sanctæ Roma- „ næ Eccleſiæ, cui omnia ſua D. Tho- „ mas jam moribundus (anno Domini „ 1270.) commendavit, & quæ doctri- „ nam ejus tanquam veridicam ſolenniter „ approbavit. “ Hæc ille.

VI. Priſcis tamen Scholaſticis, quos aliter ſenſiſſe, jam diximus, nonnulla in promptu erant Patrum teſtimonia, necnon quædam e ratione ducta argumenta, quibus opinionem ſuam ſuſtentarent; Gregorius enim M. in l. 4. moral. c. 28. illud explicans Job 3. v. 13. *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem*, ait: „ Si Parentem primum nulla „ peccati putredo corrumperet, nequa- „ quam ex ſe gehennæ filios generaret, „ ſed hi, qui nunc per Redemptorem „ ſalvandi ſunt, ſoli ab illo electi naſce- „ rentur. „ Quid iis etiam luculentius, „ quæ in l. 1., *cur Deus homo*, c. 18. „ habet Anſelmus: “ Si primi parentes „ ſic vixiſſent, ut tentati non peccaſſent, „ ita confirmarentur cum omni propagi- „ ne ſua, ut ultra peccare non poſſent? “ Quid aliud vero confirmationis in juſtitia nomine venit, quam amitti illam peccando non poſſe? Aperte quoque favere videtur ratio; Nonne enim bonum eſt malo efficacius? Si ergo ex Adæ peccato conſecuta eſt peccandi neceſſitas, quæ ad univerſos ejus filios derivatur, ſi in juſtitia perſtitiſſet, in univerſos ejus poſteros manaſſet beata obſervandæ juſtitiæ neceſſitas. Præterea Angeli, qui, aliis peccantibus, Deo adhæſerunt, nonne ſtatim ita fuerunt in juſtitia confirmati, ut jam peccare non poſſint? Fuiſſet itaque in ea confirmatus & homo, ſi manus tentationi Satanæ non dediſſet: quum ergo, qualis ipſe erat, talem genuiſset prolem, confirmatos in juſtitia filios procreaſſet.

VII. Eos tamen a legitimo Patrum ſenſu aberraſse, & quædam ſibi ex ratione ſumpſiſse, quæ nec veritas, nec ratio ipſa concedit, D. Thomas breviter nitideque declarat; ad verborum enim Gregorii interpretationem aggreſsus, explicat, qui Adam innocentiam retinens, *gehennæ ex ſe filios non generaſſet*; neque enim tunc proles peccatum, quod gehennæ cauſa eſt, a Patre adhuc innocente traxiſset. Qui vero nati non fuiſsent gehennæ filii, ſed juſti, an non potuiſsent propria voluntate peccando in gehennæ reatum incurrere? Quum a ratione abhorreat, perfectiores primis parentibus filios cogitare, ut ii ab accepta juſtitia libere peccando exciderunt, potuiſsent & hi ſua voluntate ejuſdem jacturam facere. Addit D. Thomas, ſi nec voluntate propria, (quod definiri tamen a nemine poteſt), facti fuiſsent gehennæ filii, id non confirmationi in juſtitia, ſed divinæ, quæ eos peccato ſervaſset immunes, peculiari providentiæ tribuendum. Quoniam autem ex eodem hoc Gregorii teſtimonio veteres ſcholæ Magiſtri pro ævi illius ingenio alias minus utiles quæſtiones excitabant, puta, *an in ſtatu innocentiæ tot fuiſſent nati mares, quot fœminæ, an ſi Adam non peccaſſet, iidem numero homines ſalvarentur, qui nunc ſalvantur*, propoſitas has ſibi quæſtiones extricare coactus D. Thomas, alias ad Gregorii teſtimonium interpretationes adhibet quodl. 3. quæſt. 11. ar. 24., & quodl. 5. quæſt. 5. art. 8., quæ ut ſunt ad quæſtiones illas accommodatæ, ita ab hac, quam verſamus, alienæ.

VIII. Quodl. 5. loc. mox cit. ſcribit Angelicus: „ Dicunt quidam ſequentes „ Anſelmum, quod ſi homo non peccaſ- „ ſet in illa prima tentatione, ſtatim „ confirmatus fuiſset & ipſe, & omnes, „ qui ex eo naſcerentur, ita, ut omnes, „ qui naſcerentur, fuiſsent electi . . . . . „ Sed hæc poſitio non videtur eſse vera, „ quia ſecundum Auguſtinum l. 14. de „ Civ. Dei, ſtatus corporis in homine „ proportionaliter reſpondet ſtatui ani- „ mæ: quamdiu ergo homo habuit cor- „ pus animale potens mori & non mori, „ & indigens alimentis, tamdiu animam „ habuit potentem peccare & non pecca- „ re: habuit autem corpus animale, „ quamdiu fuit in ſtatu generandi, quod „ etiam fuiſset, ſi poſt illam primam

„ tentationem non peccaſset, & ideo poſſibile fuiſset, ſi primus homo tunc non peccaſset, quod etiam ipſe, vel ejus poſteri peccarent, ut dicit Hugo de S. Victore &c. “ Concedit itaque, Anſelmum in ea plane fuiſse ſententia, quam *veram non videri* pronuntiat, & Auguſtini auctoritate ac ratione refellit; in theologica tamen Summa, quam nemo ignorat, operum ejus ut poſtremum, ita omnium eſſe maxime elaboratum, & ſumma diligentia perfectum (etſi præmatura mors impedimento fuerit, ne illud abſolveret), poſt intenſiorem in eodem excutiendo Anſelmi teſtimonio poſitam curam reſpondet, non eſſe, cur quiſquam eo permotus a communi ſententia diſcedat; nam laudata Anſelmi verba non affirmantis decernentiſque ſunt, ſed opinantis, quod ex ipſo patet ejus loquendi modo, ait enim: *videtur, quod ſi vixiſſent* &c. In hunc locum nec inepta, nec inutilis eſt mox laudati D. Thomæ Scholiaſtæ nota. „ Ex quo loco, ait, etiam pro ſemper adverte, quod in argumentis non exprimitur quandoque tota auctoritas, vel tota propoſitio, vel tota diviſio, ex quibus, ſi exprimerentur, pateret arguentis inſcitia . . . . & hoc fit ad decipiendum ignaros, parumque cautos, dum exprimitur, quod ſonat contra veritatem, & tacetur, quod eſt pro veritate. Hinc diſcito, ut expugnes modum docendi, & argumentandi hæreticorum . . . . proferunt hi de Scripturis, de propoſitionibus &c. illud ſolummodo, quod videtur eſſe pro ſe, etiam quod re vera non eſſet, & aſtute ſilentio premunt illud, quod eſt contra ſe, etiam quod re vera eſſet de textu auctoritatis &c. vel de contextu, vel de intento Auctoris, vel hujuſmodi &c. “

IX. Eos quoque Scholaſticos hallucinatos eſſe D. Thomas oſtendit, dum ratione ex peccandi neceſſitate, quæ originalis culpæ conſectarium eſt, petita ſuam ſibi videbantur opinionem egregie ſuſtentare; „ non enim, ait Angelicus, ſic per peccatum primi parentis ejus poſteri in peccandi neceſſitatem incurrunt, ut ad juſtitiam redire non poſſint, quod eſt tantum in damnatis: unde nec ita neceſſitatem non peccandi tranſmitiſſet ad poſteros, ut omnino peccare non poſſent, quod eſt tantum in Beatis. “ Quid demum, ſi Angeli ſancti, qui, cæteris peccantibus, Deo adhæſerunt, confirmati ſtatim in juſtitia ſunt? Idemne & Adæ attribuendum, ſi tentationem repuliſſet? „ Non eſt ſimile, ait Angelicus, de Angelo & homine: nam homo habet liberum arbitrium vertibile, & ante electionem, & poſt, non autem Angelicus, ſicut ſupra dictum eſt, 1. p. q. 64. art. 2., quum de Angelis ageretur. “ Etſi rationem, qua D. Thomas in tract. de Angelis veritatem hanc probat, Recentiorum nonnulli arroſerint, ac diſjicere conati ſint, infeliciter tamen, minuſque ſcite; quæcunque enim ad eam labefactandam excogitari poſſunt, D. Thomas q. 16. de malo ipſe ſibi propoſuit, validiſſimeque retudit, qui omnia demum accurate perſecutus, quæ ad primorum parentum productionem felicemque cum eorum, tum prolis, quam in ſtatu innocentiæ ſuſcepiſſent, conditionem attinentia ſibi ſumpſerat excutienda, ſuam de primo homine tractationem abſolvit, in locum, in quo locatus ille fuit, inquirens; quare & nos, qui hactenus in ejus veſtigiis religioſiſſime inſtitimus, poſtremam de hoc eodem argumento exercitationem habebimus.

EXERCITATIO XV.

De horto voluptatis, qui vulgo paradiſus terreſtris dicitur.

I. DE voluptatis horto ſeu terreſtri paradiſo, in quo *Deus hominem* abs ſe conditum *poſuit*, acturi, omnia breviter complectemur, quæ ſive a Veteribus, ſive a Recentioribus diſputata ad eruditionem conferre poſſunt, ita tamen, ut, quæ omnibus rata & fixa ſunt, probemus confectemurque, quæ vero ſolis conjecturis ac divinationibus nixa opinando feruntur, ſtrictim indicemus, & relinquamus in medio. Iam vero, quod ad loci hujus a Deo plantati deſcriptionem attinet, ea ex omnium ut vetuſtiſſimo, ita & veraciſſimo Hiſtorico, Moſe ſcilicet, Gen. 2. petenda eſt: *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis a principio, in quo poſuit hominem, quem formaverat, produxitque Deus de humo omne lignum pulcrum viſu, & ad veſcendum ſuave, lignum etiam vitæ in medio*

paradiſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali, & fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita: nomen uni Phiſon: ipſe eſt, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt, ibique invenitur bdellium, & lapis onychinus, & nomen fluvii ſecundi Gehon, ipſe eſt, qui circuit univerſam terram Æthiopiæ: nomen vero fluminis tertii Tygris: ipſe vadit contra Aſſyrios: fluvius autem quartus ipſe eſt Euphrates.

II. Quanta eſſet loci illius amænitas, quanta feracitas, diſertiſſime tradiderunt ſoluta oratione Tertullianus, Baſilius M., Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Jo. Damaſcænus, omnium vero elegantiſſime Alcimus Avitus *in l. de pec. orig.* his carminibus:

Hic ver aſſiduum cæli clementia ſervat:
Turbidus auſter abeſt, ſemperque ſub aere ſudo
Nubila diffugiunt jugi ceſſura ſereno,
Nec poſcit natura loci; quos non habet, imbres,
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne ſolum, terræque nitentis
Blanda nitet facies: ſtant ſemper collibus herbæ,
Arboribuſque comæ, quæ quum ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri ſolidant ſua germina ſucco;
Nam quidquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illic tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia ſole,
Nec violas tactus violat, roſeumque suborem
Servans perpetuo ſuffundit gratia vultu.
Sic quum deſit hyems, nec torrida ferveat æſtas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum. "

III. Loci hujus amæniſſimi cognitio aliqua quum ad Ethnicos Philoſophos ac Poetas ex librorum Moſis lectione manaſſet, ut alias divinorum codicûm narrationem fabularum ac delirationum additione fœdarunt, ita & hanc terreſtris paradiſi deſcriptionem ſinceram a Moſe mutuatam turpiſſime inquinarunt, & germanam hiſtoriam fabellis anilibus corruperunt. Hinc Alcinoi hortum ab Homero fuiſſe confictum demonſtrat Juſtinus M. *in cohortatione ad Græcos*: hinc Jovis hortum a Platone deſcriptum prodiiſſe animadverſum Euſebio *l. 12. de Præpar. Evang. c.11.*, hinc demum auream Saturni ætatem ab Heſiodo, Ovidio, aliiſque Poetis adeo celebratam probavit Origenes *l. 4. contra Celſum*. His vero librorum noſtrorum plagiariis ac corruptoribus miſſis, quippe qui in veritatem non in fabulas intenti ſumus, quatuor nobis in hac exercitatione diſquirenda ſumimus, ac tranſigenda, primo an laudata Moſis narratio hiſtorica vere ſit, an tota allegorica, ſive fueritne paradiſus hic corporeus locus, an myſticus; ſecundo fueritne certus locus alicubi definite ſitus, an totus, qua late patet, terrarum orbis, paradiſi nomine veniat; tertio quid de certa illa, in qua plantatus a Deo fuit, mundi parte Theologo, qui neque velit in futiles opiniones abire, aut conjecturis inanibus paſci, ſentiendum; quarto demum, extetne adhuc locus iſte, vel jamdudum deletus ſit.

IV. De primo capite audiendus Auguſtinus *l. 8. de Gen. ad lit.*: „ Tres ſunt „ de paradiſo generales ſententiæ: una „ eorum, qui tantummodo paradiſum in„ telligi corporaliter volunt: alia eorum, „ qui ſpiritualiter tantum: tertia eorum, „ qui utroque modo paradiſum accipiunt, „ quam mihi fateor placere ſententiam. " Hæc, quæ Auguſtino, Catholicis omnibus ſententia placeat, oportet; ad fidem namque ſpectat, rejicienduſque ab omnibus Philo Judæus *in l. de opificio mundi*, a quo tamquam a fonte allegoricam explanandæ Scripturæ rationem omnem in Eccleſiam permanaſſe tradit Photius *in Biblioth.*, necnon & Origenes, cujus inter errores catholicæ veritati infeſtos Hieronymus *ep. 38. ad Pammachium* quinto loco hunc memorat, quod *ſic paradiſum allegorizet, ut hiſtoriæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cæleſtes, totamque paradiſi continentiam tropologica interpretatione ſubvertat.*

Eun-

Digitized by Google

Eundem hunc Origeni errorem adſcripſit Epiphanius *in Anchor. c.* 54. ajens : „ Plerique de paradiſo allegorice diſputant, atque inter cæteros furioſus Origenes adumbratam neſcio quam ſpeciem pro veritate in mundum invexit ; ſic enim diſſerit : non eſt paradiſus in terris. “

V. Ad refellendum Origenis errorem hunc conſtantem perpetuamque Latinorum Græcorumque Patrum traditionem minus ſcite conferremus ; exploratum enim omnibus eſt, præcipuam hanc fuiſſe Origeni errandi cauſam, quod, ut ei in aureo ſuo Commonitorio exprobrat Vincentius Lirinenſis, ingenio ſuo nimium indulgens.... ſe plus cunctis ſapere præſumens, eccleſiaſtica traditione, & Veterum magiſterio contemptis, quædam Scripturarum capitula novo more fuerit interpretatus. Efficaciora ad eundem revincendum, quæ nobis iidem Auguſtinus & Epiphanius ſuppeditant, argumenta. Nihil iis verius, firmiuſque, quæ prior habet *l.* 13. *de Civ. Dei c.* 21. „ Quæ commode dici poſſunt de intelligendo ſpiritualiter paradiſo, nemine prohibente, dicantur, dum tamen & illius hiſtoriæ fideliſſima veritas rerum geſtarum narratione commendata credatur. “ Licebat Origeni, ut & aliis licet, quæ de paradiſo hoc Moſes tradidit, allegorice interpretari, retenta tamen hiſtoriæ veritate, qua fundamenti loco poſita, ſpiritalem poterat intelligentiam, *nemine prohibente*, commode ſuperextruere. At jure hoc ei crimine vertitur, quod hiſtoriam exploſerit, totamque Moſis narrationem commenticia interpretatione ſubverterit. Nonne enim Moſaica deſcriptio rei vere geſtæ narratio eſt ? Nonne omnes habet veræ hiſtoriæ notas ? Flumina illa quatuor, quæ de paradiſo dicuntur egreſſa, nonne ſuis & hodie nominibus Geographis cognoſcuntur ? Regiones, quas alluunt, nonne vere etiamnum extant, ſuntque omnibus Geographiæ peritis notiſſimæ ? Si hi aliique veræ hiſtoriæ characteres obeſſe non poſſunt ; quin tota Moſis narratio ad allegorias amandetur, heu quanta univerſæ hiſtoriæ ſacræ clades infertur ? Si horti voluptatis deſcriptio allegorica tota eſt, non hiſtorica, quidni tabernaculi e. g., arcæ fœderis, templi Salomonici &c. deſcriptiones totæ ex allegoriis contextæ eſſe, dicantur ? Non eſt, cur abſurdum hoc ex Origenis poſitione ſponte fluens preſſius urgeamus, quod in cujuſque oculos ſtatim incurrit.

VI. Neque minus efficax, quo eundem Origenem premit Epiphanius, argumentum. *Si non eſt paradiſus ſenſibilis*, non eſt *fons, non eſt ficus, non folia, non comedit Eva, ſed jam fabula eſt* : ſunt enim hæc omnia tam apta inter ſe, & connexa, ut omnia aut veræ hiſtoriæ loco habenda, aut ad fabulas ablegauda. Quis vero non horreat immane, quod inde naturaliter profluit, conſectarium ? Si non verus voluptatis hortus, nullæ iccirco ibi veræ materiales arbores, nullum comedendi de ligno ſcientiæ boni & mali interdictum, allegorica, quæ de fatali illo eſu Moſes tradit, *per unum hominem peccatum non intravit in mundum, nec per peccatum mors, neque per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi*, non eſt Chriſtus denique *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*. Hæcne cogitari abſque horrore poſſunt ? Ex præpoſtera tamen Origenis poſitione naturaliter, & neceſſario conſequuntur.

VII. Quæ tamen Origeni tam craſſæ aberrationis cauſa ? Plura ſibi Vir acutiſſimus in Moſis narratione deprehendere, viſus eſt, quæ ratio vetat, proprie accipi, & *corporaliter*, quorum iccirco eſſe nequit niſi ſpiritualis intelligentia. Quæ illa vero ? Quum *plantaſſe* Deus dicatur *hortum voluptatis*, ſtolidæ & ignaræ nugacitatis eſt, concipere hortum floribus & arboribus vere a Deo conſitum ; numquid enim Deus agricola ? Numquid etiam Deo corpus & pedes, ut vere proprieque *deambulaſſe* illum *in paradiſo ad auram poſt meridiem* cogitemus ? Præcipuæ quoque paradiſi arbores, *lignum* nempe *vitæ*, & *arbor ſcientiæ boni*, *& mali*, nonne totæ allegoricæ ? Etiamne in re tam perſpicua confirmatio quærenda eſt ? Quid iis luculentius, quæ Prov. 3. legimus : *Sapientia lignum vitæ his, qui apprehendunt illam*, & Apoc. 2. *vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei* ? Si paradiſus vere exiſtit, qui factum eſt, ut apud Geographos peritiſſimos, omniumque terræ habitabilis locorum ſcrutatores diligentiſſimos nulla ejus occurrat mentio ? Locus ergo mere ſpiritualis & myſticus eſt, nec alius ab eo, quem Chriſtus in Cruce latroni promiſit Lucæ 23., *hodie mecum eris in Paradiſo*, cujus & 2. ad Cor. 12. Paulus meminit ajens, *raptum ſe in Paradiſum*.

VIII.

VIII. Hiſne vero abſtrahi a communi Eccleſiæ ſententia Origenes potuit, & in commentationem tam abſurdam impelli? Deus ne fingendus agricola, *ſi voluptatis hortum vere plantaſſe* credatur? Negemus ergo, *de limo terræ plaſmatum* ab eo *hominem*, *appenſa* ab eo *fundamenta terræ*, *certaque lege & gyro vallatam abyſſum*, quod Prov. 8. legitur, ne ſummum rerum omnium opificem figulum, aut cæmentarium, aut architectum animo complectamur. Ridicula hæc ſunt, tantique hominis ſapientiæ ac gravitatis indigna, qui ſic ineptire maluit, quam cogitare perpetuam hanc fuiſſe Eccleſiæ doctrinam, ſolo illo, quo *ipſe dixit, & facta ſunt* omnia, *ipſe mandavit, & creata ſunt*, præpotente atque efficaciſſimo voluntatis imperio *plantatum* a Deo voluptatis hortum, quum juſſit: *germinet terra herbam virentem*... *& lignum pomiferum*.... *& factum eſt ita, & protulit terra herbam virentem*... *lignumque faciens fructum &c.* Quamquam enim Moſes poſt abſolutum ſex dierum opificium paradiſi hujus Gen. 2., arborumque ejus maxime inſignium mentionem injiciat, tertia tamen die, qua Deus dixit, *germinet terra &c.* paradiſum hunc, ejuſque ligna una cum cæteris, quæ terra Dei juſſioni parens confeſtim protulit, *actu fuiſſe producta, dicere oportet*, ait D. Thomas 1. p. q. 9. 102. ar. 1. ad 5., *quod vero dicitur de plantatione lignorum paradiſi poſt opera ſex dierum, intelligitur, per recapitulationem eſſe dictum, unde litera noſtra*, ſive vulgata, *habet: plantaverat Dominus Deus paradiſum voluptatis a principio.*

IX. Ad ſecundam Origenis argutationem reponunt aliqui, Deum humana ſpecie tunc indutum, vel Angelum, qui Dei vices obiret, in adſumpto corpore primis parentibus ſe præbuiſſe ſpectabilem, ideoque licere abſque erroris, abſurdique nota, & hoc Moſaicæ narrationis adjunctum proprie, &, ut ajunt, literaliter interpretari. Eſto: ſit hæc Dei in paradiſo deambulatio metaphorice ſolum intelligenda: Num propterea tota paradiſi hujus adornata a Moſe deſcriptio metaphorica eſt, non hiſtorica? Solus id ſecum animo reputet, qui ignoret, cum hiſtoriis, de quarum veritate nulla unquam incidit dubitatio, nonnulla quandoque admiſceri, quæ myſtice ſolum ac ſpiritualiter licet interpretari. Unum vel alterum e literis ſacris exemplum proferre ſat erit, ad veritatem hanc cæteroqui exploratiſſimam confirmandam. Quod de Achab Rege Iſrael a pſeudo-Prophetis Baal ad inferendum Syris bellum inflammato, certaque victoriæ promiſſione miſerrime decepto tertii Regum Scriptor c. 22. tradit, nemo dubitat, quin veriſſima ſit rei olim geſtæ deſcriptio: quidpiam tamen eſt ad hanc narrationem admixtum, quod meram parabolam refert, habitum ſcilicet tunc a Deo fuiſſe cum Angelis concilium, ad quod accedens Satanas, exponenſque, quid ad fallendum perdendumque Achab meditaretur, juſſus a Domino fuerit cito pergere, atque perficere, quod propoſuerat. Quiſpiamne etiam abſque temeritate & errore dubitaverit, an liber Job res vere geſtas contineat? Iterata illa tamen Satanæ cum Deo colloquia Patribus ac Interpretibus communiter allegorica ſunt, nec niſi ſpiritualem habent intelligentiam. Quid obeſt itaque, quo minus Moſaica horti voluptatis deſcriptio hiſtorica vere ſit, quamquam Dei in paradiſo deambulatio ſpirituali tantum ac metaphoricæ pateat interpretationi?

X. Num vero & arbores *vitæ, & ſcientiæ boni & mali* totæ ſpiritales & myſticæ? Recolendum præclariſſimum Auguſtini dictum *l. 13. de Civ. Dei c. 21.* „Quæ commode dici poſſunt de intelligendo ſpiritaliter paradiſo, nullo prohibente, dicantur, dum tamen & illius hiſtoriæ fideliſſima veritas rerum geſtarum narratione commendata credatur.“ Fideliſſimam hiſtoriæ veritatem retinendam credendamque, momenta mox allata conficiunt, ex qua poſtea licet ſpirtales ſenſus exculpere, eos præſertim, quos ibidem ipſe indicat Auguſtinus, pergens: „Nemo itaque prohibet paradiſum intelligere vitam Beatorum, quatuor ejus flumina quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque juſtitiam, ligna ejus omnes utiles diſciplinas, lignorum fructus mores Piorum, lignum vitæ ipſam bonorum omnium matrem ſapientiam, lignum ſcientiæ boni & mali tranſgreſſi mandati experimentum. Poſſunt hæc etiam in Eccleſia intelligi, ut ea melius accipiamus tamquam prophetica indicia præcedentia futurorum, paradiſum ſcilicet Eccleſiam ipſam, ſicut legitur Cant. 4., quatuor Paradiſi flumina quatuor Evangelia, ligna fructifera Sanctos, fructus autem

„ eo-

Digitized by Google

„ eorum bona eorum opera, lignum vitæ „ Sanctum Sanctorum, utique Chriſtum, „ lignum ſcientiæ boni & mali proprium „ voluntatis arbitrium. “ Ad certiſſimam hanc rectiſſimamque Auguſtini, quæ & Catholicæ Eccleſiæ eſt, regulam ſuum ad hoc Origenis argumentum reſponſum dirigens D. Thomas loc. mox cit. ad 4. ait: „ Lignum vitæ eſt quædam materia„ lis arbor ſic dicta, quia virtutem habe„ bat conſervandi vitam, ſicut ſupra di„ ctum *q. 97. ar. 4.* Et tamen aliquid ſpiri„ tualiter ſignificabat, ſicut & petra in „ deſerto fuit aliquid materiale, & tamen „ ſignificavit Chriſtum. Similiter etiam „ lignum ſcientiæ boni & mali materialis „ arbor fuit, ſic nominata propter eventum „ futurum, quia poſt ejus eſum homo per „ experimentum pœnæ didicit, quid inter„ eſſet inter obedientiæ bonum, & ino„ bedientiæ malum, & tamen ſpirituali„ ter potuit liberum arbitrium ſignificare, „ ut quidam dicunt. “

XI. Cur autem paradiſi hujus veteres Geographi non meminerint, rationem adfert D. Thomas, quæ & Recentioribus probatur, locum nempe illum occulto divinæ providentiæ conſilio a noſtra habitatione ſecluſum impedimentis aliquibus vel montium, vel marium, vel æſtuoſæ cujuſdam regionis imperviæ, quæ, quum omnibus aditum ad locum illum intercluſerint, in cauſa fuerunt, ut omnium hactenus cognitionem fugerit, & a nemine memoretur. Quam inepte demum ac præpoſtere Origenes concluſerit, non alterius paradiſum hunc, de quo Moſes, naturæ fuiſſe, quam illum, de quo Lucas c. 23., & Paulus 2. ad Cor. c. 12., quis non videt? Concludat itaque, oportet, Agar & Saram numquam vere extitiſſe, nec Abrahæ vere nupſiſſe, quoniam ad Gal. 4. idem Paulus duas has fœminas duo ait fuiſſe teſtamenta, vetus & novum, Synagogam ac Eccleſiam, Sina quoque & Sion materiales non fuiſſe montes, nec Iſaacum & Iſmaelem ab Abrahamo reipſa genitos; hæc enim ibidem Paulus ſcribit, *per allegoriam dicta, & duo eſſe teſtamenta*. Quidni & concludat, ubicumque Hieruſalem, & Babylonis occurrunt nomina, allegoriam ſolum tenendam eſſe, non hiſtoriæ veritatem? nam & non ſemel in ſacris literis harum urbium nomina ſunt allegorica; ſed jam piget in manifeſtiſſima commenti hujus vanitate refellenda diutius hærere.

XII. Ad alterum vero propoſitæ quæſtionis caput excutiendum progreſſi nugaciſſimos non moramur Thalmudiſtas, quos terreſtrem paradiſum ſexagies univerſa terra majorem latioremque finxiſſe, memorat in præfat. libri *de terreſtri paradiſo* Daniel Huetius. Quis enim commentum inſaniſſimum non rideat, quod, qui refutare ſerio velit, non poſſit non & ipſe ineptus haberi? Non tam immaniter quidam delirarunt, procul tamen a vero abierunt Recentiores quidam, quos inter Pineda, & Abrahamus Ortelius Philippi II. Hiſpaniarum Regis Geographus, qui & *ſæculi ſui Ptolemæus* audivit, opinati, paradiſi terreſtris nomine totam terram venire floribus, herbis, arboribus, frugibus veſtitam, & inſigni quadam amænitate a principio donatam. Multis ne opus eſt, ut poſitionem hanc a ſacrarum literarum veritate alienam eſſe, nec ſine errore defendi poſſe, perſpectum ſit? Paradiſum *ad Orientem* ſitum fuiſſe, antiquis Patribus perſuaſum, quod Septuaginta Interpretes, Samaritanus, Syrus, & Arabs ea Moſis verba a Latino Interprete reddita, *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis a principio*, conſtanter legant, *& plantavit Deus paradiſum in Eden ad Orientem, ab Oriente, ab anteriori parte*, unde morem Deum facie ad Orientem converſa adorandi apud Chriſtianos obtinuiſſe, quod paradiſum, e quo pulſus eſt Adam, ibi fuiſſe, perſuaſum haberent, teſtes ſunt Cyrillus Hieroſolym. *cathec. 1. myſtag.*, Baſilius M. *l. de Spiritu S. c. 27.*, Gregorius Nyſſ. *orat. 5. de Dominica oratione*, Jo. Damaſc. *l. 4. de fid. orthod. c. 13.*, aliique plures. Si ergo Moſes ad Orientem *voluptatis hortum* locat, qui potuit terram totam ejus nomine deſignare, quæ non ad orientem ſolum, ſed & ad occaſum, ſeptentrionem ac meridiem latiſſime porrigitur?

XIII. Rurſum: Si terra tota paradiſus erat, nonne Moſes idem perperam ac inepte ſcripſiſſet, fluvium erupiſſe de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, atque inde *in quatuor capita* diviſum varias, quas & nominat, regiones alluiſſe? Si locus voluptatis totam terram occupabat, de tota ergo terra fluvius ille egrediebatur: in quatuor exin capita ſive flumina diſpertitus quo fluere de paradiſo egreſſus, quas circuire terras poterat? Aliæ ne extra globum hunc terraqueum conditæ a

Deo

Deo regiones? Denique: Niſi quis fuerit mentis inops, ne ſomniare quidem poteſt, primos parentes extra mundum hunc humanæ habitationi a Deo paratum fuiſſe conditos, moxque violati præcepti reos a mundo hoc habitabili ejectos, nec non collocatum a Deo Cherubim, qui eos eorumque poſteros a mundi hujus arceret ingreſſu: Omnia hæc tamen, abſurda licet, & a ratione ipſa abhorrentia concoquant, neceſſe eſt, qui univerſam terram pro voluptatis loco a Moſe deſcripto ponunt; Gen. enim 2. legimus: *tulit Dominus Deus hominem, quem formaverat, & poſuit eum in paradiſo voluptatis &c.* & c. 3. *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt, ejecitque Adam, & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim &c.* Certus itaque peculiariſque locus paradiſus fuit, in quem Adam mox conditus translatus eſt, de quo poſt culpam extruſus, & ad quem nulli mortalium aditus patet.

XIV. Quamquam hæc vera & certa ſint, impeditur tamen duabus difficultatibus animus, ne iis plene aſſentiatur. Primo, quum Deus homines mox creatos juſſerit liberorum proreationi vacare notiſſimis verbis iis, *creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, futuruſque fuerit & in ſtatu innocentiæ rei uxoriæ uſus, tota itaque terra hominibus replenda, tota icirco paradiſus erat, qui quum eſſet, ut docet D. Thomas, immortalitati primi ſtatus maxime congruus, credibile non eſt, homines extra eum tunc fuiſſe habitaturos. Secundo: Quatuor flumina, Tigrim, Euphratem, Gehon ſeu Nilum, ut plerique interpretantur, Phiſon, ſive Gangem, ut multis placet, ſuam e terreſtri paradiſo originem ducere, Moſes ſcribit Gen. 2. Ex uno autem certo, definitoque loco oriri quis dixerit maxima flumina longiſſimo intervallo diſſita, & adverſo alveo decurrentia? At eſt in terreſtri paradiſo fons, e quo manant: paradiſus itaque non alius, quam terra tota.

XV. Harum difficultatum neutra ea eſt, qua debeat quiſpiam a certiſſima receptiſſimaque ſententia evocari. Quid enim ſi hortus ille voluptatis propter lignum vitæ præſertim in eo plantatum immortalitati primi ſtatus maxime conveniebat? Num propterea concludendum, ſi Adam ſibi ſuiſque poſteris innocentiam non amiſiſſet, eum & propagatos ex eo liberos ibi vitam perpetuo traducturos, nec inde ad incolendas alias terræ partes egreſſuros? Abſonum eſt, hoc cogitare; juſſi enim a Deo fuerant, non *creſcere & multiplicari* ſolum, ſed *& replere terram, & ſubiicere eam, & dominari piſcibus maris, volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*. De paradiſo itaque egreſſi hoc Dei mandatum impleſſent, ad quem exinde rediſſent, de ligno vitæ ſumpturi ejus finis gratia, quem exerc. x. ſatis jam expoſuimus. Quam vero extra paradiſi fines elegiſſent, habitationum felicem eorum ſtatum minus decuiſſet, eiſque fuiſſet incommoda? Quum ſola primorum parentum culpa in cauſa fuerit, ut terræ Deus maledixerit, eamque ſterilitate mulctarit ita, ut nonniſi labore multo, largiſque ſudoribus victum ſibi ex ea parare infelices Adæ filii cogantur, ſi nullam feciſſent homines innocentiæ jacturam, nullam & terra paſſa eſſet primævæ amænitatis, ſalubritatis atque fæcunditatis imminutionem, nec quidquam ſuis cultoribus laboris moleſtiæque attuliſſet, ſed gratiſſimam voluptatem; quare tam commode atque jucunde ubique terrarum, quam in ipſo voluptatis horto, tunc homines habitaſſent.

XVI. Alteram difficultatem extricat Angelicus ajens, memorata flumina, quorum in terreſtri paradiſo fontem Moſes locat, inde egreſſa, occultiſque terræ viſceribus excepta, diu prorſus ignota fluere, ac demum in remotiſſimis, plurimumque inter ſe diſſitis regionibus iterum erumpere; quare prima illorum origo prorſus inexplorata, nec niſi ſecunda perſpecta. Præiverat D. Thomæ Auguſtinus *l. 8. de Gen. ad lit. c. 7.* ſcribens: „ Credendum eſt, quod locus paradiſi a cognitione hominum eſt remotiſſimus, „ flumina autem, quorum fontes noti „ eſſe dicuntur, alicubi eſſe ſub terris, & „ poſt tractus prolixarum regionum locis „ aliis erupiſſe. Nam hoc ſolere nonnullas „ aquas facere, quis ignorat? “ Mirum ne ergo, flumina hæc primam ab eodem certo loco originem ducentia, poſſe disjunctas longiſſimo intervallo regiones alluere, & adverſis etiam inter ſe alveis præterlabi? Quæ de quatuor his fluminibus a paradiſo terreſtri derivatis, ac poſt longiſſimum ſubterraneum iter rurſum prodeuntibus ſcribunt Auguſtinus & Thomas, iis ſolum non probentur, qui ignorent, ſimi-

Digitized by Google

ſimilia de aliis fluminibus bene multis a Strabone, Plinio, Lucano, aliiſque rerum naturalium ſcrutatoribus tradi. Quid ſi cum Theodoreto *interrogat.* 28. *in Gen.* addiderimus, in univerſali cataclyſmo horum fluminum fontes & alveos ita turbatos, ac loco motos fuiſſe, ut alio demum poſt diluvium excurrere cœperint, quam antea conſueviſſent? Illud poſtremo animadvertendum ducimus, plane non conſtare, an Gehon & Phiſon ipſi ſint Nilus & Ganges; hodie enim Veterum hæc opinio Eruditis non probatur, qui Gehon & Phiſon alios prorſus eſſe a Nilo & Gange, decernunt.

XVII. Ut ſunt duo hæc, quæ excuſſimus, propoſitæ quæſtionis capita certa & omnibus rata, ita incerta ſunt alia duo, & plena contentionis inter doctiſſimos. De terreſtris paradiſi ſitu quæ opinionum varietas & colliſio? Nonnullæ commentitiæ prorſus ſunt, & ab humana fide abhorrent, aliæ vero licet humanæ fidei non repugnent, ſunt tamen ſolis conjecturis innixæ. Commenta inter, quæ de paradiſi loco excogitata ſunt, primum obtinet locum eorum opinio, quos Moſes Barcepha ſcribit *in l. de Parad. c.* 9. paradiſum trans Oceanum collocaſſe; terrarum enim orbem tres in circulos, quorum unus alio major eſſet, partiti, minimo omnium continentem, ſive terram hanc habitabilem concluſerunt, medium oceano, a quo tota terra ambitur, deputarunt, in tertio demum omnium ampliſſimo paradiſum conſtituerunt, ita ut terram noſtram oceanus, hunc vero paradiſus quoquo verſus definiat, & circumdet. At extruſi inde poſt culpam primi parentes quo migrarunt? interjacebat enim oceanus profundiſſimus. Fabulæ hujus inventores ne velut inexercitati hiſtriones in extremo actu corruerent, tam proceræ primos parentes ſtaturæ fuiſſe, finxerunt, ut pedibus tranſmittere oceanum nullo negotio potuerint, & in continentem evadere. Sed hæc tam inſulſa ne aniculæ quidem exiſtimant. Paulo minus inepta Rabbani & Arabi commentatio, quos D. Thomas memorat, paradiſum in tam edito ſublimique loco potuiſſe, ut ad ipſum lunæ orbem aſſurgeret, quam commentationem, quæ & Bedæ fuit, idem D. Thomas valide refutat. Minus futiliter alii in Damaſcæna Provincia, alii in Paleſtina circa Jordanem, alii in altiſſimi montis vertice ſub æquinoctiali linea paradiſum hunc collocant. Suidas in Lybia, quidam in Ceylano Indiæ Orientalis inſula, nonnulli in Malacitana provincia, quæ Indiarum peninſula eſt, in Sinenſium imperio alii, alii in Serica, quæ Tartarorum Metropolis fertur, Malvenda in Orientali India, in Syria Beroaldus & Clericus, Pererius, Salianus ac Torniellus iis in regionibus, quas Euphrates & Tigris præterlabuntur, Grotius in Babylonica Provincia locum horto voluptatis aſſignant. Huetius, qui poſt Calviſium & Scaligerum quæſtionem hanc excuſſiſſe accuratius, perhibetur, librumque de hoc argumento edidit, locum inter, in quo Euphrates & Tigris coeunt, & locum, in quo iterum disjunguntur, priuſquam in Perſicum ſinum influant, paradiſi ſitum definit. Ab hac ſententia parum abeſt Samuel Bochartus *Hierozoici* p. 2. l. 5. c. 5. ſcribens: „ Terra *Hevila*, in qua *Bdellium* ſeu *Bedolach*, eſt ea Arabiæ pars „ ad *Catipham*. & *Baharen*, ex qua „ margaritæ eruuntur, quod in accurata „ paradiſi terreſtris deſcriptione tot aſſerimus argumentis, ut vix quidquam deeſſe putemus ad perfectam probationem. „ Itaque hic monuiſſe ſufficiet, nobis nomine *Phiſon*, a quo alluitur terra *Havila*, eum Euphratis ramum intelligi, „ quem Petrus Texeira, itineris ab India in „ Italia p.73., in ſinum Perſicum ferri ait „ ad Catipham prope *Barhen*, ſive *Baharain*, in quibus locis celebris eſt margaritarum piſcatio, quam idem ſic deſcribit, *chronici Armaziæ* p. 19.: *Inſula Barhen ſita eſt in meditullio ſinus Perſici centum leucis ab Armutia, & totidem a Baſora, exiguo intervallo a continente Arabiæ e regione portus Catiphæ . . . famoſa eſt Inſula ob unionum copiam, quæ in ambitu & vicinomari capi ſolet.* “

XVIII. Natali Alex. in hiſt. Eccl. v. t. diſſert. 2. de paradiſo prop. 2. probabilior eorum ſententia videtur, qui in Armenia, vel in Meſopotamia, aut in Meſopotamiæ limine circa Babyloniam, ubi Euphrates & Tigris alveos jungunt, paradiſum terreſtrem locant. Laurentius Berti in Piſana Academia Anteceſſor, cui Inſtituti ſui Sodalium placita mire probari ſolent, omnium, quæ de paradiſi ſitu feruntur, probabiliſſimam habet Auguſtini Lubin Auguſtinienſis opinionem, qui ſuis

ſuis in tabulis geographicis paradiſum terreſtrem collocat in peramœna planicie ſupra editiſſimos Ararat in Armenia montes, eodemque in loco, ubi arcam Noe requieviſſe Moſes tradit, ad quam ſententiam idem Berti putat proxime acceſſiſſe Calmetum. Nihil probabilitatis de harum opinionum aliqua detractum volumus: nobis tamen non probabilior ſolum, ſed & plane certa eſt D. Thomæ ſententia, qui Auguſtino ſubſcribit l. 8. de Gen. ad lit. c. 7. ſtatuenti: *Credendum eſt, quod locus paradiſi a cognitione hominum eſt remotiſſimus*, præſertim quum Auguſtino & Thomæ præiverint Tertullianus *in Apol. c.* 47. ajens, paradiſum locum eſſe divinæ amœnitatis a notitia orbis communis ſegregatum, & Theodoretus *q.* 19. *in Gen.* ſcribens, Deum feciſſe ignotos meatus fluminum Paradiſi, ut amputaret ſuperfluam hominum curioſitatem. Qui otio abundant, & terere in rebus incertis, quæque definiri non poſſunt, tempus volunt, in eam, quam maluerint, ſententiam ante, & pro illa decertent: per nos licet, qui malumus in præclaro Auguſtini monito conquieſcere: *Melius eſt dubitare de occultis, quam litigare de incertis*.

XIX. Certiora ne haberi poſſunt de poſtremo propoſitæ quæſtionis capite, ſuperſitne ſcilicet terreſtris paradiſus, an jamdudum deletus fuerit? Qui affirmantium vel negantium momenta expenderit, facile dijudicabit, rem eſſe prorſus inexploratam, nec definiri a quoquam poſſe. Qui perſuaſum habent, illum adhuc extare, illud præſertim arripiunt, quod Eccleſiaſtici 44. legitur: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*, videnturque ſibi egregie conficere, extare etiamnum paradiſum, ſi eo translatus Henoch inde venturus eſt ad dandam ſeu prædicandam ſub mundi finem gentibus pœnitentiam. At quam eſt hoc eorum argumentum infirmum! Fac, illuc vere translatum Henochum: quid inde? Extabat tum voluptatis hortus; verum quum poſt ejus translationem obruta fuerit diluvii aquis univerſa terra, tunc generali illa eluvione, quæ annum integrum univerſæ terræ incubuit, deletum illum fuiſſe, veriſimillimum eſt. Quid, quod & primigenius Græcus textus duntaxat habet, *Henoch placuit Deo, & translatus eſt*, *in paradiſum* autem vulgatus Interpres adjecit. Latina tamen lectio retineatur: Conſequitur ne, Henochum in terreſtrem, de quo agimus, paradiſum fuiſſe translatum? Qui divini eloquii rudes plane non ſunt, probe norunt ad amœnam quamlibet, eximieque fœcundam regionem, (quod multis confirmari exemplis poſſet) paradiſi nomen aptari; quare Chryſoſtomus atque Theodoretus incertum eſſe decernunt, quo Henoch translatus a Deo fuerit, atque ubi nunc vitam ducat. Imo Rupertus Abbas diſerte ſcribit: “Nuſquam Scriptura dat intelligere, quod Henochum & Heliam Deus tulerit in ipſum paradiſum, ubi comederent de ligno vitæ; ſed ita ſublati ſunt, ut in ſecretam quandam terræ regionem ducerentur, ubi in magna carnis ac ſpiritus quiete viverent, quoúſque ad mundi finem redeant, & mortis debitum ſolvant.“

XX. Nec ſolidius quidpiam ex Veterum Patrum, Juſtini, Irenæi, Athanaſii, Hieronymi & Iſidori teſtimoniis habere ad opinionis ſuæ præſidium poſſunt, qui terreſtrem paradiſum adhuc ſupereſſe contendunt. Ut enim ſingulos perſequamur, ſeponendi primum Juſtinus & Iſidorus; nam liber *quæſtionum ad Orthodoxos* Juſtino, & liber *de obitu, & vita Sanctorum* Iſidoro ab Eruditis abjudicantur; Quod itaque poteſt teſtimoniorum pondus eſſe, quæ ſunt ex inſinceris, ſpuriiſque libris excerpta? Athanaſii quidem & Hieronymi ſententia eſt adhuc hortum voluptatis extare; at, quum in eum & latronem cum Chriſto cruci ſuffixum, & Paulum Apoſtolum translatos fuiſſe cenſuerint, ut poſterius hoc eorum placitum nemo probabile habeat, velitque jam adoptare, ita & prius de paradiſo terreſtri adhuc integro non eſt, cur quiſquam ſatis eorumdem auctoritate firmatum eſſe exiſtimet. Unus reliquus eſt Irenæus, qui *l.* 5. *c.* 5. *adverſus hæreſes* non modo expreſſe ſcribit Henochum & Eliam in terreſtrem paradiſum translatos cæleſtem ibi vitam agere, ſed & id *ab Apoſtolorum Diſcipulis traditum* eſſe teſtatur. Quid vero? Num tantum Patrem mendacii (quod intolerandæ temeritatis eſſet) accuſabimus, quaſi vero ſcripſerit, traditum ab Apoſtolorum Diſcipulis, paradiſum ſuperſtitem eſſe, quod traditum re ipſa non eſſet? Num Eccleſiæ Catholicæ ponemus in culpa, quod plura olim a veterum Patrum nonnullis credita ve-

lut Apoſtolica traditione freta rejecerit, quaſi vero auſa fuerit, quæ ab Apoſtolis accepta fuerant, improbare? Reſpondet Hiacynthus Serry ſuis in prælectionibus de paradiſo Irenæum, ut millenarium Chriſti in terris regnum, dilatam Sanctorum ad extremum uſque mundi diem beatitudinem, eorumdem interim in abditis terræ receptaculis commorationem cum pluribus aliis ejus ævi piis Viris animo imbibit retinuitque, ita paradiſum terreſtrem extare, in quo Henoch, & Elias degerent, opinatum eſſe, hæcque omnia ceu ab Apoſtolorum Diſcipulis tradita ſuſcepiſſe a Papia tenuis ingenii homine in errorem inductum, qui Joannis Evangeliſtæ aliorumque Apoſtolorum germanam ſententiam non aſſecutus, omnia mox memorata ut ab Apoſtolis accepta, & ad eorum mentem exacta aliis venditavit, quemque incautus ipſe, & plus æquo ſimplex errorem hauſerat, in alios derivavit. Hinc patet, nullo ſatis firmo fundamento illorum opinionem niti, quibus perſuaſum eſt, terreſtrem paradiſum adhuc eſſe ſuperſtitem.

XXI. Fluxa peræque & imbecilla argumenta, quibus adducuntur alii, ut eum jamdudum funditus periiſſe, conficiant. Quam ſane leve eſt & infirmum, quod tamen Achillis loco habent, quod ex Gen. 7. petunt, *Et aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram, operitique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cælo: quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat &c.*! Ergo ne tum paradiſus neceſſario deletus? Qui in oppoſita ſententia ſunt, reponunt, nec inepte, divina providentia factum eſſe, ne aquæ tunc in hortum voluptatis irrumperent, eumque prorſus obruerent ac delerent. Quid enim ſi generatim atque indefinite Scriptura ait, terram omnem, omneſque ſub cælo montes aquis obrutos? Adhiberi ad ejus verba exceptio aliqua, qua univerſalis eluvio illa ab horto voluptatis removeatur, non abſurde poteſt. Nonne generatim atque indefinite ibidem legimus: *Conſumptaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram ..... univerſique homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt?* Generale tamen illud hominum exitium evaſit Henoch, qui adhuc vivere, & ſub mundi finem venturus creditur cum Elia: quidni itaque & a communi illa univerſæ terræ clade voluptatis hortum eadem divina providentia ſervaſſe putetur immunem?

XXII. Argutantibus, eximio opus fuiſſe miraculo, quo a terreſtri paradiſo arcerentur aquæ altiſſimorum montium cacumine cubitis quindecim ſuperiores, prompte reſpondent alii, ſi diluvii aquæ paradiſo terreſtri extremam intulerunt cladem, haud minori miraculo eripiendum fuiſſe a communi interitu Henochum. Revera qui paradiſum tunc periiſſe ſtatuunt, varia excogitarunt miracula, ut ab Henocho communem mundi calamitatem averterent. Nonnulli in aeris regionem multo aquis diluvii ſuperiorem ſublatum illum, totoque eluvionis tempore ſuſpenſum hæſiſſe, commenti ſunt: alii medios inter aquarum gurgites (Jonæ inſtar in ventre ceti) divinitus fuiſſe ſervatum, alii in arcula Angelorum opera ſabrefacta incluſum communem humani generis deletionem evaſiſſe, alii demum illum in arcæ Noe angulo, nulli tamen aſpectabilem delituiſſe. Obrutus tamen generalis cataclyſmi aquis paradiſus terreſtris fuerit, perieritque: quid tum inde? Ergo non ſupereſt? Nonne recedentibus aquis, & exſiccata ſolis calore humo potuit in priorem amænitatem fæcunditatemque regio illa reſtitui, quemadmodum & alias orbis terrarum partes in priſtinum ferme ſtatum rediiſſe probat non columbæ ſolum ex arca emiſſæ, & ad Noe virentem olivæ ramum deferentis exemplum, ſed & naturalis ipſa ratio? neque enim generalis illa eluvio herbarum, plantarumque ſpeciebus interitum attulit; alioqui novæ a Deo hujuſmodi ſpecies crearentur, oportuiſſet, quod nulli cordato hactenus in mentem venit.

XXIII. Nihilo denique melioris ſucci eſt, quo ſupremam horti voluptatis cladem conantur adſtruere, quorſum, dicentes, juſſus a Deo Noe, tam operoſam arcam moliri, in quo haberet ipſe cum familia ſua, atque univerſis animantium ſpeciebus ab impendente toti terræ exitio perfugium? Si futurus erat a communi exciſione hortus voluptatis intactus, cur non potius in eum Noe cum cæteris a Deo inductus eſt, ut commodius ſervaretur? Qui enim hujus generis quæſtiones afferunt, illud ſibi Pauli reſponſum habeant: *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Quum ſint ejus *incomprehenſibilia judicia, & inveſtigabiles viæ*, perperam homines eorum rationem exqui-

Digitized by Google

quirunt, *in quibus tota ratio facti eſt voluntas facientis*. Præterea reſpondent alii, Dei ſapientiam non decuiſſe, mortales, ærumnoſos, ac peccatis obnoxios homines in locum innocentiæ, felicitati atque immortalitati conſecratum, cujuſmodi erat hortus voluptatis, inducere; hæcque non de paradiſo terreſtri ſolum, ſed & de primi hominis creatione, & creationis adjunctis, quæ in hac prima noſtrarum de primo homine exercitationum parte expendenda ſuſcepimus, dicta ſint ſatis.

EXERCITATIONE DE PRIMO HOMINE

PARTIS PRIMÆ

FINIS.

EXER-

EXERCITATIONUM DE PRIMO HOMINE

PARS ALTERA.

QUoniam cuique veritatem addiſcenti vel tradenti propoſitum maxime eſſe debet, ea quæ in quæſtionem veniunt, ita verſare, ut neque levibus, minuſque utilibus nimium indulgeat, neque gravia, & ſcitu neceſſaria prætereat, nitide propterea, preſſeque noſtris his exercitationibus complectemur quidquid Hiſtoria ſacra, Patres, & D. Thomas de argumento, quod propoſuimus, habent, extremis ſolum, ut ajunt, digitis attingentes, in quibus otioſi quidam, curioſique Theologi vel Interpretes multi ſunt. Quem autem ſecuti hactenus ſumus, Hiſtoricum ut omnium antiquiſſimum ita & veraciſſimum, Moſen ſectari pergemus, eoque, quo rem ipſe totam adcurate digeſſit, ordine perſequentes, ut ille primum cauſam memorat, quæ primos homines in peccatum impulit, unde illis nobiſque funeſtiſſima ſtatus innocentiæ jactura, exin eorumdem culpam deſcribit, poſtremo pœnas, quibus admiſſi ſceleris rei a Deo ſtatim mulctati ſunt, ita & noſtras hoc ordine exercitationes de ſingulis his capitibus digeremus.

EXERCITATIO I.

De primi hominis culpæ cauſa.

I. IN cauſam, quæ primos homines ad peccandum pellexit, inquirentes, non aliam præ oculis habemus, quam exteriorem; lippis enim & tonſoribus notiſſimum eſt, interiorem peccandi cauſam ſolam eſſe propriam cujuſque voluntatem, eſtque illud Auguſtini pervulgatiſſimum: *Voluntas eſt, qua recte vivitur, & qua ſola peccatur.* Quæ vero exterior hæc cauſa? Rei, quo ordine geſta eſt, narrationem Gen. 3. ita Moſes exequitur: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ . . . . qui dixit ad mulierem, cur præcepit vobis Deus, ut non comederitis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier: de fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur, de fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini; ſcit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum. Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulcrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit.* Hiſtoriæ hujus veritatis confirmatores advocat Grotius extraneos plures a Judaica religione alienos *l. 1. de ver. Relig. Chriſti* §. 16. ajens, „ Adami, Evæ, ſerpentis, arboris hiſto„riam apud Indos idololatras ſuo tempo„re extitiſſe, notavit Moſes Maymonides „ *par. 3. Ductoris dubitantium c. 29.*, „ eamdemque apud Peguenſes, & Cala„minſamenſes paganos ejuſdem Indiæ po„pulos repertam . . . . noſtri quoque ſæ„culi teſtes perhibent, " & ibid. in notios not. 35. Chalcidii Platonii ad Timæum verba exſcribit: „ Juxtaque Moy„ſen Deus vitæ primigenis interdixit, ne „ edulibus arborum, ex quibus notitia bo„ni malique animis eorum obreperet, „ veſcerentur. Idem alio loco: Quibus „ Hebræi concinunt, quum dicunt, ho„mini quidem datam a Deo eſſe animam „ ex inſpiratione cæleſti, quam rationem „ atque animam rationalem appellant, „ muris vero & agreſtibus ex ſilva ra„tionis expertem, juſſu Dei vivis ani„mantibus & beſtiis terræ gremio profu„ſis, quorum in numero fuerit etiam il„la ſerpens, quæ primitias generis huma„ni malis ſuaſionibus illaqueaverit. „ Ex „ Mo-

Moſaica narratione Pandoræ fabulam, quam dedit Heſiodus in ſua *Theogonia*, expreſſam probat Origenes *l.* 4. *contra Celſum*, quem redarguens quod Poetæ commenta atque nugas in pretio habeat, Moſis vero narrationem deſpiciat, ait: „ Cujus „ candoris eſt illa non videre ut nugas, „ ſed admirari ut myſterium philoſophi- „ cum obvelatum fabula, hæc vero, ver- „ bis tantum inhærendo, naſo ſuſpendere, „ & nullius æſtimare pretii? Si enim pro- „ pter verborum ſimplicitatem accuſandum „ eſt, quod tegit latentem ſenſum egre- „ gium, vide, ne Heſiodus nomine, ut „ ais, afflatus, tuis ſannis magis ſit ob- „ noxius &c. “ Similia Juliano exbrobrat Cyrillus Alex. *l.* 3. *adverſus eundem*: „ Vis tu, comparatis iis, quæ de mundi „ ortu ſcripſit Heſiodus, cum Moſis Ge- „ neſi, ſcrutemur ea, quæ tu, perinde ac „ tui Majores, admiraris? Ille . . . puti- „ das nobis & exoletas fabulas congeſſit „ . . . . Hæc Sapientiſſimi Moſis ſcriptis „ opponere non exhorruerunt, tametſi „ præſtabat Moſaica ſanctis acclamationi- „ nibus proſequi . . . . . Quid ergo, vir „ egregie, formatam a Deo mulierem, „ quæque de illa ſcripta ſunt a Moſe, ut „ minus decora reiiciemus, Heſiodi vero „ Pandoram admittemus? “

II. Dolendum, Moſaicam hanc narrationem non Poetarum fabulis ſolum, ſed & Thalmudiſtarum delirationibus fœdiſſime conſpurcatam, quas refert Raymundus Martini in *pugione fidei par.* 3. *diſt.* 2. *c.* 5. Rabbi Moſes Maimonides *in More Nevochim*, Samaelem, ſive Satanam, quum ad eum fallendam acceſſit, ſerpenti, quem camelo magnitudine exæquat, inequitaſſe, commentus eſt, „ eratque, „ ajens, Samuel equitans ſuper ſerpente, „ & Deus erat ridens ſuper camelum, & „ ſuper equitantem in eo; “ In Bereſchit vero Rabba alii figmenta hæc putidiſſima ad Moſis narrationem præpoſtere attexunt. „ Dixerat Deus Gen. 2. v. 17.: *in die* „ *quippe comeſtionis tuæ ex eo morte mo-* „ *rieris:* ipſa mulier nequaquam ſic re- „ tulit, ſed ait Gen. 3. v. 3. Dixit Deus, „ *non comedatis ex eo, nec accedatis ad* „ *ipſum*; Quumque vidiſſet ferpens, quod „ mentiebatur, tulit eam, & impulit ſu- „ per illud lignum, dixitque illi: Ecce „ hinc, ſicut non es mortua propter ac- „ ceſſum ejus, ſic non morieris propter „ eſum ejus; ſed quia Deus ſcit, quod in „ die comeſtionis veſtræ ex eo aperientur „ oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes „ bonum & malum: De arbore enim „ iſta comedit ipſe, & creavit mun- „ dum, proinde ipſe dixit vobis, ne co- „ medatis ex ea, ne creetis alios mundos: „ Omnis quippe homo artifex odit coar- „ tificem ſuum. “ Cui non ſtomachum moveat tam indigna divini eloquii perverſio? Sed his nebulonibus miſſis, ipſa Moſis narratio accurate expendenda eſt, ut, quid in ea certo tenendum ſit, perſpiciamus.

III. Quamquam ſit illa aperta atque ſimplex, dubitari tamen poteſt, an vere hiſtorica ſit, an allegorica & myſtice intelligenda; nonnulla enim habet, quæ videntur, ab omni veri ſpeciei procul abeſſe, niſi myſticus eis ſenſus ſubiiciatur; quare poſt Philonem Judæum & Origenem, qui, deſerta literæ veritate, ad allegorias plerumque abeunt, totique in iis ſunt, Cardinalis Cajetanus eodem & ipſe vitio laborans, integram hanc, quam ex Moſe deſcripſimus, primorum parentum tentationis ſeriem ſignatam eſſe contendit, nec vero ſerpente Diabolum uſum, ut Evam falleret, nec vera, & quæ excipi auribus poſſent, cum Eva per ſerpentem miſcuiſſe colloquia, & ſerpentis nomine Diabolum ipſum venire, eaſque, quas memorat Moſes, allocutiones interiores fuiſſe vaferrimi hoſtis inſinuationes, earum plane ſimiles, quibus hominum animos occulte ſubire ſolet, ut perdat. Rab. Aben Ezra contra in ea primorum parentum tentatione, ac deceptione nullas Diaboli partes fuiſſe ſtatuit, ſed totas vero naturalique ſerpenti adſcribit, qui loquendi, quam a natura habebat, facultate abutens præcipuus fuerit tanti mali machinator, ſuaſor, atque impulſor.

IV. Multæ ne vero futurum eſt operæ, hunc Synagogæ Magiſtrum inſulſiſſimum refutare? Ad confirmandam communem atque firmiſſimam, in qua Chriſtiani omnes ſunt, perſuaſionem, Diabolum ſcilicet primi peccati incentorem, externumque auctorem fuiſſe, nihil iis efficacius, quæ *Jo.* 8. Chriſtus de illo ait: *ille homicida erat ab initio . . . . mendax eſt, & pater ejus*, ſive mendacii; qui enim Diabolum *homicida ab initio*, *mendacemque* poſſumus intelligere, niſi quia in ipſo mundi exordio parentes noſtros ſuo mendacio fefellit, totumque humanum genus fau-

fraude ſua in mortem & exitium induxit? Æque valida & efficacia, quæ de eodem Apoc. c. 12. leguntur: *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem*; unde enim dictus ille *ſerpens antiquus, univerſique orbis ſeductor*, niſi quod ſerpente ceu inſtrumento uſus, prima humani generis matre decepta, univerſo humano generi fraudem fecit perluctuoſam? quapropter & Sap. Auctor c. 2. de illo jam pridem dixerat: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Verum quid hæc teſtimonia ad refellendum Hebræum, cui divina non eſt libri Sapientiæ auctoritas, & ludibrio ſunt, ac deſpectui novi fœderis ſcripta? Naturali ratione caſtiganda eſt ejus veſania, ac demonſtrandum, nihil hoc ejus commento inſulſius, atque vanius. Nonne enim fatetur ipſe, ſerpentem, cujus verbis Eva ſolicitata legitur ac decepta, ejuſdem ac cætera ejus generis reptilia, naturæ fuiſſe? Hæc vero num loquendi, & locutionis ſenſum intelligendi facultate naturaliter pollent? Nonne ergo deſipit, qui ſerpenti illi tribuit, quò, ſuapte natura, carere cætera ejuſdem generis animantia confitetur? Auguſtino quoque eximius hic Synagogæ doctor reſpondeat *l.* XI. *de Gen. ad lit. c.* 18. ſcribenti: „ Non itaque ſerpens verborum ſonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem; neque enim converſa credenda eſt anima ejus in naturam rationalem; quandoquidem nec ipſi homines, quorum rationalis natura eſt, quum Dæmon in eis loquitur ea paſſione, cui Exorciſta requiritur, ſciunt, quid loquantur; " hinc enim hoc argumentum exiſtit: Serpens ordinatam, quam ad Evam habuit, locutionem intelligere non poterat, ſolius enim rationalis naturæ hoc proprium eſt: naturaliter ergo colloquium illud habere non potuit, quum iis ſolum expeditum ordinatumque loquendi uſum natura tribuerit, quibus & naturalem tribuit ſententiæ verborum intelligentiam: locutionis itaque a Moſe deſcriptæ principalis, naturaliſque cauſa non fuit, ſed merum mali ſpiritus cum cientis inſtrumentum, ſicut & Energumenorum oratio peregrino ignotoque idiomate elata, vel cujus eſt obſcura & inexplorata ſententia, in diabolum refertur auctorem, qui Energumeni linguam movet ad ea pronuntianda, quorum vel idioma, vel ſenſus proferentis intelligentiam fugiunt.

V. Nec plus negotii futurum eſt in coarguenda ſingulari Cajetani commentatione; neque enim momentis aliis opus eſt, quam iis, quibus ſimilem ejuſdem mulieris ex coſta Viri formationis interpretationem p. I. exercit. IV. refellimus. Rectiſſima Auguſtini regula, quæ & Catholicæ Eccleſiæ eſt, tenenda, non deſerendum ſcilicet naturalem Scripturæ ſenſum, nec ei allegoricum ſubſtituendum, niſi inde quidpiam abſurdi conſequatur. Jam vero Cajetani eſt, demonſtrare, quid abſurdi habeat Moſaicæ narrationis propria, & literalis, ut ajunt, interpretatio. Num quod ſerpens locutus fuiſſe dicatur? At & aſinam, cui Balaam inequitabat, eundem legimus allocutam: Hoc ne etiam, Cajano judice, allegoricum erit, non hiſtoricum? „ Sic ergo, ait Auguſtinus *l.* II. *de Gen. ad lit. c.* 29., locutus eſt ſerpens mulieri, ſicut aſina, in qua ſedebat Balaam, locuta eſt homini, niſi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum: unde ſerpens non eſt interrogatus, cur hoc fecerit, quia non in ſua natura ipſe hoc fecerat, ſed diabolus in illo, qui jam ex peccato ſuo igni deſtinatus fuerat ſempiterno. " Qui etiam prophanæ ac Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non omnino rudes ſunt, probe norunt, quo tempore idololatria vigebat, Dæmones vel per animalia, vel per arbores, vel per ſimulacra flexiloquis ac fraudulentis oraculis miſeros ſui cultores feſelliſſe ac in errore firmaſſe. Quid obeſt itaque, quo minus verum ſerpentem fuiſſe intelligamus, quem diabolus ad faciendam Evæ fraudem adhibuit?

VI. Plura obſunt, reponit Cajetanus, eaque non levia, ne in hanc ſententiam concedamus; Primo enim quis credat, in verum ſerpentem cadere, quod Moſes ibidem notat: *ſed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus?* Quot ſerpente callidiora animalia, ut doctiſſimis naturalis Hiſtoriæ Scriptoribus animadverſum? Secundo: Quis animo complecti poſſit, Evam cum ſerpente familiariter collocutam, neque ejus aſpectu territam, nec brutum animal præter naturæ ordinem loquax demiratam? Denique, ſi ſerpens merum erat Diaboli inſtrumentum, cur ei ſupplicium inſligitur, in quem rationis ſuapte natura expertem

tem cadere culpa non poterat? Cui cordato perſuaderi etiam poterit, id ſupplicii loco ſerpenti conſtitutum, quod naturale illi eſſe perſpectum eſt? Annon ab initio natura ſerpentis ferebat, ut reperet, & terra veſceretur? Eſt ergo in laudata Moſis deſcriptione ſoli allegoriæ locus.

VII. Quum Cajetanus non Bibliorum ſolum, ſed & D. Thomæ Interpretem egerit, &, in eum ipſum, in quo D. Thomas eadem hæc ſibi proponit, diluitque argumenta, 2. 2. q. 165. articulum ſecundum commentarios ediderit, non ignoravit plane, quid ad momenta, quibus ad allegoriam, relicta hiſtoriæ veritate, abſtrahi ſe permiſerat, repoſuiſſet Angelicus. Ejuſdem ergo reſponſa viſa illi fuerint, oportet, minus efficacia, ac inepta, quibus ab ea, quam animo imbiberat, ſententia dimoveretur. Scite ne vero atque recte? Sapientes appellamus, rogamuſque vehementer, ut judicent, an quidquam iis ſolidius eſſe poſſit, & majoris efficacitatis ad diſſolvendas, quibus Cajetanus permotus eſt, difficultates. Primam, quæ tanta Cajetano viſa eſt, D. Thomas facillime ſubmovet, ajens, prælatum calliditate cæteris animantibus ſerpentem, non qua talis naturæ, ſed qua Diaboli calliſſimi & nocentiſſimi organum erat; uſitato enim apud homines loquendi modo tribuitur & inſtrumento, quod principalis cauſæ proprium eſt. Quidquam ne carpi in hoc reſponſo poteſt? Eſtne in eo minus legitima verborum Moſis interpretatio, quam & communis ipſa hominum loquendi conſuetudo confirmat? Ab Auguſtino *l.* 8. *de Gen. ad lit. c.* 28. mutuatus illud eſt D. Thomas: „ Serpens dictus eſt prudentiſſimus, vel calliſſimus propter aſtutiam diaboli, qui in illo agebat dolum, ſicut dicitur prudens, vel aſtuta lingua, quam prudens, vel aſtutus movet ad aliquid prudenter, vel aſtute ſuadendum. "

VIII. Adeone vero Cajetano mirum videri debuit, mulierem ſerpentis aſpectum congreſſumque non horruiſſe, ut debuerit, allegoriam arripere? Num ignorabat, in feliciſſimo innocentiæ ſtatu animantia quæque fuiſſe primis hominibus ad nutum obnoxia, nec potuiſſe quidquam iis moleſtiæ damnique inferre? „ Hinc collige, ait Chryſoſtomus *hom.* 16. *in Gen.*, ab initio nullam beſtiarum virum vel mulierem terruiſſe, ſed dominium & ſubjectionem agnoviſſe, & ſicut nunc domeſtica animalia, ita & fera, & immanſueta tunc mitia fuiſſe. " Idem de ſerpente ſpeciatim ſcribit Damaſcænus *l.* 2. *de fid. orthod. c. x.*: „ Quin ſerpens quoque homini familiaris erat, ut præ cæteris animalibus ad eum accederet, blandiſque motibus quaſi cum illo converſaretur. " Quid ergo ſibi ab animali domeſtico & familiari tunc Eva metueret? Cur autem illud loquens mirata non eſt? Ineptivit ſane Joſephus *l.* 1. *Antiqu. c.* 11. ajens: „ Deus ſerpenti vocem ademit, iratus ob malitiam, qua erga Adamum eſt uſus, venenumque linguæ ejus indidit, & hoſtem eorum declaravit, " commentumque procudit, quod a R. Aben Ezra recoctum paulo ſuperius exagitavimus; quare inſaniret, qui Evam ſerpentis allocutionem miratam non eſſe, ſentiret, quod tunc ſerpens naturaliter loquax eſſet; neque ſaperet, qui, ut Veterum nonnulli opinati ſunt, Evam non obſtupuiſſe, cogitaret, quod bruta animantia naturaliter muta eſſe, neſciret. Idne enim de Eva innocente cogitari prudenter poteſt, quod ne mulierculas rudiores latet, nullum videlicet animal, præter hominem, naturali loquendi facultate pollere? Mirata itaque Eva non eſt, reſpondet egregie D. Thomas 1. *p. q.* 94., *art.* 4., quod, etſi probe noſſet, ſerpentem ſuapte mutum eſſe, ſciret utique, a ſuperiori aliqua occulta virtute linguam ejus moveri ita ac temperari potuiſſe, ut ſonos ederet humanæ vocis ſimiles. Cæterum, unde habet Cajetanus, Evam non fuiſſe miratam? Num, quod Moſes hoc taceat, concludi legitime poteſt, nihil ejuſmodi reipſa eveniſſe? At quorſum id Moſes ſpeciatim annotaſſet, quod eſt per ſe maxime obvium, & ſponte in mentem venit, Evam nimirum in aliquam admirationem rei novæ aſpectu audituque traductam?

IX. Quod ad pœnam ſerpenti inflictam attinet, D. Thomas Auguſtino adhæret ſcribenti, *quod ſerpenti dicitur*, ad eum, qui per *ſerpentem operatus eſt*, diabolum nempe, referri, ejuſque reſponſum exſcribit, quod l. 2. de Gen. contra Manichæos c. 17. habet: „ Nunc quidem ejus pœna dicitur, qua nobis cavendus eſt, non ea, quæ ultimo judicio reſer- „ va-

„ vatur; Per hoc enim, quod ei dicitur, „ *maledictus es inter omnia animantia & „ beſtias terræ*, pecora ei præponuntur „ non in poteſtate, ſed in conſervatione „ naturæ ſuæ, quia pecora non amiſe„ runt beatitudinem aliquam cæleſtem, „ quam nunquam habuerunt, ſed in ſua „ natura, quam acceperunt, peragunt vi„ tam. Dicitur etiam ei: *pectore & „ ventre repes* ſecundum aliam literam, „ ubi nomine pectoris ſignificatur ſuper„ bia, quia ibi dominatur impetus ani„ mæ, nomine autem ventris ſignificatur „ carnale deſiderium, quia hæc pars mol„ lior ſentitur in corpore: his autem re„ bus ſerpit ad eos, quos vult decipere. „ Quod autem dicitur, *terram comedes „ cunctis diebus vitæ tuæ*, duobus modis „ intelligi poteſt: vel ad te pertinebunt, „ quos terrena cupiditate deceperis, ideſt „ peccatores, qui terræ nomine ſignifi„ cantur: vel certe tertium tentationis „ genus, ideſt cupiditatis his verbis figu„ ratur, quod eſt curioſitas; terram enim „ qui manducat, profunda & tenebroſa „ penetrat. Per hoc autem, quod inimi„ citiæ ponuntur inter ipſum & mulie„ rem, oſtenditur, nos non poſſe a dia„ bolo tentari, niſi per illam animalem „ partem, quæ quaſi mulieris in homine „ imaginem gerit, ſive oſtendit. Semen „ autem diaboli eſt perverſa ſuggeſtio, „ ſemen mulieris fructus boni operis, „ quod perverſæ ſuggeſtioni reſiſtit. Et „ ideo obſervat ſerpens plantam mulie„ ris, ut, ſi quando in illicita labitur, „ delectatio eam capiat, & illa obſervat „ caput ejus, ut eum in ipſo initio ma„ læ ſuaſionis excludat." Si fuerint memorata Dei ad ſerpentem verba ad Diabolum referenda, eſt hæc Auguſtini ut acutiſſima, ita & percommoda interpretatio.

X. Verum, ne in ea, quæ allegorica eſt, Cajetanus habeat, quo ſuam protegat aberrationem, aliorum Patrum, qui hæc de ſerpente, quo Diabolus inſtrumento uſus eſt, dicta eſſe, interpretantur, proferenda ſunt teſtimonia, quibus hoc, quo Cajetanus novam commentationem ſuam ſibi maxime firmaſſe viſus eſt, momentum diſpellamus. Etſi Baſilium Magnum plurimum ſuſpiciamus, probari tamen nobis ejus opinio non poteſt, quamquam Ephræmo Syro, & Moſi Barcephæ placuerit, placeatque Recentiorum nonnullis, ſerpentem ſcilicet ita primum fuiſſe formatum, ut rectus incederet, neque terra, ſed aliorum animalium inſtar herba, aliiſque terræ frugibus veſceretur, nec niſi poſt Evæ deceptionem damnatum, ut reperet & terra aleretur. Cur hæc opinio probari non poſſit, nemo non videt; Si enim nec Angelus nec homo naturalis cujuſpiam boni jacturam peccando fecerunt, quis exiſtimare prudenter poſſit, ſerpentem culpæ prorſus expertem ob crimen non ſuum naturalibus bonis fuiſſe mulctatum? At ſi ab initio natura ſerpentis ferebat, ut *ſuper pectus gradeetur* &c. quid pœnæ loco divina illi animadverſio conſtituit? Illud idem, reſpondent aliqui, & quidem admodum probabiliter, quod naturale prius ſerpenti quum eſſet, nec grave erat, nec indecorum, divina accedente maledictione, ei in moleſtiam ceſſit, & probrum, haud ſecus ac primorum parentum nuditas, quæ nulla eos ante culpam erubeſcentia ſuffundebat, nihilque afferebat incommodi, tam probroſa eis poſt admiſſum crimen facta eſt, atque gravis, ut ad eam obtegendam ex foliis ficus ſtatim ſibi conſuerint *perizomata*.

XI. Bene habet: Primos parentes admiſſi ſceleris reos nuditatis ſuæ puduit, cæpitque intoleranda moleſtia afficere, quod innocentibus non erat incommodum. Quid tamen cauſæ fuit, ut brutum animal ut rationis, ita & culpæ omnino expers mulctaretur, referretque ex naturalibus moleſtiam & dedecus? „ Sicut clementiſſimus Pater, reſpondet „ *hom. 17. in Gen.* Chryſoſtomus, pu„ niens eum, qui filium ſuum occiderit, „ & gladium & enſem, per quæ filius „ ſuus occiſus eſt, deſtruit, & in multas „ partes dividit, eodem modo Deus egit; „ quippe ſerpens quaſi gladius quidam „ diabolicæ ſervivit malitiæ, unde & „ perpetua ipſi pœna intentata eſt, quo „ per viſibile hoc & ſenſibile ratiocine„ mur, & expendamus, in quanta ignominia ſit & diabolus: Nam ſi is, qui „ ut inſtrumentum miniſtravit, tantam „ expertus eſt indignationem, quale ſup„ plicium veriſimile eſt ſuſcepturum dia„ bolum?" Affinia habet, & ad expediendam difficultatem aptiſſima Theodoretus *Interr.* 34. *in Gen.*: " Male„ dictionem Deus proprie ei intulit, qui „ malum perpetravit, qui & *ſerpens* ap„ pel-

„ pellatus eſt . . . Sed & ipſum animal
„ quoque ad hominum utilitatem male-
„ dictionem recepit. Itaque videntes ſer-
„ pentem repere, & volutari ſuper ter-
„ ram, maledictionis antiquæ recorda-
„ mur, & diſcimus, quanta mala pecca-
„ tum accerſat non ſolum iis, qui illud
„ admittunt, ſed & illis, qui ſubſer-
„ viunt. At ille quidem ſerpens nullum
„ inde damnum accepit, quum ita gradi
„ natus ſit, hanc enim habet a natura
„ motus ſpeciem, nihil autem naturale
„ moleſtum eſſe videtur: Homo vero
„ multum inde commodi conſequitur. “

XII. Cujus generis fuerit ſerpens ille, quem Diabolus ad decipiendam Evam adhibuit, quærunt nonnulli, qui otio & literis abutuntur. Baſiliſcum fuiſſe, quidam ſentiunt, alii ſcythalem, quæ miram tergo præfert, & præfulgidam colorum varietatem, alii ſerpentem quemdam, cujus vultus fœmineo ſimilis ſit (ſerpentem autem hujuſmodi ſola forte Poetarum aut Pictorum phantaſia edidir, natura nunquam) alii demum viperam fuiſſe, opinantur. Efferride vero hæc niſi a ſomniantibus poſſunt? Verum naturalemque fuiſſe ſerpentem, docet Moſaica narratio: cujus autem generis fuerit, ut perperam quæritur, ita nullo conſilio determinatur. Utilis quidem eſt quæſtio, quam loco nuper cit. art. 1. excitat D. Th., num videlicet Deus ſancte permiſerit, hominem a Diabolo tentari, atque ad malum pellici, quum probe noſſet, illum dejectum iri, quam perſpicue dirimit, ajens, ſapientiſſime id a Deo permiſſum; diſponit enim omnia Deus ſuaviter, omnibuſque providentiſſime tribuit, quæ naturæ cujuſque conveniunt; quum ergo id humanæ naturæ conditio habeat, ut ad obtinendum finem ſuum ab aliis adjuvari, vel ab eo obtinendo impediri poſſit, Deum decuit & ſinere, ut homo innocens & a malis Angelis tentaretur, & præſtare, ut a bonis juvaretur; præſertim quum ſpeciali gratiæ beneficio homo tunc eſſet ita comparatus atque inſtructus, ut & nihil illi invito nocere poſſet, & Diabolum poſſet nullo negotio repellere. Quid ergo, ſi Deus futuræ Adæ ruinæ præſcius erat? Non debuit ergo permittere, ut a diabolo tentaretur? Ut prænoverat Deus hominem ea tentatione ſternendum, ita & probe norat, hominem libero arbitrio prædi-tum, & copioſo gratiæ præſidio fultum, tentatori facillime potuiſſe reſiſtere; quare quum divinæ providentiæ non ſit, *naturam corrupere*, *ſed ſalvare*, quum id natura hominis ferret, ut voluntati ſuæ relinqueretur, & ad libertatis ſuæ experimentum ab exteriori oppugnaretur adverſario, tentationem illam Deus removere non debuit, etſi prænoſſet futuram illam Adæ exitialem. Huc etiam egregie cadit notatio, quam ad caput octavum, quod eſt *de mali cauſa*, l. 1. de ver. Relig. Chriſt. Hugonis Grotii Joannes Clericus ſapienter appoſuit: „ Prævidit quidem
„ Deus, fore, ut naturæ liberæ libertate
„ ſua abuterentur, indeque multa mala
„ & phyſica & moralia exoritura, nihilo
„ ſecius abuſum illum, conſectariaque
„ ejus pati maluit, quam naturas liber-
„ tate præditas non creare. Quid ita?
„ Quia quum natura libera ſit præſtan-
„ tiſſima creatura, quæque ſummam O-
„ pificis potentiam quam maxime oſten-
„ dit, Deus noluit incommoda ex natu-
„ ræ mutabilitate promanantia anteverte-
„ re, quia ea poteſt, quum viſum erit,
„ per totam æternitatem emendare iis
„ modis, qui nonniſi bonitati ejus con-
„ venientiſſimi eſſe poſſunt, quamvis eos
„ nondum revelarit; qua de re multa
„ nuper Gallico ſermone ſcripſimus ad-
„ verſus Manichæorum perſonatum Pa-
„ tronum Petrum Bælium. “

XIII. Cur vero ſerpente potius, quam alterius generis animali Diabolus inſtrumento uſus eſt ad fraudem Evæ faciendam? Num illum meditato elegit, quod ſibi viſus fuerit ad perficiendum conſilium ſuum accommodatior? Ne ille nimium ſimplex, qui id ſecum animo reputet:
„ Non debemus opinari, ait præclare
„ Auguſtinus *l. 11. de Gen. ad lit. c. 3.*,
„ quod ſerpentem ſibi, per quem tenta-
„ ret, Diabolus elegerit, ſed quum eſſet
„ in illo decipiendi voluntas, nonniſi per
„ illud animal potuit, per quod poſſe
„ permiſſus eſt. “ Cur vero per hoc animal potius, quam per aliud quodlibet, fallere ac nocere permiſſus fuerit, penes Deum eſt, cujus *judicia abyſſus multa*. Mirum, quam immanium ex ſerpente hoc errorum anſam priſci quidam Hæretici ſumſerint. „ *Ophitæ* ſeu *ſerpentini*,
„ ait *in l. de Hæreſibus Philaſtrius*, ideſt
„ ſerpentis, qui græce *ophis* dicitur, cul-
„ tores colubrum venerantur, quod hic

„ prior initium nobis ſcientiæ boni & „ mali attulerit, unde ei Dominum in- „ vidiſſe aſſerunt, quia ſcientiam primus „ mulieri detulerit rei bonæ & ma- „ læ, & per mulierem ad totum hu- „ manum genus permanaverit, propter „ quod & de cælo primus dejectus eſt „ in alterum, unde eum ajunt & de cæ- „ lo adventurum, & velut aliquam Dei „ virtutem eſſe eum, æſtimant, & an- „ nuntiant adorandum. " De cura, qua ſerpentem alebant in ſpecie, deque ſacrilego, quem ei exhibebant cultu, copioſe Irenæus & Epiphanius. Etiam ne de tam ſtulto commento laborandum erit, ac in eo refutando ponenda opera? Multam quidem, utilemque Auguſtinus *in l. 1. de nuptiis & concupiſcentia* poſuit in refellendis nonnullis & Marcionis & Manichæi nefanda ſchola eo vel impietatis vel dementiæ provectis, ut ſerpentem illum *virtutem Deo meliorem* efferrent, haberentque ei gratias, quod *per ipſum hominibus cibus, per cibum viſus* (primos enim homines a Deo cæcos factos eſſe fingebant), *per viſum mulieris cognitio, per hanc nuptiæ*, per nuptias vero innumera mundo bona obvenirent. Quamquam momentis e veteri teſtamento, quod ipſi execrabantur, petitis hanc eorum veſaniam Auguſtinus acriter caſtigavit, ſunt illa tamen opportuna atque efficacia, quod inde deprompta eſſent, unde & ii ceperant nugandi ac blaſphemandi anſam; quare iiſdem armis fuerant confodiendi, quæ ipſi ſibi ex Geneſi cuderant. Hinc recte probat Auguſtinus, nihil eo falſius, quod vaniſſimi homines commenti fuerant, ſolum videlicet poſt habitum a ſerpente cum Eva colloquium cæpiſſe nuptias; Nonne etenim Moſi hoc aperte adverſatur ſcribenti, ſtatim a formata Eva nuptias inſtitutas? nam mox ut Evam ad Adamum Deus adduxit, dixit Adam: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea . . . propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, & *erunt duo in carne una*. Exprimine luculentius potuit inſtitutio nuptiarum? Quid quod & Chriſtus *Math. 19.* & Paulus 1. *ad Cor. 6.*, & *ad Eph. 5.* hoc idem Moſis teſtimonium expreſſe confirmant? Cæcine etiam primi homines ante peccatum? Si cæcus Adam, qui potuit Evam ad ſe a Domino adductam *Viraginem* appellare, præſentemque alloqui? Qui propria ſingulis animalibus nomina imponere, *quod utique*, ait Auguſtinus, *niſi diſcernendo non fecit, diſcernere autem, niſi videndo, non poſſet*? Num reponent captioſiſſimi homines, facta hæc omnino non aſpectu, ſed tactu? Quid facient ei, quod ibidem legitur? *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulcrum oculis, aſpectuque delectabile*? Hæc ne cæca perſpicere mulier potuit? At e veſtigio ſubjicitur: *& tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi amborum, quumque cognoviſſent, ſe eſſe nudos* &c. Quid itaque? Num tunc primum aperti eorum oculi? num prius uterque cæcus? „ Erant nudi, explicat præclare Auguſtinus, & non confundebantur, non quia „ non videbant, ſed quia nihil, unde „ confunderentur, in membris ſenſerant, „ quæ videbant; " & *l. 14. de Civ. Dei* „ *c. 16.* " Patebant oculi eorum, ſed „ adhuc non erant aperti, hoc eſt non „ attenti, ut cognoſcerent, quid eis in- „ dumento gratiæ præſtaretur, quando „ membra eorum voluntati repugnare „ neſciebant, qua gratia remota, ut pæ- „ na reciproca inobedientia plecteretur, „ extitit in motu corporis quædam im- „ pudens novitas, unde eſſet indecens „ nuditas, & fecit attentos, reddiditque „ confuſos. Hinc eſt, quod poſtquam „ mandatum Dei aperta tranſgreſſione „ violarunt, ſcriptum eſt de illis: *aperti* „ *ſunt oculi amborum, quumque cognoviſ-* „ *ſent, ſe eſſe nudos* &c. *Aperti ſunt* in- „ quit, non ad videndum, oculi ambo- „ rum, nam & antea videbant, ſed ad „ diſcernendum inter bonum, quod ami- „ ſerant, & malum, in quod cecide- „ rant: " ſed de eodem hoc argumento uberius infra adverſus iniquiſſimum Auguſtini criminatorem Phereponum.

EXERCITATIO II.

De primorum Parentum culpa.

I. FRaudem, quam primis parentibus ſtruxerat, diabolo ex ſententia ceſſiſſe, miſeroſque ea captos divinum veſcendi *ligno ſcientiæ boni & mali* interdictum violaſſe, tradit Moſes Gen. 3. *vidit igitur mulier . . . . & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui*

Digitized by Google

qui comedit &c. In hac eorum culpa, quæ toti fuit humano generi exitioſiſſima, plures fuiſſe, ut ajunt Theologi, deformitates, unoque actu multis modis ab eis peccatum, affirmant Patres, ſubſcribuntque Theologi, nec dubitabit, qui Moſaicam narrationem diligenter expenderit, & quid ſingulatim eorum quiſque peccaverit. Quoniam autem ante Virum Eva deliquit, quot in ejus crimine labes? Male primo pravis ſerpentis ſuaſionibus fidem adhibuit, interdixiſſe eis ſcilicet Deum ligni eſu, *ne ad divinam ſimilitudinem pervenirent, tanquam hoc tantum bonum*, ait Auguſtinus, *creaturæ ſuæ Creator inviderit*: Secundo eſcam appetivit intemperanter: Tertio morigeram ſe Deo præbere noluit, cujus interdicto poſthabito fructum vetitum carpſit, atque edit: Quarto Virum in criminis ſui communionem pellexit, induxitque: Demum a Deo objurgata tantum abfuit ab agnoſcendo confitendoque admiſſo crimine, ut illud potius ſerpenti auctori ac ſuaſori in culpa poſuerit; quare a Theologis *infidelitatis*, *inobedientiæ*, *gulæ*, *ſcandali*, ac *pertinaciæ*, rea agitur. Præter *gulæ*, *inobedientiæ*, ac *pertinaciæ* vitia, quæ cum Eva communia habuit, inordinatus nimiuſque uxoris amor Adæ crimini datur, quam ne triſtitia afficeret, divinam & ipſe juſſionem inſuper habuit. Hæc quidem Theologis omnibus conſtituta: incertum tamen controverſumque, quodnam Adæ atque Evæ primum peccatum fuerit, cæterorumque veluti origo atque radix. Scoti aſſeclæ etſi primum Evæ peccatum in ſuperbia conſtituant, qua divinam excellentiam præpoſtere concupivit, primum tamen Adæ crimen inordinatum uxoris amorem fuiſſe, decernunt: Diſcipulorum D. Thomæ, aliorumque Theologorum concors ſententia eſt, utrumque animi elatione primo peccaſſe.

II. In poſteriorem hanc ſententiam non Auguſtini, Ambroſii, Gregorii M., Ruperti Abbatis, aliorumque auctoritate ſolum pertrahimur, ſed & momentis, quibus a D. Thom. 2. 2. q. 163. ar. 1. firmatur, teſtimonio Eccleſiaſtici primum c. 1. *Initium omnis peccati ſuperbia*; quum enim primi hominis peccatum omnis peccati initium fuiſſe, ſcribat Apoſtolus ad Rom. 5., *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, nonne illud ſuperbiam fuiſſe conſequitur, quam Eccleſiaſtici Auctor *omnis peccati initium* ſtatuit? Et ea opportune verſat Angelicus Tobiæ verba, quibus filium commonefecit: *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumſit omnis perditio*. Unde humani generis *perditio initium ſumpſit*? Nonne ex primi hominis crimine, ut fidei dogma eſt? Fuit ergo illud ſuperbia, in qua *initium ſumſit omnis perditio*. Ad hæc Scripturæ teſtimonia rationem theologicam D. Thomas adjungit, quæ ad veritatem hanc perſuadendam, niſi nimium faciles ſumus, videtur efficaciſſima. Etſi ad eundem peccati actum poſſint motus multi concurrere, ille tamen primi peccati rationem habet, qui primo perverſus eſt, rectoque ordine caret; peccati enim nomen in quo ponimus, niſi in actu pravo atque inordinato? Ille ergo primo vitioſus eſt, qui primus a recto ordine deficit. In tot iis autem, quos ad Adæ peccatum concurriſſe non abnuimus, motibus cui primas dabimus? Interiorem animi elationem ſive ſuperbiam eas ſibi vindicaſſe, tam ſolide probat Angelicus, ut plane aſſenſum extorqueat. Erat enim in felici innocentiæ ſtatu, quemadmodum poſt Auguſtinum non ſemel idem Angelicus demonſtravit, ita *factus* a Deo *rectus*, ſeu ita inſtitutus homo, ut nulla tunc eſſet carnis adverſus ſpiritum pugna, nec eſſe poſſet, quamdiu ſuperior hominis pars, ſive ratio, Deo ſubeſſet: prima itaque, quæ ſanctiſſimum illum ordinem corrupit, pravitas ſive inordinatio inferioris appetitus non fuit, qui bonum aliquod ſenſibus obnoxium præter rationis regulam concupierit, ſed ſuperioris ſeu voluntatis, quæ bonum aliquod ſpirituale ſibi congruens præter modum & ordinem expetiverit. Qui poteſt autem in appetendo ſpirituali bono ſibi congruente voluntatis vitium eſſe, niſi menſuram non teneat, quam regula divina conſtituit? Primo itaque peccavit Adam, quod in ſpiritualis boni appetitu a debita menſura deflexit, primum ejus iccirco peccatum ſuperbia fuit; eſt enim hæc propriæ excellentiæ immoderata appetitio.

III. Inſigniter profecto falluntur, qui ſibi videntur, hanc D. Thomæ rationem infringere, quod Patrum nonnulli doceant, Evam ſibi ipſi ſuis de perfectionibus placuiſſe, ſeque intemperanter amaſſe? Quid

tum

tum enim? Num inordinatus hic ſui amor alius a ſuperbia fuit? „ Homo ſe amat, „ ait D. Thomas, quia ſui excellentiam „ vult; idem enim eſt ſe amare, ac ſibi „ bonum velle; unde ad idem pertinet, „ quod ponatur initium omnis peccati ſu- „ perbia, vel amor proprius, quum amor „ proprius inordinatus non ſit, niſi qua- „ tenus bonum vel excellentiam inordinate „ appetit. “ Diſtinguenda itaque in primorum hominum culpa, quæ & in omni peccato ſunt, inordinata ad mutabile & creatum bonum adhæſio, & ab immutabili, & increato bono averſio, quarum una alteram neceſſario conſequitur, nec eſt una ab altera ſeparabilis. Amavit utique Eva, amavit Adam propriam excellentiam, ſuæ cuique perfectiones placuerunt; fuiſſet tamen hic eorum innocens actus, vacaſſetque culpa, niſi præter divinæ regulæ menſuram propriam uterque excellentiam concupiviſſet; quare inſigniter errant, qui propriæ amorem excellentiæ, & divinæ regulæ contemptum diverſa peccata ſtatuunt, quum prior nonniſi a poſteriori habeat, ut vitioſus ſit, & ad ſuperbiam vere pertineat.

IV. At nonne Adam ipſe nimio ſe uxoris ſuæ amore peccaſſe, haud obſcure declaravit Gen. 3., *mulier*, ajens, *quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi?* Idem & confirmaſſe videtur Deus in Adamum ſententiam ferens, *quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti &c.*: confirmat non ſemel & Auguſtinus ſcribens, Adamum fœminæ ſociali neceſſitudine paruiſſe, & amicabili quadam benevolentia noluiſſe Evam contriſtare. Quid quod & Apoſtolus aliud a ſuperbia primi hominis peccatum, quod in univerſos ejus poſteros tranſiit, aperte conſtituit, ajens ad Rom. 5. *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi?* Quid inobedientiæ cum ſuperbia? Item, Adamum diabolo ſuadente peccaſſe, exploratum eſt: quæ vero diaboli ſuaſio, qua hominem ad peccandum allexit? boni malique ſcientiam ei ſpopondit, ajens: *eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum*: nimio ergo hujus ſcientiæ amore captus peccavit homo, ideoque *curioſitate*, *non ſuperbia*. Secus etiam de primo Adæ peccato ſenſiſſe videntur Ambroſius, & Auguſtinus, neque illud ſuperbiam reputaſſe, ille quidem in 4. Lucæ caput ſcribens, *eo ordine diabolus Chriſtum tentavit, quo primum hominem devicit*; quare quum diabolus cibi appetitu Chriſtum primo adorſus ſit, eodem Adamum primo deviciſſe conſequitur: hic vero l. 11. in Gen. c. 41. ea Apoſtoli 1. ad Timoth. c. 2., *mulier ſeducta in prævaricatione fuit*, interpretans, „ hanc *ſeductionem* appellavit proprie Apoſtolus, per „ quam id, quod ſuadebatur, quum fal- „ ſum eſſet, verum eſſe putatum eſt, ſci- „ licet quod Deus lignum ideo tangere „ prohibuerit, quod ſciebat, eos, ſi teti- „ giſſent, velut Deos futuros, tanquam „ eis divinitatem invideret, qui eos homi- „ nes fecerat “, quæ Auguſtini gloſſa primam hominis culpam infidelitatem potius quam ſuperbiam fuiſſe ſignificat.

V. Hæc tamen nullo negotio expedies, qui interiorem animi elationem ab exteriori inobedientia, ſeu vetiti fructus eſu ſcite internoverit, quæ duo ſecernenda eſſe, recta ipſa ratio ſciſcit; exterior actus enim interiorem ſequitur, fluitque ab eo, ut effectus a cauſa. Nimius itaque uxoris amor in exteriorem peccati actum, ſeu interdicti ligni eſum Adamum impulit: nimio huic tamen uxoris amori immodica propriæ excellentiæ appetito, ſeu interior animi elatio præivit, qua ad indulgendum uxori pellectus fuit, quadam & ipſe experiendi cupiditate permotus, quod uxori, etſi lignum vetitum jam ediſſet, nihil triſte, (ut comminatus fuerat Deus) accidiſſe perſpiceret. Id egregie tradit Auguſtinus *l. 11. de Gen. ad lit. c. 24.*: „ Si volun- „ tas in amore ſuperioris immutabilis bo- „ ni . . . . ſtabilis permaneret, non inde „ ab ſibi placendum averteretur . . . , ut „ vel illa, Eva ſcilicet, verum crederet „ dixiſſe ſerpentem, vel iſte, nempe „ Adam, Dei mandato uxoris præpone- „ ret voluntatem. “ Averſionem itaque a ſuperiori immutabili bono Auguſtinus in cauſa fuiſſe ſcribit, cur & Eva ſerpentem vera dixiſſe crediderit, & Adam Dei mandato uxoris præpoſuerit voluntatem. Qui autem *ab amore ſuperioris immutabilis boni ad ſibi* inordinate *placendum* uterque *averſus* eſt? Spirituale bonum ſeu excellentiam propriam præter divinæ regulæ menſuram uterque appetivit, nolens Deo, poſitoque ab eo ordini ſubiici, quod proprie ſuperbiæ eſt. Quo ergo mox recitata & Adæ ſe purgantis, & Dei eumdem coarguentis verba? Fatemur, intemperanti Evæ amore pertractum Adamum ad divinam violandam juſſionem, edendumque por-

porrectum ſibi ab uxore vetitum fructum: inordinatam hanc tamen ejus erga uxorem benevolentiam, exterioremque divini mandati prævaricationem tumor interior antevertit, quo mens ejus, auditis Evæ verbis, inflata eſt, ut eodem Evæ animum ſerpentis allocutio jam corruperat; neque enim ſtatus illius conditio ferebat, quemadmodum D. Thomas efficaciſſime probat, ut immoderato cujuſpiam ſenſibus obnoxii boni, cujuſmodi & lignum vetitum, & uxor erat, amore primum peccaret homo, niſi in ſuperiorem ejus partem, rationem nempe, pravitas aliqua, ſeu inordinata boni rationis proprii, nimirum ſpiritualis, appetitio incidiſſet, quæ quum prava eſſe nequeat, niſi quod a divinæ regulæ modo deflectit, ſuperbia eſt, ac vere dicitur, cujus hæc eſt peſſima indoles, ut, qui ea laborat, Deo ſubiici, & quem ille præſcripſit, ordinem modumque tenere renuat.

VI. At in ſola ſuperiori ratione num ſoli ſuperbiæ locus? Quot alia in eam cadere peccata poſſunt? Nullum eorum tamen in primi hominis animo primum fuit, nec eſſe potuit. Cur vero? Alia quæque, quemadmodum D. Thomas animadvertit, peculiares fines habent, ut immodicus ſcientiæ vel poteſtatis amor, & ad ſui amorem, ſeu propriam excellentiam, quæ in hoc vel illo bono præpoſtere quæritur, ceu media ad finem referuntur; quare quum pravitas, quæ mediorum appetitum delectumque vitiat, eam, quæ, circa finem eſt, conſequatur, idcirco „ appetitus ſcientiæ (idem de cujuſque peculiaris ſpiritualis boni appetitu dicendum) „ cauſatus fuit in primis parentibus ex inordinato appetitu excellentiæ; unde & „ in verbis ſerpentis præmittitur, *eritis ſicut Dii*, & poſtea ſubditur, *ſcientes bonum & malum*. “ Hæc D. Thomas, qui & oſtendit, interiorem animi elationem Evæ infidelitati præiviſſe; illud enim explicans, quod l. 11. de Gen. ad lit. c. 10. ait Auguſtinus, *verbis ſerpentis mulier non crederet, a bona & utili re divinitus ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor propriæ poteſtatis, & quadam de ſe ſuperba præſumptio*, ſubdit „ quod non eſt „ ſic intelligendum, quaſi ſuperbia præ„ ceſſerit ſerpentis ſuaſionem, ſed quia ſta„ tim poſt ſuaſionem ſerpentis invaſit men„ tem ejus elatio, ex qua conſecutum eſt „ ut crederet, verum eſſe, quod dæmon „ dicebat. “

VII. Ea ſaltem, per quam ait Apoſtolus, *peccatores conſtitutos multos*, *inobedientia* num primum Adæ peccatum? Perſuaſum hoc habere non poterit, qui D. Thomam legerit laudata Apoſtoli verba *lect.* 3. *in c.* 5. *ep. ad Rom.* interpretantem: „ Sed videtur eſſe dubium, ait, quod di„ cit, *per inobedientiam unius peccatores* „ *conſtituti ſunt multi*, ideſt omnes, qui „ ab eo naſcuntur ſecundum rationem ſe„ minalem; primum enim ejus pecca„ tum videtur fuiſſe ſuperbia magis, „ quam inobedientia ſecundum illud Ec„ cl. 10: *initium omnis peccati ſuper„ bia*. Sed dicendum eſt, quod, ſicut ibi„ dem dicitur, *initium ſuperbiæ facit ho„ mines apoſtatare a Deo*, quia ſcilicet pri„ ma pars ſuperbiæ conſiſtit in hoc, „ quod homo non vult ſubiici divinis „ præceptis, quod ad inobedientiam per„ tinet: unde primum hominis peccatum „ videtur fuiſſe inobedientia non ſecundum „ actum exteriorem, ſed ſecundum in„ teriorem ſuperbiæ motum, quo voluit „ divino præcepto contraire; quare ejus „ inobedientiam Dominus arguit Gen. 3., „ *quia audiſti vocem uxoris tuæ, & co„ mediſti de ligno, quod præceperam ti„ bi, ne comederes &c.* “ Luculentius hoc declarat 2. 2. q. 163. ar. 1. ad 1. inquiens: „ Quod homo divino præcepto non obe„ dierit, non fuit propter ſe ab eo voli„ tum, quia hoc non poſſet contingere, „ niſi præſuppoſita voluntatis inordinatio„ ne: relinquitur ergo, quod voluerit pro„ pter aliquid aliud. Primum autem, „ quod inordinate voluit, fuit propria ex„ cellentia, & ideo inobedientia cauſata „ in eo fuit ex ſuperbia, & hoc eſt, quod „ Auguſtinus dicit ad Oroſium in dial. 65. „ q. ad Oroſium q. 4.: *Homo ſuperbia ela„ tus, ſuaſioni ſerpentis obediens præce„ pta Dei contemſit*.

VIII. In primorum denique Parentum crimine & gulam locum habuiſſe, in ipſo exercitationis initio præmiſimus; *vidit* enim *mulier, quod lignum eſſet bonum ad veſcendum, & pulcrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu ejus & comedit*; „ non tamen, ait ibidem D. Thomas ad 2., ipſa bonitas & pulcritudo ci„ bi fuit primum motivum ad peccandum, „ ſed potius ſuaſio ſerpentis, qui dixit, „ *aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii*, „ quod appetendo ſuperbiam mulier incur„ rit,

„ rit, & ideo peccatum gulæ derivatum
„ eſt ex peccato ſuperbiæ. “ Non piget ad hoc D. Thomæ reſponſum ſemel iterumque laudati ejus Interpretis Seraphini Capponi notationem attexere, quod ſit illa ad declarandam primæ tentationis ſeriem peropportuna. „ Pro meliori captu
„ dictorum, ait, notandum, quod, licet
„ prima tentatio quoad apertam expreſſio-
„ nem, (ſicut & illa Chriſti) fuerit de
„ gula, quo modo intelligitur & ab Am-
„ broſio, prima tamen tentatio quoad la-
„ tentem ſub expreſſione prædicta perſua-
„ ſionem fuit de ſuperbia; intenditur e-
„ nim primo finis, & poſtmodum ad eum
„ conſequendum ordinantur media ....
„ diabolus autem habuit tunc pro fine pri-
„ mo .... facere ſibi ſimile, ideſt ſu-
„ perbum illum, quem tentabat, quum
„ ipſe fuerit, & ſit primo ſuperbus; ad
„ quem finem aſſequendum uſus eſt ten-
„ tatione gulæ pro medio; vidit enim ci-
„ bum illius primis eſſe parentibus veti-
„ tum, & ſic videns deliberavit reducere
„ illis in memoriam propri m ipſorum li-
„ bertatem, perſuadendo indignum eſſe,
„ ut ipſi libertatem naturalem paterentur
„ præcepto ligari .. mediante qua ad ſta-
„ tum quodammodo deorum poſſent aſcen-
„ dere. Sic ergo eos in amorem inordina-
„ tum propriæ ipſorum excellentis liberta-
„ tis, (quod ſuperborum eſt) attrahere
„ deſtinavit, ut ex tali amore concepto ſe
„ prædictæ abſtinentiæ præcepto ligatos
„ horrerent, & hinc ad rumpendum tale
„ vinculum faciliter dilabentes, de pomo
„ vetito, tamquam propria libertate uſi,
„ manducarent. Ideo ad illos tentandos
„ primo exorſus, quaſi ſerpendo dixit, *cur*
„ *præcepit vobis Deus &c.*, & poſtea, *eri-*
„ *tis ſicut Dii &c.*. Sic ex ſuperbiæ ve-
„ neno a ſerpente latenter propinato im-
„ pulſi in peccatum gulæ corruerunt. “

IX. Quod vero hoc ſuperbiæ peccatum, quo ſe ſuoſque poſteros primi parentes in deplorandam perniciem induxerunt? Fallaci ſerpentis ſuaſione ludificatos, *eritis ſicut Dii*, divinam illos ſimilitudinem appetiviſſe, Patres communiter tradunt, quod & Deus Adæ poſtea exprobravit, per ironiam ad eum ajens: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*. Cujus vero divinæ ſimilitudinis appetitus immodicus illos exitioſæ ſuperbiæ reos fecit? Nemo clarius D. Thomas 2. 2. *q.* 163. *ar.* 2. rem explicavit, ex cujus doctrina nonnulla delibanda ſunt, quibus præhabitis res erit ad liquidum plane perducta. Duplicem adnotat ibidem Angelicus, ſimilitudinem eſſe, aliam *omnimodæ æquiparantiæ*, ſeu perfectæ æqualitatis, aliam *imitationis*. Num primam Adam præpoſtere concupierit? Quum obtineri illa abſolute, nullaque ratione poſſit, niſi illum a mente plene deſertum fuiſſe, fingamus, nec fingere poſſumus, illum divinam, quæ planæ æqualitatis eſſet, ſimilitudinem expetiviſſe; ſolius etenim ſtulti eſſet, impoſſibile perſequi. Relinquitur ergo, peccaſſe illum, quod divinam *imitationis* ſimilitudinem affectarit. At nonne imitari Deum ſancte poteſt, imo & debet homo? Fuiſſet profecto divinæ imitationis amor ille ſanctus, & longiſſime abfuiſſet a culpa, ſi modum tenuiſſet, fuiſſetque ad divinæ regulæ menſuram exactus: vitioſus contra pravuſque fuit, quod in eo non ſit modus habitus, nec menſura ſervata.

X. Exin declarat Angelicus, triplex eſſe ſpirituale bonum, quod ex Deo poteſt homo in ſe exprimere imitatione, *naturæ* videlicet, *cognitionis*, atque *operationis*. In quo autem horum immoderate appetendo a primis parentibus peccatum eſt? Non in bono profecto naturæ; jam illud enim habebant ſibi a Deo in ipſa creatione communicatum, nam *fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, appeti porro non poteſt, quod jam habetur. Reliquum ergo eſt, ut in cognitionis aut operationis bono inordinate appetendo peccarint; bonum enim cognitionis nondum actu homo adeptus erat, ſed ita fuerat a Deo inſtitutus, ut illud ſibi poſſet gratiæ adminiculo comparare. Quia ergo ſerpentis fallacia deceptus expetivit, naturali virtute ſibi determinare, quid ſibi bonum eſſet, quidve malum, vel ſolo naturæ lumine prænoſſe, quid ſibi eſſet boni malive eventurum, divinam iccirco (nam utrumque ſolius Dei proprium eſt) in boni maliſque cognitione ſimilitudinem immoderate affectavit. Num vero & in *boni operationis* appetitu peccavit? Et in hoc præter modum concupiſcendo bono a Diabolo *principaliter*, ab homine vero *ſecundario* peccatum eſſe, docet Angelicus; nam ſuæ ſibi beatitudinis auctor eſſe uterque voluit, ſive ultimam ſua operatione, ſuiſque viribus conſequi felicitatem. Hinc intelligimus, qua ratione Patrum nonnulli Adæ vitio dent, quod *rapere voluerit divinita-*

tem,

tem, Deoque æquiparari; quum enim præpoſtere concupiverit, ſolo rationis lumine ſe ipſum, & inferiora ſibi ſubjecta regere, futura ſuis viribus præſentire, atque ultimam naturali ſua operatione ſibi beatitudinem comparare, interpretative, ut ajunt ad Deitatem aſpiraſſe cenſetur, quia, quæ ſolius Dei propria ſunt, æmulatus eſt.

EXERCITATIO III.

De admiſſi a primis parentibus criminis gravitate.

I. Vocari a Theologis in quæſtionem ſolet, an primorum hominum culpa, ut omnium funeſtiſſima fuit, (toti quippe humano generi exitium attulit) ita & omnium hactenus admiſſarum graviſſima fuerit, in qua quidem finienda quæſtione nemo eſt, qui ſuum ad præclaram D. Thomæ doctrinam judicium non dirigat, conformetque. Animadvertit ille 2. 2. q. 163. ar. 3. in c., duplicem culpæ gravitatem ſpectari poſſe, aliam, quæ ex ipſa peccati ſpecie, ſeu, ut Schola loquitur, ex objecto petitur, quæ & *principalior* eſt, & peccato *eſſentialior*, ex qua pendenda eſt a Theologo peccatorum gravitas, ferendumque de ea judicium, ſicque homicidium furto, adulterium ſimplici fornicatione abſolute gravius pronunciamus, aliam, quæ ex adjunctis, ſive perſonæ, loci, temporis &c. circumſtantiis æſtimatur, quam Theologi de Schola accidentalem dicunt. Si in ipſam peccati ſpeciem oculos intendamus, quis abſque rationis injuria poſſit primorum hominum crimen cæterorum omnium affirmare graviſſimum? Eſt quidem ſuperbia capitalium vitiorum primum, eſt & ejus ſecundum genus ſuum inter cætera peccata excellentia quædam: quid porro? Quæ primorum parentum ſuperbia fuit? Divinam ſimilitudinem, ut mox demonſtratum eſt, præter divinæ regulæ modum appetivevunt: quis vero non percipit inordinato hoc divinæ ſimilitudinis appetitu graviorem eſſe ſuperbiam, *qua quis Deum negat, vel blaſphemat?*

II. At ſi de accidentali, quæ a perſonarum & ſtatus conditione depromitur, peccati gravitate ſit ſermo, quis negare velit, maximam fuiſſe hujus criminis gravitatem? Rectiſſime enim l. 14. de Civ. Dei c. 15. ait Auguſtinus: *Magna fuit in peccando iniquitas, ubi tanta fuit non peccandi facilitas.* Nihil in eis erat, quo ad peccandum impellerentur; ſuberat enim perfecte rationi appetitus inferior, eratque pravarum quarumcunque affectionum, quibus nos quotidie jactamur, agitatione & motu vacuus: Exteriorem autem cauſam, quæ illos ad peccandum niteretur allicere, mente omnino tranquilli, & ampliori gratia firmati, quam facile repellere poterant & ſuperare! Perfectiſſima hæc ergo ſtatus eorum conditio maximam attulit ad illorum culpam gravitatis acceſſionem. Cæterum, quoniam, ut mox animadverſum eſt, quæ ex peccati natura, ſeu ex objecto penditur, gravitas *eſſentialis* eſt, ac *principalis*, *accidentalis* autem & *extrinſeca*, quæ ducitur ex adjunctis, hanc propterea, quæ ſummi accuratiſſimique Theologi eſt, D. Thomas concludit, dicendam de primorum hominum peccato ſententiam *fuiſſe illud* nimirum *ſecundum quid*, ideſt aliqua ratione, *graviſſimum*, *non tamen ſimpliciter*, ſeu *abſolute*, quod & Origenis auctoritate confirmat l. 1. Periarchon c. 3. ſcribentis: „ Non „ arbitror, quod aliquis ex his, qui in „ ſummo, perfectoque conſtiterint gra„ du, ad ſubitum evacuetur, aut decidat, „ ſed paulatim & per partes defluere eum, „ neceſſe eſt; “ quare quum primi parentes in ſummo perfectoque gradu conſiſterent, non fuit primum eorum crimen omnium abſolute graviſſimum.

III. Quempiam forte movebit pœna omnium graviſſima, quæ Adæ & Evæ culpam conſecuta eſt, mors videlicet, morbi, ærumnæ, innumeraque cujuſque generis mala, quibus non ii ſolum, ſed & univerſa eorum poſteritas mulctata eſt, & ad mundi finem uſque mulctabitur. Ab ejus enim, qui Deuter. 25. ſanxit *pro menſura delicti erit & plagarum modus*, æquitate quam longiſſime abeſt, ut innocentem damnare, ita & ſontes gravius punire, quam culpa exigat: Si eſt ergo ex ſupplicii acerbitate gravitas culpæ æſtimanda, fatendum primorum hominum crimen fuiſſe graviſſimum, quod acerbiſſime punitum eſt, & punitur. Non eſt tamen, cur quiſquam in hac difficultate impediatur & hæreat, illam enim breviter, ac perſpicue expedit D. Thomas ibidem ad 2. ajens: „ magni„ tudo pœnæ, quæ conſecuta eſt ad illud „ primum peccatum, non correſpondet ei „ ſecundum quantitatem propriæ ſpeciei, „ ſed inquantum fuit primum; quia ex „ hoc

„ hoc eſt interrupta innocentia primi ſta- „ tus, qua ſubtracta, deordinata eſt tota „ humana natura. " De eodem hoc argumento clarius & fuſius infra non ſemel.

IV. Verum quum D. Thomas ibidem *ar.* 4. ſtatuat, Evæ culpam graviorem fuiſſe Adæ peccato, quod acerbius illa præ Viro punita a Deo fuerit, reipſa ne gravius illa Viro deliquit? Quæſtionem hanc neque injucundam, neque ſcitu inutilem dirimere Theologus recte ſciteque non poterit, niſi ſuam ad D. Thomæ doctrinam ſententiam referat, qui iterum breviter adnotat, peccati gravitatem ex ejus ſpecie potius ſeu natura, quam ex adiuncto, ſeu circumſtantia penſari. Hinc ſi utriuſque, viri ſcilicet & mulieris, perſonæ conditio ſpectetur, dubitare nemo poteſt, quin gravius a viro peccatum ſit; erat enim ille muliere multo perfectior. Si autem ipſum peccati *genus* conſideretur, fuit utriuſque peccatum æquale, quum uterque ſuperba, ſive inordinato propriæ excellentiæ appetitu deliquerit; quare l. 11. ſuper Gen. ad lit. c. 35. ajebat Auguſtinus: *mulier excuſavit peccatum ſuum in impari ſexu, ſed pari faſtu.*

V. Cæterum, quia ſuperbia, quæ capitale vitium eſt, varias in ſpecies, & diverſa velut in membra tribuitur, eſtque venenatæ & peſtilentis arboris inſtar, cujus ſunt rami plures, quos D. Thomas 2. 2. q. 163. ar. 4. accurate perſequitur, ſi ad ſuperbiæ ſpeciem, qua uterque peccavit, animum attendamus, gravius deliquiſſe mulierem, decernit Angelicus *triplici ratione*: Primo quidem, quia major ejus fuit elatio, quam viri, quippe quæ credidit, verum eſſe, quod ſuaſerat ſerpens, vetuiſſe videlicet Deum ligni eſum, ne ad ejus ſimilitudinem pervenirent; quare dum ejuſdem eſu conſequi hanc Dei ſimilitudinem voluit, illius ſuperbia eo proceſſit, ut eam vellet, & Deo repugnante, obtinere. Adam contra, quod ſerpens dixerat, verum eſſe, non credidit, Dei propterea ſimilitudinem conſequi, Deo invito, non voluit, ſed inflatus eſt ac peccavit, quod eundem præter regulæ a Deo præſcriptæ modum ſuiſque viribus habere voluerit. Secundo, quia non ſola peccavit mulier, ſed & Viro peccati auctrix & dux fuit, quare non in Deum tantummodo, cui injuriam intulit, ſed & in proximum, cui exitio fuit, peccavit. Tertiò quia viri culpa quadam ratione imminuta eſt, quod in eam conſenſerit *amicabili quadam benevolentia, qua plerunque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuiſſe, divinæ ſententiæ juſtus exitus declaravit, ut l. 11. de Gen. ad lit.* c. 42. ait Auguſtinus.

VI. Quamquam hæc vera ſint, non videntur tamen plane firma, niſi quædam ſubmovere conemur, quæ difficultatem iniiciunt; exploratum etenim eſt, graviorem eſſe culpam, quæ ſcienter, quam quæ per inſcitiam admittitur. *Ille ſervus* enim, ait Dominus Lucæ 12., qui *cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis, qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Nonne autem Eva per ignorantiam, Adam contra ſciens, volenſque deliquit? ait enim Apoſtolus 1. ad Timoth. 2., *Adam non eſt ſeductus, Eva ſeducta in prævaricatione fuit &c.* Hujus ergo culpa gravior, quam illius. Præterea peccavit Adam in Spiritum ſanctum; divinam enim cognitavit miſericordiam, quum peccaret, quod præſumptionis eſt: neminem autem latet peccata in Spiritum ſanctum cæterorum eſſe graviſſima. Denique nonne debebat Adam melius operari? „ Si caput eſt vir, ait „ præclare Auguſtinus, melius debet vi- „ vere, & præcedere in omnibus bonis „ factis, maxime uxorem ſuam, ut imi- „ tetur illa virum ſuum " Prave ergo operans, pejus uxore peccavit.

VII. Nihil tamen hæc habent, quod poſſit doctrinæ mox traditæ veritatem labefactare; par. enim 1. *de primo homine* exercit VII. n. 7. Apoſtoli teſtimonium ſatis explicatum eſt, ac declaratum, mulieris errorem, ac ſeductionem, de qua Apoſtolus, primi ejus peccati cauſam non fuiſſe, ſed conſectarium; interiorem enim animi ejus elationem conſecuta eſt, ideoque *antecedens* non fuit ejus ignorantia, ſed *conſequens*, quæ, ut recte docet Angelicus, *non excuſat, ſed aggravat peccatum, inquantum* ſcilicet, *ignorando in majorem elationem erecta eſt*. Qui vero Adamum in Spiritum ſanctum peccaſſe, decernunt, hi peccati in Spiritum ſanctum notionem minus perſpectam habere videntur; neque enim, quemadmodum tradit D. Thomas 2. 2. q. 14. ar. 2., & q. 21. ar. 1. & 2., quicunque divinam miſericordiam cogitans peccat, *præſumptionis quæ peccati in Spiritum ſanctum*

Digitized by Google

ctum eſt ſpecies, reus eſt, ſed qui divinæ uſque eo fidit miſericordiæ, ut divinam contemnat juſtitiam, ejuſque timorem abiiciat. Itane vero Adam? *Inexpertus divinæ ſeveritatis*, ait Auguſtinus l. 14. de Civ. Dei c. 11. *credidit*, *illud peccatum eſſe veniale*, *ideſt de facili remiſſibile*, ſubiicit D. Thomas. Quoniam autem Magiſter 1. ſent. diſt. 22. §. E. ſcribit, *Adamum minus peccaſſe*, *quia ſub ſpe veniæ peccavit*, quod ad præſumptionem pertinere videtur, hoc ejus dictum D. Thomas 2. 2. qu. 21. ar. 2. ad 3. egregie interpretatur: „ peccare cum propoſito perſeverandi in peccato ſub ſpe veniæ, ad præſumptionem „ pertinet, (quæ peccatum eſt in Spiritum ſanctum) & hoc non diminuit, „ ſed auget peccatum: peccare autem ſub „ ſpe veniæ quandoque percipiendæ cum „ propoſito abſtinendi a peccato, & pænitendi de ipſo peccato, hoc non eſt „ præſumptionis, ſed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur, habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. “ Num vero Adam ad peccatum & veniæ ſpem propoſitum in peccato perſtandi adjecit, reus propterea præſumptionis, peccati in Spiritum ſanctum habendus? Etſi D. Thomas loco mox citato nihil ſubiiciat, ex iis tamen, quæ aliis in locis habet, aperte conſtat, aliud illum de Adæ peccato ſenſiſſe; probat enim expreſſe, non fuiſſe illud cæterorum graviſſimum, nec uſque ad divinæ juſtitiæ contemptum proceſſiſſe, quadamque ratione fuiſſe imminutum, quod in vetiti ligni eſum conſenſerit *amicabili quadam* erga uxorem *benevolentia*. Huc etiam aptiſſime cadunt, quæ docet 2. 2. q. 14. ar. 4., in quo quærit, *an homo poſſit primo peccare in Spiritum Santum*. „ Poteſt aliquis peccare ex „ certa malitia, abiiciendo per contemptum ea, per quæ homo retrahitur a „ peccato (puta divinæ miſericordiæ ſpem, „ divinæ juſtitiæ metum &c.) quod proprie eſt peccare in Spiritum ſanctum, „ ſicut dictum eſt ar. 1. hujus q.; & hoc „ etiam plerumque præſupponit alia peccata, quia, ut dicitur Prov. 18., *Impius quum in profundum peccatorum venerit*, *contemnit*. Poteſt tamen contingere, ut aliquis in primo actu peccati „ peccet in Spiritum ſanctum per contemptum, tum propter libertatem arbitrii, tum propter multas diſpoſitiones „ præcedentes, vel propter vehemens aliquod motivum ad malum, & debilem „ affectum ad bonum: & ideo in viris „ perfectis vix, aut nunquam accidere „ poteſt, quod ſtatim a principio peccent „ in Spiritum ſanctum, “ idque confirmat eo Origenis teſtimonio, quod nuper exſcripſimus; quare quum Adam perfectus eſſet, non potuit prima ejus culpa in Spiritum ſanctum eſſe. Hanc quidem ejus perfectionem, ſeu perſonæ conditionem qui ſecum animo reputarit, Adæ crimen *ſecundum quid*, ait D. Thomas, recte ſciteque gravius Evæ crimine judicabit, quod eſſet ille uxore perfectior, uxor tamen gravius viro *ſimpliciter* & abſolute deliquit, ſicut demonſtratum eſt.

EXERCITATIO IV.

De pœnis, quibus od admiſſum crimen primi homines mulctati ſunt.

I. Qui primorum hominum culpam primus in literas retulit, Moſes, ſingulas ac peculiares, quæ viro, ac mulieri ſtatim a Deo inflictæ ſunt, ad univerſos eorum poſteros derivandæ, pœnas accurate perſecutus eſt. Exſcribenda integra ejus deſcriptio, quoniam in ea explicanda, & a difficultatibus, quibus obſidetur, expedienda, noſtra hæc exercitatio verſabitur. *Mulieri . . . dixit* (Deus) *multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Adæ vero dixit . . . maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris . . . fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos . . . . Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt, ejecitque Adam, & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* D. Thomas 2. 2. q. 194. ar. 2. ad Moſaicæ hujus narrationis expoſitionem aggreſſus, primo omnes has pœnas convenienter in Scriptura determinatas eſſe declarat, quod fuerint a ſummo illo, æquiſſimoque Judice conſtitutæ, qui *omnia in menſura*

& numero, & pondere diſpoſuit, Sap. XI.: dein laudata Moſis verba perſequens, ſingulas pœnas mirifice explicat ajens: ,, Primi parentes propter ſuum peccatum privati ſunt beneficio divino, quo humanæ naturæ integritas in eis conſervabatur, per cujus ſubtractionem humana natura in pœnales defectus incidit. & ideo dupliciter puniti fuerunt. Primo quidem quantum ad hoc, quod ſubtractum fuit eis id, quod integritatis ſtatui competebat, ſcilicet locus terreſtris paradiſi, quod ſignificatur Gen. 3. quum dicitur: *Et emiſit eum Deus de paradiſo voluptatis*; & quia ad illum ſtatum primæ innocentiæ homo per ſe ipſum redire non poterat, convenienter appoſita ſunt impedimenta, ne rediret ad ea, quæ primo ſtatui competebant, ſcilicet a cibo, ne ſumeret de ligno vitæ, & a loco; *collocavit* enim *Deus ante paradiſum Cherubim, & flammeum gladium.* Secundo autem puniti fuerunt quantum ad hoc, quod attributa ſunt eis, quæ naturæ conveniunt tali beneficio deſtitutæ, & hoc quidem quantum ad corpus, & quantum ad animam. Quantum quidem ad corpus, ad quod pertinet differentia ſexuum, alia pœna attributa eſt mulieri, alia viro. Mulieri quidem attributa eſt pœna ſecundum duo, propter quæ viro conjungitur, quæ ſunt generatio prolis, & communicatio operum pertinentium ad domeſticam converſationem. Quantum autem ad generationem prolis punita fuit dupliciter: primo quidem quantum ad tædia, quæ ſuſtinet portando prolem conceptam, & hoc ſignificatur, quum dicitur, *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*; & quantum ad dolorem, quem patitur in pariendo, & quantum ad hoc dicitur *in dolore paries*. Quantum vero ad domeſticam converſationem punitur ſecundum hoc, quod dominationi viri ſubiicitur per hoc quod dicitur: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Sicut autem ad mulierem pertinet, ut viro ſubdatur in his, quæ ad domeſticam converſationem pertinent, ita ad virum pertinet, ut neceſſaria vitæ procuret: & circa hoc punitur tripliciter, primo quidem per terræ ſterilitatem, quum dicitur, *maledicta terra in opere tuo*: ſecundo per laboris anxietatem, ſine qua fructus terræ non percipit, unde dicitur, *in labore comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ*: tertio quantum ad impedimenta, quæ proveniunt terram colentibus, unde dicitur, *ſpinas & tribulos germinabit tibi*. Similiter etiam ex parte animæ triplex eorum pœna deſcribitur: primo quidem quantum ad confuſionem, quam paſſi ſunt de rebellione carnis ad ſpiritum, unde dicitur, *& aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt, ſe eſſe nudos*, (ideſt ut explicat Auguſtinus l. 11. de Gen. ad lit. c. 11. *aperti ſunt oculi amborum ad aliquid intuendum, & cogitandum, quod antea nunquam adverterant, ſcilicet ad invicem concupiſcendum, quod ante non fuerat*): ſecundo quantum ad increpationem propriæ culpæ per hoc, quod dicitur: *ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis*: tertio quantum ad commemorationem futuræ mortis, ſecundum quod ei dictum eſt: *pulvis es, & in pulverem reverteris*, ad quod etiam pertinet, quod Deus *fecit eis* tunicas pelliceas in ſignum mortalitatis eorum. “ Quid hac doctrina diſertius, magis appoſitum ordinatumque, nec non ad ſacri Scriptoris mentem magis accommodatum?

II. Plura tamen ſumere D. Thomas videtur, quæ nec veritas, nec ratio ipſa concedit; numerat enim inter peccati pœnas, quæ vel naturalia ſunt, vel pœnæ loco haberi non poſſunt. Ut autem dicamus ex ordine, ab iis, quæ ad mulierem dicta Moſes memorat, ordiamur. *Multiplicabo conceptus tuos:* hoc ne ſupplicium reputandum? Nonne ad mulieris dignitatem felicitatemque potius pertinet conceptuum prolisque multiplicatio? Quum in veteri lege probroſa eſſet ſterilitas, nonne fœcunditas contra habenda honorifica, ceu eximium divinæ benedictionis argumentum? *In dolore paries*. Quum id ferat muliebris ſexus diſpoſitio, ut nequeat ſine dolore fœtum emittere, ſcitene inter peccati ſupplicia recenſetur? *Sub viri poteſtate eris*; neque in hoc poteſt eſſe ſupplicio locus, quum naturale ſit, fœminam viro ſubeſſe; eſt enim mulieris caput, eaque perfectior, quare, ſi perſtitiſſet innocentiæ ſtatus, fuiſſet & tunc mulier *ſub viri poteſtate*. Neque prætereundum eſt, quæ mulieris peccatum conſecutę ſunt, pęnas ad reliquas ejuſdem ſexus divina ſententia permanaſſe; qui poſſunt ergo conceptuum multiplicatio, in pariendo dolor, & viro ſub-

jectio peccati Evę ſupplicia dici? Quot enim fœminę innuptę ſunt, & viri dominatu ſolutę? Quot etſi nuptę, ſteriles tamen, nec, qui partum comitantur, doloribus obnoxię?

III. Cæterum nihil ſumpſit Angelicus, quod non cum veritate & ratione plene concordet, ſitque omnino ad Moſaicam narrationem exactum. Primo enim, quemadmodum ipſe ſapienter animadvertit, duo hæc Moſes meditato conjunxit: *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos*, ut intelligere quiſque poſſet, non ipſam liberorum procreationem Evæ crimini fuiſſe ceu ſupplicium conſtitutam, fuiſſet enim & ante peccatum, eſtque mulieribus jucunda atque honorifica, ſed moleſtias illas & multas, & graves, in quibus mulier eſt; & quamdiu fœtum conceptum portat, & dum eum emittit, quas & indicavit Chriſtus Jo. 16. ajens: *Mulier quum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus; quum autem peperit filium, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundo*. En itaque pœnam, qua Eva, aliæque poſt eam fœminæ mulctatæ ſunt, ut fœtum videlicet neque in utero gerant, neque pariendo edant abſque dolore, quem, ſi felix perduraſſet innocentiæ ſtatus, abſque ulla prorſus moleſtia concepiſſent, toto, quod natura definivit, tempore ſuſtinuiſſent, ac demum e vulva abſque dolore effudiſſent; neque enim, qui partum comitatur, dolor in naturalem fœminei ſexus diſpoſitionem, ſed in Evæ culpam referendus eſt; nam in feliciſſimo innocentiæ ſtatu, quemadmodum l. 14. de civ. Dei c. 26. Auguſtinus, *ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœminea viſcera relaxaſſet*, ſicut & maturi fructus ex arborum ramis ſponte defluunt. Fuiſſet quidem & tunc mulier viro ſubjecta *quantum ad regimen*, ait D. Thomas, quum eſſet vir mulieris caput & rector; nam ut 1. ad Cor. 11. ait Apoſtolus, *non vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro, etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*; fuiſſet tamen ſubjectio illa leviſſima, atque jucunda, nihilque habuiſſet moleſtiæ, incommodi, aut acerbitatis admixtum. Poſt factam contra innocentiæ jacturam *mulier*, ait D. Thomas, *contra propriam voluntatem neceſſe habet viri voluntati parere*, quod quam ſit mulieribus grave & acerbum, quantis animi angoribus, jurgiis, ac moleſtiis pateat, neminem latet. Quid demum, ſi fœminæ multæ cælibes ſunt, multæ item nuptarum ſteriles? Memoratæ pœnæ, reſpondet veriſſime D. Thomas „ aliqualiter ad omnes pertinent; Quæcumque enim „ mulier concipit, neceſſe eſt, ut ærumnas patiatur, & cum dolore pariat, „ præter Beatam Virginem, quæ *ſine corruptione concepit, & ſine dolore peperit*, quia ejus conceptio non fuit ſecundum legem naturæ a primis parentibus „ derivatam. Si autem aliqua non concipit, neque parit, patitur ſterilitatis defectum, qui præponderat pœnis prædictis."

IV. Sunt tamen & alia in Moſis narratione neque levia, neque pauca, quæ difficultatem afferunt, quam non videtur ad eam adhibita a D. Thoma interpretatio ſatis ſubmoviſſe. Primo quum peccarit homo rationis particeps, cur inanime & rationis expers elementum, terra ſcilicet, maledictione mulctatur? cur & ſola, non item alia elementa? Secundo quum id terræ natura ferat, ut ſpinas & tribulos germinet, horum ne procreatio naturalis inter peccati Adæ ſupplicia referenda? Tertio, ut in omnes homines Adæ peccatum tranſit, & ejus pœnam tranſire neceſſe eſt: quot autem homines non *in ſudore vultus pane veſcuntur*? Sunt enim otioſi plurimi, delicatuli, & cujuſcunque laboris expertes: hi ergo vel non ſunt Adæ filii, vel pane in ſudore vultus veſci criminis Adæ pœna non eſt. Quarto quo & tunicæ illæ pelliceæ primis parentibus a Deo confutæ? Num peccatum earum neceſſitatem induxit? Et indumento opus habebant homines ante culpam, ſicut & cibo. Quinto quorſum Deus hominem e paradiſo voluptatis extruſit; quum Deus & natura nihil fruſtra agant? Jam ergo erit locus ille ſupervacuus, atque nullius uſus; humanæ enim habitationis gratia fuerat a Deo plantatus. Rurſus: ſi jam adiri locus ille non poterat, quorſum ad impediendam ejus viam Cherubim, & gladius flammeus atque verſatilis apponuntur, ne homo illuc reverteretur? Præterea: Nonne homo peccando in mortis neceſſitatem inciderat, eratque certiſſime moriturus? Ut quid ergo ad cuſtodiendum lignum vitæ Cherubim deſtinatur, ne homo inde ſumens viveret in æternum? Etſi homo de ligno vitæ ſumpſiſſet, num poſt admiſſam culpam mortem potuiſſet eva-

de-

dere? Poſtremo nonne crudelitatis eſt, miſeris inſultare? Ea autem Domini verba, *ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum*, nonne inſultantis ſunt, & miſerum deridentis? Habet itaque Moſaica narratio non pauca, quæ a ratione & communi hominum ſenſu videntur aliena.

V. Nihil in ea tamen inveniet, quod non ſit plane ad veritatem & rationem exactum, qui librare juſtis ponderibus reſponſa voluerit, quæ D. Thomas ad ſingulas adhibet difficultates, & Moſaicam narrationem explicat illuſtratque. Attendendum itaque quid ad ſingula, quibus ſacri Scriptoris verba impetuntur, D. Thomas ſolide nitideque reponat. Animadvertit primo, terræ maledictionem a Deo inflictam non abſolute, ſed relate ad hominem, propter quem condita fuerat, & cujus uſibus inſerviebat, *ut ſcilicet homo ejus ſterilitate puniretur*; quare Deus conſulto dixit, *maledicta terra in opere tuo*, ideſt *propter opus tuum, quod eſt peccatum*, *vel maledicta in opere tuo*, ideſt *laborioſa ſit tibi operatori & cultori*, quemadmodum exponit Rupertus Abbas. Cur vero terræ ſpeciatim, non aliis elementis maledixerit Deus, ratio in promptu eſt: Terra fructum protulit, cujus eſus fuit Adæ, ac univerſis ejus poſterioris exitioſiſſimus, vel „ quia, ut ait Alcuinus, vetitum terræ „ fructum comedit homo, non aquas bi„ bit, atque perpetratum ob terreſtris fru„ ctus eſum delictum aquis purgandum, „ atque delendum erat, reſpiciente Do„ mino ſanctum baptiſma, quo veteris „ Adæ culpa abluitur, novuſque homo „ per novum Adamum, ſeu Chriſtum, „ emergit. “

VI. Etſi autem idem Alcuinus ſentiat, nullas, ſi permanſiſſet homo in accepta innocentia, e terra ſpinas, nullos omnino tribulos fuiſſe exorituros, D. Thomas tamen in Auguſtini ſententiam ceu veriorem concedit, qui *l. 3. de Gen. ad lit. c.* 1. ſtatuit, prodituras, etſi homo innocentiam conſervaſſet, e terra ſpinas & tribulos, non quidem in hominis pœnam, ſed in animalium cibum, quia ſcilicet eorum ortus nihil laboris aut punitionis homini terram colenti attuliſſet: quantum autem poſt culpam laboris, pœnæ, ac moleſtiæ terram ſubigentibus afferant prava hujuſmodi germina, exploratius eſt, quam ut in eo confirmando hærendum ſit. Quid vero, ſi non omnes terræ colendæ vacant? Omnes propterea non in ſudore vultus pane veſcuntur? „ Oportet, ait Angelicus, „ ut quicumque terram operatur, in ſu„ dore vultus panem comedat, & ipſi, „ qui per ſe agriculturam non exercent, „ in aliis laboribus occupantur; *homo* enim „ *naſcitur ad laborem*, & *avis ad vola*„ *tum*, ut dicitur Job 5. & ſic panem ab „ aliis in ſudore vultus elaboratum man„ ducat; “ quare ut nulla avis eſt, quæ non volet, ita & nullus homo, qui non in laboribus vitam tranſigat. Omnia complectamur animo hominum genera, conditiones omnes, neminemque reperire erit, qui ab omni vel animi ægritudine, angore, & contentione, vel corporis labore atque incommodo omnino ſit vacuus, & ſine ulla prorſus moleſtia pane veſcatur.

VII. Errant porro, qui ſanciunt, homini innocenti opus indumento peræque, ac cibo futurum fuiſſe; quo enim nomine fuiſſet in ſtatu innocentiæ cibi neceſſitas atque uſus, p. part. exercit. de primo homine exerc. x. abunde declaratum eſt, nimirum, quemadmodum 1. p. q. 97. ar. 3. latiſſime atque ex inſtituto, & 2. 2. q. 164. ar. 2. ad 8. ſtrictim docet D. Thomas, *ad fomentum caloris naturalis, & ad corporis augmentum*. Quæ vero tunc fuiſſet indumenti neceſſitas atque uſus? *Secundum ſtatum præſentis miſeriæ*, ait egregie D. Thomas, veſtibus homo indiget *propter duo*, primo ad propulſandas exteriores injurias, intemperati puta caloris & frigoris, ſecundo ad obtegendam velandamque ignominiam, ne turpitudo membrorum appareat, in quibus præcipue carnis adverſus ſpiritum perduellio manifeſtatur. Nonne autem duo hæc a primo illo ſtatu omnino aberant? Nulli exteriori injuriæ corpus hominis tunc patuiſſe ſolide demonſtravit Angelicus 1. p. q. 97. ar. 2., nullam & tunc, quæ confuſionem induceret, turpitudinem in ejus corpore fuiſſe probat Moſis animadverſio Gen. 2., *erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet & uxor ejus, & non erubeſcebant*. Quæ ergo in ſtatu innocentiæ nulla erat, veſtitus neceſſitas peccatum conſecuta eſt, quod & humano corpori patiendi moriendique neceſſitatem attulit, eumque primis parentibus propriæ nuditatis pudorem, ut ad eam obnubendam ex foliis ficus ſibi *perizomata*, ſive ſubligacula & femoralia confecerint, quibus ceu ad finem hujuſmodi minus aptis

tuni-

tunicas pelliceas Deus ipſe ſubſtituit *ex animantibus mortuis factas, ſignum mortalitatis, quæ illis per peccatum acceſſerat*, inquit Athanaſius in *ſerm. de cruce & paſſione Domini*.

VIII. Et his in tunicis Origenes ſuo more ludit, rejectaque hiſtoriæ veritate allegoriam obtrudit, tunicis hiſce pelliceis ipſum hominis corpus morti propter peccatum addictum unice deſignari contendens. Num enim Deus, ait, lanius & ſutor eſt, qui animalia mactet, & ex eorum pellibus veſtimenta conficiat? Si vere proprieque Deus animantia occiſa corio nudavit, & quo tunicas Adæ atque Evæ conſuerit, unam animantium ſpeciem periiſſe tunc fateamur oportet; quum enim bina ſolum cujuſque ſpeciei Deus animalia crearit, ſi primis parentibus ex animalium pellibus tunicas vere paravit, bina ſaltem animalia occiderit, ideoque ſpeciem delerit, neceſſe eſt. Ad hoc autem Origenis commentum refutandum, præter Eccleſiæ Patrum conſenſionem una ſatis ſuperque eſt Auguſtini ratio, quam non ſemel adverſus eundem Origenem & Cajetanum intorſimus, quæque regulæ inſtar eſt Catholicis omnibus probatiſſimæ, nefas ſcilicet eſſe, allegoriam hiſtoriæ ſubſtituere, niſi ex literali propriaque ſacrorum verborum intelligentia quidpiam conſequatur abſurdi. Quidpiam ne vero hujuſmodi timendum, ſi hæc Moſis narratio veræ hiſtoriæ loco habeatur? Num Deum intelligere cogimur lanium, vel ſutorem, ſi de tunicis pelliceis Adæ atque Evæ ab ipſo vere confectis Moſem proprie ſcripſiſſe, ſentimus? Annon vere, atque, ut Deum decet, & rationi plane conforme eſt, explicamus, ſolo divinæ voluntatis imperio, vel etiam adhibita Angelorum opera, hæc ab illo præſtita, ut corpus hominis e limo terræ eadem ratione vere ab eo plaſmatum intelligimus, ac exponimus, quin ſummum rerum omnium Artificem ad figuli officium dejiciamus?

IX. In diſſolvendo ſecundo Origenis momento mirum, quantum laborarint aliqui, & quot ad ſatis ei faciendum reſponſa excogitarint! Rabbinorum quidam reponunt conſutas a Deo primis parentibus ex iis pellibus veſtes, quas ſolent certo anni tempore ſerpentes abjicere, alii ex pellibus, quibus animalia adhuc viventia ſeſe, Deo jubente, ſponte exuerunt, alii demum pellium nomine lanam vel pilos ſignificari. Eſtne cur in his commentis ſerio redarguendis immoremur, quorum futilitas neminem non percellit? Nonnulli e noſtris vero num ſolidiora? Deum pelles has e nihilo condidiſſe aliqui, alii vero ex aliqua materiæ jam creatæ parte pelles illas formaſſe, quæ eſſent ad primorum hominum veſtitum idoneæ, reſpondent: utriuſque tamen reſponſi quod fundamentum, quæ ratio, quæ probabilitas? Conſtanter aſſerimus, Deum vel ſolo imperio ſuo, vel Angelorum opera (quod probabilius eſt, quum inferiorem creaturam a Deo per Angelos adminiſtrari non uno loco doceat D. Thomas,) animalia quædam neci dediſſe, ex quorum pellibus tunicæ primis parentibus fierent. Una itaque animantium ſpecies in ipſo mundi exordio deleta. Unde habet Origenes, nonniſi duo cujuſque ſpeciei animantia a Deo primum fuiſſe formata? Quanta Patres ac Interpretes inter contentio, quo numero fuerint ſingularum ſpecierum animalia a ſummo rerum Auctore creata? Quum nihil itaque certi exploratique de hoc numero haberi poſſit, perperam unius animantium ſpeciei timetur interitus, ſi naturalis Moſaicæ narrationis intelligentia teneatur.

X. Æque imbecilla ſunt atque vana, quæ jactantur adverſus illa, quæ de pulſo e paradiſo voluptatis homine, de appoſita eidem paradiſo cuſtodia, deque intercluſo ad lignum vitæ aditu traduntur a Moſe. Etſi fuerit paradiſus ille hominis gratia a Deo plantatus, num poſt abactum inde hominem nullum prorſus jam habet uſum? „ Locus ille paradiſi terreſtris, ait D. Thomas, quamvis non „ ſerviat homini ad uſum, ſervit tamen „ ad documentum, dum cognoſcit ſe propter peccatum tali loco fuiſſe privatum, „ & dum per ea, quæ corporaliter in illo „ paradiſo ſunt, inſtruitur de his, quæ „ pertinent ad paradiſum cæleſtem, quo „ aditus homini præparatur per Chriſtum.“ Quo auctore vero, quo teſte fidenter effertur, paradiſum terreſtrem fuiſſe jam ſuapte natura invium, ideoque adjecta perperam impedimenta, quibus ab ejus aditu homines prohiberentur? Niſi poſt exturbatum inde hominem reum Deus ad illum viam interclusiſſet, quam facile primis hominibus, eorumque liberis, quos veriſimillimum eſt, haud procul a loco, unde ejecti fuerant, vitam duxiſſe, reditus

tus patuiſſet? Opponenda itaque impedimenta, ne illuc homines reverterentur. Quæ illa vero? Moſes ait, „ *collocatum a Deo ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*, in quæ verba hæc habet Angelicus (loc. ſæpe cit. ad 5.: „ Salvis ſpiritualis ſenſus myſteriis, „ ille locus videtur præcipue eſſe inacceſ- „ ſibilis propter vehementiam æſtus ex „ propinquitate ſolis in locis intermediis, „ & hoc ſignificatur per *flammeum gla-* „ *dium*, qui *verſatilis* dicitur propter pro- „ prietatem motus circularis æſtum hu- „ juſmodi cauſantis. Quia motus corpo- „ ralis creaturæ diſponitur miniſterio An- „ gelorum, ut patet per Auguſtinum 3. „ *de Trin. c.* 4., convenienter etiam „ ſimul cum *gladio verſatili* adjungitur „ Cherubin *ad cuſtodiendam viam ligni* „ *vitæ*; unde Auguſtinus dicit *l.* 11. *de* „ *Gen. ad lit. c.* 40.: *Hoc per cæleſtes u-* „ *tique poteſtates etiam in paradiſo viſibi-* „ *li factum eſſe credendum eſt*, *ut per* „ *Angelicum miniſterium eſſet illic ignea* „ *quædam cuſtodia*. “

XI. Nemo non videt, D. Thomam in ea perſuaſione fuiſſe, in qua & antiqui plurimi, terreſtrem nempe paradiſum ultra zonam torridam fuiſſe locatum, hancque propter æſtus vehementiam nec permeabilem eſſe, nec habitabilem; quare poſt Adæ culpam nullum adjectum fuiſſet impedimentum, quo ab illo homines arcerentur. Cæterum quum alibi a Recentioribus conſtituatur terreſtris paradiſi ſitus, quamquam definiri certus ejus locus a nemine poſſit, & annuis ferme iter agentium navigationibus, qui æquinoctialem lineam prætervehuntur, ac teſtimonio certum, exploratumque jam ſit, quæ ſub torrida zona ſunt, regiones habitatoribus refertas eſſe, ideo reſpondemus locum illum, ubicumque demum locetur, non fuiſſe ſuapte invium, ſapientiſſime propterea a Deo proviſum, ut, quemadmodum mox ex Auguſtino retulimus, *per miniſterium Angelicum eſſet ibi ignea quadam cuſtodia*, (etſi qualis ſit ignoremus) qua vetarentur homines, ad locum illum accedere, qui ſolam primi ſtatus integritatem decebat, cujus perpetuam ſibi ſuiſque poſteris Adam jacturam fecit. Huc aptiſſime cadit Cardinalis Cajetani in hunc D. Thomæ locum perdocta notatio: „ In „ tota quæſtione 164. *de pœna peccati pri-* „ *mi hominis* hoc ſolum ſcribendum occurrit, quod dum in ſecundo art. in „ reſponſ. ad quintum de *flammeo gladio* „ duæ inſinuantur opiniones, altera quod „ ſit *æſtus ex propinquitate ſolis*, altera „ quod *ſit per angelicum miniſterium ignea* „ *quædam cuſtodia*, prima opinio hodie „ excluſa videtur, quoniam zona, quæ „ *torrida* vocata eſt, a qua nunquam ſol „ recedit, jam inventa eſt habitata; ha- „ bent enim juge æquinoctium habitato- „ res terræ illius, ut teſtantur inde ve- „ nientes; & Nos miſimus fratres Ordi- „ nis ad partes illas, & eunt, & redeunt, „ prout expedit: unde ſecunda opinio „ amplectenda videtur. Nec mirum, ſi „ multos Sapientes hoc latuit, quia iſta „ ſunt ſingularia ſine experientia accepta „ a Progenitoribus ex probabili argumen- „ to Æthiopiæ tam ardentis, de qua Lu- „ canus:

„ Æthiopumque ſolum, quod non
„ premeretur ab ulla
„ Signiferi regione poli, niſi poplite
„ lapſo
„ Ultima curvati procederet ungula
„ tauri. “

XII. Quam provide tandem ſancteque Deus homini tametſi certiſſime jam morituro iter ad lignum vitæ præcluſerit, exponit D. Thomas ibidem ad 6. ajens: „ Homo, ſi poſt peccatum de ligno vitæ „ comediſſet, non propter hoc immorta- „ litatem recuperaſſet, ſed beneficio cibi „ illius potuiſſet vitam magis prolongare; „ unde, quod dicitur ibi, *& vivat in æ-* „ *ternum*, æternum ſumitur pro diutur- „ no. Hoc autem non expediebat homi- „ ni, ut in miſeria hujus vitæ diutius „ permaneret. “ Quid hac ratione ſolidius? quid ad commendandam divinam erga hominem clementiam magis accommodatum? Quum homo peccando in moriendi neceſſitatem incidiſſet, ſeque tot iis, quibus humana vita miſerrime premitur, ærumnis feciſſet obnoxium, num fuiſſet illi conducibile calamitoſam adeo vitam diu traducere? Annon potius maximæ clementiæ fuit, illum ab eſu ligni vitæ prohibere, quo vitam infelicem, ipſaque non ſemel morte graviorem protrahere conatus eſſet? Sapientiſſimo itaque Dei conſilio factum eſt, ut poſt peccatum nulli amplius ad terreſtrem paradiſum via pateret,

tum

tum quod locus ille primi ſtatus integritatem maxime decens jam non erat congrua hominis innocentia deſtituti habitatio, tum ne homo illuc permiſsus accedere, lignumque vitæ comedens, non tam vitam, quam miſerias vitæ produceret. Quam ſunt denique ad diluendam poſtremam, quæ adverſus Moſaicam narrationem opponitur, difficultatem opportuna atque firma, quæ habet Auguſtinus l. 11. de Gen. ad lit. c. 39.; & ex eo recitat D. Thomas loc. cit. ad 7.: „ Verba hæc „ Dei, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis* „ *factus eſt ſciens bonum & malum*, non „ tam ſunt primis parentibus inſultantis, „ quam cæteros, ne ita ſuperbiant, de„ terrentis, propter quæ iſta conſcripta „ ſunt, quia ſcilicet non ſolum Adam „ non fuit factus, qualis fieri voluit, ſed „ nec illud, ad quod factus fuerat, con„ ſervavit. "

XIII. Tot tamque acerbæ, quas Moſes deſcribit, pænæ Hebræis nec ſatis viſæ ſunt ad dignam primorum hominum caſtigationem, quare alias ſuo arbitratu addiderunt, quibus in eos a Deo animadverſum fuiſse, commenti ſunt; ac primo quidem Anonymus in ſuis ad Wengeſelium litteris ſtatuit, Deum, quum Adamum perfectum condiderit, illum circumciſum creaſse, cui præputium accrevit, poſtquam Eva fidem ſerpenti adjunxit; quo circa Deus, ut priſtinum in ſtatum hominem reſtitueret, de circumciſione præceptum Abrahæ tulit. Vah putidiſſimum nugatorem! Minus ne vero nugax R. Eliezer *in l. Pirke*, quem Synagoga tanti facit, ut illum R. Abrabanel *divinum*, Rabbi Schem Tof *ſanctum* appellent, qui tam immanem Adæ ſtaturam attribuit, ut ab Oriente ad Occidentem uſque pertingeret, cujus inter pænas numerat, quod fuerit procerrima illa ſtatura mulctatus, plurimumque depreſſus? Illud etiam quam inſulſum, quod ibidem habet, mulieri ſcilicet ſupplicii loco conſtitutum capillatum caput, & perforatas aures in ſervitutis argumentum! Sed vereor, ne ſimus ipſi inepti, qui hæc delirantium ſomnia perſequimur.

XIV. Scitene vero prudenterque Interpretes ac Theologi, necnon & Chronologi quidam definire tempus conati ſunt, quod in feliciſſimo innocentiæ ſtatu, ac in horto voluptatis primi homines traduxerunt? Alii, ut Cæſarius, illud ad dies quadraginta protrahunt, quos Chriſtus totidem jejunii in deſerto diebus expiarit, alii, ut Moſes Barcepha ad tot annos, quot ab ortu ad obitum uſque Chriſtus in terris exegit. Minus liberales alii illud octo dierum ſpatio concludunt, ut Pererius, Salianus, Spondanus, Cornelius a Lapide, Torniellus, aliique, parciores alii, ut Abulenſis, illud intra bidui menſuram cogunt, alii demum parciſſimi, ut Contenſonius, & cum eo bene multi illud unius diei ſpatio circumſcribunt. Hæc autem nonne ſunt inaniter excogitata, multoque inanius elata? Quod cujuſque opinionis fundamentum præter leviſſimas & nullius ponderis conjecturas? Nihil e Scripturis, nihil ex Patrum auctoritate, immo ne ex probabili quidem ratione ſuppetit, quo harum opinionum ulla firmari poſſit; quare conſultius eſt, ignorantiam fateri noſtram, eique qui ſolus *omnium ſcientiam habet*, id compertum eſſe, teſtari. Semper præ oculis habendum eximium illud criticæ artis præceptum, Philoſophi, multo magis Theologi gravitatis ac ſapientiæ indignum eſſe, ea ſibi excutienda ac definienda ſumere, quorum veritatis inquirendæ, figendæ ac demonſtrandæ nulla patet via, eſſe contra vere ſapientis, ſuam potius inſcitiam prædicare, quam de omnibus temere & vaniſſime pronunciare velle, ne quidquam ignoraſſe videatur. De *concupiſcentia* atque *morte*, quæ admiſſi a primis parentibus criminis pænæ ſunt, univerſoſque eorum poſteros afficiunt, opportunius infra adverſus Incredulos & Socinianos.

EXERCITATIO V.

De æterna primorum parentum ſorte.

I. HÆc primi peccati ſupplicia num fuerunt reis ſalutaria? Iis eruditos num admiſſæ culpæ pænituit? Luctuoſa primæ felicitatis jactura num eis attulit æternæ vitæ compendium? Attulit ſane, & nemo eſt, qui hoc quoque nomine Tatianum *Encratitarum* ſeu *Continentium* Hæreticorum parentem non damnet, qui a Catholicæ Eccleſiæ, & Juſtini Martyris, cujus in diſciplina fuerat, ſchola ad Valentini, & Marcionis caſtra dilapſus, ad horum errores & hunc adjecit, Protoparentes noſtros ob primæ inobe-

inobedientiæ culpam æternis a Deo fuiſſe ſuppliciis addictos. Hunc Tatiani errorem animo imbibiſſe viſus eſt Rupertus Abbas duodecimi ſæculi haud ignobilis Scriptor, quem, tametſi nonnulli benigne interpretari ac purgare conentur, quaſi vero aliorum, non ſuam ſententiam expoſuerit, de primorum hominum ſalute vehementer dubitaſſe, ſatis ea revincunt, quibus allatas dubitationis ſuæ cauſas concludit: „ Salvatio ejus & a „ multis libere negatur, & a nullo ſatis „ firmiter defenditur." Ignoſcendum Ruperto, quod caput hoc a nullo *ſatis firmiter defendi*, ſcripſerit; ejus enim ævo nondum plane explorata, & communiter recepta erat libri Sapientiæ auctoritas; poſtquam tamen Tridentina Synodus ſeſſ. 4. librum hunc inter Scripturas canonicas firmo ac ſolemni decreto retulit, eodemque loco & gradu habendum eſſe, ſanxit, quo ii, qui *Proto-Canonici* dicuntur, non videtur Adæ pænitentia atque ſalus in dubitationem vocari abſque crimine poſſe; Ejus enim Auctor c. 10. v. 1. & 2. de Adamo hæc habet: *Hæc*, divina nempe ſapientia, *illum, qui primus formatus eſt a Deo Pater orbis terrarum quum ſolus creatus eſſet, cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia*. Hinc Theologi Adamum delicti pænituiſſe, æternamque ſalutem conſecutum eſſe, conficiunt. Ab admiſſo enim *delicto* Sapientia divina primum hominem *eduxit*, ſeu non permiſit, ut in eo pertinax hæreret, eoque inquinatus obiret: cor ejus itaque ad ſalutarem pænitentiam flexit, quæ ſemper fuit, ut eadem Tridentina Synodus ſeſſ. 14. docet, *univerſis, qui ſe mortali aliquo crimine inquinaſſent, ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria*, una ad ineundam cum Deo reconciliationem via, unicum recuperandæ amiſſæ gratiæ medium.

II. Præter locuples hoc divini eloquii teſtimonium, favet Adæ pænitentiæ ac ſaluti Veterum Patrum traditio, & univerſalis Eccleſiæ conſenſio. Longum Patrum ſyllabum, eorumque teſtimonia exhibent Bellarminus, Pererius, ac præcipue Natalis Alexander, apud quos videre eſt, in hunc, mox ut a Tatiano vulgatus eſt, errorem inſurrexiſſe celebriores Eccleſiæ Magiſtros, & conſecutis ſæculis acriter illum a Patribus exagitatum. Primus illum copioſe valideque refellit S. Irenæus Tatiano coævus, paulo poſt Tertullianus, exin Origenes, Euſebius Cæſar., Athanaſius, Hilarius, Gregorius, Nazianz., Auguſtinus, Gregorius M., aliique multi. Univerſalem autem Eccleſiam in hac de Adæ per Chriſtum ſalute ſententia fuiſſe, graviſſimus teſtis eſt Auguſtinus in Epiſt. ad Evodium ſcribens: „ Et de illo quidem primo homi- „ ne Patre humani generis, quod eum „ inde ſolverit Chriſtus, Eccleſia fere to- „ ta conſentit, quod eam non inaniter „ crediſiſſe, credendum eſt, undecumque „ hoc traditum ſit." In hanc Eccleſiæ ſententiam certatim hactenus itum eſt, iturque conſtanter a Theologis ac Interpretibus omnibus, nec ullum, quod ſciam, ſive inter Catholicos, ſive inter Novatores, Tatianus laudare poteſt pro hoc errore ſuo ſuffragatorem. Argumenta tamen, quibus Irenæus in primis, Tertullianus atque Epiphanius Tatianum oppugnarunt, atque Adæ ſalutem in vado ponere, conati ſunt, huc, (quod plerique faciunt) non conferimus; non ſunt enim illa firma, & efficacia, ſed congrua, quæ ſuadendi vim habere poſſunt, non demonſtrandi; quare Theologus ſatis habeat, oportet, veritatem hanc ex diſerto Scripturæ canonicæ teſtimonio colligi, Patrum traditione, & Eccleſiæ conſenſione firmari, etſi nulla in promptu ſit ratio, qua demonſtretur. Quæ ſane ad caput hoc demonſtrandum excogitari poteſt ratio ſatis firma? Adæ pænitentia atque ſalus ex una Dei voluntate quum pendeat, quis poſſit ratione aſſequi, quodnam divinæ hujus voluntatis fuerit de Adæ forte propoſitum? Quæ rationis humanæ cum divina voluntate connexio? Sola, quæ ſcripto vel tradito Dei verbo continetur, revelatione divina nobis, quemadmodum non ſemel docet veriſſime D. Thomas, voluntas manifeſtatur. Scripto ergo traditoque Dei verbo quum haud obſcure doceamur, voluiſſe Deum in Adamum *divitias ſuæ bonitatis* effundere, illum *a delicto ſuo educere*, æternaque per Chriſtum ſalute donare, in hac auctoritate tuto conquieſcimus, nec laboramus, an, quibus Adæ ſalutem aſtruere uiii ſunt Patrum aliqui, momenta valida & apta ſint, an conjecturalia & imbecilla.

III. Laborandum quidem utiliter in diſſo-

diſſolvendis argumentis, quibus veritas hæc appetitur & infirmatur. Primo enim quam ineptum eſt ad ſalutem Adæ aſſerendam laudatum Sapientiæ teſtimonium! Quod vulgatus Interpres reddidit, *& eduxit illum a delicto ſuo*, vitioſum eſt, nec ad græci textus fidem expoſitum; legendum enim, ut alii plures codices habent, *& eduxit illum de limo terræ:* Hoc autem, quod ſalutis Adæ fundamentum jactatur, labefactato ac diſjecto, nonne & illa corruat, neceſſe eſt? Num autem firmius traditione nititur? Patrum plerique, qui ſalutis Adæ adſertores feruntur, perſuaſum erat primi hominis corpus in Golgotha monte, in quo cruci ſuffixus eſt Chriſtus, fuiſſe ſepultum, *ut ſecundi Adami ideſt Chriſti*, (ita Paula & Euſthochium in epiſt. ad Marcellam inter Hieronymianas 17.) *ſanguis e cruce ſtillans primi Adam, & jacentis protoplaſti peccata dilueret, & tunc ſermo ille Apoſtoli compleretur: Excitare, qui dormis, & reſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. Præter Cyprianum *in tract. de Reſurrect. Chriſti*, Origenem *tract. 33. in Math.*, Baſilium M. *enarr. in c. 5. Iſaiæ*, Epiphanium *l. 1. adv. Hæreſes*, Chryſoſtomum *hom. 84. in Jo.*, idem habet vetuſtiſſimus Auctor *l. 2. contra Marcionem* metrice, iratis tamen muſis, conſcripti, inter Tertull. opera.

„ Hic hominem primum ſuſcepimus
„ eſſe ſepultum:
„ Hic pariter Chriſti pio ſanguine ter-
„ ra madeſcit;
„ Pulvis Adæ ut poſſit veteris cum
„ ſanguine Chriſti
„ Commixtus, ſtillantis aquæ virtu-
„ te ſanari. “

Hanc porro de Adæ ſepultura in monte Calvariæ traditionem fabulæ loco habet, ridetque Hieronymus *in Comment. in c. 27. Math.*, & *Comm. in c. 3. epiſt. ad Epheſios*, nec pluris facit ductam inde de Adæ ſalute opinionem; nam ait: „ Sin „ autem quiſpiam contendere voluerit, „ ideo ibi Dominum crucifixum, ut ſan„ guis ipſius ſuper Adæ tumulum diſtil„ laret, interrogemus eum, quare & alii „ latrones in eodem loco crucifixi ſint? Quæ poteſt ergo ſententiæ hujus firmitas eſſe, quæ ex anili commento pendet? Merito ergo de Adæ ſalute dubitavit Rupertus Abbas, quin eam aperte negavit D. Bernardus *in l. de modo bene vivendi* ſcribens, *Adamum in infernum ob inobedientiam cecidiſſe*, ſicut & librum *de pœnitentia Adæ* Gelaſius Papa ceu apocryphum nulliuſque fidei jam dudum exploſerat. Facere etiam & ratio debet, ut in æternam potius Adæ damnationem animo propendeamus; nam quum Angelos malos imitatus ille, impotenter elatus divinam ſimilitudinem immoderate appetiverit, fueritque in Deum, qui ampliſſima in eo poſuerat beneficia, multum ingratus, nonne æquum erat, Angelorum ſuperbiæ imitatorem atque participem in æternum interitum irreparabiliter tradi, neque ei veniam impunitatemque dari, quæ fuerat malis, in quorum veſtigiis hæſerat, Angelis denegata?

IV. Multum hæc ſpeciem habent, ſucci tamen parum aut nihil; ac primo quidem vulgatæ noſtræ lectionem, etſi nonnulli codices diſcrepent, retinendam eſſe, ac illi, quæ objicitur, præferendam, probat antiquiſſimorum plurium, melioriſque notæ codicum lectio, eadem plane ac vulgati Interpretis, quam & Auguſtinus habet in laudata ad Evodium epiſtola, probat & Auctoris libri Sapientiæ ſcopus, & continens orationis ſeries; præmiſerat enim generalem hanc de ſpirituali divinæ Sapientiæ virtute ſententiam, *per ſapientiam ſanati ſunt, quicunque placuerunt tibi, Domine, a principio*, ſubjectiſque exemplis rem declarat ab Adamo orſus, *hæc illum, qui primus creatus eſt* &c. *cuſtodivit, & eduxit a delicto ſuo*. Quæ poſteriorum, amabo, tum prioribus connexio erit, ſi pro eo, quod rectiſſime habet vulgata noſtra, legatur, *& eduxit illum de limo terræ?* Eorum, qui per divinam ſapientiam ſanati ſunt, primum ab Adamo exemplum petitur, ut qui omnium *primus formatus*, omnium primus in ſpiritualem languorem incidit, ita omnium primus ſalutarem divinæ ſapientiæ virtutem expertus eſt. Nonne autem iis, quos divina cuſtodivit ſanavitque ſapientia, perperam annumeratus fuiſſet Adam, ſi verbis vulgatæ noſtræ alia fuerint corruptorum codicum verba ſubſtituenda? Nonne inepta eſſet, & ridicula verſiculi hujus conſtructio, ſi eo modo efferatur, quem depravati quidam codices habent: *hæc illum, qui primus formatus eſt, pater orbis terrarum, quum ſolus creatus eſſet, cuſtodivit, & eduxit illum de limo terræ?* Si Adam primus a

Deo ſolus formatus eſt, ſoluſque primo **creatus, ex** limo utique terræ formatus **eſt, ut Gen. 1. & 2.** dicitur : Quorſum **ergo addendum,** *& eduxit illum de limo terræ ?* Quam **etiam** belle ſibi cohærent iſta : *hæc illum* &c. *cuſtodivit*, *& eduxit de limo terræ ?* Num primum hominem , antequam de limo terræ educeretur, ſeu crearetur , ſapientia *cuſtodivit* ? Fuerit , oportet, Adam, antequam eſſet, ut prius a divina ſapientia cuſtoditus intelligatur , ſicut cuſtoditi leguntur ibidem alii , qui poſt eum recenſentur , exin de limo terræ eductus, ſeu de nihilo ad eſſe translatus. Retinenda itaque vulgatæ lectio non ob Eccleſiæ ſolum Patrumque auctoritatem , ſed & ob naturalem verborum ſeriem & legitimam intelligentiam , ea enim retenta ſponte fluunt omnia, apteque intelligimus , Adamum , a divina fuiſſe ſapientia cuſtoditum, ne in æternum , cujus reus erat , exitium reipſa incideret, ac per ſapientiam fuiſſe ſanatum, quæ illum ad pœnitendum ſalubriter movit , & ab admiſſo crimine eduxit.

V. Ut autem Scripturæ teſtimonio , ita & traditione Patrum hæc veritas firmiter nititur, nec illam poteſt, quod ex Hieronymo opponitur, labefactare; neque enim cum ea, quam ceu anilem fabulam ille ridet, hæc de Adæ ſalute traditio ita connexa eſt , ut, ſi fuerit illa ridicula , & hæc ſit ſpernenda. Quot æternam Adæ ſalutem aſſerunt, qui de loco, in quo corpus ejus humatum fuerit , ne verbum quidem habent ? Qui primus Tatiani errorem late refutavit , Irenæus, Tertullianus, Euſebius Cæſar., Hilarius , Gregorius Nazianzænus, Gregorius M. aliique multi ita pro æterna Adæ ſalute pugnant , ut nullum ad ejus defenſionem ex loco ſepulturæ ejus momentum arceſſant ; Neque , qui *Eccleſiam fere totam de hoc conſentire*, eamque hoc *non inaniter crediſiſſe* ſcripſit ad Evodium, Auguſtinus, quamquam ſe in eadem ſententia eſſe , aperte teſtetur , quidpiam uſquam habet de primo homine in Calvariæ loco ſepulto. Et ipſe quidem inter traditionis hujus ſuffragatores & teſtes numeratur ſerm. 71. de tempore , inſcite tamen , quum ſermo ille ejus certe non ſit, quare a noviſſimis operum ejus Editoribus Benedictinis ceu inſincerus in appendicem rejectus eſt ; neque magis ſcite eundem traditionis hujus teſtem excitant Baronius, & Maldonatus, prior ex quæſt. 161. in Gen., poſterior vero ex l. 16. de Civ. Dei c. 32. teſtimonium petens; in priori etenim loco non de Adamo, ſed de Abrahamo, aliiſque Patriarchis Auguſtinum agere, in altero vero nihil illum de hac quæſtione habere perſpicuum eſt. Quo autem momento & *Eccleſia fere tota* , & Veteres, quos appellavimus, Patres Auguſtino priores in hanc de Adæ ſalute ſententiam adducti fuerint , indicat ibidem Auguſtinus; illud enim explicans , quod Act. 2. Petrus de Chriſto ait: *quem Deus ſuſcitavit , ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat, teneri illum ab eo*, adnotat primum ea verba *ſolutis doloribus inferni*, vel ad Chriſtum ipſum pertinere, qui *dolores inferni ſolverit , ſeu eos irritos fecerit, quia eis teneri non poterat*, vel ad juſtos, quos Chriſtus doloribus inferni ſolverit; dein ſubjicit e veſtigio : „ Et de illo quidem primo homi-
„ ne Patre humani generis , quod eum
„ inde ſolverit , Eccleſia fere tota con-
„ ſenſit, quod eam non inaniter credidiſ-
„ ſe , credendum eſt , undecumque hoc
„ traditum ſit, etiamſi canonicarum Scri-
„ pturarum hinc non proferatur auctori-
„ tas : quamquam quod in libro Sapien-
„ tiæ ſcriptum eſt, *hæc illum , qui pri-*
„ *mus formatus eſt a Deo Pater orbis ter-*
„ *rarum, quum ſolus creatus eſſet , cuſto-*
„ *divit , & eduxit illum a delicto ſuo,*
„ *& dedit illi virtutem continendi omnia*,
„ magis pro hac ſententia, quam pro ullo
„ alio intellectu facere videatur. Addunt
„ quidam, hoc beneficium antiquis etiam
„ Sanctis fuiſſe conceſſum, Abel, Seth ,
„ Noe, & domui ejus, Abraham, Iſaac
„ & Jacob, aliiſque Patriarchis & Pro-
„ phetis, ut quum Dominus in infernum
„ veniſſet , illis doloribus ſolverentur, “
quibus haud obſcure ſignificat , Eccleſiæ conſenſionem & fidem ex ea perſuaſione manaſſe, quæ omnium Catholicorum ſit, oportet , Chriſtum ſcilicet ad inferos venientem *in ſanguine teſtamenti ſui* , ut Zach. 9. prædictum fuerat, *eduxiſſe vinctos de lacu , in quo non eſt aqua* , ſeu antiquos juſtos in ejus fide defunctos , ejuſque dudum præſtolantes adventum inde ſolviſſe, eoſque inter primum hominem humani generis Patrem, pro cujus ſalute & *Scripturæ canonicæ* (Libri ſcilicet Sapientiæ quem ſatis aperte canoni-

cum a ſe haberi, declarat) teſtimonium *magis*, *quam pro ullo alio intellectu facere*, expreſſe pronuntiat. Fluxa itaque ſit, & incerta de loco ſepulturæ Adæ traditio: quid illi cum ea, qua ſalus Adæ firmatur?

VI. Cæterum nec abs re erit, cum graviſſimo Theologo Melchiore Cano *l. 11. de loc. theolog. c.* 5. reponere, non debuiſſe tantopere ridere Hieronymum Adami in loco Calvariæ ſepulturam, neque nos debere, Viri licet ſanctiſſimi exemplo, ejuſmodi hiſtorias ridere. Delicatioribus nonnullis, quorum ſunt faſtidioſiſſimæ autes, hoc Melchioris Cano reſponſum ita diſplicuit, ut illum violati in Hieronymum obſequii reum egerint, inique tamen & imprudenter. Traditionem enim illam repudiavit, irriſitque Hieronymus ceu a privato quodam, nulliuſque nominis Auctore profectam; nam in Comment. in 27. Math. caput „ audivi quemdam, in„ quit, expoſuiſſe Calvariæ locum, in „ quo ſepultus eſt Adam, & ideo ſic ap„ latum, quia ibi primi hominis ſit con„ ditum caput. Favorabilis interpreta„ tio, & demulcens aures populi, nec „ tamen vera. " Hujus tamen interpretationis num privatus ille, quem Hieronymus audivit, inventor? Hæcne ſcripſiſſet Hieronymus, ſi tunc animo complexus eſſet, interpretationem hanc non obſcuri illius eſſe, quem audivit, ſed Cypriani, Origenis, Athanaſii, ſeu potius Auctoris Homiliæ *de cruce Domini* inter Athanaſii opera, Ambroſii, Epiphanii, Chryſoſtomi, neque ab iis primum excogitatam, ſed *ab antiquis*, ut Cyprianus ait, acceptam? Animum ſane Hieronymus, quum eam tam facile contempſit, ſatis ad ea non adverrit, quæ Baſilius M. ſcripſit, manaſſe eam nimirum *ex fama*, *quæ obtinuit in Eccleſia memoriam conſervans*, quæ & talis eſt &c., atque illam, ut ait Epiphanius, *ex librorum monimentis deductam eſſe*. Quid ergo a Melchiore Cano in Hieronymum peccatum eſt, dum ei ſpectatiſſimos plures atque graviſſimos, eoque vetuſtiores Patres antetulit? Num ea Hieronymi momenta erant, ut deberent a veterum Patrum ſententia in ſingularem ejus opinionem omnes traducere? Non eſt loci hujus ea expendere, ac demonſtrare, quid valeant. Qui eorum vim noſſe velit, habet eundem Melchiorem Cano loc. cit., cui in diſſolvendo præſertim, quod ex Joſue 14. urget Hieronymus, quo & confici putat, *ſepultum Adam juxta Hebron*, *& Arbae*, momento conſentiunt Baronius, Maldonatus, Serrarius, Eſtius, aliique ferme omnes Critici ſacri, habet & Hyacinthum Serry, qui ejuſdem Cano defenſionem ſuſcepit, eamque novæ operis ejuſdem editioni prologi galeati loco præfixit, quos adire poteſt. Sed & illud mirari ſubit, ſoli Melchiori Cano vitio verti, quod opinationem Hieronymi non probarit, non autem aliis eximiis viris, qui Cano de Hieronymi opinione judicium confirmarunt. Quid iis diſertius, quæ ad an. Chriſti 34. ſcripſit Card. Baronius? „ At tanti Patris (inquit) in „ primis rogata venia, his nequaquam „ adduci poſſumus, ut, quod non ab uno „ vel alio, ſed ab omnibus fere antiquis „ Patribus, nec ut quidpiam recens ex„ cogitarum, ſed a Majoribus traditum, „ & ſcriptum eſt, tam facile contemna„ mus, quum præſertim ea, quæ ad illa „ impugnanda adducit, non videantur „ eſſe hujuſmodi, quæ nos ab illis peni„ tus diſſentire, compellant. " Nonne eadem habent Pererius *l. 7. in Gen.*, *Toletus in cap. 19. Jo. annot.* 12., Bellarminus *l. 3. de ſtatu peccati c.* 12., Pamelius *in notis ad ſerm. S. Cypriani de Reſurrectione Domini*, Fevardentius *in notis ad cap. 34. l. 3. S. Irenæi*, aliique plures? Cur ſolus Cano in culpa ſit, ſolus vapulare hoc nomine debeat, ignoramus.

VII. Rupertum Abbatem, etſi gravem ſpectatumque Scriptorem, non moramur, quod nec inter Eccleſiæ Patres cenſeri debeat, nec conſerri cum iis poſſit; quare ejus de ſalute Adæ dubitatio ad infirmandam Patrum traditionem, Eccleſiæque doctrinam nihil prorſus momenti habet. Habet ne vero quidpiam jactatum D. Bernardi teſtimonium? Quum ſit illud ex libro peritum, qui Bernardi certe non eſt, ſed ignoti, obſcurique Auctoris, quemadmodum & Bellarmino *in l. de Scriptoribus Eccleſiaſticis* animadverſum, nihili faciendum eſt. At librum *de pœnitentia Adæ* Gelaſius Papa proſcripſit, & apocryphum declaravit. Lepide vero. Et de aliis libris bene multis, puta de libro *de ortu & infantia Salvatoris*, *de Itinerario Petri* &c. ſimile in eadem Romana Synodo judicium Gelaſius tulit: num propterea ortum eſſe, ac infantiam decurriſſe

riſſe Chriſtum, Petrum itinera ſuſcepiſſe, negabimus? Ut ergo memorati libri merito confiſi ſunt, quod cum veritate certiſſima plura permixta haberent fabuloſa, falſa & incerta, ita Gelaſius librum *de Adæ pænitentia* rejecit, non quod de Adæ *pænitentia & ſalute* dubitaret Eccleſia, ſed quod eo in libro multa eſſent commenticia, futilia, ac indigna, quibus fides adjungeretur.

VIII. Nec melioris eſt commatis, quod ex ratione, & æquitatis lege petitur: immaniter enim peccat, pluſque efficit, quam quod veritas & ratio ipſa permittit. Si enim æquitatis lex id videbatur exigere, ut qua in Angelos malos uſus fuerat, ſeveritate in Adamum Deus animadverteret, nonne de toto humano genere ſtatim actum? Conſequitur enim, debuiſſe Deum æquitatis lege omnes omnino homines, qui in Adamo peccarunt, æterna damnatione mulctare, ſicut omnes, qui primo Angelo peccanti conſenſerant, malos Angelos in gehennam truſit, nec animum ad humanum genus ſeparandum adjicere, nam Angelis peccantibus nullum pænitentiæ locum reliquit, omnemque omnino redemptionis, ac veniæ ſpem præcidit. Pepercit tamen Adæ Deus, & humanum genus redemit, *Angelis vero peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari*, 2. Pet. c. 2., *ad divinæ bonitatis ſuæ manifeſtationem*, quam erga homines declarare voluit *per modum miſericordiæ parcendo*, erga malos Angelos *per modum juſtitiæ puniendo*, præclare ait Angelicus. Cur vero hominum potius miſereri voluerit, quam Angelorum, penes Deum eſt, neque hujus adferri alia ratio poteſt præter divinam voluntatem, cujus *ſunt inveſtigabiles viæ & incomprehenſibilia judicia*. Sed hæc ferme levia ſunt præ iis, quæ mox ſumus adverſus Incredulos, & novos Pelagianos diſputari.

Hactenus Protoparentis crimen expendimus, qua parte a Theologis *perſonale* vocari ſolet, nimirum ut ſolam ejus perſonam infecit, ei ſoli exitiale fuit, illum originariæ juſtitiæ dono ſpolians, & in mortis neceſſitatem, aliaque a Moſe deſcripta ſupplicia impellens. Alia ſupereſt, eaque gravior, & multo majoribus obſeſſa difficultatibus, ejuſdem criminis conſideratio, a qua animum abducere nulli Theologo licet, quod ſummi momenti illa ſit, & veluti fundamentum, cui plures, iique præcipui fidei catholicæ articuli incumbunt. Spectandum ſcilicet, & quaquaverſus excutiendum idem hoc crimen, quatenus ab Adamo in poſteros carnali proſeminatione traductum dicitur *originale*. Erigendus propterea animus, omneſque ingenii nervi in alteram hanc conſiderationem intendendi; dicendum eſt enim de rebus graviſſimis, quæ, ut ætate etiam noſtra ſummam habent neceſſitatem, ita non diffidimus, plurimum eſſe illa allatura non utilitatis ſolum, ſed etiam voluptatis. Quo vero materiem ſuapte difficillimam, & maxime implexam, majori, qua poſſumus, facilitate atque perſpicuitate, evolvamus, digeramus, ac complanemus, erit illa ordinate ſecanda ac diſponenda, tradendæ enim percipiendæque veritatis nulla forte rectior, & magis compendiaria via præter ordinem, ſive aptam rerum collocationem, atque ſcitam docendi addiſcendique rationem. Quis vero erit nobis ordinis hujus Magiſter & Dux? Idem ille, cui eximia ab admirabili in primis diſſerendi ordine ſemper laus fuit, eritque ſemper, Doctor Angelicus, in cujus, ut alias perpetuo, ita & nunc, veſtigiis religioſe inſiſtemus, noſtras de argumento hoc exercitationes ad aptiſſimum, quem ille tenet, ordinem dirigemus, de traductione primum, ſeu ut Theologi de Schola ajunt, *de exiſtentia peccati originalis*, exinde ejus natura, poſtremo de illius lamentabilibus conſectariis agentes, ſeu de vulneribus, quibus tota humana natura ſauciata fuit, quibuſque confecti ſunt, quotquot carnalem ab Adamo originem ducunt. Speramus autem, fore, nihil a nobis prætermiſſum iri, quod ad illuſtrandam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, ad refellendos veterum, recentiumque Hæreticorum errores, ad dijudicandas Theologorum varias opiniones, conferre poſſit, more attamen noſtro conſtanter acturi, gravia videlicet, & Theologo digna ſtudioſe, quantum ingenii noſtri imbecillitas fert, & accurate verſantes, levicula vero atque inutilia aut miſſa facientes, aut extremis, ut ajunt, digitis attingentes. Quoniam vero præcipuum diſputationis hujus caput, quod eſt cæterorum veluti baſis, traduci videlicet per originem in poſteros Adæ culpam, præfracte negarunt olim, negant-

gantque Hæretici multi, negant & noſtræ ætatis Increduli, neque illud armorum eodem genere appetunt, illi revelato Dei verbo, hi naturali ratione, erunt ii nobis ſeparatim pro viribus repellendi, iiſdemque, quibus in hanc veritatem impetum faciunt, armis confodiendi ac profligandi. Cum iis primum congrediemur, qui ſe Deiſtas dicunt, quique divina omni revelatione poſthabita, totos ſe naturalis rationis ductui permiſerunt, & petitis ex ea momentis dogma illud oppugnant.

EXERCITATIO VI.

De originaria noxa adverſus Incredulos divinæ revelationis hoſtes.

I. Nemo e veſtigio non percipit, eoſdem illos, qui ſtatum innocentiæ ſuſtulerunt, contenduntque, nunquam aliam fuiſſe, quam quæ nunc eſt, hominis conditionem, ſibi conſtantes & originarii criminis traductionem pernegare; eſt enim hoc crimen *originalis* innocentiæ jactura. Hinc, quum Blaſius Paſcalis ſuis in Commentationibus hominem ſibi ænigma videri, ſcripſiſſet, reſpondet Voltaire: „ Homo, quemadmodum fingis, ut indulgere divinationibus poſſis, ænigma non eſt. Suum habet homo maxime convenientem in natura locum . . . Eſt in eo, ut in omnibus, quæ videmus, *boni*, *malique*, *voluptatis*, ac *pœnæ* permixtio. Si foret ille perfectus, Deus eſſet: quæ in eo jactantur, contentiones, & domeſticæ pugnæ, ad conſtituendum hominem neceſſario concurrunt; talis enim eſt homo, qualis oportet, ut ſit. Non eſt itaque ænigma. “ Etſi autem ejus Magiſter Pope hominem non ſemel dicat *labyrinthum intricatiſſimum*, *mixtum ex diſſimilibus plane mirandum*, *& problema inenodabile*, eadem tamen tradit de homine, quæ Voltaire; nam docet *imperfectum* illum non eſſe, *nec decere*, *ut perfectiori ſtatu ſit*, *quum talis fuerit a Deo factus*, *qualis eſſe debuerat*. Quamquam horum, eorumque ſimilium impietas iis, quæ 1. par. exercit. *de primo homine* exerc. vi. diſputata ſunt, ſatis revicta fuerit, & refutata, falſis enim iiſdem praviſque principiis & præteritum, & præſentem hominis ſtatum oppugnant; non piget tamen alia addere, quibus hæc illuſtretur veritas, ac confirmetur.

II. Ac primo quidem aptiſſima nobis & plane invicta videntur, quæ laudatus Paſcalis habet ſuis in Comment. *c.* 3., cujus titulus: *Inteſtinis ipſis*, *quæ in homine ſunt*, *diſſidiis veræ religionis neceſſitas demonſtratur*. Lubet, ea latine reddere, quod ad dicenda plurimum lucis ſint allatura. „ Præclara, ait, hominis dignitas, atque miſeriæ adeo ſub ſenſum cadunt, ut vera nos Religio doceat, oporteat, quodpiam in homine eſſe dignitatis principium, quoddam & miſeriarum; naturam etenim noſtram penitus exploratam vera Religio habeat, neceſſe eſt, noritque, quid in nobis ſublime, quidve abjectum, quæ amplitudinis, quæ vilitatis ratio, & unde tanta in nobis, tamque monſtroſa diverſitas. Si unum eſt omnium principium & finis, docere nos illa debet, unum illud colendum a nobis ac diligendum; At quum coli a nobis nequeat, quod ignoramus, nec aliud amare, quam nos, ipſi poſſimus, & hanc ipſam infirmitatem noſtram, & quibus illi ſubveniendum eſt, remedia opus eſt, ut illa nos doceat. Erudiendi ab illa ſumus Deum eſſe, præ omnibus hunc diligendum, nos vere felices, ſi ad eum adhæreſcamus, vere miſeros, ſi fuerimus ab eo ſejuncti, tenebras, quibus obruimur, impedimento eſſe, ne Deum noverimus; & amemus, quumque ab hoc ejus amore prava noſtra cupiditate avocemur, iniquos nos plane eſſe. Ejus eſt, cauſam reddere, cur a Deo, & a bono ipſo noſtro averſi ſimus, mali hujus remedia tradere, atque ea comparandi rationem. Tot, quæ in mundo obtinent, religionum ulla ne præter Chriſtianam docere hæc omnia poteſt? Veteres Philoſophi verum an nobis bonum propoſuerunt? Noſtra ne mala vere curarunt? Ab iis ne adhibita hominis ſuperbiæ curatio, qui illum Deo æqualem eſſe, ſanxerunt? Contra, qui illum beſtiis exæquarunt, & perfectum eis bonum in terrenis voluptatibus conſtituerunt, num ſalutare invenerunt humanæ concupiſcentiæ remedium? . . . . Quid homo itaque? Deone æqualis, an beſtiis? . . . . Quæ nos religio ſuperbiæ ac concupiſcentiæ remedia docebit? . . . En, quæ apud Chriſtianos Dei ſapientia ad hominem habeat: miſeriarum tua-

„ rum fruſtrà in temet ipſo allevamentum
„ quæris, quum id unum noſſe poſſis bo-
„ num, & verum in te non eſſe. Promiſe-
„ rant tibi utrumque Philoſophi; ſed fuit
„ eorum promiſſum fallax; veri enim boni
„ tui, & germanæ tuæ conditionis ignari,
„ qui tuis poterant morbis mederi? Su-
„ perbia præſertim, quæ a Deo te abſtra-
„ hit, & concupiſcentia, quæ terrenis te
„ agglutinat, quum labores, horum mor-
„ borum alterutrum ii in te foverunt,
„ confirmaruntque, a quibus fuiſti vel Deo
„ vel beſtiis exæquatus . . . Ne veritatem
„ ergo ab hominibus, aut allevationem
„ expectes. Quæ te feci, ſola te poſſum
„ docere, qui ſis: At non eo jam ſtatu
„ es, quo fuiſti. Hominem feci ſanctum,
„ innocentem, perfectum, luminis plenum
„ atque intelligentiæ . . . . Procul ab eo
„ tunc aberant craſſæ, in quibus nunc eſt,
„ tenebræ, aberant mortalitas, & miſe-
„ riæ, quibus hodie premitur. Sibi ipſe
„ ſatis eſſe voluit, nec meo egere auxi-
„ lio: meo a dominatu defecit, appetenſ-
„ que mei ſimilis eſſe, & ſe ſolo felix,
„ ſibi relictus eſt. Quæ illi prius ſuberant
„ creatæ res, omnes illi adverſantur, be-
„ ſtiarumque ſimilis factus tam procul abs
„ me abeſt, ut vix reliquam habeat ob-
„ ſcuram Auctoris ſui notionem. Senſus
„ rationis imperio jam non auſcultant,
„ ſæpe contra rationi dominantes, eam ad
„ voluptatum ſtudium pertrahunt, impel-
„ luntque. Omnibus creatis rebus vel af-
„ fligitur vel tentatur, earumque aut vi
„ ſubigitur, aut fallaci ſpecie capitur ac
„ decipitur . . . Noſſe ex his potes, un-
„ de tot illa in te domeſtica ac inteſtina
„ diſſidia, quæ tantam Philoſophis admi-
„ rationem concitarunt, eoſque in tam
„ varias de natura hominis ſententias di-
„ ſtraxerunt. “

Pergit „ ſi nunquam fuiſſet corruptus
„ homo, veritate atque felicitate conſtan-
„ ter ac tuto nunc frueretur: Si nunquam
„ fuiſſet aliter, quam corruptus, nullam
„ haberet veritatis felicitatiſque notionem.
„ Heu tamen nos miſeros! felicitatis ha-
„ bemus ideam, nec obtinere eam poſſu-
„ mus: veritatis imaginem percipimus,
„ nec tamen quidquam præter mendacium
„ habemus: omnino neſcire & certo ſcire
„ non poſſumus. Annon evidens ergo, fuiſ-
„ ſe nos olim eo perfectionis ſtatu, a quo
„ miſere excidimus? . . . Mirum profe-
„ cto, abſque myſterio, quod eſt a cogni-
„ tione noſtra omnium remotiſſimum, abſ-
„ que doctrina ſcilicet de originariæ no-
„ xæ traductione, non poſſe nos ipſos per-
„ ſpectos nobis & notos eſſe! Nam quo
„ magis ratio humana percellitur, quam
„ ſi dicas, culpa primi hominis eos in-
„ fici, qui a primo humani generis paren-
„ te quum plurimum diſtent, nullam vi-
„ dentur habere poſſe criminis ejus com-
„ munionem? Neque ſolum fieri hoc non
„ poſſe videtur, ſed & eſſe iniquiſſimum;
„ Quid enim magis humanæ juſtitiæ le-
„ gibus adverſatur, quam æterno exitio
„ infantem damnare, cui per ætatem quid
„ piam velle non licet, ob crimen, cujus
„ ſane videtur non potuiſſe eſſe particeps,
„ quum ſit illud a ſexies mille annis ad-
„ miſſum? Nihil ſane videtur hac doctri-
„ na magis a ratione abhorrere: abſque ea
„ tamen ipſe ſibi homo ignotus eſt: ex ea
„ tantum conditionis noſtræ enodatio pe-
„ tenda . . . Originale crimen hominibus
„ *ſtultitia* eſt; neque enim illud aſſequi
„ ratio poteſt: *Quod* tamen *ſtultum eſt*
„ *Dei, ſapientius eſt hominibus*; nam abſ-
„ que eo, qui noſſe poterit, quid ſit ho-
„ mo? Ex hac doctrina tota ſtatus ejus
„ cognitio pendet. “

III. Agant jam nunc jurati revelationis hoſtes, & ſolius rationis cultores eximii, hancque, ſi poſſunt, doctrinam diſiiciant, aut infirment. Annon eſt, meridiana luce clarius, quoſdam in nobis eſſe, qui deleri non poſſunt, quos & percipimus, excellentiæ characteres? Nonne peræque certum atque evidens, deplorandæ conditionis noſtræ malis quotidie nos premi? Horrendum hoc chaos, hæcque monſtroſa confuſio quid inculcat, niſi hanc duorum ſtatuum veritatem, felicis, a quo dudum excidimus, miſeri, in quem delapſi ſumus? Rident hæc tamen homines acutiſſimi, & delirare eos ajunt, qui paucis verbis negocium confectum putant, eaque ſumunt ad concludendum, quorum quis nihil conceſſerit; tota hæc enim, quę tanta eſſe, tamque miranda videtur, in homine confuſio, pugna, varietas atque diſſimilitudo, opus naturæ eſt; quum omnes enim eodem hoc ſtatu naſcamur & ſimus, ii ab initio fuerimus neceſſe eſt, qui hodie ſumus, nam natura rerum, & quæ primum conſtitutæ ſunt leges, mutari refigique non poſſunt; eſt demum hic omnium, qui eſſe poſſunt, perfectiſſimus mundus. Hinc Voltaire originariam cul-

pam

Digitized by Google

pam ceu chimericam reiicit, quod ſit homo *neceſſario ex bono & malo* coagmentatus; alioqui perfectus eſſet, ſi autem *perfectus*, *Deus eſſet*. Siccine diſſerunt homines, qui ſoli ſapiunt? Hæcne, quam unice colunt, & in cujus diſciplina totos ſe eſſe, dictitant, ratio patitur? De mundo omnium maxime perfecto quod efferunt, & in quo ſyſtematis ſui arcem ponunt, quantum a recta ratione abhorreat, quam ſit etiam, quod ex naturis rerum, & poſitis a principio legibus petunt, argumentum non imbecillum ſolum ſed & ridiculum, in memorata exercitatione demonſtratum eſt; actum itaque, quod antiquo vetamur adagio, agere nolumus.

IV. Sed & illud, quod additur a Voltaire, quam eſt miſerum, & novi Deiſtarum numinis ſapientiæ indignum! Neceſſe eſt, hominem *ex bono*, *& malo* conſtare: Cur vero? Niſi hæc in eo fuerit boni malique commixtio, *perfectus erit*: quid demum? Quid? *Deus erit*. Nefas. At quæ, amabo, hæc conſecutio? *Perfectum* inter, ac *infinite perfectum*, cujuſmodi Deus omnium conſenſu eſt, nihil ſubtiliſſimus diſputator interiicit? Rem creatam inter aliqua ratione perfectam; & ens omnium ſummum uſquaquaque perfectum nihil interjacet? Unane perfectionis rerum omnium ratio, gradus unus, diſtantia nulla? O præclaros rationis puræ diſcipulos! quam miros, ea magiſtra, proceſſus faciunt! Cæterum non erat, cur Deo Voltaire timeret, nam, etſi perfectus eſſet homo, Deus tamen non eſſet. Itane? Ita ſane; ut enim *Belgicarum literarum* Auctori epiſt. x. ſcite animadverſum eſt, Pope Voltaire Magiſter *Seraph ardentem*, *qui totus amor atque laus eſt*, *perfectum* ponit, quin Deus ſit: „ cur ergo, ait, homo peræque ac Seraph perfectus eſſe non poſſet? Generales mundi leges hujus ne magis, quam illius perfectioni repugnant? Utique: eſſent enim in homine defectus oportuit, ut mundus perfectus eſſet. Id tamen arbitratu tuo ais, quoniam e re tua eſt, habeſque ad elabendum viam. Cæterum & hoc *myſterium* eſt, quod tam capis, quam religionis Chriſtianæ myſteria, quæ repudias, quod capere illa non poſſis. Cur homo imperfectus ſit, tu non percipis: quia autem reipſa imperfectum vides, hujus cauſam *a mundo omnium perfectiſſimo* repetis, quem toties exploſimus, & ridiculum eſſe probavimus. En demum Seraph, auctore Pope, *perfectum* abſque generalium legum, & mundi perfectiſſimi injuria; quum tamen Deus ille non ſit, cur ſi perfectus eſſet homo, Deus foret? Ratione ne etiam, quæ ſola, quavis revelatione poſthabita, audienda eſt, *Seraphin eſſe*, docemur? Dubitas, quum id Anglus affirmet? Poteſtne non ad rationem exactum eſſe, quidquid Anglorum Horatius extulerit? Sed hæc obiter.“

V. Alia mittimus, quibus in eadem epiſtola laudatus Auctor ad liquidum plane deducit, & veluti ſub oculis ponit, magnos hos rationis puræ cultores non rationi ſolum, ſed nec ipſos ſibi conſentire, imo & a ratione, & a ſe manifeſte diſcedere, ædificare, quod deſtruunt, originale crimen, quod noſſe faterique renuunt, non verbis quidem, ſed re ipſa ſtatuere, quod pluribus Pope, & Voltaire teſtimoniis luculenter evincit. Illud arripimus, quod, quum de innocentiæ ſtatu ageremus, ex carmine Pope, quod *ſpecimen hominis* inſcripſit, depromptum late verſavimus, in mundi nimirum exordiis nullum fuiſſe morbum, laborem nullum, nullum animi angorem &c. patuiſſe autem his malis, quibus totum humanum genus miſerrime afficitur, in mundum aditum, quum primum animantium, quibuſcum amice vivebat, carnes edere homo cæpit; *naturalis* enim ejus *temperatio tota corrupta* fuit, *eruperuntque certatim* ex eorum ſanguine cum humano in venis permixto *febris*, *dolor*, *malorum caterva*, *& vehementi extranei illius ſanguinis impetu inflammatæ*, velut ſubditis ignibus, *hominis cupiditates furioſe efferbuerunt*. Non ea huc revocabimus, quæ loc. cit. in hoc Pope commentum animadvertimus; ſed jam ſunt nobis amice rogandi, quibus hæc mirifice placent, atque probantur, ut velint illa, quam tantopere extollunt, & perquam ſtudioſe aſſectari ſe jactitant, ratione uti, eaque lumen præferente decernere, an Pope ſit auſcultandum, an Moſi, malorumque, quibus univerſum humanum genus obnoxium eſt, ea ſtatuenda origo, quam Pope excogitavit, an ea potius, quam Moſes in literas retulit, primi ſcilicet parentis culpa in cunctos ejus poſteros generatione transfuſa.

VI. Qui immodicum cupiditatum fervorem atque concitationem, morbos, & mor-

mortem a ſanguinis animantium eſu repetit, Pope quem habet Auctorem? quo teſte dicto huic ſuo facere poteſt fidem? Tantorum malorum cauſam hanc ſolo ſuo marte commentus eſt, voluitque novitius homo ſola fingendi libidine notus audiri præ Moſe, quem non Hebræi Chriſtianique ſolum, ſed & Ethnici magna ſemper in laude habuerunt. Non ejus ſummam, quam divinus illi afflatus conciliat, auctoritatem urgebimus, quam impie rident jurati revelationis hoſtes, etſi illam Chriſtiani, Hebræique omnes venerati perpetuo, eximieque ſint: quoniam caput hoc argumentis e ratione petitis tranſigere cogimur, Moſen auctorem ac teſtem omni, ut ajunt, exceptione majorem, fideque digniſſimum excitamus, cujus ſolius narrationi ſtandum eſſe, exerc. 1. *de opere ſex dierum*, copioſe, nec infeliciter, ut puto, confecimus, quod ſit ille Scriptorum omnium ut certe antiquiſſimus, ita & veraciſſimus. Quid autem Moſes? Num aſſinia commentis Pope? Etſi Gen. 1. ſcribat, *dediſſe Deum* hominibus mox a ſe formatis *omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui*, ut eſſent eis *in eſcam*, expreſſe tamen & abſolute carnium eſu non eis interdixiſſe, compertum eſt; quare probabiliter multi ſentiunt, & ante cataclyſmum conſueviſſe homines carnibus animantium veſci, quorum uſum poſt cataclyſmum Deus ipſe probavit, quum Noe ejuſque filiis benedicens ait: *Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*. Fac itaque plurimos hominum, imo & pleroſque animantium carnibus ante cataclyſmum ad cibum uſos eſſe, quod non eſſet earum eſus a Deo expreſſe vetitus, omnibus tamen eas in cibum ceſſiſſe, numquam demonſtrare poterit Pope, imo rationi maxime conſentaneum eſt arbitrari, religioſiores, quos *Filios Dei* Moſes appellat, poſteros videlicet Seth Deum timentes, ab earum eſu abſtinuiſſe, ſimpliciori illo, magiſque naturali cibo contentos, herbis nimirum ac terræ fructibus, quem Deus primum iis aperte attribuerat, quod confirmant & Diodorus Siculus l. 1., & Plato in Polit., & Dicæarchus Peripateticus citatus tum Porphirio lib. 4. *de non eſu animalium*, tum, quoad ſenſum, Varroni *de re ruſtica*, quorum teſtimonia recitat Hugo Grotius *l. 1. de verit. Relig. Chriſt.* §. XVI. *not.* 33. Omnes tamen omnino mortui ſunt: delirat itaque, qui carnium animantium eſum mortis cæterorumque humani generis malorum originem ſtatuit.

VII. Rurſum: Quum Pope ſcribat, poſtquam carnes edere cæpit homo, naturalem ejus temperationem totam fuiſſe vitiatam, atque ex animantium cruore cum humano in venis permixto febrim, dolorem, malorumque agmen certatim erupiſſe, hominumque cupiditates extranei illius ſanguinis admixtione, atque æſtu vehementiſſime inflammatas, neceſſario conſequitur, eos, qui divino, quod mox laudavimus, interdicto parentes, *carnem cum ſanguine non comedetis*, ab hujuſmodi cibo ſibi religioſiſſime, & perpetuo temperarunt, futuros fuiſſe horum malorum expertes, nec morti obnoxios; nihil enim Philoſophis magis ratum, quam remota cauſa & effectum removeri: quare, ſi tota atque una tot calamitatum cauſa, auctore Pope, carnis & ſanguinis animantium eſus eſt, nuntium rationi remiſerit, oportet, qui & ad illos derivare hæc incommoda velit, qui ab horum cauſa omnino ſe integros conſervarint. Quot autem a violando interdicto hoc, ideoque ab hac malorum noſtrorum, ut Pope placet, cauſa ſibi caverunt hactenus, caventque diligentiſſime? Ut innumeros alios mittam, exploratiſſimum eſt, univerſam Hebræorum gentem fuiſſe olim, atque eſſe adhuc interdicti hujus retinentiſſimam. Immortales ne vero Judæi, & a communibus humani generis malis immunes? Nihil eſt itaque hoc Pope commento vanius ac futilius.

VIII. Quod ſi reponat ille, factam eſſe hanc humani temperamenti corruptionem, ac tum primum cæpiſſe deplorandam hanc malorum iliadem, quum primi homines, a quibus cæteri ſati ſunt, animantium carnibus & ſanguine veſci cæperunt; facta enim optimæ temperationis jactura, inductaque moriendi, & quæ mortalitatis adjuncta ſunt, experiendi neceſſitate, mortales ipſi & ærumnoſi quid niſi ſimiles gignerent? Quare etſi poſteri non fuerint in bruta animantia *immites*, neque ſibi ex eorum carnibus & cruore eſcas pararint, non poterant tamen, non his ærumnis atque morti ſubeſſe, parentibus genitis, qui facto optimæ temperationis da-

Digitized by Google

damno, in quam ipſi inciderant, naturæ corruptionem non poterant in prolem non transfundere, ſi id, inquam, reponat, (neque enim reponere aliud poteſt, quo ſuperioris argumenti vim declinet) in laqueos ipſe ſe induit, ex quibus expedire ſe, nulla ratione poterit. Ratio enim ſciſcit, Scriptori, ut omnium conſenſu antiquiſſimo, ita ſolis impiis, & cujuſque religionis expertibus ſine idonea ulla cauſa ſuſpecto, cui mundi hiſtoriam perſequenti præſto aderat conſtans in gente ſua, (quod exerc. 1. *de opere &c.* demonſtratum) nec interrupta traditio narrationis ſuæ vas & confirmatrix, credendum potius, quam Poetæ, qui, præterquam quod ab eo, de quo ſcribit, tempore remotiſſimus eſt, non aliud ad manum habet, quo dicti ſui vanitatem ſuſtentet, monumentum, quam incredibilem fingendi licentiam; Moſes autem corruptionis hujus malorumque noſtrorum cauſam ligni a Deo vetiti, non carnis animantium, eſum ponit: Dubitare itaque ſolus excors poteſt, quin ſit adjungenda Moſi præ Pope fides: Qui vero credit, quam primis hominibus uſus carnium & ſanguinis animantium attulit, corruptionem atque perniciem, & ad poſteros, tametſi nihil hujus unquam generis ederint, potuiſſe traduci, qui jam negare abſque rationis injuria poteſt primi parentis noxam, hujuſque noxæ pœnam potuiſſe & ad poſteros, quamquam in fructus interdicti eſum ſua non conſenſerint voluntate, per originem permanare? Agant qui Pope admirantur, probantque, atque animum, quem totum ſe habere gloriantur rationi devotum, & in veritatem intentum, parumper advertant. Quod ille effert, commenticium certiſſime eſt; primus eum & ſolus ſine auctore, ſine teſte, quod ſibi in mentem venit, enuntiat: quod Moſes narrat, credibiliſſimum eſſe perſuadet ejuſdem & ſumma antiquitas, & tam probata veracitas, ut hæc ejus narratio non apud Hebræos, Chriſtianoſque ſolum, ſed & apud Ethnicorum præcipuos, Chalcidium in primis Platonicum ad Timæum, cujus teſtimonium alibi deſcripſimus, fidem habuerit: Qui ergo in Pope commento conquieſcunt, videnturque ſibi, in eo veram malorum noſtrorum originem deprehendiſſe, atque perſuaſum habent, quam primi homines carnibus & ſanguine animantium paſti fecerunt optimæ temperationis jacturam, quamque paſſi ſunt, totius naturæ cladem in prolem &c. generatione transfuſam, ii ne rationi auſcultant, ratione ne agunt, Moſi fidem abrogantes, ac pugnaciſſime contendentes, non potuiſſe, quod ille memorat, primi parentis crimen, & deploranda ejus conſectaria ad poſteros per originem derivari?

IX. Sed necdum ſatis inſanum hoc Pope commentum exagitatum. Si tam fuit primis hominibus, eorumque poſteris carnium & ſanguinis animantium eſus ille exitioſus, malus ille fuerit, neceſſe eſt, qui fuit tantorum malorum cauſa; nec dubitare ſinit Pope ipſe, qui, ut in exercit. de ſtatu innocentiæ jam diximus, eodem in carmine ſcribit, poſtquam cæpit homo *in ſuos iniquus, & in animalia crudelis* eſſe, excidiſſe illum ab innocentiæ ſtatu, & horum malorum neceſſitatem ſibi ſuiſque aſciviſſe. Hæc ergo *crudelitas*, qua animantibus necem intulit, ut eorum carnibus & ſanguine veſceretur, vacare culpa non potuit, quæ eodem a Pope loco habetur, ac *iniquitas in ſuos*, & peræque ac illa malorum humani generis cauſa ſtatuitur. At Sapientum omnium conſenſu præjudicatum eſt, nihil *moraliter*, ut ajunt, malum eſſe, niſi aut ſuapte, ſeu, ut loquuntur, *intrinſece*, aut quia vetitum. Interdicti, quo vetarentur homines animalia mactare, parareque ſibi ex eorum carnibus eſcas, veſtigium nullum. Malus ergo ſuapte natura fuerit, oportet, eſus hic, qui hominem a felici innocentiæ ſtatu dejecit, & ærumnoſum fecit, atque mortale. Fertne vero recta ratio, quidpiam ejuſmodi abſque ſumma Dei optimi injuria cogitari? Probare ne ille poteſt, quod *intrinſece* malum eſt, ejuſque auctor atque impulſor eſſe? Id vero concoquatur, neceſſe eſt, ſi eſus iſte fuerit natura malus; Deum enim ſic Noe, ejuſque filiis benedixiſſe, memorat Moſes: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, cum univerſis, quæ moventur ſuper terram, omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, & omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Hæc Scriptoris omnium vetuſtiſſimi ſunt, qui vocari in erroris aut mendacii ſuſpicionem nequit, niſi temere & iniquiſſime. Quid ergo? Neque vetitus eſt eſus iſte, neque

natura ſua malus, deſipuitque Pope, qui ei perinde, ac *iniquitati in ſuos* ſtatus innocentiæ jacturam, eamque conſecutas hominis ærumnas, immodicum cupiditatum æſtum, atque mortem adſcripſit.

X. Quum ſint itaque, quæ Pope ſcripſit, non Philoſophi diſſerentis judicia, ſed delirantis ſomnia, quis non vehementer miretur, his maximos excitari plauſus, hæc ab iis in deliciis haberi, quorum, ſi Superis placet, eſt omnium acerrimum judicium, & guſtus exquiſitiſſimus, faſtidiri vero, imo & palam aperteque reiici, quæ Moſes habet, etſi nec ullus ſit Scriptor eo vetuſtior, propius iccirco ad rei geſtæ tempus accedens, nec qui minus falſi ſuſpicione laborare poſſit, quod iis in memorata exercit. 1. *de opere ſex dierum* videmur nobis momentis eviciſſe, ut nihil ad ea, niſi cavillando ac ineptiendo, reponi poſſit? Hujus autem veracitate ſatis ibidem aſſerta, multa nobis ejus narratio ſuppeditat, quibus originariæ noxæ traductionem probemus, quæ tamen infra opportunius verſanda reiicimus, quum de morte & concupiſcentia erit ſermo, quæ originariæ noxæ funeſta conſectaria, ac pœnas eſſe, profitentur Catholici, pernegant vero, præter Deiſtas, Hæretici bene multi. Argumenta quoque e naturali ratione petita, quibus cum Increduli, tum veteres recenteſque Pelagiani veritatem hanc appetunt, ſuo quæque loco pro viribus diſſolvemus.

EXERCITATIO VII.

De eadem originaria culpa adverſus Pelagianos in Socinianis, aliiſque noſtræ ætatis Hæreticis redivivos.

I. QUantam a nobis operam exigat accurata hujus capitis pertractatio, nullo negotio intelligent, qui norint, Auguſtinum, eximium illum Chriſtianæ fidei pugilem, qui de originali peccato, & medicinali Servatoris gratia graviſſimas ac diuturnas adverſus plures Eccleſiæ hoſtes concertationes habuit, in dogmate hoc religionis noſtræ fundamentum locaſſe, quo ſubverſo univerſam Chriſtianæ fidei molem concidere neceſſe ſit: „ Quiſquis, ſcribit ille *lib.* 1. *contr. Julianum c.* 6., in chriſtiana fide vult labefactare, quod ſcriptum eſt, *per hominem mors*, totum, quod in Chriſtum credimus, auferre molitur: “ *& in l. de peccato origin. c.* 24. „ In horum ergo duorum hominum, Adæ ſcilicet & Chriſti, Adæ, a quo omnes damnati, & Chriſti, a quo omnes redempti ſumus, cauſa proprie fides chriſtiana conſiſtit. “ Qui vero duorum horumce hominum, Adæ & Chriſti, graviſſimam cauſam profligare, qui fundamentum iſtud *auferre* moliti ſunt? Quoniam conducibile plerumque eſt, hoſtes veluti de facie noſſe, cum quibus conferendæ ſunt manus, præcipuos oculis ſubiiciemus, qui tantum malum Chriſtianæ religioni importare conati ſunt. Licet autem, quotquot duas homini animas, bonam alteram, quæ a bono, malam alteram, quæ a malo principio eſſet, attribuerunt, ut Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi &c. ii quoque, qui omnes animas ſimul diu ante corpus creatas, & propter admiſſa, dum corpore ſolutæ eſſent, ſcelera in corpus poſtmodum velut in carcerem truſas commenti ſunt, peccatum originale ſuſtulerint, non ſunt tamen inter veritatis hujus hoſtes proprie numerandi, quod eam non directe oppugnarint, ſed oblique ſolum, &, ut ajunt, conſequenter exploſerint.

II. Primus itaque, qui hoc Chriſtianæ fidei fundamentum ſubvertere molitus eſt, Ruffinus Presbiter quarto Eccleſiæ ſæculo fertur, ut ex actis Carthaginienſis Concilii adverſus Cæleſtium habiti a D. Auguſtino laudatis, & ex Mario Mercatore *in Commonitorio adverſus hæreſes* colligere quiſque poteſt. Quis vero Ruffinus hic Presbiter? Num Aquilejenſis ille acerrimus Origenis defenſor, qui Hieronymi, quem irritarat, ſcriptis exagitatus acerbe fuit? An alter natione Syrus, cujus idem Marius Mercator meminit? Quum Ruffinum, qui primus veritati huic bellum intulit, & Pelagium in errorem induxit, *origine Syrum* Marius Mercator dixerit, fecit ejus auctoritas, ut Garnerius doctiſſimus e Congregat. S. Mauri Monachus Ruffinum, qui Pelagio præivit, hujuſque erroris auctor fuit, ab Aquilejenſi diſcreverit, a quo Pelagianæ hæreſeos notam abſtergere niſus eſt. Natali Alexandro contra, Berti, aliiſque pluribus perſuaſum eſt, Ruffinum Pelagii Magiſtrum, & impulſorem eundem illum eſſe Aquilejenſem Presbiterum, qui ob immodicum Origenis amorem, ſuſceptamque defenſionem tantam ſibi in Oriente primum, exin

in

Digitized by Google

in Occidente conflavit invidiam. Quid vero ſi primum erroris hujus artificem Ruffinum Marius Mercator natione Syrum appellat? Pervulgatum eſt, uſuque receptum, non a natali ſolo tantum, ſed & ab incolatus, ſeu diuturnæ habitationis loco homines appellari: ſic Chriſtus Bethleemi licet in Judæa in lucem editus, Nazaræus tamen frequentiſſime in Evangelio dictus legitur, quod Nazarethi in Galilæa altus eductuſque diuturnam ibi duxerit moram: ſic & Fauſtus Rejenſis Epiſcopus natione Gallus dictus eſt, quod, tametſi in Britannia ſeu in Anglia natus multos vitæ annos in Galliis tranſegiſſet. Par eſt, idem credere de Ruffino, eum nempe natione Syrum a Mario Mercatore appellatum, quod annos ſeptem & viginti in Syria & Paleſtina hæſiſſet, quamquam obſcurum aliquod Aquilejenſis Diœceſeos oppidum fuerit ejus natale ſolum. Momenta ſane, quibus Card. Noriſius, Pagius, Huetius, Nat. Alexander, aliique probant, Ruffinum hunc alium non eſſe a celebri Origenis Interprete ac Patrono, ea nobis videntur, ut in eorum ſententiam facile nos traducant: ea tamen huc non conferimus, quod hujus loci non ſint.

III. Ruffini errorem adoptavit Pelagius, cujus patria, inſtitutum, erroreſque notiora ſunt, quam ut in iis commemorandis hærendum ſit: Eundem acriter propugnarunt, latiuſque propagare, niſi ſunt Cæleſtius, & Julianus, quorum ſunt gens, profeſſio, ac mores pervulgatiſſimi. In eodem hæſiſſe luto Theodorum Mopſueſtenum, & quinque adverſus S. Auguſtinum editis libris id ſibi ſumſiſſe probandum, Adamum peccando factum non eſſe mortalem, nec Dei Verbum naturæ noſtræ iniviſſe conſortium, originariæ noxæ delendæ gratia, teſtes ſunt Marius Mercator & Photius. Ferme extinctum errorem hunc ab inferis revocaſſe circa ſeptimi ſæculi medietatem feruntur Armeni, & paulo ab octavi initiis Albanenſes, pro quo pugnaciter tertiodecimo ſæculo peſtilentiſſimos ſtetiſſe Albigenſes, nemini mirum accidet, quum eſſent ii Manichæorum ſurculus. Eodem imbuti perhibentur errore ſæculo quartodecimo Beguinæ & Beguardi, hoſque omnes, quos memoravimus veritati huic infeſtos, in veterum Hæreticorum cenſum conferimus. Eorum vero, quos uſus obtinuit, *Novatores* dici, primus errorem iſtum ſextodecimo ſæculo recoxiſſe dicitur Hulricus Zuinglius Sacramentariorum parens, quem ſub idem ferme tempus excepit Joannes Veſtphalus Lutheranus. At quum in Socinianos veterum omnium errorum perniciosa colluvies velut in ſentinam confluxerit, quis miretur, & hunc toties ab Eccleſia proſcriptum, & perpetua fidelium omnium execratione damnatum, arreptum ab eis fuiſſe avidiſſime, & in tot illis, in quibus peſtes hæ noſtra etiam ætate impune graſſantur, regionibus pertinaciſſime retineri? Adverſus hos omnes, veteres ac recentes, Chriſtianæ fidei everſores graviſſimum hoc Chriſtianæ doctrinæ caput omni argumentorum genere, ſacrarum videlicet utriuſque fœderis literarum teſtimoniis, & theologicis demonſtrationibus conſtabilire, & Adverſariorum ſophiſmata diſpellere, pro viribus ſatagemus. Erimus quidem in hoc exequendo paulo prolixiores, citra vitium tamen; pro hujus enim argumenti dignitate, atque neceſſitate nunquam ſatis.

IV. In ejus autem confirmationem propoſitum nobis eſt, ea ſolum divini eloquii loca conferre, quæ aut veritatem hanc perſpicua ipſa verborum ſerie præſeferant, aut ex quibus neceſſaria ac legitima conſecutione ducatur, iis prætermiſſis, quæ, etſi fuerint a priſcis Eccleſiæ Magiſtris adverſus Pelagianos intorta, minus tamen idonea, minuſque firma videntur, quam ut iis effici poſſit, quod volumus, quum nec Inter Catholicos ipſos de eorum efficacitate conveniat. Licet ergo Auguſtinus non uno ſuorum operum loco illud urgeat, quod Gen. 17. Legitur: *maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*, atque inde colligat, parvulis, qui non fuiſſent ab originaria noxa circumciſionis ſacramento expiati, paratam æternam mortem, ab eo tamen ſatius ducimus abſtinere, quod non Hovatorum doctiſſimi ſolum Joannes Gerardus Voſſius, & Hugo Grotius variis, iiſque non ineptis exceptionibus teſtimonii hujus efficacitatem infirment, ſed & Catholicorum Theologorum complures extra Sanctorum Auguſtini & Thomæ Scholam etiamnum innoxie ſentiant, doceantque, non eo inſtitutam a Deo circumciſionem, ut originariæ culpæ remedium eſſet, ſed ut ea ceu ſigno populus Iſrael ab alienigenis ſecerneretur: pueros propterea, qui abſque

abſque circumciſionis ſignaculo tunc obiiſſent, in æternum non fuiſſe tradendos interitum!, modo eis alio Sacramento fidei, quod in lege naturæ in uſu erat, opportuna fuiſſet Parentum cura ſubventum. Exertis quidem lacertis P. Berti Piſanus Anteceſſor pro hujus teſtimonii robore, proque Auguſtini gloria, qui omnium primus ad confirmandam originarii criminis transfuſionem illud adverſus Pelagianos non ſemel contulit, velut pro aris focisque decertat: Cæterum quid eo confici adverſus Socinianos ſolide poſſit, plane non video, ab eo enim ſe expedire homines acutiſſimi & captioſiſſimi nullo negotio poſſunt, atque reponere, diſſentire & Romanenſes ipſos de legitimo hujus teſtimonii ſenſu, nec a Romana Eccleſia Theologos illos neque paucos neque obſcuros, qui verbo, libriſque editis palam, conſtanterque propugnant, non præſcriptam a Deo Iſraelitis circumciſionem ad abolendam originariam noxam, ſed tantum ad internoſcendos ab aliis quibusque gentibus Abrahæ poſteros, ulla cenſura perſtringi, quod argumento eſt, firmiter Eccleſiam ipſam non habere perſuaſum, veritatem, de qua agimus, eo in loco certe & perſpicue contineri, aut inde neceſſario concludi.

V. Quoniam autem in exercitatione hac ſola urgere volumus veteris inſtrumenti teſtimonia, iis videmur nobis felicius pugnaturi, quæ verſat D. Thomas l. 4. conr. Gent. c. 50. Primum petit ex c. Job 14.: *Quis poteſt, facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu, qui ſolus eſt?* quæ verba cum ſuperioribus conferens Angelicus ita diſſerit: " Ex quo manifeſte „ accipi poteſt, quod ex immunditia hu„ mani ſeminis aliqua immunditia ad ho„ minem ex ſemine conceptum perveniat, „ quod oportet intelligi de immunditia „ peccati, pro qua ſola homo in judicium „ deducitur; præmiſerat enim: *& dignum* „ *ducis, ſuper hujuſcemodi aperire oculos* „ *tuos, & adducere eum tecum in judi*„ *cium?* Sic igitur aliquod peccatum eſt, „ quod homo contrahit ab ipſa ſui origi„ ne, quod originale dicitur." Duo in hoc teſtimonio ſunt, quibus originariæ noxæ traductio in omnes Adæ poſteros efficaciſſime demonſtratur; de ſordibus enim hic ſermo eſt, quæ homini *de immundo ſemine concepto* ab ipſo ortu adhærentes elui a nullo poſſunt, niſi a Deo ſolo, qui & propter eas hominem *ſuum in judicium adducit*; quæ porro hæ turpes adeo atque funeſtæ ſordes? Num naturales, & quæ ſoli corpori labem afferunt? Ita quidem *Fratres Poloni* e teterrimo Socinianorum grege contendunt, qui Jobum de puerulorum ſordibus agere hoc loco ſanciunt, quibus faſcias pannoſque inquinant. Vah putidiſſimos ac inſaniſſimos nugatores! Haſne, quas nutriculæ ac ancillulæ quotidie facillimeque abſtergunt, *ſolus Deus* eluere ſordes poteſt? *Super hujuſmodi oculos* Deus *aperit*, ſuoſque judicio infantulos propterea obnoxios habet? Quid eſt, Scripturas ſacras palam ludibrio habere, ſi hoc non eſt? De ſpirituali itaque immunditia Jobo ſermo eſt, quam ſolus eluere Deus poteſt, quemadmodum ſexcenta utriuſque divini fœderis teſtimonia confirmant, & quæ ſolæ hominem apud Deum Judicem reum habent. At quæ eſſe ſpiritualis hæc immunditia poteſt, quæ animum cujuſque hominis naſcentis inficit? Non illam ipſe ſibi ſua voluntate conſcivit, qui expeditum rationis & arbitrii uſum necdum habet: Eam itaque *ex immundo ſemine*, non ſua culpa contrahit, ſed aliena, quatenus, vitiatæ radicis vitiatus ſurculus oritur, primique parentis crimen ad eum per originem derivatur.

VI. Digniſſima porro eſt, quæ expendatur, præclara Franciſci Sylveſtri, qui libros D. Thomæ ſuis Commentariis illuſtravit, quemque Jo. Baptiſta Egnatius *poſt Cardinalem Cajetanum cæterorum facile principem, cum doctrina, tum vitæ ſanctimonia*, appellat, in hoc Jobi teſtimonium, ductumque inde a D. Thoma argumentum gloſſa: „ Semen, ait, in ſe „ ipſo quandam immunditiam habet, pro„ pter quod inquit S. Thomas, ex ipſius „ immunditia ad hominem ex ipſo con„ ceptum aliquam immunditiam pervenire: „ Iſta autem immunditia ſeminis non ha„ bet rationem culpæ, quum ſemen ſub„ jectum culpæ eſſe non poſſit, ſed cujuſ„ dam defectus naturalis: Sic enim Adam „ erat a Deo inſtitutus cum originali ju„ ſtitia, ut poſſet, eam per ſeminalem „ propagationem in alios transfundere, & „ per conſequens debebat in ejus ſemine „ eſſe inſtrumentalis virtus originalis ju„ ſtitiæ cauſativa. Per peccatum autem „ ſicut Adam privatus eſt virtute ſuper„ naturali productiva juſtitiæ originalis, „ ita & ſemen ejus tali virtute privatum „ eſt, & remanet cum ſola naturali virtute „ ſibi·

Digitized by Google

„ ſibi ex principiis naturæ conveniente.
„ Defectus ergo talis virtutis ſupernatu-
„ ralis debitæ haberi, conſiderata prima
„ hominis inſlitutione, dicitur ſeminis im-
„ munditia, ex qua provenit defective
„ immunditia in hominem ex eo conce-
„ ptum, ſicut ex aliquo defectu virtutis
„ in ſemine hominis leproſi contingit de-
„ fectus lepræ in prole, ut dicitur 2. *ſent.*
„ *diſt.* 30. *q.* 1. *ar.* 2. *ad* 4. Unde quum
„ inquit S. Thomas, oportere intelligi de
„ immunditia peccati, quum dicitur, quod
„ ex immunditia humani ſeminis aliqua
„ immunditia ad hominem ex eo conce-
„ ptum pervenit, hoc referendum eſt ad
„ immunditiam hominis concepti, non
„ autem ad ſeminis immunditiam &c. “

VIII. Cæterum quum laudata Jobi verba aliter Septuaginta reddiderint ac Latinus Interpres, legerintque: *Quis enim mundus a ſorde? Nec unus, ſi & una dies vitæ ejus in terra*, oſtendendum, græca hac translatione multo clarius effici, quod molimur; De ſordibus enim agitur, quas auferre ſolus Deus poteſt: corporis ergo non ſunt, ſed animi. At ſi ab his nullus vacuus atque purus, nec ſi *una dies vitæ ejus in terra*, ideſt nec infans ab utero recens, nonne evidens eſt, ſpirituales has ſordes ab omnibus naſcendo contrahi, priuſquam ſua ſe voluntate vitiare ac inficere quiſpiam poſſit? Quæ ergo iſtæ, niſi originalis illa culpa, quam in omnes ab Adamo carnaliter procreatos tranſire, Catholica Eccleſia perpetuo docuit, atque docet?

VIII. Ad idem hoc confirmandum illud loco mox laudato ſumit Angelicus, quod Pſal. 50. ajebat David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea* „ quod non
„ poteſt intelligi, ſubdit, de peccato actua-
„ li, quum David ex legitimo matrimo-
„ nio conceptus, & natus dicatur:
„ oportet igitur, ut hoc ad peccatum ori-
„ ginale referatur. “ Idem jam fuerat & Auguſtino animadverſum, qui hæc Davidis verba in Pelagianos validiſſime torquens ait: *Numquid David de adulterio natus erat de Jeſſe Viro juſto, & conjuge ipſius? Quid eſt, quod ſe dicit in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adamo?* Quis autem morari velit Armenos Hæreticos, qui ex his Davidis verbis anſam arripuerunt effutiendi, Davidem ex ſcorto natum? Otio redundet, oportet, qui velit, nugaciſſimos homines ſerio refutare, quos non puduit, ſola fingendi libidine glorioſſimi Regis natalibus turpem hanc labem inurere. Quid autem veteres Pelagiani, ut teſtimonii hujus efficacitatem labefactarent? Negarunt, de originali crimine a Davide verba fieri: Cur vero? Quia David plurali numero ſe *in peccatis* ait, ac *iniquitatibus* fuiſſe conceptum: De originaria ergo noxa, quæ in omnes homines transfundi, communiter perhibetur, ille non loquitur, hæc enim una eſt, atque una ad poſteros Adæ traduci, fertur. At Hebraica veritas, cui Chaldaica, Syriaca, & Arabica translationes concinunt, habet: *Ecce in iniquitate formatus ſum, & in peccato calefecit me mater mea*. Nullum itaque Pelagiani effugium habent. Fac tamen, retinendam Interpretis latini lectionem: Quid tum inde? Reſpondet egregie D. Thomas, cui Catholici quique conſentiunt, 1. 2. *q.* 82. *ar.* 2. *ad* 1. „ pluraliter dici *in iniquita-*
„ *tibus*, *& in peccatis* ſecundum divinæ
„ Scripturæ morem, in qua frequenter
„ pluralis numerus pro ſingulari numero
„ ponitur, ut Math. 2. *Defuncti ſunt*
„ *enim, qui quærebant animam pueri*, li-
„ cet ab Herode ſolo infantulum Jeſum
„ ad necem quæſitum fuiſſe legamus,
„ quod innumeris aliis confirmari poſſet
„ exemplis: Vel quia in originali pecca-
„ to actualia & perſonalia omnia pecca-
„ ta tamquam in venenato principio præ-
„ exiſtunt, idcoque, licet ſit unum nu-
„ mero, eſt tamen virtute multiplex, ra-
„ tione videlicet fomitis, ſive inordinatæ
„ concupiſcentiæ, e qua velut ex infecta
„ radice omnia peccata oriuntur: Vel
„ quia in primi parentis peccato, quod
„ per originem traducitur, plures defor-
„ mitates fuerunt, ſuperbiæ ſcilicet, in-
„ obedientiæ, gulæ &c. Vel quia multæ
„ animæ vires, ſeu potentiæ originali
„ peccato inficiuntur, “ quemadmodum declaraturi infra ſumus, quum ad *ſubjectum* originalis peccati ſermo deductus fuerit. Ad conterendam hanc Pelagianorum cavillationem Auguſtinus multiplicem primi peccati Adæ malitiam, quam D. Thomas tertio loco attigit, *in Enchir. c.* 46. tantum expendit, ajens: *Neque hic dixit, in iniquitate vel peccato, quum & hoc recte dici poſſet, ſed iniquitates & peccata dicere maluit, quia & in illo uno, quod & in omnes homines pertranſit, reperiuntur, ſicut ſupra diſſerui, multa peccata.*

IX.

IX. Quidpiam ne vero melius nequiſſimi veterum errorum collectores atque inſtauratores, Sociniani, qui & eos gloriantur novis a ſe firmioribuſque momentis conſtabilitos? Hujus, quod mox refellimus, veterum Pelagianorum futilitate perſpecta, novam commenti ſunt laudati verſiculi interpretationem, Davidem nimirum ad perpetrata ab ſe, poſtquam regnum obtinuerat, delicta digitum intendiſſe, quorum eo in Pſalmo a Domino veniam petit. Quid tamen hac exceptione vanius? quid non ab omni veri ſpecie ſolum, ſed & a communi hominum ſenſu magis abhorrens? Quæ amabo, a Davide jam Rege admiſſorum ſcelerum cum ejus conceptu connexio? Ulline, qui vecors plane non fuerit, in mentem venire poteſt, ſignificare iis verbis Davidem voluiſſe, ſe in adulterio cum ea, *quæ fuit Uriæ*, fuiſſe conceptum, & in ejuſdem Uriæ iniquiſſima cæde, aliiſque a ſe regnum jam moderante patratis criminibus procreatum a matre fuiſſe? Quid conceptui in matris utero cum iniquitatibus, quas inter, & Davidis ſatum luſtra decem, aut duodecim interfluxerunt? Nonne hæc hominum ſunt uſque adeo averſorum a vero, ac in errore affirmatorum, ut inſanire malint, quam veritati univerſim ſemperque creditæ manus dare?

X. Verum, quum exploratum omnibus ſit, Pſalmum quinquageſimum editum a Davide tum fuiſſe, quum a Nathan Propheta de admiſſis ſceleribus objurgatus, ſeque graviter peccaſſe intelligens, Deum precatus eſt, ut ſibi ignoſceret, quorſum in Pſalmo, qui totus ad poſtulandam actualium peccatorum veniam adornatus eſt, originariæ noxæ mentio iniicitur? Quid culpæ huic cum iis, quas David haud ita pridem prudens ſcienſque, propria voluntate, patrarat, & quarum obtinendæ a Deo veniæ gratia Pſalmum illum compoſuit? Illud conſtanter tenendum, indicare eo loci Davidem peccatum quoddam, quo fuerit ipſe a conceptu ſuo pollutus; clariora enim ſunt ejus verba, quam ut non deſertus a mente addubitare in iis poſſit: quare quum neque ex adulterio, neque ex ſcorto ſatus ille fuerit, profecto non in actuali aliquo parentum ſuorum delicto, ſed in communi illa labe, quæ ab ipſo ortu omnibus Adæ filiis adhæret, conceptus & ille fuit. Cur ergo in Pſalmo, quem ad flenda, ac expianda, quæ ipſe admiſerat, ſcelera meditato compoſuit, originalis peccati meminit? Dicam probabiliter, multaque cum veri ſimilitudine, vehementi ſcelerum ſuorum dolore affectum protuliſſe illum ac excuſſiſſe cauſas varias, quibus & ad pœnitendum magis ipſe ſe excitaret, & Deum ad ignoſcendum veluti permoveret, ac flecteret. Veniam primo a Domino poſtulat per miſericordiam ejus magnam, per miſerationum ejus, quarum non eſt numerus, multitudinem. Delicti fœditatem intelligens dolet, ſe Deo *ſoli* peccaſſe, ſeu ut Patrum plerique explicant, in Patrem Optimum atque Beneficentiſſimum, in ſummum Dominum, in bonorum omnium auctorem largitoremque ſe deliquiſſe, nec ejus præſentiam veritum malum coram eo feciſſe. Exin funeſtam criminum ſuorum radicem aperit, concupiſcentiæ nimirum fomitem, quam *in iniquitate*, ſeu in originali peccato conceptus naſcendo contraxerat, cujus in ordinatis praviſque motibus voluntate poſtmodum ipſe ſua obſecundans, in tam fœda flagitia ſeſe præcipitem dederat. Majorem deinde peccati ſui gravitatem repetit a beneficiis, quæ in ſe Deus poſuerat ampliora, a prophetico ſcilicet lumine, quod ſibi prætulerat, ac incerta ſive futura, & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtarat. Quum itaque a concupiſcentiæ fomite, qui originariæ noxæ conſectarium eſt & ſupplicium, hominum peccata omnia originem ducant, jam non eſt, cur quiſpiam miretur, commemoratam a Davide originariam culpam malorum omnium cauſam & fontem, eo in Pſalmo, in quo Deum enixe rogat atque obſecrat, ut ſua ſibi delicta condonet.

EXERCITATIO VIII.

Eadem veritas locupletiſſimis novi inſtrumenti teſtimoniis demonſtratur.

I. Locupletiora multo ſunt, & ad veritatis hujus confirmationem multo plus momenti habent novi fœderis teſtimonia. Notiſſimum eſt, & maxime Theologorum uſu tritum, quod ad Rom. 5. v. 12. Paulus ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Etſi D. Auguſtinus, qui hoc catholicæ religio-

Digitized by Google

ligionis caput adverſus Pelagianos ſtrenue ad mortem uſque tutatus eſt, hæc Apoſtoli verba præclare atque luculentiſſime excuſſerit, totam quæ in iis eſt, efficacitatem exeruerit, & in Adverſarios validiſſime intorſerit, nec non omnia eis effugia præcluſerit ad elabendum, brevitatis tamen, quam conſectamur, ſtudio non ea ſumemus, quæ habet ille in teſtimonium hoc copioſiſſime, ſed quæ fideliſſimus ejus Diſcipulus D. Thomas, qui ſolet, quæ in Auguſtino fuſiora ſunt, ſcite contrahere, quæ paulo obſcuriora, illuſtrare, &, licet atque nervoſe, preſſius tamen, ut ſapientiſſimum Scholæ Magiſtrum decet, ſtrictimque diſſerere. Ita autem D. Thomas l. 4. cont. Gent. c 50. teſtimonium hoc verſat, & vaniſſimas Pelagianorum exceptiones elidit: „ Hoc etiam apparet expreſſe ex Apoſtolo ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem &c.*: non poteſt autem dici, quod per unum hominem peccatum in mundum intravit per modum imitationis, quia ſic peccatum non perveniſſet, niſi ad eos, qui peccando primum hominem imitantur; & quum mors per peccatum in mundum intraverit, non perveniret mors, niſi ad eos, qui peccant in ſimilitudinem primi hominis peccantis: ſed ad hoc excludendum Apoſtolus ſubdit, quod *regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. Non ergo intellexit Apoſtolus, quod peccatum per unum hominem in mundum intravit per modum imitationis, ſed per modum originis. Præterea, ſi tantum ſecundum imitationem Apoſtolus loqueretur de introitu peccati in mundum, dixiſſet potius, per Diabolum peccatum intraſſe in mundum, quam per unum hominem, ſicut expreſſe dicitur Sap. 2.: *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* " Paucis quam feliciter effecit ille, quod volebat, & Pelagianorum cauſam non alio, quam ipſis verbis Apoſtoli, jugulavit!

II. Qui primus hunc Pelagianorum errorem inter Novatores recoxit, Zuinglius aptius quidpiam & ſolidius ſibi adinveniſſe viſus eſt, quo a permoleſto hoc teſtimonio ſe expediret: Reponit itaque primo, abuti Paulum *peccati* nomine, nec deſignare aliquid, quod proprie & veri nominis peccatum ſit, ſed figurate, ac metonymice, nam & ſacrificia pro peccatis oblata in ſacris literis *peccata* dicuntur, & Paulus ipſe legem membrorum & carnis, quæ legi ſpiritus adverſatur, ſive concupiſcentiam, *peccatum* quandoque vocat, quæ tamen peccati effectus ſolum & cauſa eſt. Quidni ergo id ſibi voluiſſe dicamus Apoſtolum, poſtquam Adam lignum vetitum edit, legemque ſibi a Deo latam violavit, non ipſum ſolum morte, quam ei Deus, quacunque die comederet, fuerat interminatus, ſed & omnes ejus poſteros fuiſſe mulctatos, hos quoque a parentis exemplo quandam ad peccandum pronitatem traxiſſe, quæ, ut & mors, *peccatum* tropice dicantur, quod ſint peccati conſectarium & pœna? Quaſi vero reſponſo huic ſuo minus ipſe fideret, aliud addit, peræque tamen inſulſum & futile, peccatum nempe, quod ait Apoſtolus, per unum hominem in mundum intraſſe, non originale eſſe, quod per originem derivari a Romanenſibus dicitur, ſed ipſum eſſe perſonale Adæ delictum, nec aliud ab Apoſtolo ſignificatum, quam, peccante primum Adamo, peccatum in mundum intraſſe, ſeu cœpiſſe peccatum in mundo eſſe, quod prius non erat; nam erat Adam hujus mundi pars. Recte quidem: & quomodo ad poſteros Adæ tranſiit? Quia illi, ait, Patris exemplum ſectati ſunt.

III. Nullo negotio tamen utraque hæc Zuinglii interpretatio refutatur, quum & ab Apoſtoli mente, & a recta ratione plurimum abhorreat. Peccati cauſas, effectus, & pœnas in ſacris literis per metonymiam *peccatum* quandoque dici, non abnuimus: Uſquam ne tamen legere in iis eſt, peccati cauſis, effectis & ſuppliciis *peccare* aliquem, *peccatoremque conſtitui*? At Paulus non tantum ait, peccatum in hunc mundum intraſſe, ſed & *omnes in eo peccaſſe*, *multos*, ideſt omnes, *per Adæ inobedientiam peccatores conſtitui*, ſicut *per Chriſti obedientiam juſti conſtituuntur multi*, omnes ſcilicet, qui per Chriſtum ſpiritu renaſcuntur: Sicut ergo *per Chriſti obedientiam* conſtituuntur vere *juſti*, quotquot in Chriſto regenerantur, ita per Adæ inobedientiam peccatores vere conſtituuntur, quotquot ab eo carnis originem ducunt. Quam eſt etiam hæc Zuinglii gloſſa in Apoſtolum contumelioſa! Inſcite enim ineptéque, vel falſo locutus ille ſit, oportet,

Digitized by Google

tet, ſi id ſibi voluit, quod ei Zuinglius affingit. Si *peccati*, quod per unum hominem ait in mundum intraſſe, nomine mors vere, Zuinglio Interprete, venit, quam apta, & ſibi cohærens eſſet magni Doctoris Gentium oratio! *Per unum hominem peccatum*, nempe *mors*, *intravit in mundum*, *&* *per peccatum*, *mortem* videlicet, *mors*. Una non es morte contentus, qui plures conaris inducere, mortem nempe per mortem? Tantum ne tibi delirare ac inſanire placet, ut velis etiam, tecum ineptire Paulum? Sed & illud maxime impium, quod addis, *peccati* nomine pronitatem ad peccandum eo loci ab Apoſtolo deſignatam; nonne enim falſus fuerit Apoſtolus, neceſſe eſt, ſi illud indicare voluerit, quod comminiſceris? *Per unum hominem*, ait, *peccatum in hunc mundum intravit*, *&* *per peccatum mors*. Ipſe tibi mentem ejus, Interpretum omnium præclariſſime, videris probe aſſecutus, & velut acu attigiſſe, explicans: *Per unum hominem peccatum*, ideſt *pronitas ad peccandum*, *intravit in mundum*, *&* *per pronitatem ad peccandum mors*. Per unum hominem pronitatem ad peccandum, ſive inordinatæ concupiſcentiæ fomitem in mundum intraſſe, concedimus: pernegamus tamen conſtanter, per unam hanc ad peccandum pronitatem mortem intraſſe, ac in homines omnes, ut idem Apoſtolus ait, pertranſiſſe; Nonne enim & ab ipſa humana juſtitia alienum eſt, ut quiſpiam ob ſolam ad recte agendum, vel peccandum proclivitate afficiatur præmio vel pœna? Quo magis a Dei juſtitia hoc abhorrebit? Divinis humaniſque legibus iis ne, qui ad peccandum, vel recte agendum proclives ſunt, an iis, qui vel reipſa peccarint, vel boni quid egerint, conſtituta ſunt ſupplicia vel præmia? Num Deus Gen. 2. comminatus eſt mortem homini, ſi ad veſcendum ligno vetito pronus eſſet, an ſi *ex eo quacunque die comederet*? Num eum morte mulctavit, quod ad interdictum eſum proclivis fuerit, an quod divinam juſſionem re poſthabuerit, ac violarit? Qui fieri ergo potuit, ut innumeri Adæ poſteri actualis cujuslibet peccati expertes, propter hanc ad peccandum pronitatem, quæ nullum in actum erupit, nec vero erumpere poteſt, quum per ætatem non liceat, morte intercipiantur, quæ non fuit primo parenti, niſi poſt admiſſum crimen, inflicta? Annon dicendus eſſet iniquus Deus, ob ſolam ad peccandum propenſionem mortis ſupplicio in tot infantulos animadvertens, quo nec primum hominem niſi jam peccati reum mulctavit? Qua humana lege, etiam apud barbaros, affici extremo ſupplicio jubentur innocentes filii, paternæ noxæ nulla ratione participes, quod duntaxat proni ſint ad paterni criminis imitationem?

IV. Altera vero Zuinglii interpretatio an non eadem eſt, ac, quam mox refutavimus, veterum Pelagianorum, eodem iccirco profliganda reſponſo? Si per primum hominem peccatum in hunc mundum intravit, quia Adam delinquens in mundum, cujus ipſe pars erat, peccatum intulit, jam non Adæ ſed Diabolo id fuerat ab Apoſtolo tribuendum; ante Adamum enim peccavit Diabolus, primuſque peccato aditum in mundum aperuit. Regeret forte vir acutiſſimus, id tributum Adæ non Diabolo, quod, quum ſit hujus ſpiritualis natura, ad ſpectabilem corporeumque mundum iſtum non ſpectet: quamquam & refelli hoc poſſit, Angelos enim etſi corporis expertes, mundi hujus tamen partes eſſe, atque una cum aſpectabili hoc corporeoque mundo fuiſſe a Deo creatos, exerc. v. *de opere ſex dierum* cum Auguſtino & D. Thoma ſtatuimus; hoc tamen miſſo, jam non fuerat ab Apoſtolo tantum malum adſcribendum Adæ ſed Evæ, quæ omnium hominum prima vere peccavit, viamque in mundum peccato omnium prima ſtravit.

V. Sed nec abs re fuerit, animadvertere, erroris hujus inſtauratorem, etſi nova ad illum fulciendum ſe protuliſſe, glorietur, nihil tamen habere, quod non è veterum Pelagianorum officina depromſerit, quodque dudum non fuerit ab Auguſtino protritum. „ Pelagiani quomodo dicunt, „ ait Auguſtinus l. 4. contra duas Epiſt. Pelagianorum c. 4., *ſolam mortem ad nos* „ *tranſiſſe per Adam*? (en crambem a „ Zuinglio recoctam.) Si enim propterea „ morimur, quia ille mortuus eſt, ille „ autem mortuus eſt, quia peccavit, pœnam dicunt tranſire ſine culpa, & innocentes parvulos injuſto ſupplicio puniri, „ trahendo mortem ſine merito mortis... „ Ubi ait Apoſtolus, *per unum hominem* „ *peccatum in hunc mundum intravit*, *&* „ *per peccatum mors*, *&* *ita in omnes homines mors pertranſiit*, Pelagiani volunt „ intelligi, non peccatum pertranſiſſe ſed

„ mor-

Digitized by Google

„ mortem : quid eſt ergo, quod ſequitur,
„ *in quo omnes peccaverunt?* Aut enim in
„ illo uno homine omnes peccaſſe , dicit
„ Apoſtolus, aut in illo peccato, aut cer-
„ te in morte . . . . Quodlibet ergo eli-
„ gant ; aut enim in illo homine pecca-
„ verunt omnes , quoniam , quando ille
„ peccavit, in illo erant omnes ; aut in
„ illo peccato peccaverunt omnes, quia
„ generaliter omnium factum eſt , quod
„ omnes naſcendo tracturi erant; aut re-
„ ſtat, ut dicant, quod in illa morte pec-
„ caverint omnes ; ſed hoc quomodo poſſit
„ intelligi, plane non video ; nam pecca-
„ to præcedente mors ſequitur, non mor-
„ te præcedente peccatum . . . Sicut ve-
„ nenum ſi bibitur , appellatur poculum
„ mortis, quod eo poculo facta ſit mors,
„ non quod morte ſit factum poculum ,
„ aut a morte ſit datum. “

VI. Quæ Auguſtinus in Pelagianos , preſſius urgemus in Zuinglium. Si peccati nomine, quod Paulus ſcribit , in hunc mundum intraſſe , mors intelligenda eſt , non peccatum , & ſola ab Adamo mors in omnes homines tranſit, non Adæ peccatum , arguendus eſſet iniquitatis Deus , quod tot innocentes puerulos morte puniat , quam Adæ , niſi admiſſi criminis reo, non intulit. Rurſus , quum Apoſtolus e veſtigio ſubiiciat, *in quo omnes peccaverunt*, Zuinglii eſt declarare, quid relativum illud *in quo* ſignificet, & quo ſpectet. Quum ibi *hominis*, *peccati*, & *mortis* mentio duntaxat fiat , ipſæ grammaticæ leges ſciſcunt, illud ad aliquod horum trium referri , intelligendum iccirco , vel peccaſſe omnes *in uno illo homine* , per quem peccatum in hunc mundum intravit, vel *in peccato* illo , quod per hominem intravit in mundum , vel *in morte* , quæ per peccatum ingreſſa in omnes homines tranſiit . Si primum & ſecundum Zuinglio placeat, jam non eſt, cur ei litem inferamus , nobiſcum etenim ſentit , qui credimus & confitemur , & in primo homine peccante omnes ejus poſteros , qui in eo ceu in totius humani generis principio ac capite erant, peccaſſe, & illo primo peccato peccaſſe omnes, ſeu primi illius peccati labem omnibus Adæ filiis ab eo carnaliter procreatis ab ipſo ſui ortu adhærere . Diſplicet Zuinglio tamen hæc catholicæ Eccleſiæ doctrina , & germana Pauli ſententiæ interpretatio , mavultque cum Pelagianis delirare, atque interpretari, nec in uno illo homine , nec in uno illo peccato peccaſſe omnes, ſed *in morte*, quæ in omnes homines tranſiit . At Auguſtinus celerrimi ingenii, acerrimique judicii homo fatetur ingenue neſcire ſe , quomodo intelligi a ſanæ mentis homine poſſit, *omnes in morte peccaſſe* . Aliquem *in peccato mori* , eſt quidem intellectu facile, quum ſit mors peccati ſupplicium & effectus: *in morte* tamen *peccare* aliquem, paradoxum immane adeo eſt, ut iis ſolum venire in mentem poſſit, qui ad tuendum, quem ſemel animo imbiberunt, errorem , omnia ſus deque miſcent , & ſimpliciſſimas ipſas rerum notiones pervertunt.

VII. Næ nos tamen nimium ſimplices, & plus æquo antiqui , qui hoc Pauli teſtimonio velut Achille pugnamus, quin & Auguſtinus ipſe nimis antiquus & ſimplex, qui ſibi viſus eſt, eo ceu validiſſimo telo Pelagianos confodiſſe ac profligaſſe ; eſt enim illud levius ac hebetius , quam ut illo vel perſtringi Adverſarii potuerint . Quam facile , minus ſcite tamen , in iis Pauli verbis ille triumphat cum pluribus aliis in ſuorum operum locis , tum præſertim in l. *de Corrept. & grat.* c. 6. ajens: *Peccata quidem iſta originalia ideo dicuntur aliena , quod ea ſinguli de parentibus trahunt , ſed non ſine cauſa dicuntur & noſtra, quia in illo uno omnes, ſicut dicit Apoſtolus, peccaverunt* ! Aberrat tamen a germana Apoſtoli mente , quam ne aſſequeretur, obſtitit græci , quo Apoſtoli Epiſtola primum conſcripta eſt, ſermonis inſcitia ; quemadmodum cenſori ejus graviſſimo, & græce peritiſſimo Joanni Pherepono, ſive Joanni Clerico Literatis notiſſimo haud ita pridem animadverſum eſt , qui ad memorata Auguſtini verba hanc annotationem attexit : „ Verum in hac
„ controverſia *noſtra* dicuntur peccata, non
„ tralatitio ſenſu, ſed proprio; nam ſermo
„ hic eſt de peccatis , propter quæ non
„ tralatitias, ſed proprie dictas pænas, ex
„ divina , hoc eſt perfectiſſima juſtitia ,
„ dare poſſimus, quia ab iis abſtinere po-
„ tuimus, nec iis , niſi culpa noſtra pro-
„ prie dicta , ſuccubuimus . . . nam nec
„ Apoſtolus dicit, nos in Adamo peccaſ-
„ ſe, quemadmodum paſſim Græci ſermo-
„ nis imperitus dictitat Auguſtinus ... &
„ quod vulgatus Interpres vertit , *in quo*
„ *omnes peccaverunt* , vertimus cum Deſi-
„ derio Eraſmo, quia omnes peccaverunt,
„ quia alioquin hiulca eſt ratio, & dura.“

VIII. Quam belle Poetæ verba huc cadunt !
Quid tanto dignum feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes : naſcetur ridiculus mus.

Hoc de temeraria hac atque inſolentiſſima Phereponi cenſura ferendum eſſe judicium, momentis evidentiſſimis confectum iri, confidimus. Nihil de univerſalis Eccleſiæ conſenſione perpetua, nihil de conſtanti Patrum omnium ante & poſt Augustinum traditione, qui catholici hujus dogmatis arcem in hoc præſertim Pauli teſtimonio locarunt, illudque legerunt, intellexeruntque ſemper, ut a vulgato redditus eſt Interprete ; Eccleſiam enim, univerſoſque Patres eadem impudentia deſpicit arrogantiſſimus homo, qua Auguſtinum. Quoniam autem græci ſermonis ſcientiam præſertim oſtentat, arripitque inde anſam Auguſtino inſultandi, eam ne ſibi arrogabit, adſcribetque Eraſmo ſuo, qua Theophilactus, Œcumenius aliique fuerunt Græci, & græce doctiſſimi, qui laudatum Pauli teſtimonium non aliter legerunt, ac latinus Interpres ? Ne tamen hos quoque poſthabeat, & cauſetur, eos iiſdem ac nos præjudiciis captos nobiſcum fuiſſe, id ne de Joanne Gerardo Voſſio viro doctiſſimo, a partibus tamen noſtris multum alieno pronunciabit, qui in laudatis Pauli verbis particulam *per* ſerio expendendam, monet, quod cauſam efficientem ſignificet, & voculam *in quo*, quæ *omnes in Adamo peccaſſe*, denotat; vel ſi transferre aliquis malit, *quia*, vel *propter quod*, in eundem ſenſum recidere, & mortis adæquatam cauſam exprimere, quæ & infantes ipſos afficiat ? Idemne de Grotio linguarum orientalium peritiſſimo, qui tamen & ipſe legit, *in quo*, vel *per quem*, quamquam & ipſe in Socinianorum luto hærens peccatum hoc *mortem* ceu peccati pœnam interpretetur ? Nonne & Theodorus Beza græce certe non ignarus Eraſmo in culpa ponit, quod erroris, quem ex Origene & Pelagianis hauſerat, retinens, primi hominis peccatum ſcilicet ſola imitatione in mundum ingreſſum, perperam & erronee vertit, *quatenus*, vel *quia* ? Si celebriorum e ſuis Scriptorum commentarios evolvere, per otium Phereponi non licebat, unum adire poterat Mathæum Polum *in Synopſi Criticorum ſacrorum*, quorum plerique a Romana communione procul abſunt, atque ex eo diſcere, quot etiam e ſuis legerint, *in quo*, & effectricem peccati cauſam ſignificari, interpretati ſint, imo & Hebræos id agnoviſſe, ut patet ex Paraphr. Chald. ad c. Ruth., ex l. Bereſchit Rabba, & ex Midraſch Coheleth. Faceſſat ergo cum Eraſmo ſuo Græculus Phereponus, intelligatque, non Auguſtinum tantum, quem paſſim græci ſermonis imperitum nimia procacitate traducit, non ſolos Romanæ ſocietatis homines, ſed & ſuorum præcipuos, cum quibus, ſi quidpiam in eo reliquum eſt pudoris, nolit de græci ſermonis ſcientia contendere, hæc Pauli verba ſimiliter legiſſe, nec veritos eſſe, ne *hiulca alioqui & dura Pauli oratio eſſet*, quam nemo in Pauli ſtylo vel leviter exercitatus ignoret, ejuſmodi ſermonis ſtructuras, etſi ſpecie tenus duriores, minuſque, ut delicatuli nonnulli putant, concinnas atque elegantes, Paulo tamen familiares eſſe, cui propoſitum perpetuo fuit, religionis myſteria tradere *non in perſuaſibilibus*, ut ipſe ait, *humanæ ſapientiæ verbis*, *ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis Dei*.

IX. Esto tamen (facit enim nos veritas confidentiores) legantur Pauli verba, ut Eraſmo ac Pherepono placet, *ſic & in omnes homines mors tranſiit, quia omnes peccaverunt* : quid tum inde ? De actualibus ergo peccatis, non de originali, de ſola imitatione, non de propagatione, ac per carnis originem transfuſione intelligendus eſt Paulus ? Quis hoc complecti animo poſſit, niſi fuerit plane ſtipes ? Ait enim Paulus, pertranſiſſe mortem in omnes homines, & omnes re ipſa propterea mori, *quia omnes peccaverunt* : qui poteſt itaque Paulo de ſolis peccatis actualibus ſermo eſſe ? Nonne & infantuli multi moriuntur ? Horum vero quodnam actuale peccatum ? quæ in eis paterni ſceleris imitatio ? Si ergo moriuntur omnes, *quia omnes peccaverunt*, aliquod ergo & in infantibus agnoſcendum peccatum, quod eos morti obnoxios fecit : hoc vero quodnam, niſi primum Adæ delictum ad omnes ejus poſteros per originem derivatum ? At videtur, Phereponum prioris fidentiæ ſuæ, verius temeritatis ſuppuduiſſe; nam Eraſmi le-

ctio-

Digitized by Google

ſtioni diffiſus adiicit e veſtigio : „ fac ,
„ hoc non eſſe perſpicuum : profecto
„ verſio, quam ſequitur Auguſtinus, non
„ ita certa eſt, ut poſſit is locus quaſi
„ clarus urgeri , quum præſertim ex eo
„ ferme ſolo , aut potiſſimo, colligatur
„ dogma, quod tot difficultatibus premi-
„ tur, ut vix ullas alias majores in dog-
„ mate theologico inveniri poſſe pu-
„ tem . “ Quæ illæ vero ? Aſſequi præ-
ſertim Phereponus mente nequit , qui
Deus juſtiſſimus parentum ſcelera filiis
adſcribat , atque in iis puniat , quorum
voluntas nihil ad paternam contulit
iniquitatem ; quare decernit : „ pecca-
„ ta parentum noſtra dici nequeunt , ita
„ ut propter ea corripi , & plecti jure
„ queamus. “ Unde vero tanta Phere-
pono injecta difficultas , ut hoc plane
præpoſterum viſum illi fuerit , & ini-
quum ? „ Nil mirum, ait egregie La-
„ mindus Pritanius *de ingeniorum mode-
„ rat. in Relig. negotio l. 3. c.* 1., iſta ab
„ homine dici, cui non ſecus ac Socinia-
„ nis, illud continuo perverſum videtur ,
„ quod ingenio non placet , quamquam
„ diſertiſſimis verbis, neque metaphoricis
„ in Scriptura ſacra enuntietur . Prope
„ eſt, ut dicam , nolle hujuſmodi homi-
„ nes ſentire , quod Paulus ſentit, ſed
„ neceſſe eſſe, ut Paulus ſentiat , quod
„ ipſis commodum videtur , & Deus a-
„ gat, prout ipſis lubet. At profecto fe-
„ licius ſaperent, ſi in ſimili cauſa di-
„ ctum ſibi ab Apoſtolo putarent ad
„ Rom. 9. v. 20. *O homo , tu quis es ,*
„ *qui reſpondeas Deo ? Nunquid dicit fig-*
„ *mentum ei, qui ſe finxit , quid me feci-*
„ *ſti ſic ?*, & c. 11. v. 33. *O altitudo*
„ *divitiarum* &c. Quum lumini rectæ
„ rationis evidenter adverſari deprehen-
„ duntur Scripturæ ſacræ verba, tum cer-
„ te commodum alium ſenſum intime
„ latentem jubemur inde deducere : at
„ quando ita compoſita ſunt ſacrarum
„ literarum teſtimonia, ut pateat, nihil
„ aliud divinos Scriptores ſignificare vo-
„ luiſſe, quam quod verba ſonant, & ad
„ iſtam ſignificationem accedit vetuſtiſſi-
„ mæ traditionis conſenſus, & dogma il-
„ lud ſupra quidem humanam rationem
„ eſt, ſed non contra rationem, tum ne-
„ fas eſt, eludere mentem divinorum li-
„ brorum non alia de cauſa, quam quod
„ aſſequi mente non poſſumus conſilia ,
„ voluntatem & opera Dei . “ Profecto
dogma hoc etſi captu difficile, nihil ta-
men habere, quod cum recta ratione pu-
gnet, pro viribus demonſtraturi ſumus ,
quum ad diſſolvenda, quæ e naturali ra-
tione conflantur, argumenta ventum fue-
rit.

X. Eſt & illud inſigne ejuſdem Apo-
ſtoli in eadem ad Rom. epiſt. c. 3. teſti-
monium : *Omnes peccaverunt , & egent*
gloria Dei : juſtificati gratis per gratiam
ipſius per redemptionem , quæ eſt in Chri-
ſto Jeſu , quem propoſuit Deus propitiato-
rem per fidem in ſanguine ipſius &c. in
quæ verba præclara eſt D. Thomæ gloſ-
ſa lect. 3. in c. 3. epiſt. ad Rom. „ *Qui*
„ *facit peccatum , ſervus eſt peccati* , ut di-
„ citur Jo. 8., ex qua quidem ſervitute
„ redimitur *homo*, ſi pro peccato ſatisfa-
„ ciat : ſicut ſi aliquis ob commiſſam
„ culpam obnoxius eſſet Regi ad ſolven-
„ dam pecuniam , ille eum redimere di-
„ ceretur a noxa, qui pro eo pecuniam
„ ſolveret . Hæc autem noxa ad totum
„ humanum genus pertinebat , quod erat
„ infectum per peccatum primi parentis
„ (*omnes enim peccaverunt*) unde nul-
„ lus alius pro peccato totius humani
„ generis ſatisfacere poterat , niſi ſolus
„ Chriſtus, qui ab omni peccato immu-
„ nis erat, unde *per redemptionem ſub-*
„ *dit , quæ eſt in Chriſto Jeſu* , quaſi di-
„ cat in alio non poterat nobis redem-
„ ptio eſſe . . . . Oſtendit, unde iſta re-
„ demptio efficaciam habuit, *quem pro-*
„ *poſuit Deus propitiatorem*, ex hoc enim
„ Chriſti ſatisfactio efficaciam habuit ad
„ juſtificandum, & ad redimendum, quia
„ eum Deus ad hoc ordinaverat ſecun-
„ dum propoſitum ſuum . . . Vel *propo-*
„ *ſuit* , ideſt pro omnibus poſuit, ut, quia
„ humanum genus non habebat , unde
„ ſatisfacere poſſet, Deus ipſe ei redem-
„ ptorem & ſatisfactorem daret . . . Et
„ ſic dum ſatisfaciendo nos redimit a no-
„ xa peccati, Deum peccatis noſtris pro-
„ pitium facit , quod petebat Pſalmiſta
„ dicens , *Propitius eſto peccatis noſtris*
„ *Domine* &c. “ Ex hoc Apoſtoli teſti-
monio , & D. Thomæ doctrina nitida
hæc demonſtratio exiſtit. Quia *omnes pec-*
caverunt , egentque gloria Dei , *Chriſtum*
Jeſum Deus *propitiatorem propoſuit* , ut
juſtificentur homines *per gratiam ipſius* ,
per redemptionem a Chriſto peractam :
propoſuiſſe Deum propitiatorem pro omni-
bus omnino hominibus Chriſtum, ab hoc
vero

vero omnes omnino homines redemptos, tam eſt in Paulo exploratum, ut cæcus ſponte ſit, qui veritatem ab eo ſæpe & explicatiſſime inculcatam non videat: omnes ergo omnino homines peccaverunt, *egebantque gloria Dei*, *ideſt juſtificatione*, exponit Angelicus, *quæ in gloriam Dei cedit*: peccaverunt ergo & infantes, & peccati ſervi erant, nam & hos a ſervitute peccati redemit Chriſtus; quum ergo propria non potuerint ipſi ſe peccati ſervituti voluntate ſubjicere, primi parentis noxa in eam, a qua per Chriſtum redempti ſunt, peccati ſervitutem traditos fuiſſe, neceſſario conſequitur. Rident hæc Sociniani; uſque enim adeo impii ſunt, & in Chriſtum ipſum ingrati, ut negent, eum veri nominis Redemptorem, qui *perſoluto pretio* homines omnes *ſub peccato venumdatos* in libertatem filiorum Dei aſſeruerit, ſatis Deo pro iis vere fecerit, eoſque Deo reconciliarit. Cæterum quum & præcipuum hoc religionis noſtræ caput ad calcem tractationis *de Deo homine facto* locupletiſſimis divini eloquii teſtimoniis confirmaverimus, illud jure ſumimus ut certum ac exploratum, recteque concludimus, peccaſſe omnes homines, ac Dei gloria, ſive juſtificatione eguiſſe, quod omnes omnino fuerint a Chriſto redempti; quare quum & ab eo pueruli redempti certiſſime ſint, peccaſſe & illos ſtatuendum eſt, non ſua quidem (nec enim per ætatem poterant) ſed primi parentis voluntate, ſervoſque peccati factos non imitatione, ſed per originem.

XI. Huic affine eſt, & ferme geminum, quod idem Paulus habet 2. ad Cor. c. 5. *Charitas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quia ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*, quibus verbis Auguſtinus Julianum Pelagianum acerrime perſtringit, redegitque ad incitas l. 6. adverſus eundem ita diſſerens: *Si nullum trahunt peccatum parvuli, non ſunt mortui: ſi non ſunt mortui, non eſt pro eis mortuus Chriſtus, qui non eſt mortuus, niſi pro mortuis. Tu autem jam dixiſti, Chriſtum pro parvulis mortuum: nullo modo igitur negare poteris, eos trahere originale peccatum.* Abſit, ut velimus quidpiam firmitatis de hoc Auguſtini argumento detrahere: D. Thomæ duntaxat horum Pauli verborum explicationem ſubjicere lubet, ac legentium judicio permittere, uter ad Apoſtoli mentem propius acceſſerit, ſitque eam veri ſimilius aſſecutus. Conſequentia cum antecedentibus, ut perpetuo in more habet, Angelicus conferens, totamque orationis ſeriem expendens, ut, quo vere Paulus ſpectarit, intelligat, hanc annotationem apponit: „ Dicit Apoſtolus: omnia pro „ vobis facimus, quia *urget nos charitas* „ *Chriſti*, quia æſtimamus, quod *ſi unus*, „ ſcilicet Chriſtus, *pro omnibus mortuus* „ *eſt*, etiam nos ita vivamus, ideſt ad „ utilitatem veſtram, ut etiam nobis „ mortui ſimus, ideſt nihil curemus de „ nobis, ſed de Chriſto, & de his, quæ „ Chriſti ſunt . . . Quod ergo infert, *er-* „ *go omnes mortui ſunt*, exponitur tribus „ modis; primò, *omnes mortui ſunt* mor- „ te peccati in Adam; non enim neceſ- „ ſarium eſſet, ut Chriſtus pro omnibus „ moreretur, niſi omnes in Adam mor- „ tui eſſent morte peccati . . . Secundo „ ut dicatur, omnes mortui ſunt, ſcilicet „ veteri vitæ; Chriſtus enim mortuus „ eſt ad delenda peccata: ergo omnes „ mori debent veteri vitæ, ſcilicet pec- „ cati, & vivere vita juſtitiæ . . . Ter- „ tio, & *magis literaliter*, *ergo omnes* „ *mortui ſunt*, ideſt ita debet ſe quilibet „ reputare, ac ſi eſſet mortuus ſibi ipſi: „ & hunc modum conſequenter exponit „ Apoſtolus, quum dicit: *& pro omni-* „ *bus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vi-* „ *vit*, vita ſcilicet naturali, *jam non ſibi* „ *vivat*, ideſt non propter ſeipſum; & „ propter bonum ſuum, *ſed ei, qui pro* „ *ipſo mortuus eſt, & reſurrexit*, ideſt to- „ tam vitam ſuam ad honorem & ſervi- „ tium Chriſti ordinet . . . & horum ra- „ tio eſt, quia unuſquiſque operans re- „ gulam operis ſui ſumit a fine; unde ſi „ Chriſtus eſt finis vitæ noſtræ, debemus „ vitam noſtram regulare non ſecundum „ voluntatem noſtram, ſed ſecundum vo- „ luntatem Chriſti. Nota autem, quod „ duo dicit, ſcilicet quod *mortuus eſt* „ *Chriſtus*, & *quod reſurrexit pro nobis*: „ ubi duo exiguntur a nobis; quia enim „ mortuus eſt pro nobis, & nos debemus, „ nobis ipſis mori, ideſt pro Chriſto ab- „ negare nos ipſos . . . Quia vero Chri- „ ſtus reſurrexit pro nobis, & nos debe- „ mus ita mori peccato, & veteri vitæ, „ & nobis ipſis, ut tamen reſurgamus ad „ novam vitam Chriſti. “ Quiſquis in continenti ad capitis finem uſque orationis

Digitized by Google

nis ſerie germanum Apoſtoli ſcopum quæſierit, facile D. Thomæ conſentiet, tertiam expoſitionem magis literalem eſſe, ex quo Chriſtus videlicet pro omnibus mortuus eſt, debere omnes ſibi mori, eique ſoli vivere, qui pro ipſis mortuus eſt; Neque tamen quod Auguſtinus, aliique exponunt, mortuos nimirum omnes *morte peccati in Adam*, D. Thomas removet, ſed confirmat aliis ejuſdem Apoſtoli teſtimoniis, licet Apoſtoli ſcopum heic *magis literaliter*, & felicius attigiſſe pronuntiet tertiæ expoſitionis Auctores.

XII. Illud denique decretorium Calvino ipſi viſum eſt, quod ad Eph. 2. ſcribit idem Apoſtolus, *& eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri;* in Comment. enim in hunc Pauli locum ait, eſſe illum „ adverſus Pelagianos, eoſque o„ mnes, qui peccatum originale negant, „ inſignem & invictum; nam quod *na„ turaliter* ineſt omnibus, id certe origi„ nale: naturaliter vero nos omnes da„ mnationi obnoxios Paulus docet: ergo „ peccatum in nobis hæret, quia Deus „ innocentes non punit. “ Eadem ferme habent Beza, aliique e Novatorum choro, quos indicat Math. Polus *in Synopſi Critic. ſacr.* in hunc locum. Juliano cavillanti, nihil effici hoc Pauli teſtimonio poſſe, quod græca vox, quam latinus Interpres reddidit *natura*, flexiloqua ſit, & ſignificare perinde poſſit *natura*, ac *prorſus*, & *omnino*, Auguſtinus latinorum quorumcunque vetuſtiſſimorum codicum fidem objecit, qui omnes habebant, *natura*, non *prorſus*, quod argumento eſt, eam viſam eſſe Interpretibus omnibus Apoſtolicæ orationis ſeriem, ac conſequentium cum antecedentibus connexionem, quæ ſatis ſuperque græcæ vocis ambiguitatem determinaret, legendumque moneret, *natura*, non *prorſus*. In eam D. Thomas more ſuo (quod eximii Interpretis eſt) oculos animumque intendens, eamque verſans diligentiſſime, quo poſſet germanam Apoſtoli mentem attingere, animadvertit, Paulum eo loci poſt commemorata Gentilium peccata, eorumque cauſas, ad Judæorum culpam ſermonem convertere, quum ait, *in quibus & nos aliquando converſati ſumus, in deſideriis carnis noſtræ facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ, ſicut cæteri*, ad quæ verba hanc annotationem attexit. „ Circa hoc, nempe „ Judæorum culpam, tria facit: Primo „ commemorat Judæorum culpam quan„ tum ad peccatum cordis, ſecundo quan„ tum ad peccatum operis, tertio quan„ tum ad peccatum originis. Peccatum „ vero cordis inſinuat *per deſideria car„ nis*, & quantum ad hoc dicit: in qui„ bus, ſcilicet *peccatis & delictis nos „ omnes*, ſcilicet Judæi, *aliquando con„ verſati ſumus* agentes vitam noſtram „ *in deſideriis carnis noſtræ*, ideſt carna„ libus. Peccatum vero operis inſinuat, „ quum dicit, *facientes voluntatem carnis* „ &c. peccatum enim operis nihil aliud „ eſt, quam expreſſio interioris concupi„ ſcentiæ . . . & quantum ad hoc dicit, „ *facientes voluntatem carnis*, ideſt ea, „ quibus caro delectatur . . . Peccatum „ vero originis inſinuat dicens, *& era„ mus natura filii iræ*, quod quidem pec„ catum ex primo parente non ſolum in „ Gentiles, ſed etiam in Judæos transfun„ ditur: ad Rom. 5. *Sicut per unum ho„ minem peccatum in hunc mundum in„ travit, & per peccatum mors, & ſic „ in omnes homines mors pertranſivit, in „ quo omnes peccaverunt*: Et ſicut homi„ nes per baptiſmum mundantur a pec„ cato originali ſolum quantum ad per„ ſonas proprias, unde generant filios ba„ ptizandos, ita circumciſio mundabat ab „ originali peccato perſonas tantum, ſed „ generabant adhuc circumcidendos: & „ hoc eſt, quod dicit, *eramus natura*, „ ideſt per originem naturæ, non quidem „ naturæ, ut natura eſt, quia ſic eſt bo„ na & a Deo, ſed naturæ, ut vitiata „ eſt. *Filii iræ*, ideſt vindictæ, pœnæ & „ gehennæ, & hoc *ſicut, cæteri*, ideſt Gen„ tiles. “ Sed de teſtimoniis novi inſtrumenti jam ſatis.

EXERCITATIO IX.

Theologicis demonſtrationibus eadem veritas confirmatur.

I. AD divini eloquii teſtimonia addi poteſt concors & invariata ab ipſo Apoſtolorum ævo traditio a priſcis Patribus religioſiſſime cuſtodita, & ad nos uſque traducta, quam quum negare auderent impudentiores quidam e Pelagianis, & Auguſtinum accuſarent, quaſi vero dogma hactenus inauditum, & antiquis ignotum primus ipſe in Eccleſiam

i n-

invexiſſet, repoſuit ille conſtanter l. 2. de nupt. & concup. c. 12. : *Non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides antiquitus docuit, ſed tu, qui hoc negas, es novus Hæreticus.* Quo vero putidam hanc calumniam a ſe validius amoliretur, huicque traditioni certiſſimam fidem faceret, variis in ſuorum operum locis veteres Eccleſiæ Magiſtros appellat, & diſerta eorum teſtimonia recitat, quibus ad liquidum plane deducitur, dogma hoc perpetuo in Eccleſia creditum. L. 1. præſertim adverſus Julianum auctoritate pugnat Irenæi Lugdun. Epiſcopi, & Martyris, Cypriani Epiſcopi, & Mart., Reticii Auguſtodunenſis Epiſc., Olympii Hiſpani, Hilarii Pictav. Epiſc., Ambroſii Mediolan. Epiſc., Innocentii I. Papæ, qui omnes latinam Eccleſiam illuſtrarunt : E Græcis laudat Baſilium M., Gregorium Nazianzænum, & Jo. Chryſoſtomum. Adjungere ad hos poterat S. Juſtinum M. *in dial. cum Tryphone*, Tatianum *orat. contra Gentes*, Tertullianum *in l. de anima*, & alibi, Optatum Millevitanum, quin & omnium antiquiſſimum S. Ignatium Apoſtolorum Diſcipulum, Anthioch. Epiſcopum, & Mart. *in epiſt. ad Trallianos*. Inter traditionis hujus teſtes a Jodoco Coccio, & recentium Theologorum compluribus numeratur & Origenes præclariſſimus tertii ſæculi Scriptor, noſtro tamen judicio minus recte; quum enim non Arianam ſolum, ſed & Pelagianam hæreſim ab Origene præformatam, Viris doctiſſimis perſuaſum ſit, non audemus, illum inter Patres doctrinæ hujus teſtes atque aſſertores referre; Quid enim, ſi ex ejus Comment. in Epiſt. Pauli ad Rom., aliiſque ex ejus operum locis teſtimonia quædam depromi ſolent, quæ Catholicorum ſententiæ favent? Cenſentur hæc Ruffini Aquilejenſis manu adjecta & inſerta, ut Origenem ſuum, cujus doctrinæ atque famæ perquam ſtudioſus erat, a Catholicorum invidia liberaret.

II. Urgeri in eundem finem poſſet plurium Romanorum Pontificum, plurium item Provincialium, Nationalium, & Generalium Conciliorum auctoritas, a quibus confixus Pelagianorum hic error, & catholica veritas luculentiſſime confirmata. Sinimus, a Theologis bene multis, qui magis otio abundant, longum Pontificum & Conciliorum inſtrui ſyllabum, recitari nomina, annum deſignari, quo quæque Synodus habita eſt, & numerum Epiſcoporum, ut & prolixis veterum Patrum teſtimoniis paginas plures impleri. Hæc nobis indicaſſe, ſat fuerit, quibus propoſitum eſt, in hac exercitatione demonſtrationibus theologicis recentes præſertim Pelagianos, qui traditionem & Eccleſiæ auctoritatem flocci faciunt, profligare.

III. Prima ducitur ex antiquiſſima, quæ ſemper in Eccleſia obtinuit, & univerſim, infantulos, maxime ſi periculum mortis immineat, ſacramento regenerationis, ſive baptiſmo tingendi, quod *l. 4. contr. Gent. c. 50.* ſic inſtruit D. Thomas : „ Baptiſmus, & alia Sacramenta „ Eccleſiæ ſunt quædam remedia contra „ peccatum, ut infra patebit, (cap. nimirum 56. ejuſd. l.) exhibetur autem „ baptiſmus ſecundum communem Eccleſiæ conſuetudinem pueris recenter natis : fruſtra igitur exhiberetur, niſi in „ eis eſſet aliquod peccatum : non eſt „ autem in eis peccatum actuale, quia „ carent uſu liberi arbitrii, ſine quo nullus actus homini imputatur ad culpam : oportet igitur dicere, in eis eſſe „ aliquod peccatum per originem traductum, quum in operibus Dei, & Eccleſiæ nihil ſit vanum, & fruſtra. “ Profecto niſi in parvulis, qui baptizantur, aliqua ſpiritualis labes per originem traducta hæreat, non vana ſolum, ſed & falſa eſſet baptiſmi forma verbis ipſis evangelicis conſecrata. Quid enim eſt *baptizare*, niſi *abluere*, atque *mundare*? Sicut ergo varia, quorum & Apoſtolus *in epiſt. ad Heb. c. 9.* meminit, in veteri lege *baptiſmata* erant ad legalem auferendam immunditiam, & *ad juſtitiam carnis impoſita*, ita & baptiſma Evangelicum fuit ad eluendas animi ſordes inſtitutum; quum itaque illud ab ipſo Apoſtolorum ævo fuerit & infantulis, præcipue periclitantibus, ſemper & ubique adminiſtratum, conſequens eſt, immundos illos fuiſſe, atque opus hoc *regenerationis lavacro* habuiſſe; alioqui perperam fuiſſet eis adhibitum; quorſum enim eluitur non immundum? Quum vero ſua ipſi ſe nondum potuerint voluntate polluere, adhærere eis ſpirituales ſordes, neceſſe eſt, quas ab altero acceperint per originem. Hoc præſertim argumento Pelagianos perſtringebant Millevitani Concilii Patres,

tres, ut in tract. de Sacram. generatim propoſit. 4. animadvertimus.

IV. Quam male Pelagianos hoc argumentum haberet, colligere quiſque poteſt ex vaniſſimo illo, quod ad evadendum quæritarunt, effugio, baptizari nimirum infantes, non ut a peccato mundentur, ſed ut ad regnum Dei perveniant, quod obtinere nemo poteſt non baptizatus, palam dicente Chriſto Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*; infantes vero, qui obeunt non baptizati, vitæ quidem æternæ compotes eſſe, a Dei regno tamen arceri. Hanc vitam inter æternam, & cælorum regnum diſtinctionem commenticiam, & plane futilem eſſe multis oſtendit Auguſtinus *ſerm.* 294. ajens: „ Hoc novum in Eccleſia, hoc prorſus inauditum eſt, eſſe vitam æternam præter regnum cælorum, eſſe ſalutem æternam præter regnum cælorum . . . . Venturus Dominus, & judicaturus de vivis & mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas partes facturus eſt, dextram & ſiniſtram: Siniſtris dicturus: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*. Dextris dicturus: *Venite benedicti Patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi* . . . Nullus relictus eſt locus medius, in quo ponere queas infantes (ante baptiſmum ſcilicet morte ſublatos). Ecce in dextra ad *regnum* utique *æternum*: in ſiniſtra *in ignem æternum*: qui non in dextra, procul dubio in ſiniſtra: ergo qui non in regno, procul dubio in igne æterno. “ Decretoria profecto eſt hæc Auguſtini argumentatio, & inſaniſſimam Pelagianorum obterit commentationem; quis enim aut plane impius, aut inſipiens diſtinguere velit & internoſcere, quæ non ſunt a Chriſto ipſo diſtincta? Summus omnium Judex ſolum æternum ignem a cælorum regno diſtinguit: ſolus itaque aut ſacrilegus, aut mentis inops regnum cælorum inter & vitam æternam diſcrimen ſtatuit. Quid quod ex eodem Math. cap. 25. regnum cælorum unum idemque cum æterna vita eſſe, aperte patet? De maledictis enim, quos Chriſtus *in ignem æternum* abiget, legimus v. ult.: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum*: benedicti vero, quos ad regni eis a conſtitutione mundi parati poſſeſſionem vocabit, quo? *Juſti autem in vitam æternam*. Ut ergo *æternum ſupplicium* eſt ipſe æternus ignis, quo impii cruciabuntur, ita & æterna vita eſt ipſum cælorum regnum, in quo electi immortalem tranſigent feliciſſimam vitam: Nihil ergo eſt ea a Pelagianis excogitata diſtinctione inanius & futilius.

V. Inſulſum hoc idem Pelagianorum reſponſum aliter refutat D. Thomas loco mox indicato, ſed æque ſolide: „ Si autem dicatur, ait, quod baptiſmus infantibus datur, non ut a peccato mundentur, ſed ut ad regnum Dei perveniant, quo perveniri non poteſt ſine baptiſmo, quum Dominus dicat Jo. 3. *niſi quis renatus fuerit &c.* hoc vanum eſt; nullus enim a regno Dei excluditur, niſi propter aliquam culpam: nam finis omnis rationalis creaturæ eſt, ut ad beatitudinem æternam perveniat, quæ eſſe non poteſt niſi in regno Dei, quod quidem nihil eſt aliud, quam ordinata ſocietas eorum, qui divina viſione fruuntur, in qua vera beatitudo conſiſtit, ut patet ex his, quæ in tertio lib. c. 37.: nihil autem a fine ſuo deficit, niſi propter aliquod peccatum. Si igitur pueri nondum baptizati ad regnum Dei pervenire non poſſunt, oportet dicere eſſe in eis aliquod peccatum: Sic igitur ſecundum traditionem fidei Catholicæ tenendum eſt homines naſci cum originali peccato. “ Quod D. Thomas ait, æternam beatitudinem ſive vitam eſſe non poſſe niſi in regno Dei, certum atque exploratum eſt; quod enim regnum Dei intelligimus, aut nomen iſtud in quo ponimus? Etſi cælum, quod vocant empyreum, locus ſit habitationi electorum maxime congruus, non eſt illi tamen regnum Dei alligatum; ubicumque enim ſe Deus *facie ad faciem, ſicuti eſt*, videndum electis ſuis manifeſtaret, ibi proprie regnum Dei eſſet, ibi vere regnarent electi eterna vita ac felicitate donati, ut Apoc. 22. dicitur: *Servi ejus ſervient illi, & videbunt faciem ejus, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum*. Regnum itaque Dei ipſa eſt *Servorum ejus videntium faciem ejus*, eoque fruentium jucunda ſocietas. Haberine vero æterna vita poteſt extra ſocietatem hujuſmodi?

Quum Chriſtus ipſe Jo. 17. æternam hanc vitam in Dei cognitione ſeu clara viſione locarit ajens : *Hæc eſt vita æterna , ut cognoſcant te ſolum Deum verum &c.* , qui poſſunt æternam vitam habere , niſi qui Deum aperte viderint , ac propterea niſi in regno Dei , quod eſt Deum *facie ad faciem videntium* ordinata ſocietas , ideſt niſi iis juncti, qui Deum, ſicuti eſt, intuentur? Si eſt ergo hoc Dei regnum, in quo ſolo æterna vita , atque beatitudo , ultimus rationalis creaturæ finis, a quo obtinendo ſola culpa removet, & ab eo parvuli excluduntur non tincti baptiſmate , culpa aliqua obſtet neceſſe eſt : non propria ſane voluntate admiſſa : in eos ergo per originem derivata.

VI. Sentiunt & Sociniani hujus veterum Pelagianorum reſponſi futilitatem , quare aliter demonſtrationem ab infantium baptiſmo ductam moliuntur infringere; felicius ne vero? Phereponus, ut & Anabaptiſtæ, Sociniani, & Remonſtrantes pædobaptiſmum averſantes mordicus negant, puriori illo ævo, quo Eccleſia adhuc, ut ipſi blaterant, ſancta erat, & a fidei integritate nondum exciderat , morem obtinuiſſe, baptiſmate infantes tingendi. Hinc iis ſine baptiſmo mortuis non vitam æternam ſolum, ſed & cælorum regnum Pelagianis multo liberaliores tribuunt , vel quod eos nulla culpa a regno illo prohiberi exiſtimant, ut Sociniani, ac Remonſtrantes, vel quod deleta jam illa fuit, ſi a baptizatis parentibus ſunt procreati, ut Calvinus & gregalium ejus multi contendunt. Non eſt loci hujus abſolutam baptiſmi neceſſitatem , cui omnes omnino ſubſunt, ut & pædobaptiſmi antiquitatem, ſanctitatemque tueri; duo enim hæc capita ſuum habent in tractatione de baptiſmate locum, in qua omni argumentorum genere, prop. 4. & 5., ea nitimur , & , niſi fallimur, non infeliciter, communire, & quæ ab ipſa Apoſtolorum ætate Catholicæ Eccleſiæ de utroque hoc capite perpetua & firmiſſima ſententia fuerit, iis teſtibus comprobamus, ut , ſi Adverſarii homines ſunt , & *non eſt omnis in eis ſpes emortua ſanitatis* , ne hiſcere quidem poſſint. Veterum enim teſtimonia utrique huic veritati faventia cum ipſis Adverſariorum principiis ita contendimus, ut ex iis , quæ Veteres tradunt , & ex aliis , quæ Adverſarii concedunt , exiſtat argumentatio proſſus invicta . Ne ergo alibi dicta minus opportune hoc transferamus , heic adnotamus ſolum, priſcos Pelagianos, quum ab Auguſtino , aliiſque Eccleſiaſticis Tractatoribus ducta a ritu parvulos baptizandi demonſtratione validiſſime premerentur , nunquam repoſuiſſe , quod Recentes licentiſſime faciunt, conſuetudinem illam aut novam eſſe , & in Eccleſiam præter Majorum auctoritatem invectam , aut nec ubique nec univerſim receptam . Quid illi vero, quo a permoleſto hoc argumento ſe expedirent ? Vetuſtiſſimam , & univerſalem illam eſſe confeſſi ; nihil ea tamen effici, contendebant, quod , vel illa nullius Scripturæ canonicæ teſtimonio fulta eſſet, vel quod alterius omnino finis gratia adminiſtratum fuiſſet olim , atque adminiſtraretur infantulis baptiſma , quam ullius noxæ eluendæ cauſa . Hinc porro momentum arripimus, quod, ſi ad rectæ rationis & ſeverioris criticæ regulas exigatur, plane eſt decretorium; inimicorum enim ipſorum teſtimonio hæc, quæ facti eſt, veritas comprobatur, quum Pelagiani conſuetudinem hanc, etſi cauſæ ſuæ maxime incommodam, & exitialem , antiquiſſimam & antiquiſſimam eſſe , confeſſi ſint. Quibus vero recta ratio, & communis ipſe hominum ſenſus perſuadent, hanc facti veritatem magis fuiſſe perſpectam ? Iiſne, qui haud procul a quinti ſæculi initio conſuetudine hac a Catholicis exagitati , & ejuſdem tunc ubique vigentis teſtes erant, & Apoſtolico ævo propiores quid pridem factitatum eſſet , melius faciliuſque noſſe poterant, an iis, qui tanto intervallo ab ea ætate diſtant? Minus ne etiam veterum, quam recentium Pelagianorum intererat , in conſuetudinis hujus originem, antiquitatem , ac auctoritatem diligenter inquirere ? Num inter veteres Pelagianos non erant , qui diligentiæ huic tam neceſſariæ pares eſſent, homines ingenioſi, acuti, & erroris ſui tenaces, quem ſentire non poterant, conſuetudinis hujus vetuſtate atque auctoritate convelli? Quis ergo prudens Novitios Pelagianos morari velit conſuetudinem hanc ſine auctore , ſine teſte, ſine tabulis oppugnantes?

VII. Quoniam itaque hæc facti veritas tam Catholicis, quam Pelagianis, Auguſtini ætate (ad quam nos Calvinus, ejuſque Diſcipuli provocant, ut inde intelligamus, quantum a puriſſima, quæ tunc in Eccleſia vigebat, doctrina noſtra procul abſit) rata & fixa erat, nec de baptizan-

zandis infantibus, ſed de cauſa, cujus gratia baptizandi eſſent, concertatio fervebat, Catholicorum omnium nomine cauſam hanc orans Auguſtinus ſerm. 294. *de verbis Apoſtoli* ajebat : *Nos dicimus, infantes, niſi baptizati fuerint, ſalvos eſſe non poſſe, nec vitam æternam habere : ajunt illi, non ſalutis, aut vitæ æternæ cauſa baptizandos illos .... removeantur pauliſper humanæ rationis conjecturæ, & divina, juxta Apoſtoli monitum, arma ſumantur. Interrogamus hominem, Chriſtianus es? Ait, Chriſtianus ſum : Audi ergo Evangelium tu, qui pueros non baptizatos in regnum cælorum vis inducere, audi Evangelium : niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei &c.* Quibus evidenter conficit, Chriſtianos non eſſe, qui adverſus tam diſertam Domini ſententiam æternæ vitæ aditum pueris non baptizatis aperiunt, a qua quum hominem ſola culpa prohibeat, reliquum eſt, & infantes alicujus noxæ reos eſſe, quæ niſi fuerit baptiſmo ablata, illos a regno cælorum, in quo ſolo æterna vita haberi poteſt, procul arcet. Pelagianis vero cavillantibus, conſuetudinem hanc in Evangelicis aut Apoſtolicis literis nuſquam legi præſcriptam, reponimus, quod de aliis fidei, morum, ac diſciplinæ capitibus graviſſime ſcripſit in l. *de corona* c. 3. Tertullianus : *Hanc, ſi nulla Scriptura determinavit, certe conſuetudo corroboravit, quæ ſine dubio de traditione manavit ; quomodo enim uſurpari aliquid poteſt, ſi traditum prius non eſt ?* Baptiſma infantium conſuetudo Apoſtolorum ævo obtinens, cujus teſtes ſunt Apoſtolorum Diſcipuli, *corroboravit : de traditione* itaque *ſine dubio manavit ;* quomodo enim potuiſſet infantium baptiſma univerſim & ubique *uſurpari, ſi prius traditum* non fuiſſet? A Chriſto itaque edocti Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt, baptiſmo tingendos infantulos. Quorſum autem? Non alium ad finem, quam ſalutis aut vitæ æternæ cauſa, quod, niſi baptizati eſſent, ſalvi eſſe non poſſent, quemadmodum hactenus demonſtratum eſt. Quid vero obeſſe poteſt, quo minus ſalvi fiant, niſi peccatum? Confitendum ergo naſci eos originariæ culpæ reos.

VIII. Phereponio autem blateranti, *nunquam probaſſe Auguſtinum, infantibus baptiſmum a Chriſto, aut Apoſtolis præſcribi, ne pereant*, ipſa Lamindi Pritanii verba reponere placet : „ At Auguſtinus oſtendit, (ſcite ait) non ex apertiſſimis „ quidem Chriſti, & Apoſtolorum verbis ſcriptis, ſed ex vetuſtiſſimæ traditionis teſtimonio, & univerſalis Eccleſiæ uſu (ut alias rationes taceam) præſcriptum a Chriſto fuiſſe parvulorum baptiſmum ; nunquam vero Pelagiani oſtenderunt, contrariam fuiſſe Chriſti, aut Apoſtolorum mentem. Utri parti nunc eſt credendum? Utra pars dicenda eſt rationum inopia laborare? Sincerus quiſque fateatur, ad Pelagianos reddendæ rationis onus heic pertinere. Numquid enim minus Chriſto, & Apoſtolis Chriſti nomine aliquid ſcripto proponentibus, quam ſine ſcriptis, & per legitimam traditionem loquentibus fides habenda eſt? Nos vero palam fecimus, ſaltem per traditionem ſine ſcriptis pædobaptiſmum ab Apoſtolis eſſe præſcriptum. Probent Pelagiani, aliter ſe rem hanc habere ; probent nihil aliud credendum eſſe, quam quod in Scripturis ſacris aperte propoſitum eſt : probent, futilem eſſe interpretationem multorum Scripturæ locorum, e quibus Catholici deducunt neceſſitatem baptizandi parvulos. In hujuſmodi quæſtionibus illud nos uſurpamus, quod vetuſtiſſimus Scriptor Tertullianus in ſimili ajebat in l. de corona c. 3. &c. ..... Præterea num ſtolidi ac moriones, ac amentes adulti a ſacro fonte arcendi, quod manifeſte a Chriſto aut ab Apoſtolis præſcriptum ipſis baptiſmum non invenimus? “ Hæc vir graviſſimus.

IX. Alterum argumentum ex beneficio redemptionis elicitur. Negare etenim Chriſtianus nequit, Chriſtum univerſalem eſſe humani generis Servatorem ac Redemptorem, non adultorum iccirco tantum ſed & infantium, quum Apoſtolus 1. ad Timoth. c. 2. ſcribat : *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*; quare ut unus omnium omnino, cujuſcunque ætatis ſint, hominum Deus, Creator, & Pater, ita & unus omnium omnino Mediator, atque Redemptor Chriſtus Jeſus, & pro omnibus omnino ſemetipſum redemptionem dedit. At ſi nulla infantibus culpæ labes adhæreat, idne vere pronuntiarit Apoſtolus? Ipſa Redemptoris germana notio nonne ſpiritualem peccati ſervitutem connotat,

a qua Redimentis opera quis eripitur ? Nam *qui facit peccatum*, ait Chriſtus Jo. 8., *ſervus eſt peccati*, a quo liberari nequit, niſi eum *filius liberaverit*. Quare ut non redimitur niſi ſervus, ita nec quiſpiam redimit, niſi qui ſervitutem apud alterum ſervit. Si ergo infantes naſcuntur liberi, nullius peccati ſervituti obnoxii, redempti a Chriſto ergo non ſunt; neque enim redemptione opus habent : non eſt itaque Chriſtus eorum Redemptor : falſo itaque ſcripſit Apoſtolus, Chriſtum *omnium hominum Mediatorem ſemetipſum redemptionem dediſſe pro omnibus*. Brevius & preſſius idem hoc argumentum verſat Auguſtinus l. 1. *de peccat. merit. & remiſſ.* c. 23.: *Unde autem ſalvat, ſi nulla eſt in eis originalis ægritudo peccati? Unde redimit, ſi non ſunt per originem primi hominis venumdati ſub peccato?*

X. Nolumus ad hujus veritatis confirmationem plura conferre, tum quod pauca hæc, quæ contulimus, ſatis videantur nobis demonſtrare, quod volumus, tum quod eam magis illuſtratum ac confirmatum iri, confidimus, quum tenebras diſpulerimus, quas ei offundere moliti ſunt olim Pelagiani, moliunturque & hodie Sociniani, Remonſtrantes, atque Deiſtæ. Auſcultandum tamen Auguſtino nos præmonenti, etſi adverſariorum argumenta maximam difficultatis ſpeciem præſeferant, neque iis adhiberi forte reſponſa queant, quæ animo plene faciant ſatis, non eſſe tamen de veritate hac vel leviter ambigendum, ſed myſterii altitudinem humiliter adorandam, confitendamque ſincere ingenii noſtri tenuitatem. Non piget ſummi Doctoris verba exſcribere, quod ſint illa perquam idonea, multumque momenti habeant ad fovendam in Chriſtianorum animis humilitatem excitandamque ad firmiter aſſentiendum iis, quæ ſunt divinitus revelata, alacritatem. *Ego autem*, ait l. 2. de pecc. mer. & remiſſ. c. 4., *etſi refellere iſtorum argumenta non valeam, video tamen, inhærendum eſſe iis, quæ in Scripturis ſunt apertiſſima, ut ex his revelentur obſcura : aut ſi mens nondum eſt idonea, quæ poſſit, ea vel demonſtrata cernere, vel abſtruſa inveſtigare, ſine ulla hæſitatione credantur*. Quod de hoc fidei capite Auguſtinus, de reliquis ejuſdem generis pronuntiandum. Abſit, ut eorum quopiam Theologus impediatur, hæreat, addubitet, quod nonnulla ſe offerant e naturali ratione ducta argumenta, vetius ſophiſmata, quæ plurimum negotii faceſſunt, nec extricari tam facile poſſunt. Illud firmiter retinendum, vera certiſſime eſſe, quæ Deus revelavit, falſa vero, quæ cum iis pugnant; nam verum vero non eſt contrarium, nec vero opponitur niſi falſum. Cæterum ſperamus, fore, ut nullum ſit veterum recentiumque adverſariorum, undecunque petatur, argumentum, quod, opitulante Deo, lumenque præferentibus Sanctis Doctoribus Auguſtino & Thoma, quibus nemo de myſterio hoc copioſius, nervoſiuſque diſſeruit, ſolide non diluamus; quod ut facilius præſtemus, quoniam hoſtes omni ex parte in nos arma rapiunt, atque conjiciunt, certas ad claſſes eorum argumenta redigemus, ſingula ex ordine refellere ſatagentes.

EXERCITATIO X.

Pelagianorum momenta e ſacris utriuſque fœderis paginis petita ſolvuntur.

I. ERat Pelagianis, Juliano præſertim, Achillis loco decantatiſſimum illud Ezechielis 18.: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris*, atque inde videbantur ſibi, egregie conficere, nullum in Adæ poſteris peccatum eſſe in eos carnali generatione transfuſum, propter quod pœnas dent; alioqui portarent filii iniquitatem Patris contra, ac Deus ipſe expreſſe ait. Quid vero eo loci ſibi vult Deus? quæ germana verborum ejus ſententia? Veſanam Judæorum aberrationem ibi caſtigat, quorum factum jam erat tritum ſermone proverbium : *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt*, ideſt Patres peccarunt, & filii puniuntur. Deus, ut a ſtulta & præpoſtera hac illos opinatione deduceret, jurejurando etiam interpoſito ait, filium non puniendum pro patre, nec ab innocente repetendas debitas reo pœnas, ſed morti futurum obnoxium, quicunque peccarit: hæc porro Dei ſententia ad ea, quæ propria quiſque voluntate admiſerit, peccata refertur, pro quibus æquum eſt, non puniri niſi peccantem, abhorrereque a juſtitia, innocentem una ſimul cum reo mulctari. At ſi quiſpiam alienæ culpæ ſit particeps imitatione, num juſtitiæ adverſatur, dare illum & ſuæ imi-

Digitized by Google

imitationis pœnas? Imo tunc eſt æquiſſimum, propter delicti communionem & filium cum patre, & patrem cum filio damnari, quapropter Deus ipſe non ſemel ait: *Ego ſum Deus zelotes viſitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem his, qui oderunt me*, quando ſcilicet filii, nepotes, pronepotes, abnepotes in parentum majorumque ſuorum pravis veſtigiis inſiſtunt, eorumque in ſe ſcelera exprimunt imitando. Innumera divinæ hujus in poſteros paterni ſceleris imitatores animadverſionis exempla ſacris in libris occurrunt, quin & apud homines in more eſt, filios eodem, quo Patres, ſupplicio afficere, ſi in paterni ſceleris venerint ſocietatem. Ad rem itaque: „ Non punitur „ filius pro peccato Patris, ait D. Thomas, „ niſi ſit particeps culpæ, ſicque eſt in „ propoſito; derivatur enim culpa per originem a Patre in filium, ſicut & peccatum actuale per imitationem, ideoque quum peccatum primi parentis (ceu „ totius humanæ naturæ principii & capitis) ſit quodammodo commune totius „ naturæ peccatum, dum aliquis pro peccato primi parentis punitur, non punitur pro peccato alterius, ſed pro peccato ſuo. “ Erit hæc D. Thomæ doctrina paucis conſtricta infra uberius declaranda, quum ad diſſolvenda ventum fuerit argumenta, quæ e naturali ratione cuduntur.

II. Auguſtinus idem hoc argumentum in Julianum acute torquet, & laudato Ezechielis teſtimonio probat, originalem noxam in filios a primo parente transfundi; nam *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*: parvuli moriuntur, ergo peccarunt. Rurſus: Non fert Deus æquiſſimus, filium, ſi omnino ſit innocens, patris iniquitatem portare, ſive pro ea plecti: ſinit tamen Deus, innumeris quotidie vexari malis, & mortem obire infantes multos: vel iniquus ergo Deus tam graves ab innocentibus pœnas repetens, vel primi parentis culpæ participes ſunt infantes, eadem pœna mulctati, quæ illius peccato conſtituta fuit: at non imitatione: origine ergo. En Auguſtini verba l. 3. op. imperf. contra Julianum c. 49.: *Quidquid igitur pœnarum in hac ætate patitur parvulus, quo merito patitur, ſi nullum ex parentibus traxit? Quum juſtiſſimus Deus pœnas immeritas, nec infligat alicui, nec infligi ſinat, nec dici poſſit, ad exercendam virtutem parvuli, quæ adhuc in eo nulla eſt, hæc eum mala perpeti &c.* Poſtrema Auguſtini verba hunc habent ſenſum, a ſapientiſſimo æquiſſimoque Deo vitæ hujus mala ſemper immitti, vel ad plectenda crimina, vel ad virtutes augendas, quemadmodum Jobum, Tobiam, aliosque veteris ac novi fœderis juſtos viros, licet ſibi pergratos, probatoſque variis malorum generibus affecit, afflixitque, ut ſanctus horum malorum uſus multum eis afferret virtutis meritique profectum; quum ergo parvulis per ætatem non liceat, libero arbitrio uti, ſine quo virtutis incrementum eſſe nequit, quibus premuntur, mala non *ad eorum exercendam virtutem*, ſed ad luendam originariæ noxæ pœnam divino eis judicio inflicta ſunt.

III. Ad hæc Auguſtini verba animadverſionem hanc apponit Phereponus Auguſtinum inſolentiſſime alloquens: „ Satius multo eſſet, dicere, te neſcire, cur „ innoxii miſeri ſunt, quam, ut facias „ eos noxios, invenire hypotheſim, quæ „ tot difficultatibus laborat. “ O nequiſſimum caput? Num Auguſtinus, aut alius quiſquam mortalium hypotheſis hujus inventor? Annon Spiritus ſancti organum Paulus (ſic eum Calvinus vocat) eam tradidit apertiſſime, ajens: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt?* Num erit hæc, etſi ab Apoſtolo tradita, hypotheſis repudianda, quod multis laboret difficultatibus? Hominis ne eſt, qui rectam Dei ideam habeat, divina velle humano metiri pede, atque ea reiicere, quod non poſſit perſpecta illa habere & denotata? „ Sed quid ſunt, pergit, hæ „ infantium, puerorumque breviſſimæ mi„ ſeriæ, ſi cum æterna beatitudine, qua „ eas Deus penſat, conferantur? Nihil pror„ ſus, aut, ſi quid nihilo poſſet eſſe mi„ nus. Itaque quod Deus eas ab illis in hac „ vita non amolitur, mirum videri nequit. “ Recte quidem, ſed extra oleas. Paulo perlibenter aſſentitur ſcribenti, *momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus in nobis operari*, ideoque & parvulorum miſerias quaslibet præ æterna beatitudine *momentaneas* eſſe atque leviſſimas. At æterna hac beatitudine donari non poſſe illos, niſi fuerint lavacro regenerationis abluti, tam valide demonſtratum eſt, ut nihil opponere

Pha-

Phareponus, aut gregalium ejus quilibet poſſit, niſi obfirmatum in errore animum, & conſtanter averſum a vero. Quorſum vero baptizari eos, neceſſe eſt, ſi nulla in eis ab utero culpa ineſt, quæ ſola prohibere hominem poteſt, ne ultimum finem ſuum, æternam ſcilicet felicitatem, obtineat? Sed erit eadem hæc præpoſtera Phereponi in Auguſtinum animadverſio infra ex inſtituto convellenda, quum de originariæ noxæ effectis ſermo erit & pœnis. Reliqua perſequamur, quæ cum Pherepono, tum aliis ejuſdem farinæ hominibus viſa ſunt huic, quam tuemur, veritati adverſari.

IV. A veteri ad novum Teſtamentum tranſiliunt, Pauli epiſtolas diligenter excutiunt, hæcque ex iis colligunt, quæ in nos torqueant. 1. Paulus ad Rom. 4. verſ. 15. ait: *Lex iram operatur, ubi enim non eſt lex, neque prævaricatio:* qui poſſunt ergo infantes prævaricatores haberi, atque iræ ſive vindictæ obnoxii, qui uſus rationis per ætatem impotes nulla lege obſtricti ſunt, nec vero obſtringi poſſunt? 2. Illud Pauli ad Rom. 5. v. 12., *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, in quo triumphant Romanenſes, ſuæque ſententiæ arcem collocant, tantum abeſt, ut iis faveat, ut potius incommodet, & adverſetur. Numquid enim ſolus Adam peccavit? Nonne & Eva, & quidem ante virum, quem ad peccandum ſuaſione & exemplo pellexit? Qua etiam ratione peccatum Adæ in prolem traduci, ſanciunt? Per originem, ajunt, carnali videlicet propagatione? At nequit iſta, niſi maris & fæminæ conjunctione atque opera perfici. Si ergo Apoſtolo ſermo erat de peccati hujus in poſteros per originem derivatione, dicere plane debuerat, per primos homines peccatum in hunc mundum intraſſe; nam ambo vere peccarunt, & ad originariam hanc, quæ jactatur, criminis ſui transfuſionem, ambo concurrunt. Apoſtolus tamen peccati in mundum introitum uni homini adſcribit: peccati ergo deſignat introitum per imitationem, non per originem. 3. Id a ſe. reipſa deſignari, declarat ibidem Apoſtolus v. 14. adiiciens: *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt &c.* Aliquos itaque, qui non peccarunt, morti obnoxios agnoſcit Apoſtolus: ſola itaque imitatione peccatum in mundum intraſſe, ſignificat; alioqui ſi de peccati introitu *per originem* loquebatur, quei ſcribere potuit, *etiam in eos, qui non peccaverunt, regnaſſe mortem?* Ullus ne hominum, præter Chriſtum, qui non ex Adamo carnis originem trahat, neque ſit ex ejus ſemine procreatus? Nullus itaque non peccaſſet, ſi ad omnes Adæ culpa carnali procreatione traducitur: falſo ergo ſcripſiſſet Paulus, regnâſſe mortem in eos quoque, qui non peccarunt? 4. Quid eo diſertius, quod ibidem habet v. 19. *Sicut per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi &c.?* Si enim per inobedientiam Adæ carnis propagatione diffuſam peccatores conſtituuntur homines, non *multos* dixiſſet Apoſtolus, ſed *omnes*, quum *Deus ex uno fecerit, omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*. Denique illud locupletiſſimum eſt, quod idem ſcribit 2. ad Cor. c. 5. v. 10.: *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. A Chriſto namque, teſte Apoſtolo, de iis ſolum judicandum, quæ ſuo quiſque in corpore geſſit, ſeu voluntate propria in corpore degens admiſit: perperam itaque originalis quædam noxa fingitur, quæ divino obnoxios judicio faciat homines, etſi recentes ab utero, qui ſuis in corporibus nihil boni malive geſſerunt.

V. Quam ſint hæc Apoſtoli teſtimonia præpoſtere ac violenter ab Adverſariis detorta, & a legitimo eorumdem ſenſu ad ſuæ cauſæ commodum, repugnante Paulo, traducta, patebit eundo per ſingula. Ad primum autem quod attinet, illud ſibi ſumunt Adverſarii, quod nullo modo conceditur, nullum eſſe peccatum, niſi actuale propria ejus, qui peccat, voluntate commiſſum. Hoc ſane ſumpto ac conſtituto, quis non videt, ut nulla eſt, nec eſſe poteſt prævaricatio, quum nulla lege vetatur actio (eſt enim peccatum legis violatio), vel tametſi lex fuerit, quæ actum vetet, ab operante tamen innoxie & ſine culpa ignoratur, ita prævaricationem hujuſmodi cadere in pueros non poſſe, qui, quod rationis uſu careant, nequeantque legem cognoſcere, nulla lege tenentur? Cui autem Catholicorum hactenus in mentem venit, quæſtionem de *actualibus* puerorum culpis inſtituere, eoſque, tametſi e vulva recenter effuſos, culpæ alicujus propria voluntate patratæ reos habere? Scripto traditoque Dei verbo, Patrum conſenſu, Eccleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ auctoritate, ac theologica demonſtratione freti id unum agimus, ut originaria noxa eos teneri, probemus; quum enim in peccato aliquo concipi naſcique illos, momenta firmiſſima mox indicata conficiant, legitime ac neceſſario concludimus, peccatum hoc, quo infantes obſtricti ſunt, *originale* eſſe, non actuale, cujus pro ea ætate capaces neque ſunt, neque concipi a quoquam poſſunt. *Peccatores* itaque *per Adæ inobedientiam conſtituti* quum ſint, quum in Adamo *peccaverint*, ut ab Apoſtolo diſcimus, mirum ne, legis prævaricatores & illos haberi, necnon ceu reos divinæ legis violatæ puniri? Quamquam ut [eorum ſinguli ceu Perſonæ ab Adamo diſtinctæ ſpectantur, nec legi ſubeſſe, nec eam ſua violare voluntate] potuerint, ut tamen in Adamo fuerunt ceu communi totius naturæ principio atque capite; cujus voluntas poſterorum omnium voluntas *moraliter* erat, quum omnium morale caput legem ſibi latam, quæ & ad omnia ejus membra ſpectabat, violavit, peccante Patre peccavit & quilibet ejus filius, cujus voluntas *moraliter* Patris voluntas erat, eoque prævaricante quilibet noſtrum factus eſt non voluntate propria, ſed voluntate capitis prævaricator. Ita Auguſtinus epiſt. 157. ad Hilarium: *Prævaricata lege, quæ in paradiſo data eſt, naſcitur homo ex Adam cum lege peccati, & mortis*. Eſt quidem hæc doctrina captu difficilis, ſed infra pro viribus declarabitur; neque enim ſunt in unum locum omnia compingenda.

VI. Mirum, tam procaces eſſe Adverſarios, aut vecordes, ut in eodem illo diſertiſſimo Pauli teſtimonio ad Rom. 5. v. 12. erroris ſui præſidium [quætant, quo profligatur ille penitus & obteritur. Julianum in eo cavillantem Auguſtinus nervoſe ſic refutat, beſtiamque in ſua confodit arena: „ Numquid Evam, ait, non imitantur „ peccantes, aut peccatum humani gene„ ris non magis ex ipſa ſumpſit initium? „ *A muliere*, ſicut ſcriptum eſt Eccle„ ſiaſt. 25., *a muliere initium factum eſt* „ *peccati, & propter illam morimur omnes*. „ Cur ergo non vis attendere, propterea „ Apoſtolum dixiſſe potius *unum hominem*, „ per quem intravit in mundum, quia non „ imitationem, ſed generationem volebat „ intelligi? Sicut enim a muliere peccati „ initium fuit, ſic initium generationis a „ viro eſt, quia prior vir ſeminat, ut fæ„ mina concipiat: ideo per unum homi„ nem peccatum intravit in mundum, „ quia per ſemen generationis intravit, „ quod a viro excipiens fæmina concepit, „ quo more naſci noluit, qui ſolus ſine „ peccato eſt natus ex fæmina. " Profecto, ut exercit. IX. nu. IV. animadvertimus, ſi Apoſtolus peccati introitum imitationi tribuit, non origini, nonne par erat, ut diceret: *per unam*, nempe Evam, quum prior Eva peccarit, eamque imitentur, quicunque peccant? Hunc tamen peccati introitum carnali propagatione, non imitatione factum eſſe, ſentiens conſulto dixit: *per unum hominem*, quia etſi ad liberorum procreationem fæmina quoque concurrat, exploratum tamen omnibus eſt, ſolum virum activum, ut vocant, generationis principium eſſe. Quum etiam in conjugali opere vir & mulier *non ſint duo, ſed una caro, ſeu duo in carne una*, rectiſſime Apoſtolus dixit, peccatum hoc in mundum intraſſe *per unum hominem*, quia in danda liberis opera, quam comitata eſt noxæ hujus transfuſio, Adam & Eva facti ſunt *una caro*, fueruntque duo *in carne una*.

VII. Eſt quidem alterum, quod ex v. 14. petitur, paulo difficilius, multumque eſſet in eo diſſolvendo ponendum operæ. Verum, quum eodem hoc teſtimonio abutantur Præadamitæ, ſtultiſſimumque errorem ſuum eo confirmare nitantur, illud exercit. I. *de primo homine* ſatis, ut puto, explicavimus, & germanam Apoſtoli ſententiam proferre cum D. Thoma conati ſumus; quare ne ibi copioſe dicta repetamus, breviter ea contrahentes reponimus, nihil teferre ex laudatis Pauli verbis commodi Pelagianos poſſe: quid enim ſi contendamus, particulam *non* extraneam eſſe, & ſola librariorum oſcitantia, aut inſcitia in nonnullos codices irrepſiſſe? Auctores, ſuffragatoreſque haberemus Ambroſium, Auguſtinum, alioſque non paucos particulam hanc ab antiquiſſimis, probatiſſimiſque codicibus abeſſe teſtantes, in quibus memoratus verſiculus ita legitur, *regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen in eos, qui peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. Quid vero magis ad Apoſtoli mentem exactum? Annon mira horum eſſet cum ſuperioribus connexio? Annon his confirmaſſet Paulus, quod paulo ante præmiſerat, per unum nempe hominem peccatum in mundum intraſſe, ac cum peccato mortem, hancque in omnes

omnes homines pertranſiſſe, omneſque in uno peccaſſe? Retineatur tamen cum vulgato Interprete hæc particula: quid tum inde? Adverſariorum ne ullus hactenus potuit adhibitam a D. Thoma ad hæc Pauli verba interpretationem elidere, & ab Apoſtoli ſcopo alienam eſſe, probare? Ejuſdem, quam ibidem integram dedimus, ſummam nunc damus: *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt*, propria nimirum voluntate, atque actu, *in ſimilitudinem*, *id eſt* ob, *vel* propter *ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, quæ in omnes carnali generatione diffuſa in cauſa fuit, ut omnes ab Adamo ad Moyſen uſque mortem obierint, ii etiam, qui per ætatem actu peccare non poterant, ut pueri, vel qui actualis cujuſque gravis ſceleris expertem vitam duxerunt, ut veteres juſti. Quiſquis continentem apoſtolicæ orationis ſeriem expenderit, contenderitque cum antecedentibus conſequentia, deprehendet, hanc Angelici expoſitionem Pauli ſententiæ reſonare, atque Ethiopicæ Epiſtolarum ejuſdem verſioni, quæ in Londinenſibus polyglottis extat, quamque loco mox indicato deſcripſimus, reſpondere.

VIII. Sed & hominum eſt tenebras veritatis ſatis perſpicuæ meditato offundentium, quod ex v. 19. depromunt, atque in nos torquent; quid enim ſi Paulus ait, *per unius*, Adæ ſcilicet, *inobedientiam peccatores conſtitutos multos*? Non omnes ergo, ſed multi ſolum? Peregrini plane, atque hoſpites in divino eloquio ſint, oportet, qui ignorant, frequentem in eo figurati hujus loquendi modi uſum eſſe, neque raro totum pro parte, partem pro toto, pro multis omnes, pro omnibus multos poni, quod innumeris illuſtrari poſſet exemplis, percepiſſentque facillime Pelagiani, niſi a veritatis luce ſponte oculos avertiſſent. Nonne ibidem Paulus v. 12. ſcripſerat, per peccatum unius mortem *in omnes homines* pertranſiſſe, *& in uno omnes peccaſſe*? Nonne & ibidem v. 18. ait, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem &c.*? Paulum ne ergo ſecum pugnare dicemus? Fatendum itaque, illum ſynecdoche uſum, quum inquit, *per unius inobedientiam peccatores conſtitutos multos*, multos poſuiſſe pro omnibus, quos v. 18. aſſerit, *per unius delictum in condemnationem* incidiſſe, & v. 12., morti obnoxios factos eſſe, & in uno peccaſſe. Neque eſt, cur Adverſarii cavillentur, a Paulo Chriſtum inter & Adamum ibi comparationem inſtitui, nimirum ſicut per Adæ inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per Chriſti obedientiam multos conſtitui juſtos, ideoque, ſicut non ſiunt Chriſti juſtitiæ participes, niſi qui ei obediunt, eumque imitantur, ita nec peccati Adæ communione pollui, niſi qui eum peccantem propria voluntate ſectantur; neque enim eo ſpectat, quod ipſi comminiſcuntur, inſtituta Chriſtum inter & Adamum ab Apoſtolo comparatio, ſed quemadmodum ex tota orationis ejus ſerie patet, intellexitque perpetuo atque conſtanter univerſalis Eccleſia, cui non *verbum ſuum* duntaxat, ſed & *ſpiritum*, ſeu legitimam verbi ſui intelligentiam Dominus commendavit, docere Apoſtolus voluit, ſicut omnes, qui ex Adamo carnaliter procreantur, peccato, condemnationi, & morti obnoxii ſunt, ita fieri juſtitiæ Chriſti participes, quotquot in eo ſpiritualiter regenerantur. Quum nullus ergo ſit, cujus ad Adamum carnalis origo non referatur, nullus item eſt, qui ex eo peccatum, condemnationem, mortemque non trahat, etſi non omnes, qui ex Adæ ſemine procreati ſunt, ſpiritualiter renaſcantur in Chriſto, ſeu baptizentur.

IX. In poſtremo Apoſtoli teſtimonio exponendo non multum operæ locandum eſt; ſuis enim quiſque oculis certior fieri poteſt, in toto eo 2. ad Cor. capite de adultis Paulum agere, quos *ante tribunal Chriſti manifeſtari*, *oportet*, *ut referat unuſquiſque propria corporis &c.* ſeu vel propria voluntate admiſſorum criminum pœnas det, vel pro recte factis præmio donetur. Audiendus Auguſtinus, qui Julianum in laudatis Pauli verbis inepte nugantem hoc exagitat, premitque dilemmate: *Utrum & parvuli manifeſtabuntur ante tribunal Chriſti*, *aut non*? *Si non manifeſtabuntur*, *quid te adjuvat iſta ſententia*, *quando ad eos non pertinet*, *quod per corda & ora geſtantium ſive credunt*, *ſive non credunt*? Pergit Auguſtinus, demonſtratque, laudata Pauli verba ad adultos primo & præcipue pertinere, licet & parvuli non baptizati poſſint, *ante tribunal Chriſti reportare malum*, ſive damnari, ſicut & baptizatos, etſi nihil boni ſua voluntate geſſiſſent, a Chriſto Judice in regni cælorum poſſeſſionem induci, Pelagiani confitebantur. *Vide ergo*, concludit Auguſti-

Digitized by Google

guſtinus, *quum importune nolis, parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis, eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecunque, ſed Dei regnum. Alienum quippe opus eſt, quum credit per alterum, ſicut alienum opus fuit, quum peccavit in altero.*

EXERCITATIO XI.

Conflata ex Patrum teſtimoniis argumenta ſolvuntur.

I. DUas in claſſes Adverſarii Patres tribuunt, atque a Græcis orſi Juſtinum M. opponunt in l. *quæſt.* ad Orthodoxos q. 88., qui illud Jobi, quod ad probandam originariæ noxæ derivationem conferre Catholici ſolent, *nemo* ſcilicet *mundus a ſorde, nec infans &c.* negat, ad pueros referri poſſe. Clementem quoque Alexandrinum afferunt l. 3. Strom. ſcribentem: *ubi fornicatus eſt infans, vel quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus?* ibidem etiam docentem, illud Pſalmi, *& in peccatis concepit me mater mea*, non in Davidem, qui non fuit in peccatis conceptus, ſed in omnium parentem Evam duntaxat cadere. At potiſſimum in Chryſoſtomo triumphant, quem totum ſuum eſſe jactitant, quod in hom. ad Neophitos ſcribat, hac de cauſa baptizari infantes, non quod aliquo ſint inquinati peccato, *ſed ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio*, hom. quoque x. in c. 5. Epiſt. ad Rom. illud Apoſtoli, *per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi*, de ſola corporea morte interpretetur, explicetque, *peccatores* Apoſtolo perinde eſſe, ac *ſupplicio obnoxios, mortiſque reos*, quia Adamo mortuo mortales effecti ſunt omnes, item hom. 17. in Ep. 1. ad Cor. doceat, *per Adæ delictum nos minime perire*, hom. quoque 39. in eamdem Epiſt., *non omnes in Adam morte peccati mortuos eſſe*, hom. demum 24. in ep. ad Eph. *corpus noſtrum peccato Adæ corruptibile quidem factum eſſe, animam tamen non labefactari, niſi peccatis poſt baptiſmum admiſſis*. Ad hos Gregorium Nyſſænum addunt, qui ſcribit, infantes immatura morte ſublatos *omni malitia vacare*, nec definire audet, an & ii extrema mundi die ſint ante tribunal Chriſti manifeſtandi; Baſilium quoque M., qui ait, naturam noſtram, quæ ad nos carnali generatione propagatur, *malam perverſamque non eſſe*, Theodoretum denique l. 5. hæretic. fabularum c. 18. ſcribentem, baptizari parvulos, *etſi peccatum nondum guſtaverint*.

II. Singula, quæ obiiciuntur, perſequemur, & exponemus ex ordine, & in Catholicæ Eccleſiæ ſententiam, nulla prorſus eis illata vi, traducemus. Quod ex l. quæſt. *ad Orthodoxos* corradunt, nihil ad confirmandum Adverſariorum errorem momenti habet; præterquamquod enim Criticis eruditiſque omnibus conſtitutum eſt, librum illum Juſtino M. ſuppoſitum eſſe, quippe quem Auctoris Juſtino multo poſterioris fætum eſſe, demonſtrat, quæ in eo Irenæi, Origenis, quin & Manichæorum integro ſæculo a Juſtini ætate diſtantium fit, mentio, quicunque demum illius Auctor eſſe feratur, inique a Pelagianis in cauſæ ſuæ præſidium advocatur. Sicut enim laudata Jobi verba, *nemo mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram*, de infantibus interpretatur non *ætate* ſed *moribus*, ſicut *filius unius anni* Saul fuiſſe dicitur, *quum regnare cœpiſſet, & duobus annis regnaſſe*, innocenter nimirum & juſte, etſi ad multo plures annos regnum ejus proceſſerit, nec de naturali, ſed de morali vita, quæ operibus libere prudenterque factis tranſigitur, ita ſordes, de quibus Job, culpas intelligit, quas adulta ætate homo prudens ſcienſque perpetrat. Nihil ergo de originaria ibi noxa habet ille: Eam tamen quam diſerte adſtruit ejuſdem l. quæſt. 102.? Eamdem ibi Chriſtum inter ac Adamum a Paulo conſtitutam antytheſim verſans, eadem tradit, quæ verus Juſtinus in dial. cum Tryphone: *Sicut unius inobedientia cauſa eſt damnationis omnibus, qui ab eo deſcendunt corporaliter, ita Chriſti obedientia confert vitam iis, qui per ipſum ſpiritualiter renaſcuntur.*

III. Catholicos tractatores Clementis Alex. verba memorata tam male torquent, ut in varias eos ſententias ire coegerint, quin Jo. Gerardus Voſſius inde arripuerit ſcribendi anſam, ignoraſſe Clementem originalis culpæ naturam. Omnium, quæ ad Clementis teſtimonium adhibentur, mihi maxime probatur P. Berti reſponſum, quod ſit illud ad rectæ ſolidæque critices leges exactum, quibus ſcitum eſt, in perlegendis Scriptorum libris ſpectandum in primis eſſe Auctorum propoſitum atque ſco-

Digitized by Google

ſcopum, atque ex eo de germana eorumdem mente æſtimandum, ferendumque judicium. Quo ergo eo loci collineat Clemens? Quid propoſitum habet? Adverſus Julium Caſſianum e Tatiani Schola ibi eum diſſerere, ſuis quiſque oculis haurire poteſt. Quid ergo? Neminem latet, Tatianum Juſtini M. primo Diſcipulum, exin poſt Magiſtri ſanctiſſimi necem a Catholicorum ſocietate ad Valentini, Saturnini, & Marcionis caſtra dilapſum, nefandos eorum errores, ut tradit Irenæus l. 1. c. 38., adoptaſſe. Qui vero illi? Veterum omnium teſtificatione compertum eſt, eos inter & hos cenſeri, matrimonium ſcilicet non ſacramentum, ſed corruptionem & ſtuprum eſſe, utpote a principio ſeu Deo malo inſtitutum, turpiſſimarum libidinum originem atque ſtimulum, quarum execrando uſu anima in uno corpore fornicata, atque a ſpiritu vitæ diviſa in aliud corpus commigraret, perpetuis ſordibus inquinanda. Hæc quum ita ſint, nemo non percipit, Tatianum Encratitarum ſeu Continentium ſectæ parentem, ejuſque aſſeclas a matrimonio non abhorruiſſe, illudque damnaſſe, quod ejus uſu peccatum originale traducatur in prolem, ſed quod Dei mali illud opus eſſe, ſentirent. Clemens itaque Encratitam refellens, dum ait, *ubi fornicatus eſt infans natus*, quid ſibi vult? Infantis anima, priuſquam corpori manciparetur, quo alio in corpore ſe libidinibus polluit? *Quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus?* Ideſt, quod infantis anima in Adæ execrationem inciderit, non flagitiis deputandum eſt, quæ alio prius in corpore geſſerit, quam huic alligaretur, quum nihil adhuc ſua ſit voluntate operata. Ejus vero, quod addit: *Quando dixit David, &c. in peccatis concepit me mater mea, dicit prophetice quidem matrem ſuam, ſed Eva Mater fuit viventium; etſi in peccatis fuit conceptus, ſed non ipſe in peccato, neque vero ipſe peccatum*, quæ alia poteſt ſententia eſſe, niſi hæc ad refutandum Encratitæ, quem exagitat, errorem plane accommodata? nimirum: David ſe in peccatis conceptum ajens, non in proximam matrem ſuam culpam confert, quæ dans liberis operam malo, & a tenebrarum Principe inſtituto operi vacarit, neque ſcelera indicat, quæ in alio degens corpore prius admiſerit, ut cum Gnoſticis Encratitæ ſtultiſſime blaterabant, ſed primæ omnium viventium matri Evæ ſuam in peccatis conceptionem adſcribit, quod argumento eſt, hoc ipſo in loco traditam haud obſcure a Clemente Catholicæ Eccleſiæ de originariæ noxæ derivatione doctrinam. Si enim David in peccatis conceptus eſt, nec tamen ipſe ante conceptum *in peccato fuit*, neque ipſe *peccatum*, quia anima ejus nec ante corporis ſui conceptionem extiterat, nec in alio corpore jam peccaverat, quorſum Evæ viventium matri in culpa ponitur, quod eum *in peccatis conceperit*? Etſi omnium hominum prima ipſa peccarit, eam tamen peccantem, Clemente auctore, nec Davidis, nec cujuſpiam alterius infantis anima imitata eſt, nec vero imitari potuit, quæ *nihil* operata eſt. Quomodo ergo Davidem alioſque omnes *in peccatis concipere* potuit prima viventium Mater, niſi per originem, quia nimirum ex ejus utero labes originaria traducitur, quæ omnibus, mox ut concipiuntur, adhæret? Hanc Clementis ſententiam magis confirmat, quod variis in ſuorum operum locis expreſſe tradit, *regenerari* ſcilicet animas *ex matrice aqua*, ſeu baptiſmi lavacro. Num vero hac regeneratione opus eſſet, niſi hærerent animæ in ſordibus, quas ab origine contraxerunt? Nihil tamen iis luculentius, quæ ad idem hoc reſponſum illuſtrandum confirmandumque confert ex eodem Clemente Bernardus Marechal Congreg. S. Mauri O. S. Benedicti Monachus *in Græcorum Latinorumque Patrum conſenſione* tom. 1. v. *Clemens Alex.* cap. 8., quibus aperte conficit, erraſſe Elien Du-Pin, qui tom. 1. ſuæ Biblioth. confidentiſſime ſcripſit, Clementem Alexand. doctrinam Eccleſiæ de hoc dogmate vel non habuiſſe perſpectam, vel ſatis ad eam animum non attendiſſe.

IV. Tanta eſt in productis Chryſoſtomi teſtimoniis difficultatis ſpecies, ut Eraſmus, Jacobus Faber Stapulenſis, Dallæus aliique, perverſam hanc Chryſoſtomo ſententiam adſcripſerint, eos tantum in Adamo ſpiritualiter mori, qui propria Adamum peccantem voluntate ſectantur. Quis tamen moderate patiatur, tetram hanc Doctori ſanctiſſimo labem ab iis inuſtam, qui probe norant, ſuſceptam ejus ab Auguſtino fuiſſe, egregieque confectam defenſionem? Nonne eadem hæc Chryſoſtomi teſtimonia a Juliano Pelagianorum ſignifero Catholicis objecta Auguſtinus nitidiſſime expoſuit, & cum univerſalis Ec-

cleſiæ ſeutentia mirifice conciliavit? Nonne quocunque nomine præſtabat, adhibitas ab Auguſtino teſtimoniis ejus interpretationes excipere, quam tantum, optimeque de Eccleſia meritum Patrem in tam peſtilentis erroris ſuſpicionem vocare? Quoniam itaque recta ratio, æquitaſque perſuadent, exponi melius tutiuſque non poſſe, quæ difficultatem afferunt, Chryſoſtomi verba, quam Auguſtino interprete, in ejus veſtigiis inſiſtemus, nec, quæ ille ad Chryſoſtomum explicandum Juliano repoſuit, pigebit exſcribere. Primum, quod opponebatur, ad græci textus fidem exigens Auguſtinus adnotat, dixiſſe Chryſoſtomum: *Ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes*, & continenter addit: *Vides certe, non ab eo dictum eſſe, parvulos non coinquinatos eſſe peccato, ſive peccatis, ſed non habere peccata: intellige propria, & nulla erit contentio. At inquies, cur ipſe non addidit propria? Cur putamus, niſi quia diſputans in Eccleſia Catholica, non aliter ſe intelligi arbitrabatur; tali quæſtione non pulſabatur: vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur*. Sunt poſtrema hæc Auguſtini verba, ut veriſſima, ita & maxime digna, quæ notentur, & in memoria hæreant, quoties antiquorum Patrum nonnulli occurrunt, qui Catholicæ fidei caput aliquod nondum Hæreticorum contentione vexatum tradentes minus forte perſpicue, minuſque caute de illo locuti ſunt, quam fidei regula ferret; par enim eſt credere, eos de populorum fide ſecuros, minus fuiſſe de ampliori dogmatum explicatione ſolicitos, quæ nulla Hæreticorum oppugnatione appetebantur.

V. Eſt quidem paulo durius, & explicatu difficilius ſecundum Chryſoſtomi teſtimonium, quod tamen cum Catholicæ Eccleſiæ doctrina compoſitum perbelle iri, non diffidimus, ſi prænotemus, eadem in homilia originariam noxam diſertiſſime ab eo tradi; nam illud Pauli exponens, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, hoc primi hominis peccato *omnia* ſcribit *contaminata* fuiſſe, illudque primum peccatum peræque ac alia quælibet poſtea admiſſa *per gratiam Chriſti interfici atque tolli*, &, *quotquot in Chriſto baptizantur, peccato mori*. Hinc quum & parvuli recentes a vulva *baptizentur in Chriſto*, ex Chryſoſtomo concludit Auguſtinus, & eos mortuos eſſe peccato: non proprio, ſive actuali, cujus per ætatem capaces non ſunt: originali ergo. Hæc quum ita ſint; quorſum ergo verſiculum decimumnonum ejuſdem capitis, *per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi*, explicans, τὸ *peccatores mortis reos ac morte plectendos* interpretatus eſt? Spectandum maxime eſt, quid eo loci perſequeretur Chryſoſtomus, ut poſſimus mentem ejus ſecurius attingere. Apoſtolo in ejus Epiſtolæ capite propoſitum fuiſſe, ſentit, Judæis perſuadere, juſtitiam Chriſti in multos derivari, ejuſque obedientia multos effici *juſtos*, quod ut facilius intelligerent, exemplum ab Adamo petivit, cujus inobedientia in poſteros traducta multos conſtituit ſupplicio obnoxios, nec tamen cauſam adjecit, cur Adæ filii mortis conſtituantur rei, tum quod eam paulo ſuperius indicaſſet, quum ait: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, tum quod eam addere, neceſſe non eſſet. *Adverſus Judæum*, inquit, *conſtituta pugna eſt ambigentem, & deridentem juſtitiam, quam per Chriſtum factam eſſe, Paulus vult. Idcirco quum oſtendit, & ſupplicium ex uno in omnes derivatum fuiſſe, qua id de cauſa acciderit, nondum addidit*. Cæterum, quid hæc conſectamur, quum ipſa, quæ objecta ſunt, Chryſoſtomi verba originariæ noxæ derivationem ſatis probent? Scribit ille, per unius inobedientiam peccatores conſtitutos multos, ſeu *ſupplicio obnoxios, mortiſque reos*. Bene habet: in tuto eſt apud Chryſoſtomum Catholica veritas; quis enim ſupplicio obnoxius, mortiſque reus, niſi ob culpam aliquam? Ut corona pugnam, laborem merces, præmium recte facta reſpiciunt, ita nec poteſt ſine delicto ſupplicium, mortiſque reatus intelligi; ſi ergo propter unius inobedientiam omnes ſupplicii mortiſque reatu obſtrictos eſſe, Chryſoſtomus ſcribit, hanc primi hominis inobedientiam in omnes per originem derivari, haud obſcure ſignificat; nam omnes, eo interprete, ſupplicii mortiſque rei: in omnibus ergo culpa ſit, oportet, quæ ſola conſtituit ſupplicio obnoxios, mortiſque reos. Illud etiam animadvertendum, iiſdem his Chryſoſtomi verbis cum veterum, tum recentium Pelagianorum errorem convelli, mortem videlicet, aliaſque mortalis hujus vitæ ærumnas naturæ noſtræ conditionem eſſe, non criminis pœnam; quod enim naturale eſt, *ſupplicium* dici nequit,

nec quiſpiam ejus eſt reus, quod a natura habet.

VI. Licet etiam quod ait, *nos Adæ delicto non perire*, *neque omnes Adæ peccato mortuos eſſe*, videantur ab Eccleſiæ fide abhorrere, re tamen ipſa optime cum ea concordat; non enim ſpiritualem, quam animæ peccatum affert, ſed æternam mortem excludit, ſignificatque, etſi omnes ab Adamo carnaliter procreati in corporeæ mortis neceſſitatem incidant, omnibus quoque ſpiritualem peccatum ejus mortem inferat, ſpiritualem tamen hanc mortem non omnibus æterno exitio eſſe; liberati enim ab æterna morte ſunt multi per Chriſti merita, & per fidem in eum venturum, ut in veteri lege, vel per ſacramentum fidei, ſive baptiſmum in lege Evangelica vivificati. Num ſumus in Chryſoſtomum indulgentiores, quam res & veritas ipſa concedunt? Num alienum ab ejus mente ſenſum verbis ejus affingimus, ut illum etſi reluctantem nobiſcum retineamus? Quæ ibidem affert, exempla Noe, Abrahæ, Job, aliorumque ſeu veteris ſeu novi teſtamenti Juſtorum, nonne comprobant, interpretationem hanc noſtram cum ejus mente plane congruere? Nam hi quamquam delictum Adæ naſcendo traxerint, ab eo tamen liberati per Chriſtum ſunt, æternamque vitam adepti. Annon id confirmant, quæ ibidem ſubiicit e veſtigio, *non omnes juſtificati per Chriſtum*, *quum multi in gehennam trudantur?* Nonne hinc eminet perſpicua S. Doctoris mens, licet omnes videlicet ex Adamo peccatum origine trahant, non eo tamen perire omnes, nec in æternum interitum dari, quum multi ab eo immunes fuerint, ut Noe &c. Quemadmodum etſi in Chriſto renati, per eum ſpiritualiter vivificentur, juſtique conſtituantur, non eſt tamen in eis, quam per Chriſtum adepti ſunt, ſpiritualis hæc vita futura æterna, quum multi ſint æterno interitu, & gehennæ igne plectendi. Poſtremum denique ejus teſtimonium, ſi ad græci textus fidem poteſtatemque reddatur, non ſolum non eſt veritati, quam tuemur, infenſum, ſed eidem aperte favet, quemadmodum & operum ejus Editoribus animadverſum eſt. *Corruptibile*, ait, *nobis eſt corpus*, *incorruptibilis anima: ne itaque & ipſam corrumpamus: hoc primum peccatum fecit; quod eſt autem poſt lavacrum, poteſt pariter animam corrumpere, & efficere, ut facile capi poſſit a vermi* *immortali*, ſeu animæ æterno exitio eſſe, quemadmodum multis ibidem egregie declarat. Quid in his Chryſoſtomi verbis non ad Catholicæ fidei regulam plane directum? quid non cum Eccleſiæ doctrina omnino conſentiens? Nonne evidens eſt, docere Chryſoſtomum, intuliſſe primum peccatum corpori & animæ corruptionem, hocque inter primum illud, & ea, quæ *poſt lavacrum ſunt*, peccata diſcrimen conſtituere, quod hæc facile poſſint præter ſpiritualem, & æternam animæ corruptionem, ſive mortem afferre, quam non poteſt primum, quod jam fuit *lavacro*, ſive baptiſmo deletum?

VII. Quæ ex Gregorio Nyſſæno, Baſilio, ac Theodoreto opponuntur, minus requirunt operæ, ut explicentur. Rectiſſimam fuiſſe Nyſſæni de originariæ culpæ transfuſione ſententiam, quis dubitet, qui illud legerit, quod in l. *de vita* Moſis ſcribit, naturam humanam ob Adæ prævaricationem in peccatum lapſam eſſe, hocque certa fide, & conſtanti traditione tenendum? Quid ſibi voluit ergo, dum ait, *infantes omnis malitiæ expertes eſſe?* Agit eo loci de infantibus baptiſmo jam tinctis, quos certum eſt, omni malitia ſolutos eſſe; originaria enim jam baptiſmate deleta eſt, actualem in eos cadere, ætas non ſinit. Cur vero dubitat, an & hi ſint ante tribunal Chriſti in conſumatione ſæculorum manifeſtandi? Quod judicii tunc exercendi ſeries, quam Mathæus deſcribit, ad ſolos videatur adultos tota ſpectare, quos ob exercita, vel prætermiſſa miſericordiæ officia Evangeliſta tradit, afficiendos a Judice præmio, vel pœna. Futuros & parvulos gloriæ participes adultorum, quos Chriſtus ad regni poſſeſſionem vocaturus eſt, quod nulla eos a regno illo malitia prohibeat, parcius tamen præ illis, quod nulla habeant merita propria, diſerte Nyſſænus aſſirmat. Baſilii M. Auguſtinum ipſum damus Interpretem, qui l. 5. cont. Julian. c. 5. ait, ibi eum adverſus Manichæos agere, quorum hæc impia & inſana poſitio, *de gente tenebrarum, quam malam naturam dicunt Deo coæternam, originem habere corpora, atque & ipſa eſſe immutabilia mala*. Itane vero mala atque perverſa eſt, quam per originem a primo parente trahimus, natura? Eſt illa ſuapte bona ab optimo Deo creata, neque ad nos vitiata pervenit, niſi propter Adæ delictum. Quid vero Theo-

co-

doreto propoſitum ? Meſſalianorum errorem exagitat, baptiſmate ſcilicet nonnisi actualia peccata, originale vero ſola oratione deleri. Ad convellendum ſtultiſſimum hoc commentum nonne efficaciſſimum eſt, & plane invictum Theodoreti argumentum e parvulorum baptiſmo ductum, *qui peccatum nondum guſtaverunt*, ſeu illud nondum propria voluntate patrarunt ? Quorſum enim baptizantur, ſi originaria labes baptiſmate non auſertur ? Cæterum qui hujus, quem refellimus, erroris in ſuſpicionem Theodoretum vocant, ii profecto vel non legerunt, aut intelligentia aſſecuti non ſunt, quæ habet ille in expoſit. c. 5. Epiſt. ad Rom. aliiſque in locis.

VIII. Solidiora ne vero e Latinis Patribus potuerunt Adverſarii corradere, quibus dogmatis hujus fidem labefactarent ? Primum jactitant Tertullianum in l. de bapt. ſcribentem : *quid feſtinat ætas ad remiſſionem peccatorum ?* quibus effici putant, Tertulliano viſum eſſe inutilem parvulorum baptiſmum, quod innocentes ii ſint, nullaque, cujus remiſſione egeant, culpa inquinati, in l. quoque *de reſurrectione carnis* ſolam corpoream omnium mortem, non autem ſpiritualem aliquam labem in poſteros derivatam Adæ ponentem in culpa. Eandem, quæ Tertulliano, inſediſſe Cypriano mentem, ſcribit Phereponus, qui ex epiſt. *ad Fidum* hæc Cypriani recitat verba, *infantes contagionem tantum mortis ab Adamo trahunt, quia ex Patre mortali nonniſi mortales naſcuntur.* Michael Servetus recentium Antitrinitariorum parens veritatem hanc oppugnare, ut ſcribit *Syxtus* Senenſis, conatus eſt, iis Hilarii verbis in Comment. in Epiſt. D. Pauli, qui olim S. Ambroſio adſcribebantur : *Eſt & alia ſecunda mors in gehenna, quam non peccato Adæ patimur.* Optatum denique Millevitanum obiiciunt, qui l. 7. ſcripſit, *ad Seth Adæ filium non pertinuiſſe patris ſui Adæ delictum.*

IX. Inique tamen hæc ab Adverſariis obiiciuntur, atque ut ab antiquiſſimo, Tertulliano faciamus reſpondendi initium, quis ſibi a ſtomacho temperet, eum ab Adverſariis excitari erroris ſui patronum ? Nunquam deſciviſſe illum a perpetua de hoc fidei capite Eccleſiæ doctrina, certum adeo, atque exploratum eſt, ait laudatus Marechal in opere paulo ſuperius indicato v. *Tertullianus* c. 12., ut ii ſoli addubitare in hoc poſſint, qui opera ejus nunquam evolverint. Quidpiam ne iis luculentius, quæ non uno in ſuorum operum loco perſpicue docet, infantes, *ſi periclitentur, tingendos abſque mora baptiſmo*, quia *ſine eo nemini ſalus competit*, quia *omnes animæ immundæ & peccatrices ſunt, ignominiam recipientes ex carnis ſocietate, donec in Chriſto recenſeantur, quia omnes de Eva trahunt ignominiam primi delicti, & invidiam perditionis humanæ*, quia *Adam totum genus de ſuo ſemine infectum ſuæ etiam damnationis traducem fecit ? Innocentem* itaque dixit puerorum *ætatem*, quod nondum crimen aliquod ſua ipſi voluntate admiſiſſent. Nihil etiam ex hoc ejus teſtimonio commodi referre poſſe Anabaptiſtas adverſus pædobaptiſmi antiquitatem ſanctitatemque, in trac. *de baptiſmo* prop. 5., ſatis oſtendimus. Nec quidquam Pelagianis ſuffragatur, quod ex ejuſdem libro *de reſurrectione carnis* petunt ; quid enim ibi Tertullianus ? Marcionem, qui carnis reſurrectionem negabat, Apoſtoli præſertim auctoritate refellit, qui 1. ad Cor. c. 15. ſcribit, ſicut omnes per Adam moriuntur, ita omnes per Chriſtum reſurrecturos. Quiſpiam ne uſque eo fuerit vecors, ut putet, negatum ab Apoſtolo originale peccatum, quia de ſola, quæ ab Adamo in omnes tranſiit, corporis morte ibi agens ſcribit : *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum ?* quum alibi, ad Rom. 5. præcipue, mortis hujus cauſam primum peccatum ſtatuat, quod per unum hominem intravit in mundum, & morti aditum fecit. Minus profecto vecordes non ſunt, qui hoc Tertulliani teſtimonio abutuntur, quaſi vero, ubi de ſola corporis morte, & reſurrectione, prout inſtituti, locique illius erat, ſermonem habet, crimen originale rejecerit, quod alibi ſæpe conceptis verbis adſtruxit.

X. In exſcribendis autem Cypriani verbis bona certe Phereponi fides deſideratur. Honeſti ne hominis eſt, aliena verba mutare, pervertere, in remotum ab Auctoris mente ſenſum torquere, atque ea ad errorem ſuum accommodare ? Proferenda Cypriani verba, quibus perſpecta fiet Phereponi fraus. *Si etiam*, ſcribit Cyprianus in epiſt. laudata ad Fidum Epiſcopum dubitantem, an pueris ante octavum ab ortu diem adminiſtrandum eſſet baptiſma, *Si etiam graviſſimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, quum poſtea credi-*

diderint, remiſſa peccatorum datur, & a baptiſmo, atque a gratia nemo removetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? qui ad remiſſam peccatorum accipiendam tanto facilius accedit, quod illi remittuntur non propria ſed aliena peccata. Qui non ſit oculis vel mente captus, nonne ex his Martyris Sanctiſſimi verbis intelligere nullo negotio poteſt, habitos ab eo alicujus peccati reos, quod *ſecundum Adam carnaliter naſcendo contrahunt*, quos pronuntiat, arcendos non eſſe a peccatorum remiſſione per baptiſmum obtinenda, ad quam *tanto facilius accedunt* præ adultis, quod hi præter originariam noxam ex Adamo in eos derivatam actualibus etiam culpis polluti ſint baptiſmo eluendis, infantes vero ad baptiſmum accedant *non proprii*, ſua ſcilicet voluntate admiſſi, ſed *alieni* peccati rei? Recte ne ergo ſcribere Phereponus potuit, *a Cypriano non adſeri, in infantes ullam tranſire internam labem, ſed ſolum contagium mortis antiquæ?* Quid eſt, Scriptoribus omni nomine ſpectatiſſimis, & venerandis illudere, ſi hoc non eſt? Quid ſibi volunt hæc Cypriani, *non prohibendum a baptiſmo infantem, qui nihil peccavit, niſi quod contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit?* ſeu non eſt alterius delicti reus, quam illius, quod ab Adamo naſcendo contraxit, quodque mortis contagionem, ſeu moriendi neceſſitatem ab initio in mundum intulit? Alioqui ſi nullius peccati rei viſi ſunt Cypriano infantuli, cur adiecit, eos *remiſſam peccatorum accipere, eis remitti non propria, ſed aliena peccata, egere* illos *miſericordia Dei*, eorumque *animas*, ſi abſque baptiſmo migrarint, *perdi?* Qui Dei eget miſericordia, miſer profecto eſt, neque animam perdit, niſi peccatum.

XI. Puduiſſe videtur Phereponum, hæc ſcripſiſſe; nam aliter Cypriani ſententiam eludere nititur, addens: „ Denique rhetorice potius fortaſſe dixit, *remitti aliena peccata*, quam didactice. Sane nec imputari, nec remitti aliena peccata ſi proprie loquamur, a juſto Judice poſſunt. Satis eſt, multa Oratorum Eccleſiaſticorum dicta eſſe vel diluto ſenſu vera, quum ſatis conſtet, eos minime accurate loqui ſolitos. “ Multa ſunt in temeraria hac intemperantiſſimi critici cenſura merito reprehendenda; præterimus tamen, quod hujus loci non ſint, breviterque reponimus, Cyprianum etſi Rhetorem egregium, & rhetorice, ut alibi ſemper, ita & in memorata epiſtola ſcribentem, ſuam tamen tam aperte prodidiſſe ſententiam, ut nullus in ejus oratione ſit rethorico fuco, aut exaggerationi locus; Eccleſiæ namque doctrinam aperte, ut Catholicum decebat Epiſcopum, explicavit, nullo ſcilicet proprio crimine, cujus remiſſione egeant, obſtrictos infantes, quod eis per ætatem peccare actu, non liceat, alieno tamen eos teneri ſcelere, ad quod delendum Dei gratia atque miſericordia opus habent, cum quo ſi deceſſerint, *perduntur*, ſeu æternæ ſalutis jacturam faciunt, etſi nihil pravi propria admiſerint voluntate. Alienum porro hoc peccatum literis ſacris & Apoſtolica traditione edocti ſumus, illud ipſum eſſe primi hominis peccatum, quod in omnes ejus poſteros carnali generatione traducitur, *alienum* propterea dictum, quia non propria infantium voluntate patratum eſt, ſed a primis parentibus actu admiſſum ad inficiendam eorum ſobolem per originem derivatur. Quod vero Phereponus tantum exaggerat, a juſto Judice alienum eſſe, aliena alicui peccata imputare, & alieni criminis pœnas ab eo repetere, ſolide nitideque exercit. ſeqq. diſſolvetur.

XII. Quis vero Hilarius ille, quem erroris ſui patronum Servetus laudat? Num celebris ille Pictavienſis Epiſcopus? At hunc aliis Catholicæ veritatis hujus ſtrenuis defenſoribus Auguſtinus annumerat, & Juliano ejus quoque auctoritatem opponit. An Hilarius alter Arelatenſis? Verum fideliſſimum hunc Auguſtini Diſcipulum vel ſuſpicari nefas eſt, errorem hunc animo complexum eſſe. Auctor Commentariorum in ep. Pauli, quibus olim Ambroſii nomen inſcriptum erat, eruditorum omnium judicio eſt Hilarius Diaconus, qui Luciferaniorum ſchiſma plurimum fovit, propagavitque: Schiſmatici autem, obſcurique Scriptoris quæ poteſt auctoritas eſſe? Ejuſne dicta tanti facienda, ut de iis explicandis laborandum ſit? Fatemur denique, dubitatum olim, an Optati Millevitani vere ſit liber ſeptimus, qui ejus nomen præfert. Quod Hieronymus ſex duntaxat librorum ejus meminerit, quod Optatus ipſe libro primo ſex tantum librorum argumenta proponat, quod ejus denique ſtylus

ab

Digitized by Google

ab aliorum ſtylo diverſus ſit, Franciſcus Balduinus, Gabriel Albaſpinæus, Ludovicus Ellies Du-Pin, aliique ſuſpicati primum ſunt, librum hunc alterius ab Optato Parentis fætum eſſe: verum plurium optimæ notæ codicum fide, aliiſque momentis demum ſe adductos teſtantur, ut illum legitimo ſuo parenti redderent, Optato nempe. Quid ergo? Gerardo Voſſio num dabimus, ignoraſſe Optatum originale peccatum? Num Merico Caſaubono aſſentiemur ſcribenti, imprudenter ac incaute ab Optato dictum, quod acris, ſeverique judicii cenſuram ſuſtinere non poteſt? Quin neceſſe ſit ad tuendam tanti Viri famam hæc minus in eum honorifica reſponſa adoptare, ſatis eſt, ipſum in fonte, ut ajunt, & ut nos fecimus, adire, ut ſuis quiſque oculis certior fiat, non de originali, ſed de actuali peccato ibi Optato ſermonem eſſe; Agit enim de *Traditoribus* (quid horum nomine veniat, norunt & viri de trivio) quorum impietatem iis, qui in eorum ſcelus non conſenſerant, nocere non potuiſſe, probat exemplo Seth viri probi atque juſti, ad quem *non pertinuit, quod Adam* ejus pater *admiſerat*. Profecto, ut Adæ crimen, quatenus *perſonale & actuale*, ad Seth ejus filium non pertinuit, ita nec perſonalia proximorum parentum ſcelera in prolem traduci poſſe, mox ſumus demonſtraturi. Cæterum fuiſſe ejus de originaria noxa ſententiam rectiſſimam, & communi Eccleſiæ doctrinæ maxime conſentaneam, evidenter oſtendunt, quæ l. 4. ſcripſerat, propter illam nempe *omnem hominem, qui naſcitur, etiamſi de Chriſtianis parentibus naſcatur, ſine immundo ſpiritu eſſe non poſſe*.

EXERCITATIO XII.

Quæ Pelagiani e naturali ratione petita urgent, eliduntur.

I. IMportuna atque moleſta eſſe, non negamus, quæ adverſus hoc dogma humana ratio ſuppeditat, argumenta; non eſt tamen deſpondendus animus; quum enim verum vero contrarium non ſit, ſi quæ videntur dogmati huic adverſari, rectæ, quæ a primo veritatis fonte eſt, rationis inventa non ſunt, ſed errantis ſophiſmata. Sane annon purum putidumque ſophiſma eſt, quod veteres novique Pelagiani exaggerant; ſi peccatum hoc ſcilicet per carnis originem traducatur in prolem, carnem ſuapte natura malam, malique Dei, ſeu diaboli opus dicendam, (quæ Manichæorum inſana poſitio fuit) omniumque filiorum Adæ Diabolum confitendum auctorem, ſi omnes ab ipſo conceptu atque ortu inquinatos ſub ſua habeat poteſtate? Numquid enim peccatum humanæ naturæ ingenitum eſt, & innatum? Annon ſolo pravæ voluntatis vitio mutuatum? Veritatem hanc validiſſime probat Auguſtinus l. 3. contra duas epiſt. Pelagian., quod nimirum humana natura medicinali Servatoris gratia ſanata fuerit, quæ ſanari non potuiſſet omnino, ſi eſſet ei peccatum *æternum ac immutabile malum*, ideſt penitus inſitum, ac naturale, qui & Juliano reſpondens ait: *In parvulo non eſt tantum natura, in qua creatus eſt homo a Deo bono, ſed & vitium, quod per unum hominem in homines pertranſiit: horum duorum unum adſcribitur Deo, alterum diabolo: propter vitium ſubiicitur poteſtati diaboli, propter naturam non ſub diaboli, ſed ſub Dei poteſtate eſt*; Deus enim optimus hominem ab initio rectum fecit, eumque ſibi reliquit, ut vel liberi arbitrii bono uſu, & gratiæ adjuvantis auxilio collatam ſibi juſtitiam conſervaret, vel libertate abutens ab ea, quam acceperat, juſtitia deflecteret. Quod ſi homo optime a Deo inſtitutus prava ſe ipſum alioſque voluntate perdidit, & a ſuaviſſimo Dei dominatu deſciſcens, in diaboli poteſtatem ultro ſe tradidit, num culpandus eſt Deus? *Tota ergo libertas arbitrii*, præclare ajebat l. 1. adverſus Marcionem Tertullianus, *in utramque partem conceſſa eſt homini, ut ſui Dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando; quoniam & alias hominem ſub judicio Dei oportebat, juſtum illud efficere de arbitrii ſui meritis, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni nec mali merces penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate fuiſſet inventus non voluntate. In hoc & lex conſtituta eſt, non excludens, ſed probans libertatem de obſequia ſponte præſtando, vel tranſgreſſione ſponte committenda: ita in utrumque exitum libertas patuit*. Quid his luculentius, magiſque cum Moſis narratione de primi hominis ortu, atque caſu conſentiens?

II. Quam eſt etiam ineptum & frigidum, quod veteres Pelagiani urgebant, damnandas ſcilicet nuptias, earumque uſu abſti-

Digitized by Google

abſtinendum, ſi Adæ peccatum carnali generatione transfertur. Cur enim malæ nuptiæ, & improbandæ? Propagandi conſervandique humani generis gratia inſtitutæ illæ a Deo ſunt: quid vero ſi earumdem uſu peccatum originis a parentibus derivatur in liberos? Traductionem hanc, ait diſerte Apoſtolus, primo homini in culpa ponendam eſſe, non nuptiis; per eum enim *peccatum in hunc mundum intravit .... in quo omnes peccaverunt*. *Nuptiæ*, reſpondet Auguſtinus l. 2. de nupt. & concup. c. 26., *inſtitutæ ſunt cauſa generandi, non peccandi: peccatum autem, quod inde a naſcentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, ſed ad malum, quod accidit hominibus, quorum conjunctione ſunt nuptiæ*. Cavillanti vero Juliano, malas abſolute cenſendas nuptias, ſi ex earum uſu tam noxius fructus, originariæ nimirum labis communicatio exiſtit, nam a fructibus dignoſcendam arborem, docet Chriſtus, num bona vel mala ſit, reponebat egregie Auguſtinus, quum originariæ noxæ traductio non ſit in nuptias conferenda, ſed in primum Adæ peccatum, fuiſſe illud arborem profecto malam, cujus eſt peſtilens adeo, atque exitiabilis fructus.

III. Captioſis tamen hominibus ſatis hæc non poſſe facere videntur. Quis enim negare poteſt, a parentibus in prolem per conjugii uſum crimen originis certiſſime propagari? Culpa ergo vacare non poſſunt, quotquot rei uxoriæ dant operam, unde tantum in prolem malum ſine dubio traducitur, ſatiuſque erit & laudabilius, opus vitare, quod tanti mali propagatio neceſſario conſequitur. Verum quid tum inde? Abeſt a culpa rectus conjugii uſus, immo & meritorium eſſe, docet D. Thomas, etſi proles originario crimine polluta naſcatur; non enim generationis actum labes illa conſequitur, ſed primi parentis delictum, quo tota humana natura ita vitiata fuit, ut non poſſit in omnes ejus poſteros carnaliter ab eo genitos hoc naturæ vitium (niſi ſummus naturæ Auctor præter ordinem operans impediat) non tranſire. Si perſtitiſſet felix innocentiæ ſtatus, fuiſſet profecto & tunc conjugii uſus, quo translatum fuiſſet ad poſteros originalis juſtitiæ donum, quod Deus in humana natura poſuerat, ea lege, ut ab Adamo una cum natura in poſteros transferretur. Quia ergo prava ille voluntate ſua ſibi aliiſque omnibus doni hujus jacturam fecit, naturam derivat ad poſteros eo dono nudatam. Hujus porro doni privatio voluntaria quum ſit, per culpam, Adæ videlicet, qui totius humani generis principium erat, & caput, poſteros omnes non actu continens ſed virtute, mirum ne accidet, neminem ut ut ſanctum vacare conjugio poſſe, quin culpam in prolem gignendo transferat, ſeu naturam ei communicet originalis juſtitiæ dono ſpoliatam, in cujus privatione noxæ hujus ratio proprie ſita eſt? Hinc nullo negotio intelligitur, noxam hanc carnali generatione traduci, quin peccent operam conjugio dantes, quin actu peccet ille, qui naſcitur, quin & culpæ hujus propagatio conferri in Deum poſſit, qui & naturam humanam bonam fecit ac rectam, & nuptias inſtituit. Soli primi hominis perverſæ voluntati malum hoc vitio vertendum eſt, *ex qua*, ut ſcite ait Auguſtinus, *ſeminatum eſt originale peccatum, ut & in illo eſſet, & in omnes tranſiret*, qui, quum primo peccavit, originalis juſtitiæ damnum ſibi ſuiſque poſteris fecit, atque in cauſa eſt, ut natura eo dono nudata ad poſteros derivetur, ad quos illud tranſtuliſſet, ſi innocentiam conſervaſſet. Quum unam hanc mali hujus cauſam perpetuo indicarit Apoſtolus, & conſtanter univerſalis Eccleſia crediderit, nonne delirabat Julianus clamitans: „Non „ peccat ille, qui gignit, quum legitime „ conjugio utatur, non peccat ille qui naſcitur, quum rationis uſu careat, non „ peccat ille, qui condidit, nempe Deus: „ per quas ergo rimas inter tot præſidia „ innocentiæ peccatum fingis ingreſſum?“ cui reſpondit Auguſtinus acutiſſime & ſolidiſſime: *Quid quærit latentem rimam, quum habeat apertiſſimam jannam? Per unum hominem, ait Apoſtolus, unius delictum, ait Apoſtolus, per unius inobedientiam, ait Apoſtolus: Quid quærit amplius? quid quærit apertius? quid quærit inculcatius?*

IV. At paulo difficiliora ſunt, quæ ſequuntur. Quid nobis cum Adamo, ut ab eo naturam trahamus ſimul & culpam? Etſi carnis originem ab eo ducimus, anima tamen a ſolo Deo creatur: quare quum ipſa ſola ſit peccati capax, non caro, quis aſſequi mente poteſt, animam, quæ ſolum Deum ſui habet auctorem, per carnem ex Adæ ſemine propagatam vitiati? Reſpondet D. Thomas; hujus

vel

vel illius hominis animam in Adamo quidem *non præextitiſſe ſecundum ſeminalem rationem velut in quodam effectivo principio*, quaſi vero ille filiorum ſuorum animas velut cauſa princeps effecerit, ſintque animæ *ex traduce*, ſeu per corporeum ſemen a parentibus tranſmittantur in prolem, ut quemadmodum ex Patris carne filii caro, ita ſit ex anima Patris filii anima. Cui commentum hoc in mentem venire jam poſſit, quod a communi Patrum & Eccleſiæ ſenſu abhorret? In Adamo tamen omnes fuimus *velut in quodam diſpoſitivo principio*, quia corporeum ſemen ab eo derivatum, tametſi ſpiritualem animam virtute ſua nec efficiat, neque poſſit efficere, ad eam tamen diſponit, nimirum, ut cum carne ad unum componendum hominem veluti pars cum altera parte jungatur; quia vero caro hæc, cum qua jungitur, primi parentis, a quo proſeminata fuit, vitio corrupta eſt, anima, quum primum fit eam inter & carnem hujuſmodi copulatio, & adhæſio, inficitur, & inquinatur.

V. Cæterum hinc moleſtior difficultas exiſtit. Hæc ſi ita ſint, trahet itaque culpam anima ab ipſa ſui creatione, vel in corpus infuſione: culpæ itaque hujus auctor & cauſa Deus, qui eam creat, & infundit in corpus. Adde, poſitione hac divinæ ſapientiæ peſſime conſultum eſſe. Nonne etenim certo prænovit Deus, inficiendam animam, ſi cum carne ab Adamo propagata ſocietur? Iſne vero ſapiens, qui pretioſum liquorem in vas immundum immittit, unde certo ſcit corrumpendum? Difficultatem hanc tamen nitide diſſolvit Angelicus 1. 2. q. 83. ar. 1. ad 4., & 5.: „ Infectio originalis peccati nullo modo „ cauſatur a Deo, ſed ex ſolo peccato pri„ mi parentis per carnalem generationem; „ & ideo quum creatio importet reſpe„ ctum ad ſolum Deum, non poteſt dici, „ quod anima ex ſui creatione inquine„ tur: Sed infuſio importat reſpectum „ & ad Deum, qui infundit, & ad car„ nem, cui infunditur, & ideo, habito „ reſpectu ad Deum infundentem, non „ poteſt dici, quod anima per infuſionem „ maculetur, ſed ſolum habito reſpectu „ ad corpus, cui infunditur. “ Quidpiam ne vero de divina ſapientia decedit, quod animam in corpus infundat, cujus ſocietate probe novit illam contaminandam? „ Bonum commune, ſubdit Angelicus, præ„ fertur bono ſingulari; unde Deus ſecun„ dum ſuam ſapientiam non prætermittit „ univerſalem ordinem rerum, qui eſt, ut „ tali corpori talis anima infundatur, ut „ vitetur ſingularis defectus, ſeu infectio „ hujus animæ, præſertim quum natura „ animæ hoc habeat, ut eſſe non incipiat, „ niſi in corpore, ut in primo habitum „ eſt, nempe 1. p. q. 118. ar. 3. Melius eſt „ autem ei ſic eſſe ſecundum naturam, „ quam nullo modo eſſe, præſertim quum „ poſſit per gratiam damnationem evade„ re. “ Divinam ergo ſapientiam non dececet animæ in corpus peccato vitiatum infuſio; immo, ut egregie ait idem D. Thomas 2. ſent. diſt. 18. q. 1. ar. 1. ad 3. „ ſicut non eſſet ſapiens, qui the„ ſaurum in loco mundo conſervabilem „ in loco immundo reponeret, ita valde „ eſſet inſipiens, qui theſaurum non ali„ ter conſervabilem non etiam in immun„ do loco collocaret. “

VI. Ventum eſt tandem ad id, quod eſt in dogmate hoc captu difficilius, quod & Julianus ferociſſime in Auguſtinum urgebat, concipi ſcilicet a nullo poſſe, quomodo peccato originis parvuli anima polluatur, ex quo in corpus infunditur, quomodo culpa, cujus ſubjectum eſt anima, carnali generatione trahatur, ut ex qualitate corporali tranſeat in ſpiritum, & velut de ſubjecto in ſubjectum de corpore in animam migret. Reponebat Auguſtinus, qualitates, etſi ad ſubjectum adhæreſcant, & eſſe ſine illo non poſſint, *afficiendo* tamen tranſire, *non emigrando*, *ſicut Æthiopes, qui nigri ſunt, nigros gignunt*, *nec tamen parentes colorem ſuum nigrum velut tunicam in filios transferunt*, *ſed ſua qualitate corpus, quod de illis propagatur*, *afficiunt*. Quia tamen hæc qualitatum a ſubſtantia diſtinctio ab Auguſtino Platonico licet tam nitide aſſerta, & ad hoc fidei caput explicandum adhibita recentibus Philoſophis non probatur, totis viribus enitendum eſt, ut, quod eſt in hac quæſtione maxime involutum, & a ratione ſpecie tenus alienum, pro modulo noſtro evolvamus & explicemus, quomodo ſcilicet hæc originariæ labis ab Adamo fiat in nos derivatio, quomodo illam non ex creatione, ſed ex corpore, cum quo jungitur, anima trahat, quomodo originalis hæc labes vere ſit cuique naſcentium voluntaria, & ſingulis crimini danda, animamque, niſi deleta fuerit, in æternum inte-

interitum tradat. Traductionis hujus modum in pluribus ſuorum operum locis, diſertius tamen in quæſtione quarta *de malo*, *quæ de peccato originali* inſcribitur, declarat Angelicus, cujus doctrinam exſcribemus, quod nulla nobis viſa ſit aptior atque firmior ad myſterium hoc explicandum : „ Singularis aliquis homo, ait ibidem ar. 1., dupliciter ſpectari poteſt, primo modo quatenus quædam ſingularis Perſona eſt, alio modo quatenus eſt alicujus collegii pars, ac utroque modo poteſt ad eum actus aliquis pertinere : Ut ſingularis perſona eſt, ei tribuitur actus ille, quem per ſe ipſum, ac proprio arbitrio facit : quatenus vero collegii pars eſt, poteſt ad eum actus aliquis pertinere, quem nec per ſe ipſum, nec propria voluntate facit, ſed qui vel a toto collegio, vel a pleriſque collegii, vel ab ejus principe fit, quo ſenſu ſecundum Ariſtot. dicitur civitas facere, quod princeps civitatis facit, quum hominum collegium, & civitas moraliter ſint unus homo, ita ut diverſi homines in diverſis officiis conſtituti ſint veluti unius corporis diverſa membra, ſicut 1. ad Cor. c. 12. de membris Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, dicit Apoſtolus; Sic ergo tota hominum, qui a primo parente naturæ originem ducunt, multitudo, ſicut unum collegium, vel potius ut unius hominis corpus conſideranda eſt, in qua quidem multitudine quilibet ſingularis homo, immo & ipſe Adam, conſiderari poteſt, vel ut ſingularis perſona, vel tanquam hujus multitudinis membrum ab uno homine tanquam capite per originem derivatum “ Bina hac conſideratione præmiſſa, certæ exploratæque rei loco ponit, primo homini in ſua inſtitutione collatum fuiſſe quoddam ſupernaturale donum, juſtitiam nempe originalem, qua ratio ſubiiciebatur Deo, & vires inferiores rationi, & corpus animæ, hocque donum non fuiſſe tributum Adæ, ut ſingularis perſona erat, ſed ut totius humanæ naturæ principium, & caput erat, ut ab eo per originem derivaretur in poſteros : hoc autem donum primus homo per liberum arbitrium peccans amiſit, ea ratione, qua ſibi datum fuerat, pro ſe videlicet, & tota ſua poſteritate. Hujus ergo doni defectus totam ejus poſteritatem conſequitur, & eo modo in omnes ejus poſteros traducitur, quo traducitur humana natura, quæ non ſecundum ſe totam ab Adamo propagatur, ſed ſolum ſecundum partem, ideſt ſecundum carnem, cui naturali lege anima infunditur, ideoque ſicut anima divinitus infuſa ad humanam naturam ab Adamo derivatam pertinet propter carnem, cui conjungitur, ita & prædictus originalis juſtitiæ defectus ad animam pertinet propter carnem ab Adamo propagatam non ſolum ſecundum corpoream ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum ſeminalem rationem, ideſt non ſolum materialiter, ſed etiam tanquam ab univerſali activo principio. “

„ Si itaque hæc originalis juſtitiæ privatio conſideretur in hunc hominem, ut quædam eſt ſingularis perſona, per originem derivata, nequit habere rationem culpæ, quæ neceſſario voluntaria eſſe debet : Si vero homo iſte genitus conſideretur ut quoddam membrum totius humanæ naturæ ab Adamo propagatum, qua ratione omnes homines ſunt unus homo, ſic habet rationem culpæ propter voluntarium ejus principium, ſcilicet actuale primi parentis peccatum; quo tota humana natura ſupernaturali illo dono privata fuit : puta, ſi dicamus, motum, quo manus homicidium committit, culpabilem non eſſe, ſi manus per ſe conſideretur, quum manus neceſſario ab alio moveatur, neque ſit libera ſecundum ſe : ſi vero manus conſideretur ut pars totius hominis voluntarie agentis, motum illum manus culpam eſſe dicimus, quia ſic eſt liber & voluntarius, ideoque, ſicut homicidium non dicitur culpa manus, ſed totius hominis, ita hæc originalis juſtitiæ carentia non dicitur peccatum perſonale, ſed naturæ, quatenus natura perſonam inficit; & quemadmodum ad unum actuale peccatum patrandum variæ hominis potentiæ & membra adhibentur, puta ratio, ſeu virtus cognoſcendi, voluntas, oculus, manus &c., unum tamen duntaxat eſt actuale peccatum propter unitatem principii, nempe voluntatis, a qua derivatur ratio peccati ad omnes hominis partes, ita & originale peccatum conſideratur quaſi unum in tota hominum ſerie propter unitatem principii, a quo traducitur; quocirca ad Rom.

„ 5. eje-

„ 5. ajebat Apoſtolus, *in quo* omnes peccaverunt, ut tò *in quo* poſſit ſecundum Auguſtinum intelligi vel de primo homine, vel *in quo peccato* primi hominis, ita ut ejus peccatum ſit quaſi omnium hominum commune peccatum.“

VII. Ex hac D. Thomæ doctrina 1. colligitur, quemadmodum Dominico Soto Theologo celeberrimo atque graviſſimo l. 1. de nat. & grat. c. 7. ſcite animadverſum eſt, „ quum tota humana natura in Adamo virtute conſiſteret, ut pote qui ad gignendum propagandumque genus noſtrum una & prima plantatio eſſet, juſtitiam originalem non ſolum ſibi, ſed ſuæ in perpetuum ſoboli ſuſcepiſſe, quam tota deinceps hæreditario jure ſimul cum natura ſuſciperet, ſi in gratia & amicitia Dei fidus homo perſiſteret, ſimulque præceptum illud, quo eſu ligni ſcientiæ ſub mortis comminatione fuerat interdictus, ita ei fuiſſe poſitum, ut tota in eo natura obligaretur; quamobrem ſic ob prævaricationem ſuam juſtitia illa, quam ſuſceperat, mulctatus eſt, & feliciſſimo illo gradu depulſus, ut univerſos ſimul mortales reatu illo implicuerit, & in eaſdem ſubinde miſerias conjecerit. Rem hanc Theologi explicare nituntur exemplo Regis muniſicentiſſimi, qui ſervum adoptatum in filium hæredem ampliſſimæ ſubſtantiæ inſcriberet, cujus beneficii tota ejus poſteritas potiretur, ea tamen lege, ſi in gratia ejus perduraret: ubi tamen primum crimen in Regem admitteret, illa cum omnibus poſteris ſuis excederet, quod exemplum antiquum eſt, & ad ſubjectam rem aliqualiter exponendam accommodum, quum haud prorſus diſſimili modo donarit Deus in Adamo naturam noſtram originali juſtitia. Rem vero hanc omnium optime Paulus explicaſſe videtur, ubi ait, Adamum geſſiſſe formam futuri Chriſti; inde namque antitheſis culpæ, & gratiæ Chriſti relucet, ubi de novo Adamo, ſeu Chriſto ad baptiſmum accedente cæleſtis Pater ait: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; Eſt enim perinde, ac ſi dixiſſet: Ut vetus Adam fuit, in quo uno tota ejus poſteritas mihi diſplicuit, quæ illi naturali generatione ſucceſſit, & ſucceſſura eſt, ita *hic filius meus dilectus eſt, in quo mihi complacui*, ideſt in quo uno, quotquot baptiſmate fuerint ſpiritualiter in ipſo regeniti, in gratiam mihi reconciliari placebunt, quod & Paulus ait: *Sicut per inobedientiam unius peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi*, ita ut omnes in Adamo peccaſſe non aliud ſit, quam ob culpæ ejus participium naturam noſtram ingratam inviſamque Deo eſſe, quo ſenſu omnes naſcimur *filii iræ*, ſicut in Chriſto juſtificari eſt, ob Chriſti gratiæ participationem gratos Deo fieri, filioſque miſericordiæ renaſci.“

VIII. Quomodo autem originalis hæc labes perpetua generationum ſerie ab Adamo transferatur, & cujuſque *ſeminaliter* geniti, ſeu conſueto modo naſcentis animus inquinetur ex carne, fiatque in primo ipſo infuſionis ſuæque cum carne conſociationis inſtanti originariæ noxæ reus, *filius iræ*, Deo exoſus, ac vere peccator, explicabo, ut potero; qui enim hactenus a Theologis excogitati ſunt, modi non ita intellectui faciunt ſatis, quin pluribus gravibuſque difficultatibus locum relinquant. *Quum peccato gratiæ donum tollatur, idem eſt in peccato conſiderandum*, ait D. Thomas, *quod in dono gratiæ per peccatum ſublato conſideratur*. In principio conditionis humanæ fuerat primo homini a Deo collatum, non ut in eo tantum ſiſteret, ſed ut ad totam ab eo proſeminandam naturam tranſmitteretur, originalis juſtitiæ donum, cujus virtute & ſuperior animæ pars, nempe mens, Deo ſubjecta erat, eique grata, & inferiores ejus, ſentiendi videlicet facultates, menti perfecte ſuberant, corpus quoque ita animæ ſubdebatur, ut nihil cadere in illud poſſet, quod ejus cum anima conſociationem relaxare poſſet atque diſſolvere; quare donum hoc fuiſſet in omnes Adæ poſteros derivatum, tum quod naturam ex Dei munere conſequebatur, ideſt fuerat a Deo toti naturæ attributum, tum quod ad corpus ipſum uſque, quod generatione traducitur, pertinebat; quare quum donum hoc fuerit Adæ peccato ſublatum, iiſdem de cauſis peccatum illud, quod in hujus doni privatione conſiſtit, in poſteros Adæ per originem tranſiit. En itaque derivationis hujus infauſtæ modum ab Angelico traditum & explicatum: Tranſit a parente in prolem caro originalis juſtitiæ dono ca-

carens a quo habebat, ut mortis, aliarumque ærumnarum expers eſſet; cum carne dono illo nudata jungitur altera, eaque præcipua hominis pars, anima ſcilicet, quæ & dono illo caret, quod Deus toti naturæ contulerat. Sicut ergo, ſi in accepta juſtitia perſtitiſſet homo, anima prolis quum primum creata fuiſſet, & in corpus infuſa, in Deum converſa fuiſſet, ei plene ſubjecta, atque grata, ita poſt factum a naturæ noſtræ principio atque capite, Adamo videlicet, hujus juſtitiæ damnum, cujus primo erat, ſuperiorem hominis partem, nimirum mentem, Deo jungere, & ſubdere, necnon inferiores vires, ſentientem ſcilicet appetitum, ſub rationis jugo perfecte continere, mox ut anima creata eſt, & in corpus carnaliter ab Adamo propagatum infuſa, inordinata eſt, a Deo averſa, eidem exoſa, hæretque in æterni interitus reatu.

IX. Ex eadem D. Thomæ doctrina 2. colligitur, originariam hanc noxam vere in nobis peccatum eſſe, voluntarium, & cujuſque proprium, non autem duntaxat exterius imputatum; Præterquamquod enim Scriptura docet, omnes in Adamo peccaſſe, per ejus inobedientiam peccatores conſtitui, in peccatis ac iniquitatibus concipi, Eccleſia quoque Catholica pluribus in Conciliis adverſus veteres Pelagianos habitis, ac poſtremo in Tridentino adverſus erroris hujus inſtauratores veritatem hanc definivit; quæ mox a nobis allata ſunt, illam evidenter evincunt. Si enim cujuſque ab Adamo carnaliter proſeminati anima in primo ipſo ſuæ in corpus infuſionis inſtanti deordinata, a Deo averſa, atque diviſa eſt, cur non vere peccatrix, vere peccato obſtricta dicenda erit? Quid enim peccatum, niſi averſio ab immutabili bono, ſeu a Deo? Num ea averſio in culpa non erit, quod voluntaria non ſit? Non eſt illa utique parvulo naſcenti voluntaria voluntate perſonæ, ſed originaliter voluntate Adæ, qui communem naturam infecit, abſtraxitque ab ea, quæ Deo debebatur, obedientia; quare, ut ait D. Thomas, „ licet ad culpam perſonæ requiratur perſonæ peccantis voluntas, ad „ culpam tamen naturæ non requiritur „ niſi voluntas in natura illa, quæ vo„ luntas mala naturæ præceſſit in Ada„ mo totius noſtri generis principio, & „ capite, “ *per cujus malam voluntatem*, inquit Auguſtinus, *omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt*, quod licet origine unum ſit, propagatione tamen transfuſum *omnibus ineſt unicuique proprium*, ſicut Tridentina Synodus declaravit, ita ut vere in unoquoque naſcentium ſit, eoque vere, &, ut Phyſici ajunt, *formali* denominatione conſtituantur peccatores. Erravit itaque Albertus Pighius vir cæteroqui doctus & pius, qui ſingula in ſingulis hominibus negavit eſſe originalia peccata, ſcripſitque ab uno illo, quod Adam admiſit, nos peccatores *extrinſece denominari*, reoſque conſtitui; Paulus enim ait: *quum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, non inquit, *quum adhuc peccatores diceremur*, quo plane ſignificavit, in ſingulis ſuum ineſſe originale peccatum proprium & intrinſecum, a primo tamen Adæ crimine ceu a peſtilenti radice in ſingulos derivatum, ſicut & Tridentina Synodus definivit, homines ſpiritualiter regeneratos atque juſtificatos non ea ipſa, quæ in Chriſto fuit, juſtitia formaliter juſtos effici, neque ſola extrinſeca juſtitiæ Chriſti imputatione, ſed gratia & charitate in ſingulorum cordibus diffuſa, eiſque inhærente juſtos vere fieri & eſſe. Hinc intelligere Phereponus poteſt, ſummum Judicem Deum jam non aliena alicui peccata imputare, nec criminis prorſus alieni pœnas ab eo repetere.

X. 3. colligitur alia proximorum parentum peccata in liberos non traduci; quum enim, quemadmodum cum D. Thoma mox animadverſum eſt, peccatum gratiæ dono opponatur, eoque animam nudet, idem in peccato ſpectandum eſt, quod in dono gratiæ per peccatum ablato ſpectatur. Cur vero originaria noxa in omnes ab Adamo ſeminaliter procreatos tranſit? Quia originariæ juſtitiæ privatio eſt, quæ non Adæ ſoli attributa fuerat, ſed & toti humanæ naturæ, nec in ſola ſuperiori animæ parte, mente nimirum, ſiſtebat, ſed & ad corpus ipſum derivabatur, illud animæ perfecte ſubjiciens, omnemque ab eo removens diſſolutionem. Idemne vero de gratia cenſendum, qua baptizati renaſcuntur in Chriſto? Cuique confertur illa, ut ſanctus ipſe juſtuſque ſit, non ut eam transfundat in prolem, mentem quoque duntaxat re-

renovat atque perficit, neque ad corpus extenditur; quare quum actualibus cujuſque peccatis hæc auferatur, ſicuti parentum gratia & virtutes nequeunt in filios generatione transferri, ita nec actualia eorumdem crimina. *Poſſunt tamen*, ſubdit Angelicus, *actualia parentum peccata per imitationem in filios derivari, propter aſſiduam filiorum cum eis converſationem*. Hinc præclare ajebat Auguſtinus l. de pec. orig. c. 23. : *Quoniam itaque nullam dant juſti parentes ante baptiſmum infantibus ſuis juſtitiam, nullam utique addunt injuſti ſuis filiis injuſtitiam*. Secum tamen pugnare viſus eſt Auguſtinus; ſcripſit enim in Enchir., *parentum peccatis parvulos obligari, non ſolum primorum parentum, ſed etiam proximorum, de quibus ipſi nati ſunt*. Cæterum id ab Auguſtino non conſtanter dictum nec certo finitum, indicant, quæ paulo poſt addidit : *An qui naſcuntur, parentum omnium præcedentium ſceleribus implicentur, an Dei miſericordia tam gravi ſarcina liberentur, an de re hac quidpiam aliud ex ſacris literis colligatur, temere definire non audeo*. Poſt accuratam demum veritatis diſquiſitionem non amplius pependit animi, ſed diſerte negavit, proximorum parentum crimina ad filios tranſmitti; Epiſcopum enim Auxilium nomine audiens, ob unius delictum totam ejus familiam anathemate perculiſſe, factum improbans, modeſte eum rogat, ut doceat, *quomodo poſſit quis Deo vel hominibus juſtam rationem reddere, ſi animas innocentes, quæ ex illo non trahunt, ſicut ex Adamo, in quo omnes peccaverunt, originale peccatum, ſpirituali ſupplicio*, (cujuſmodi eſt anathema) *puniat*. Senſit ergo, ſolam originariam noxam ad poſteros Adæ transferri, eamque ſolam in Adæ poſteris ſpirituali ſupplicio puniri. Immaniter ergo erravit Bajus, cujus hæc erat inter alias plures ab Apoſtolica Sede confixas abſona propoſitio : *Omne ſcelus ejus eſt conditionis, ut ſuum auctorem & poſteros inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio*.

XI. Obſtare tamen poſitioni huic videntur, quæ Deus Exod. 20. ait : *Ego ſum Deus zelotes viſitans iniquitatem Patrum in filiis uſque in tertiam, & quartam generationem*; Juſte ne, ſi Patrum iniquitas non tranſiret in filios ? Divinæ hujus ſententiæ interpretem damus D. Thomam q. 4. *de malo* art. 8. ad 6. : „ Hoc dicitur, quia peccatum tranſit a „ parentibus in poſteros quantum ad pœnam. Veruntamen conſiderandum eſt, „ quod duplex eſt pœna, una ſpiritualis, „ quæ pertinet ad animam, & tali pœna „ nunquam filius punitur pro patre, & „ hoc ideo, quia anima filii non eſt ex anima Patris, ſed immediate creatur a „ Deo: & hæc ratio aſſignatur Ezechiel. „ 18. : *Sicut anima Patris mea eſt, & anima filii mea eſt : Filius non portabit iniquitatem Patris :* alia pœna eſt corporalis, vel eorum, quæ ad corpus pertinent; & quantum ad hanc pœnam filii pro parentibus puniuntur, præſertim „ quando parentibus conformantur in culpa; quantum enim ad corpus, quod a „ parente traducitur, filius eſt aliquid „ patris. “ Qua ex doctrina percipimus, ut propria parentum ſpiritualia bona, quibus eorum anima perficitur, puta gratia, virtutes, merita, communicari proli nulla ratione poſſunt, niſi imitatione, quatenus proles optime a parentibus inſtituta in ſanctis eorum veſtigiis inſiſtit, eorumque in ſe mores exprimere ſatagit, ita & ſpiritualia mala, peccata ſcilicet, &; quæ illa conſequuntur, ſpirituales pœnas ſola imitatione a parentibus in liberos tranſire poſſe.

XII. At eſt quoddam cæteris immanius ſcelus, quod Petrus Manſi Auguſtinienſis Theologus in Filios a proximis parentibus perpetua generationum ſerie propagari contendit, Veterum ſcilicet Judæorum, qui Chriſtum Dominum non rejecerunt ſolum, ſed & in crucem agendum curarunt, quod in totam Judæorum gentem ſucceſſione non interrupta transfundi, ſtatuit, ita ut ab ea ætate quotquot ex Hebræis illis orti ſunt, ac orientur, non ſolum pro hoc Patrum ſuorum ſcelere graviſſimas Deo Judici pœnas dent, vaſtitate, exilio, omnium gentium execratione, regni, ſacerdotii aliorumque jurium privatione mulctati, ſed & inteſtinum in Chriſtum ejuſque aſſeclas odium, & pertinaciſſimam cordis duritiem, ac lamentabilem cæcitatem, quæ totius miſeræ gentis veluti character eſt, quæque & peccatum eſt & pœna peccati, filii a parentibus per originem trahant; Non ſolum itaque primum Adæ peccatum, ſed & Judæorum, a quibus Chriſtus occiſus eſt, in poſteros carnali propagatione trajicitur, vimque habet inficien-

ciendi naturam. Non eſt tamen hæc Manſii opinio nova, ſed vetuſtiſſima, quippe cujus meminit D. Thomas quæſt. 4. de malo, art. 8. in quo quæſtionem hanc ex inſtituto verſat, *an actualia proximorum parentum peccata in filios per originem tranſeant*, ſibique nono loco objicit potiſſimum momentum illud, quo peregrina hæc Manſii commentatio nititur, inſanas illas ſcilicet Judæorum voces ad Pilatum clamantium, *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, necnon Auguſtini teſtimonium ex ſermone *de paſſione* petitum: *Ecce quæ bona ad hæredes ſuos quodam ſacrilegii teſtimonio tranſmittunt: macula ſanguinis ſe perfundunt, & poſteros perimunt*. Quid ad hæc Doctor Angelicus? Breviter reponit, ſed ſolidiſſime: *Sanguis Chriſti Judæorum filios obligat, quatenus paternæ malitiæ imitatores ſunt, eamque approbant, & ſequuntur*. Luunt itaque miſerrimi Hebræi paterni ſceleris pœnas non nativitatis, ſed pravæ educationis vitio, quia teterrimum a Majoribus ſuis admiſſum crimen ratum habent, approbant, imitantur, Chriſtum ejuſque religionem odio habentes, & execrantes; nec infauſta hæc a Chriſto ejuſque lege alienatio a parentibus in prolem generatione transfunditur, ſed mox ac per ætatem rationiſque uſum licet, peſſima diſciplina liberorum animis inſtillatur. Notiora hæc ſunt, quam ut in iis uberius declarandis plus operæ ponendum ſit.

XIII. Priuſquam exercitationis hujus finem faciamus, diſſolvenda eſt quæſtio, an & in filios ex parentibus baptizatis progenitos originaria labes tranſeat; Veteres enim Pelagianos Auguſtino oppoſuiſſe, novimus, generalem labis hujus in omnes omnino Adæ filios transfuſionem perperam ab eo jactari, quum nulla ratione baptizati parentes *tradere id aliis poſſint, quo ipſi carere creduntur*. Errorem hunc recoxerunt Zuinglius, Calvinus, Bucerus, & Beza, qui baptizatorum filios juſtos ſanctoſque naſci contendunt, eoſque baptiſmate tingi, non ut ab originis labe emundentur, nullam enim a ſanctis parentibus trahunt, ſed duntaxat, ut in Eccleſiam inſerantur, fiantque myſtici hujus corporis membra. Quid vero habet catholicæ Eccleſiæ doctrina? Dubitandum non eſt, a parentibus etiam baptizatis, & ſanctis originale crimen in prolem transferri, & *cuicunque undecunque naſcenti baptiſma conferri*, ut *ab originaria labe mundetur*, quemadmodum Tridentina Synodus definivit. Cavillanti Juliano qua ratione parentes infectionem communicare filiis poſſunt, quum ipſi ſint mundi, & labis expertes? tritum enim eſt adagium, nemo dat, quod non habet, reſpondebat Auguſtinus, & ex Auguſtino D. Thomas, „ peccatum ori„ ginale Sacramento baptiſmi auferri *quo„ ad reatum*, quatenus anima gratiam re„ cuperat quoad ſuperiorem ſui partem, „ nempe mentem, remanere tamen in „ quocunque etiam baptizato & ſancto „ *actu*, ideſt quoad fomitem, qui eſt par„ tium, ſeu potentiarum inferiorum ani„ mæ & corporis inordinatio; quare „ quum parentes generent ſecundum cor„ pus, non ſecundum mentem, nec qua„ tenus ſunt per baptiſmum renovati, ſed „ quatenus de vetuſtate primi peccati ali„ quid in mortali corpore retinent, ideo „ licet baptizati, & ſancti peccatum ori„ ginale in prolem traducunt; " *proles* enim *eorum*, ait Auguſtinus l. 2. de nupt., *quia non per ſpiritalem, ſed per carnalem concupiſcentiam ſeminatur, velut ex illa oliva quidam noſtri generis oleaſter, ſic inde reatum naſcendo trahit, ut niſi renaſcendo liberari ab illa peſte non poſſit*. Calvini, aliorumque Novatorum commenta præterimus, quod in tract. de bapt. prop. 4. ſatis, ut puto, ea diluerimus.

EXERCITATIO XIII.

De originariæ noxæ natura.

I. QUamquam haud levis futurum ſit operæ, culpæ hujus naturam ac indolem definire, tum quod ſit illa perobſcura, & plurimum involuta, tum quod variæ ſint pugnanteſque Theologorum de hoc capite ſententiæ, cadendum tamen non eſt animo, quod D. Thoma lumen præferente poſſimus, & veritatem adſequi, & varia aliorum placita vel refellere, vel conciliare. Primo itaque inſana Novatorum commenta obteremus, dein quid de impedita hac quæſtione ſentiendum ſit, evolvemus. Quæ itaque originalis peccati natura? Mala ne quædam ac perverſa ſubſtantia? Ita quidem ſtatuit Mathias Flaccus Illiricus rigidiorum Lutheranorum caput, & Mag-

Magdeburgenſium Centuriatorum anteſignanus, ſed præpoſtere & prorſus inſcite; Quum ſit enim malum ſeu phyſicum ſeu morale, quemadmodum Chriſtianis omnibus adverſus Manichæos conſtitutum eſt, non ſubſtantia ſeu natura, ſed pura boni privatio, qui originariam culpam, quæ malum morale eſt, ſubſtantiam malam eſſe conſtituit, nonne inſanum Manichæorum errorem recoquit, cogiturque alterum a Deo bono pravæ hujus ſubſtantiæ principium, atque Auctorem ponere? Nam quis jam erit malæ hujus ſubſtantiæ auctor? Nec Manichæi tantam Deo optimo maximo irrogare injuriam auſi ſunt, ut eum fingerent malæ alicujus ſubſtantiæ Conditorem: Relinquitur ergo, ut vel ab Adamo primo peccatore, vel a Diabolo nova hæc mala ſubſtantia creata ſit. Horret animus tetram adeo conſecutionem, totam Manichæorum fermento turgentem, quæ tamen ſponte fluit, & neceſſario colligitur. Si originarium crimen ſubſtantia eſt, prædita ratione ac voluntate pollens ſubſtantia, ſpiritalis ergo: at hæc neque incipit, nec incipere aliter poteſt, niſi creetur. Mala ergo hæc ſubſtantia ſpiritalis ac rationis particeps, a Diabolo vel ab Adamo creata fuerit, neceſſe eſt: diabolus itaque vel Adam creator, quod non Chriſtiano ſolum ſed ratione utente homine indignum eſt, cogitare.

II. Ad evertendum Illirici errorem uno hoc momento contenti ſumus; quæ enim a Theologis nonnullis adducuntur, puta baptiſmo deleri originale peccatum, nullam tamen hominis perire ſubſtantiam, eundem prorſus ante & poſt baptiſma hominem eſſe, nihil habent roboris, nec Illiricum altoſque Lutheranos vel leviter permovere poſſunt; ratum enim illis, fixumque eſt, baptiſmo originale crimen non auferri, ſed tegi, illudque in regeneratis perpetuo manere, eoſque æternæ mortis reos efficere, quem errorem mox ſumus refutaturi. Multa tamen ſibi viſus eſt Illiricus, ad manum habere, quibus ſuam hanc commentationem fulciret; ex quo enim peccato originali obſtricti *filii* dicantur *diaboli*, præclare ſibi videtur inferre, eſſe illud ſubſtantiam quandam a diabolo malorum omnium patre poſteris Adæ communicatam; præſertim quum idem hoc peccatum in divino eloquio iis ſæpe nominibus deſignatur, quæ ſubſtantiam exprimunt, non qualitatem, ut Gen. 8. *figmentum cordis malum*, ad Rom. 6. *vetus homo*, & alibi *caro*, *terrenus Adam*. Nonne etiam originali hoc crimine imaginis Dei, quæ in ipſa animæ ſubſtantia impreſſa erat, jacturam fecit homo? Ipſe ergo, ejuſque poſteri, priorem, quam a Deo acceperant, ſubſtantiam amiſerunt, novamque induerunt malam atque perverſam; neque vero, ex quo peccatum originis vitioſa quædam ſubſtantia dicitur, Diabolum fateri cogimur creatorem. Satis eſt, poſſe ab illo hominis ſubſtantiam in deterius commutari. Id autem ab eo præſtitum, quis negabit? Quantum jam eſt poſt Adæ prævaricationem ab ea, quam Deus inſtituit, natura noſtra diverſa!

II. Mirum, his adduci potuiſſe Illiricum, cæteroqui non ſtupidum, ut tam immane commentum animo complecteretur. Quid enim, ſi peccato originali inquinati filii Diaboli dicuntur? Num propterea a diabolo geniti, pravamque ſubſtantiam aliquam a tam perverſo patre ſortiti? Et eos, qui actu ſuaque voluntate peccant, *filios Belial*, *filios diaboli*, & *ex patre diabolo* dictos in ſacris literis non ſemel legimus: tot ne ergo in eis malæ ſubſtantiæ a patre diabolo derivatæ, quot ab eis admiſſa peccata? Quot ergo putas in homine flagitioſiſſimo, qui *in profundum venerit*, & *iniquitatem bibit ſicut aquam*, perverſas ſubſtantias eſſe in eum a diabolo patre transfuſas? At piget, tam frivola ſerio refutare. Infantes itaque originali peccato obnoxii filii diaboli ſunt, & dicuntur, non quod pravam aliquam ab eo ſubſtantiam trahant, ſed quia peccato obſtricti etſi aliena voluntate contracto, in diaboli poteſtate ſunt, qui eſt malorum omnium caput, a cujus dominatu baptiſmate liberantur.

III. Quid etiam, ſi Gen. 8. in hebræo fonte legitur, *figmentum cordis malum*? Peccatum ne propterea mala quædam ſubſtantia eſt? Suis quiſque oculis certior fieri poteſt, ſermonem ibi eſſe de culpis hominum, quos Deus univerſali catacliſmo deleverat, propter quas Noemo ſpopondit, fore, ut non ultra *malediceret terræ propter hominem, quia figmentum humani cordis malum eſt*, ſeu ut legit Latinus Interpres, *quia ſenſus & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*.

En

Digitized by Google

En itaque, quid figmenti humani cordis mali nomine veniat, prava nimirum ad malum pronitas, & cogitationum affectionumque perverſitas. Hæc vero unde eſt? Quum Chriſtus Math. 15. dixerit, *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc ſunt, quæ coinquinant hominem*, certoque certius ſit, cordis nomine non materialem illam corporis partem, quæ eſt, ut Cicero ait, in animante princeps, & vitæ fons, ſed voluntatem non in ſacris literis ſolum, ſed & apud profanos Auctores ſæpiſſime ſignificari, qui vecors plane non ſit, intelligit, e corde hominis, ſeu ab ejus voluntate tot illa, quæ Chriſtus memorat, mala proficiſci; *Voluntas* enim *eſt*, ut inquit Auguſtinus, *qua ſola recte vivitur & peccatur*, ſeu libertate ſua prave abutens unicum eſt peccandi principium, eadem vero libertate recte utens, gratiæque excitanti obſecundans, atque cooperans, bene agendi, merendi, æternamque obtinendi ſalutem capax eſt. Hominis vero voluntatem quis ſubſtantiam malam dixerit, niſi ſit plane Manichæus?

IV. Germanam autem verborum Pauli ad Rom. 6. ſcribentis, *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato*, ſententiam præclare, & prorſus ad Apoſtoli mentem accommodate, profert D. Thomas lect. 2. in c. 6. Epiſt. ad Rom. „ *Vetus homo noſter*, ideſt vetuſtas hominis per peccatum inducta, *ſimul*, ſcilicet cum Chriſto, *crucifixus eſt*, ideſt per crucem Chriſti mortificatus: ſicut enim ſupra dictum eſt, vetuſtas hominis per peccatum inducta eſt, inquantum per peccatum bonum naturæ, ſeu inclinatio ad bonum virtutis, corrumpitur, quæ quidem vetuſtas in homine principatur, quamdiu homo peccato ſubjacet, & quia id quod eſt principale in homine, dicitur eſſe ipſe homo, inde eſt, quod in eo, qui peccato ſubjicitur, ipſa peccati vetuſtas dicitur *vetus homo*. Vetuſtas autem peccati poteſt, vel ipſe reatus ſeu macula peccatorum actualium intelligi, vel etiam conſuetudo peccandi, quæ neceſſitatem quandam ingerit ad peccandum, vel etiam ipſe fomes peccati proveniens ex peccato primi parentis. Sic igitur vetus homo noſter dicitur *ſimul crucifixus* cum Chriſto, inquantum prædicta vetuſtas virtute Chriſti ſublata eſt, vel quia totaliter eſt amota, ſicut totaliter amovetur in baptiſmo reatus & macula peccati, vel quia diminuitur virtus ejus, puta virtus fomitis, vel etiam conſuetudinis peccandi .... *Ut deſtruatur corpus peccati*. Dicitur *corpus peccati* ipſa congeries malorum operum, ſicut ipſa congeries membrorum facit unum corpus naturale. *Ut ultra non ſerviamus peccato*, ut caveamus a peccatis in futurum ... Tunc enim homo peccato ſervit, quando concupiſcentiæ peccati obedit per conſenſum, & corporis executionem. Jo. 8. Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. “

V. Quid etiam nomine *carnis, & terreni Adæ* deſignet Apoſtolus, explicat perquam appoſite idem Angelicus lect. 7. in c. 15. Ep. 1. ad Cor; animadvertens, comparationem ibi ab Apoſtolo inſtitui primum inter Adamum noſtri generis caput, & *noviſſimum* ejuſdem noſtri generis reparatorem, nempe Chriſtum. De primo ait: *primus homo de terra terrenus*: „ quaſi dicat: Vere primus homo factus eſt in animam viventem, quia de terra: Gen. 2. *formavit Deus hominem de limo terræ*, & ideo dicitur eſſe *terrenus*, ſeu animalis: Secundus homo, ideſt Chriſtus *factus eſt in ſpiritum vivificantem*, quia de cælo; divina enim natura, quæ fuit huic naturæ unita, de cælo eſt .... non quod attulerit corpus de cælo, quum de terra aſſumpſerit, ſcilicet de corpore B. Virginis, ſed quia divinitas, quæ naturæ humanæ unita eſt, de cælo venit, ſuitque prior, quam corpus Chriſti ... Conſequenter quum dicit, *Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes*, oſtendit derivationem ſimilitudinis horum principiorum .... Quia primus homo terrenus fuit, & mortalis, ideo derivatum eſt, ut omnes terreni eſſent & mortales .... Quia vero fuit *ſecundus homo* cæleſtis, ideſt ſpiritualis & immortalis, ideo omnes & ſpirituales erimus & immortales. “ Oculis aut mente captus ſit, oportet, vel latine neſciat, qui non aliud ſibi eo loci Apoſtolum velle, non deprehendit. Quem etiam ſenſum habent, quæ ibidem Apoſtolus continenter addit: *hoc autem dico fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſi-*

poſſidere non poſſunt? Annon egregie collineat, & propoſitum feliciter aſſequitur D. Thomas ſic ea interpretans . „ Non „ eſt intelligendum *caro, & ſanguis*, ideſt „ ſubſtantia carnis & ſanguinis , *regnum* „ *Dei non poſſidebunt* , ſed carni & ſanguini operam dantes , ſcilicet homines „ vitiis & voluptatibus dediti regnum „ Dei non poſſidebunt : *Vel caro & ſanguis* , ideſt opera carnis & ſanguinis „ regnum Dei non poſſidebunt , quod eſt „ contra Judæos & Saracænos , qui fingunt, ſe habituros poſt reſurrectionem „ uxores, fluvios lactis & mellis &c. Vel „ *caro & ſanguis* , ideſt corruptio carnis „ & ſanguinis , *regnum Dei non poſſidebunt*, ideſt poſt reſurrectionem corpus „ non ſubjicietur corruptioni carnis , & „ ſanguinis, ſecundum quam vivit homo, „ unde ſubdit, *neque corruptio incorruptionem poſſidebit* , ideſt neque corruptio „ mortalitatis , quæ nomine carnis hic „ exprimitur, poſſidebit incorruptionem , „ ſeu incorruptibile Dei regnum, *quia reſurgemus in gloria*. “

VI. Cæterum de Illirici ineptiis plus , quam par eſt, laboramus ; ex eorum enim numero ſunt , quæ ut Tertullianus ajebat, *ſunt indigna revinci*, *ne videantur gravitate adorari*. Sane quid eo futilius , quod de imagine Dei peccato deleta addit, ut peccatum originis malam eſſe naturam, ſive ſubſtantiam, efficiat? Diſtinguenda ab eo cum Theologis omnibus fuerat duplex in homine Dei imago, *natura* ſcilicet & *gratia* : hanc peccato originali deletam fuiſſe, ultro concedimus, quod hominem originali juſtitia nudavit , quæ ſupernaturalem Dei imaginem in homine effinxerat : naturalem autem imaginem peccato, quodcunque illud ſit , expungi poſſe, quis aſſerat, niſi velit , hominem poſſe naturæ ſuæ jacturam facere? Exercit. enim V. *de primo homine* probatum eſt, factum illum ad imaginem Dei, quatenus rationalis naturæ eſt , intelligendi, atque volendi capax . Quid demum eo vanius, quod poſtremo ait, fuiſſe per hanc culpam originis animam noſtram in deterius commutatam ? Quæ hæc animæ in deterius commutatio ? Eane , quam priſci Philoſophi *ſubſtantialem* vocitant ? At cadere hæc in animam ſuapte natura ſpiritalem nulla ratione poteſt , quæ , ut generationis, ita & corruptionis, & ſubſtantialis cujuſque mutationis omnino eſt expers . Quid ſi natura originaria labe polluta longe ab ea differt , quæ primo fuerat inſtituta? Num ob pravæ alicujus ſubſtantiæ additamentum ? Diſtimus ab homine, qualis ab initio creatus eſt, ut æger a ſano, debilis a valente , pauper a divite, immundus a puro , turpis a pulcro, imminutus ab integro ; quare, ſicut idem natura atque ſubſtantia eſt, qui a proſperæ valetudinis , virium , opulentiæ ſtatu in languorem, imbecillitatem, inopiam devolvatur, & ex mundo fœdus, ex venuſto deformis fiat , ita abſque ulla ſubſtantiæ mutatione natura noſtra, quam Deus primum ſanctitate, ſpirituali robore, munditie, atque integritate donaverat, perverſa primi hominis peccantis voluntate donis his omnibus ſpoliata fuit . Ut ergo dona illa quidpiam duntaxat erant accidentale, ut ajunt, quo ſola Dei munificentia naturam noſtram ornaverat, ita vitium, quod ex primo parente per originem trahimus, non eſt prioris alicujus ſubſtantiæ detractio, aut malæ additio , ſed funeſta horum bonorum privatio . Id dare cogitur Illiricus vel invitus ; ſcribit enim, ſubſtantiam hominis poſt Adæ peccatum eandem *phiſice* perſeverare , & *theologice* ſolum fuiſſe mutatam ; quam enim intelligimus *theologicam* mutationem? Nonne accidentalem quandam conditionis diverſitatem, qua , præter ullam naturæ vel ſubſtantiæ mutationem , vel a ſtatu gratiæ in ſtatum injuſtitiæ homo decidit , vel a ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ, & ſanctitatis aſſurgit?

VII. De originalis peccati natura Diſcipulo Magiſter , Illirico Lutherus num minus præpoſtere ſenſit ? Hanc ille in concupiſcentia ipſa, ſeu in peccati fomite totam collocat , qui quum etiam in baptiſmate regeneratis ad mortem uſque permaneat, conſequens eſt, originariam noxam, auctore Luthero , baptiſmate non expungi. Ita ille quidem ſuis *in aſſertionibus ad Leonem X.* ar. 2. : „ In puero poſt „ baptiſma negare, remanens eſſe pecca- „ tum, eſt, Paulum & Chriſtum ſimul „ conculcare: “ & art. 3. „ fomes pecca- „ ti, etſi nullum adſit actuale peccatum, „ moratur animam ab ingreſſu cæli . “ Ita & ejus gregales in *Auguſtana Confeſſione* eandem concupiſcentiam *vere peccatum* vocant, *damnans*, & *afferens æternam mortem*, & in notiſſimo illo *reformationis dogmate*, quod *didagma* appellant , hæc

hæc habent : „ Non modo homicidium , „ furtum, adulterium peccata ſunt , ſed „ etiam propter concupiſcentiam , licet ei „ voluntas non conſentiat, homo in con „ ſpectu Dei homicida , atque adulter „ eſt “ , hincque inferunt, „ omnia juſti „ opera , etſi ex charitate , & gratia fa „ cta , & concupiſcentia maculari , & „ vere peccata eſſe , quæ tamen iis , qu „ ſunt in gratia, ex Dei miſericordia non „ imputantur. “ Quid hoc errore dete ſtabilius, quid nocentius, quo & baptiſmi virtus tantopere in ſacris literis commen data evertitur, bonorumque operum me ritum exterminatur ? Errorem hunc exi tiabilem Synodus Tridentina Seſſ. V. confixit, ajens : *Si quis per Jeſu Chriſt gratiam, quæ in baptiſmate confertur, rea tum originalis peccati remitti, negat , aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod ve ram & propriam peccati rationem habet , ſed illud dicit, tantum radi, vel non im putari, anathema ſit ; In renatis enim ni hil odit Deus, quia nihil eſt damnationis in iis, qui vere conſepulti ſunt Chriſto per baptiſmum in morte , qui non ſecundum carnem ambulant , ſed veterem hominem exuentes, & novum induentes , qui ſecun dum Deum creatus eſt , innocentes . . . . . ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei , cohæredes autem Chriſti , itaut nihil prorſus eos ab ingreſſu regni cælorum re moretur. Manere autem in baptizatis con cupiſcentiam, vel fomitem, Sancta Synodus fatetur, & ſentit, quæ, quum ad agonem relicta ſit, nocere non valet non conſentien tibus : hanc concupiſcentiam , quam ali quando Apoſtolus peccatum appellat , San cta Synodus declarat, Catholicam Eccleſiam nunquam intellexiſſe, peccatum appellari , quod vere & proprie peccatum ſit , ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum incli nat. Si quis autem contrarium ſenſerit , anathema ſit.*

VIII. Quoniam autem Novatores Eccleſiæ doctrinam nihili pendunt , ejuſque anathemata rident , argumentis premendi ſunt, quæ ſlaudatis verbis Synodus Tridentina perſtrinxit. 1. Concupiſcentiæ fomes, & inferiorum animæ virium inordinatio, unde motus rationi infeſti frequenter erumpunt, in baptizato manet , qui tamen, niſi pravis ejus motibus prudens ſcienſque conſentiat , teſte Paulo , vere mortuus eſt peccato, nihilque jam damnationis habet ; qui ergo in baptizato remanet, fomes, peccatum vere proprieque non eſt ; alioqui nec baptizatus eſſet peccato mortuus, nec a damnatione ſolutus. 2. Si fomes hic in baptizatis manens vere ſit proprieque peccatum , nonne falſo ſcripſit Apoſtolus , quotquot in Chriſto baptizati ſunt, veterem hominem , ſeu peccati vetuſtatem, exuere, & Chriſtum induere? Quæ enim, ait idem Apoſtolus, *ſocietas lucis, & tenebrarum, quæ conventio Chriſti, & Belial?* ſeu gratiæ lumen cum peccati tenebris, Chriſti juſtitia cum diaboli malitia qua ratione componi poteſt? 3. Baptizatos, qui *ſpiritu facta carnis mortificant*, ſeu pravos concupiſcentiæ motus ſtrenue retundunt, non ſemel idem Apoſtolus *filios* vocat *dilectionis Dei* , *filios chariſſimos* , *hæredes Dei* , & *cohæredes Chriſti* : hæc ne vere & recte ab Apoſtolo de regeneratis dicta eſſent , ſi concupiſcentia ad mortem uſque in eis manens proprie peccatum ſit & iniquitas ? Qui *odio habet impium atque impietatem*, Deus qui poteſt iniquitate pollutos , & vere a ſe averſos ceu *filios chariſſimos* diligere, regnique cælorum, in quod *nihil inquinatum introibit* , hæredes aſciſcere ? Ad harum Pauli ſententiarum vim declinandam tuta ne illa , quam Lutherus & Bucerus paratam habent , evaſio , non ſcripſiſſe ſcilicet Paulum, *nihil peccati eſſe in baptizatis*, ſed nihil damnationis, quia juſtorum concupiſcentia, etſi vere peccatum ſit, & damnatione digna , juſtis tamen ex Dei miſericordia non imputatur? Quin neceſſe ſit alia, quæ mox laudavimus, Pauli teſtimonia urgere, an non hoc ſolo , in quo Lutherus cavillatur, inſana ejus gloſſa refellitur ? Si enim, auctore Paulo, *nihil eſt damnationis iis* , *qui non ſecundum carnem ambulant* , nihil ergo in iis damnatione dignum . Quo autem efficimur damnatione digni ? Nonne ſolo peccato? Rectiſſima, & prorſus ad veritatem omnibus notam & conſtitutam exacta eſt Auguſtini interpretatio l. 1. c. 10. *contra duas Epiſt. Pelagian.* : *Nulla eſt damnatio his, qui ſunt in Chriſto Jeſu* , *quoniam non damnatur , niſi qui concupiſcentiæ carnis conſentit in malum.*

IX. Ea tamen Lutherus fidentia eſt , ut commenticia quadam diſtinctione facillime diſſolutum iri putet allata hactenus teſtimonia : ait enim „ aliud eſſe peccata „ remitti , aliud peccata tolli : remitti in „ baptiſmo peccata , non tolli . “ ----- „ An- „ non

„ non hoc eſt, Chriſti Sacramenta conte-
„ rere, imo & Chriſtum ipſum conculca-
„ re (occurrit validiſſime Dominicus Soto
„ in loco ſuperius indicato) ſcilicet quod
„ remitti peccata non ſit, eadem prorſus
„ tolli ? Ecquid aliud Joannes Evangeli-
„ ſta indicat Ep. 1. c. 3. *Scitis, quia ille*
„ *apparuit, ut peccata tolleret*, & Bapti-
„ ſta, *Ecce, qui tollis peccata mundi* ?
„ Quid hæc omnia, quæ ex Propheticis,
„ & Apoſtolicis libris allata ſunt : *Demer-*
„ *ges & proiiciet in profundum maris ini-*
„ *quitates veſtras* : & , *mundabimini ab*
„ *omnibus inquinamentis veſtris*, &, *delevi*
„ *ut nubem iniquitates veſtras*, &, *ablu-*
„ *ti, ſanctificati, juſtificati eſtis*, &, *in*
„ *quibus nihil eſt damnationis*, &, *exiſti-*
„ *mate vos mortuos eſſe peccato, viventes*
„ *autem Deo*, quid, inquam, hæc omnia,
„ quæ baptiſmi effectus ſunt, aliud reſo-
„ nant, quam baptiſmo prorſus extergi,
„ & plene tolli peccatum ? Quid enim
„ aliud eſt peccatum, quam offenſa in
„ Deum, atque ideo remitti peccatum,
„ quid aliud eſt, quam condonari, abole-
„ ri, atque ideo omnino tolli, ita ut Deus
„ iniquiratum, quas homo fecerat, obli-
„ viſcatur, nec amplius recordetur, ſicut
„ ipſe per Ezechielem ſpopondit ? Quid,
„ ſi Auguſtinum, quem Lutherani ubique
„ judicem appellant, de hac re audire
„ non pigeat ? Nonne tum alibi ſæpe,
„ tum præſertim de pecc. mer. & remiſ.
„ l. 2. c. 25. ſcribit : *Hæc autem lex pec-*
„ *cati*, ſeu fomes concupiſcentiæ, *non ſic*
„ *manet in membris eorum, qui ex aqua*
„ *& ſpiritu renati ſunt, tanquam non ſit*
„ *ejus facta remiſſio, ubi omnino plena &*
„ *perfecta fit remiſſio peccatorum, ſed ma-*
„ *net in vetuſtate carnis tanquam quid*
„ *ſuperatum & interemptum, niſi illicitis*
„ *conſenſionibus quodammodo reviviſcat* ?
„ Quid clarius, quid diſertius ? “

X. „ Lutherani tamen, etſi audiant,
„ per baptiſmum nos *mortuos* eſſe *peccato*,
„ & *ſepultos*, & peccatum ipſum *abſter-*
„ *ſum, deletum, abiectum*, & *peremptum*,
„ nihilo ſecius mordicus ſuſtinent, non
„ eſſe omnino ſublatum —- Audiant ita-
„ que iterum Auguſtinum *cont. duas Epiſt.*
„ *Pelagian.* Chriſtianos per calumniam
„ accuſantium, quaſi negarent, baptiſmo
„ radicitus omnia peccata convelli, tan-
„ tumque vellent, peccata radi, manenti-
„ bus radicibus, unde iterum pullularent,
„ quorum calumniam ſic Auguſtinus re-
„ tundit : *Quis hoc niſi infidelis affirmet*
„ *Dicimus, baptiſma omnium dare indul-*
„ *gentiam peccatorum, & auferre crimina,*
„ *non radere, neque radices peccatorum in*
„ *mala carne teneri, quaſi raſorum in ca-*
„ *pite capillorum, unde iterum creſcant re-*
„ *ſecanda peccata . . . Sed de illa concu-*
„ *piſcentia carnis falli eos, credo, vel fal-*
„ *lere, cum qua neceſſe eſt, ut etiam ba-*
„ *ptizatus pia mente confligat : Sed hæc*
„ *etiamſi vocatur peccatum, non utique*
„ *quia peccatum eſt, ſed, quia peccato fa-*
„ *cta eſt, ſic vocatur, ſicut ſcriptura ma-*
„ *nus cujuſque dicitur, quod manus eam*
„ *fecerit : Peccata autem ſunt, quæ ſecun-*
„ *dum carnis concupiſcentiam, vel ignoran-*
„ *tiam, illicite fiunt, dicuntur, & cogi-*
„ *tantur*. Hæc Auguſtinus adverſus Lu-
„ theranos nitidiſſime pronuntians, poſt
„ reatum originalis culpæ in baptiſmo re-
„ miſſum, concupiſcentiam neque ullo
„ modo eſſe, neque appellari peccatum,
„ niſi per metonymiam. “

XI. Verum quid facias locupletiſſimis iis Pauli teſtimoniis ad Rom. 7. ſcribentis: *Concupiſcentiam neſciebam, eſſe peccatum, niſi lex diceret non concupiſces* ? Eſt ergo, quæ & in baptizatis manet, concupiſcentia vere peccatum, utpote eo Decalogi præcepto vetita. Rurſus : *Si quod nolo*, pergit Apoſtolus, *illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum, ſcio enim, quod non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Igitur ego ipſe mente quidem ſervio Deo, carne autem legi peccati.* „ En, exultans
„ clamat Ltherus, concupiſcentiam cum
„ ratione luctantem ab Apoſtolo appella-
„ ri peccatum. “ Non eſt tamen, cur in laudatis Pauli verbis quiſquam impediatur; nihil enim habent, quod catholicæ incommodet veritati. Quid eo Decalogi interdicto vetatur ? Ipſe ne concupiſcentiæ fomes, atque concupiſcendi radix, an concupiſcentiæ actus, cui prava quiſpiam voluntate conſentit ? Quibus verbis hoc interdictum effertur ? *Non concupiſces rem . . . non concupiſces uxorem proximi ſui*. Ut ergo cætera legis præcepta, *non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non feres falſum teſtimonium* ſolos vetant actus noſtros voluntarios ac liberos, ita non concupiſcendi præcepto prohibetur non ipſa concupiſcendi radix, non concupiſcentiæ motus, qui rationis uſum anteverrat, ſed voluntatis aſſenſio, aut vitioſa in pravo

concupiſcentiæ motu cohibendo mora; alioqui, qui dixerit, tyrannidem illam, & perpetuam concupiſcentiæ molitionem inevitabilem, quæ in renatis ad agonem & exercitationem relinquitur, peccatum eſſe a Deo interdictum, is anathema eſt Hieronymo, qui *in expoſit. ſymboli anathema ait eſſe*, qui dixerit, Deum quidpiam nobis impoſſibile præcepiſſe, & Auguſtino, qui ſerm. 61. *de verbis Domini* ſcribit: *Deus nec impoſſibile aliquid potuit imperare, quia juſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod vitare non potuit, quia pius eſt*. Ipſum autem concupiſcentiæ fomitem penitus cuique inſitum, quis vitare poteſt? Pravos hujus motus plerumque rationis uſu celeriores quis in poteſtate habet? Maximam itaque juſtiſſimo, & maxime pio Deo injuriam infert, qui & radicem illam nobis innatam, ejuſque motus, qui ante rationis deliberationem in poteſtate noſtra non ſunt, a Deo vetari, nobiſque vere & proprie in culpa poni, contendit. Quæ itaque laudatorum Pauli verborum genuina ſententia? „Sine „ lege, ſubintellige, ſcripta, (ait D. Thomas lect. 2. in hoc Apoſtoli caput) poterat quidem cognoſci peccatum ut inhoneſtum, & rationi diſſonum, non vero quatenus eſt offenſa Dei: hoc autem lege divinitus data homini manifeſtatur, humana ſcilicet peccata Deo diſplicere, quia ea prohibet, mandatque puniri. Ad hujus autem propoſiti manifeſtationem Apoſtolus ſpecialiter concupiſcentiam aſſumit, quia declarare vult, peccatum olim non fuiſſe cognitum abſque lege ceu Dei offenſam, quod maxime eluceſcit, ex quo lex Dei concupiſcentiam prohibet, quæ nulla humana lege vetatur, quum Deus ſolus hominem reum habeat propter cordis concupiſcentiam; *homines enim*, ut 1. Reg. 16. legimus, *vident ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor*. Ideo autem Deus lege ſua rei, & uxoris alienæ potius, quam aliorum peccatorum, concupiſcentiam prohibuit, quia horum peccatorum (furti ſcilicet, & adulterii) concupiſcentiæ delectatio quædam annexa eſt, quæ aliorum peccatorum concupiſcentiam non comitatur.. „ His non acquieſcenti Luthero, & præfracte volenti, non concupiſcentiæ motus tantum, qui rationis uſum prævertunt, ſed & ipſam concupiſcendi potentiam & naturam Dei lege interdici, reponit egregie Dominicus Soto: „ hoc audire humanus refugit ſenſus; quis enim puerum vel ante vel poſt baptiſmum lege aliqua adſtringat, in quo non ſolum voluntas, ſed neque concupiſcentia uſum habet, ſed eſt nuda potentia? Niſi in infante pariter peccatum dixeris eſurire, plorare, quod puerorum eſt proprium. Hoc ab Auguſtino damnatum eſt l. 1. de Civ. Dei c. 15.: *Si illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem quaſi lege ſua movetur, quanto magis ſine culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?* His Auguſtinus oſtendit, nullum peccatum eſſe concupiſcentiam abſque conſenſu, quum eſſe poſſit & in corpore dormientis. "

XII. De Paulo ipſo adhuc Judæo & ſub lege agente, non de eo jam juſto poſteriora ejus, quæ Lutherus obiicit, verba interpretati ſunt Origenes, Hieronymus, & Auguſtinus ipſe uſque ad ſenectutem, ut l. 1. Retract. c. 23. teſtatur, qua de cauſa dicere quiſpiam poſſet, concupiſcentiam ob adiunctum originalis, vel actualis peccati nondum deleti reatum *peccatum* a Paulo vocari. Demus tamen Luthero cum Auguſtino jam ſene, aliiſque, quos Auguſtinus ipſe laudat, Hilario, Nazianzæno, Ambroſio, totum de Paulo intelligi, qui Dei gratia fultus, cum carne nihilominus præliabatur, ſi tamen viciſſim nobiſcum candide Auguſtinum ipſum ſequi velit Interpretem, qui ſæpiſſime exponit, concupiſcentiam heic a Paulo non appellari vere proprieque *peccatum*, ſed per metaphraſim, quia peccati Adæ effectus eſt, & actualium noſtrorum cauſa. ---- At excandeſcit Lutherus, veheménterque in nos invehitur, ajens: „ Quomodo interpretari audent effectum tantum & peccati cauſam, quod Paulus idem aperte *peccatum* vocat, quum id neque Angelis ipſis liceat, in quos Paulus fert anathema, ſi aliter evangelizaverint, quam quod ipſe nobis tradidit? " Iras tamen ponat pauliſper Lutherus, ſedatoque animo excipiat, quod regerimus. Paulus non anathematizat, niſi Angelum, qui evangelizet aliquid, quod ſit iis, quæ ipſe tradidit, contrarium. Cæterum homines, qui figuratas & myſticas Scripturæ locutiones exponunt, non ſo-

ſolum non arguit, ſed commendat, quibus diſtribuit Deus ſua chariſmata, *deditque per ſpiritum interpretationem ſermonum.* Num ariolamur? num rem notiſſimam ſolo arbitratu noſtro decernimus? Si, dum ait idem Apoſtolus, Chriſtum, *qui peccatum non noverat, pro nobis a Deo factum eſſe peccatum*, non liceat, translatione uti, & tropum agnoſcere, putandum neceſſario erit, Chriſtum ipſum proprie eſſe peccatum, a qua blaſphemia abhorrentes interpretati ſunt Sancti, *peccati* nomine a Paulo *hoſtiam* deſignari, quæ ſe in cruce pro nobis obtulit, quo etiam ſenſu alibi ab eodem Paulo dictum exponunt: *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum*, ideſt carne a Filio ſuo aſſumpta, atque hoſtia pro abolendis peccatis oblata peccatum ſuſtulit atque damnavit. Quamquam alterum hunc Apoſtoli textum melius alii, & ad ejus mentem conformius interpretantur, *peccati* nomine naturam ipſam noſtram, & carnem peccato infectam ab Apoſtolo denotari, de qua ſimilitudinem gerente peccati, Chriſtus dum eam cruci affixit, redemptionem operatus eſt noſtram. Si ergo *peccatum* haud inepte explicatur de hoſtia pro peccato, & de carne, quæ peccato vitiata eſt, quid ab Auguſtino, & Catholicis in Apoſtolum peccatur, dum concupiſcentiam ita ab eo *peccatum* dictam eſſe, contendunt, ut non vere proprieque peccatum, ſed originariæ noxæ effectus, & actualium noſtrorum criminum cauſa eſſe, intelligatur?

XIII. Eſt tamen perdifficilis Auguſtini ejuſdem locus, in quo Lutherani triumphant. *Concupiſcentiam carnis*, ait ille l. 5. adv. Julianum c. 3., *adverſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis, & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis*. Eſt ergo concupiſcentia, Auguſtino judice, *peccatum propter inobedientiam*, præter ſubſequentes rationes, quibus effectus & cauſa peccati eſt. — Quum teſtimonium hoc in Vvormatienſi Colloquio Lutherani ferociter urgerent, Catholicos, qui Eccleſiæ partes tutabantur, Doctores reſpondiſse, legimus, ſermonem ibi Auguſtino de concupiſcentia fuiſſe ante baptiſma, recteque hanc ab eo *peccatum* dictam, quod adjunctum habeat culpæ nondum baptiſmo deletæ reatum. Dominicus tamen Soto, (a quo fateri nos non pudet, pleraque mutuatos eſse, quæ Luthero opponeremus, non propter eximiam ſolum hominis claritatem, ſed & propter inſignem doctrinæ ſoliditatem) hoc licet Catholicorum reſponſum probet, alium cenſet, verborum Auguſtini veriſimiliorem, ejuſque menti magis conſonum ſenſum eſse. Quid enim ibi Auguſtinus? Julianum oppugnat, cujus & hæc præpoſtera poſitio erat, concupiſcentiam bonam eſse: Auguſtinus contra, etiam poſt baptiſma ſuſceptum malam illam eſse, oſtendere nititur, quod quatuor vel quinque modis exponit: 1. quia *rationi non obedit*, perinde ac ſi diceret, quum naturale ſit hominis bonum, ſecundum rationem operari, quæ rationi non paret, concupiſcentia peccatum quoddam eſt, non damnabile quidem, neque ſupplicio dignum, ſed naturale, ſicut tibia claudicans peccatum eſt, quia recto naturæ motui non inſervit: 2. Eadem concupiſcentia peccatum dicitur, quia peccati effectus eſt, qui modus eſt etiam bipartitus, ut ante remiſſum baptiſmate originalis culpæ reatum peccatum ſit, materiali illa ſignificatione, quam ſumus infra declaraturi, poſt expunctam vero baptiſmate originariam labem peccati nomen retineat, quia peccati originis effectus eſt. 4. quoniam inſtrumentum eſt, quo a parentibus originalis noxa derivatur in prolem. 5. quia actualium omnium criminum, quæ ex ea velut e venenata radice exiſtunt, cauſa eſt. Lutheranis ergo largimur, concupiſcentiam *peccatum* eſse *natura*, morbum ſcilicet ejus, & vulnus, veluti vitium claudicantis tibiæ peccatum corporis dicitur: negamus tamen, ipſam vere proprieque eſse originale peccatum, in cujus naturam inquirimus, quam exercit. ſeq. promemus, & pro virili illuſtrabimus.

EXERCITATIO XIV.

In quo probabilius ſita ſit, originariæ noxæ natura, aperitur.

I. Utinam tam facile poſſemus, veram peccati hujus indolem, ſeu, ut vocant, eſſentiam definire, quam promptum nobis fuit & expeditum, qui de ea ſunt,

ſunt, Novatorum errores refutare! Confidimus tamen, ſi non poſſumus rem magnis adhuc circumfuſam tenebris, multumque inter Theologos controverſam, acu, ut ajunt, attingere, ad veritatem tamen nos propius acceſſuros, quod non aliam culpæ hujus naturam figere velimus, quam quæ a Theologorum Principe D. Thoma, in cujus ſententiam plerique eunt, definita eſt. In quo autem locat ille culpæ hujus eſſentiam? „ Originale peccatum, ait, formaliter eſt privatio juſtitiæ originalis, „ quatenus ſuperiorem animæ partem re„ ctificabat in ordine ad Deum, mate„ rialiter vero eſt ipſa concupiſcentia, ſeu „ carnis, & virium inferiorum animæ de„ ordinatio. “ Quo facilior ſit poſitionis hujus intelligentia, prænotat ille primo, originale peccatum habituale quidpiam eſſe, non quidem veri nominis habitum, qui potentiam directe ad operationem inclinat, qua ratione ſcientia atque virtus dicuntur *habitus*, ſed minus proprie, ſicut bona vel prava naturæ alicujus, quæ ex multis compacta eſt, diſpoſitio habitus dicitur, præſertim ſi fuerit quaſi in naturam converſa, ut ſanitas & ægritudo; originale enim vitium inordinata quædam eſt diſpoſitio inde profecta, quod diſſoluta fuerit mira illa harmonia, quam in primo homine originalis juſtitia efficiebat, ſicut & corporis morbus prava quædam eſt ejuſdem affectio, qua æqualitas & debita humorum temperatio, in qua bona valetudo conſiſtit, tota turbatur, quapropter originalis culpa ab Auguſtino aliiſque Patribus *languor naturæ* dicitur. Quid inde? Sicut corporis invaletudo & privationem ſanitatis ſecum affert, & quidpiam præterea habet, quod *poſitivum* dicunt, ipſa ſcilicet corporis fluida aut ſolida prave affecta & diſpoſita, ita peccatum hoc & originariæ juſtitiæ privationem includit, & præpoſteram corporis, viriumque animæ diſpoſitionem; quare mera privatio non eſt, ſed *habitus quidam corruptus* velut ex privatione & poſitivo mixtus.

II. Cum eodem prænotandum ſecundo eſt, peccatum hoc in omnibus Adæ poſteris unum *ſpecie* eſſe, in ſingulis vero nec eſſe, nec eſſe poſſe, niſi numero unum, quod mirifice declarat Angelicus ajens, in omni prava affectione, ſive inordinata diſpoſitione unitatem ſpeciei ex cauſæ unitate, numericam vero repeti ex ſubjecti unitate. Id videre eſt in corporis morbo, qui ſpecie differt, ſi ex diverſis cauſis, puta pulmonis, vel hepatis vitio, exiſtat, idem autem ſpecie morbus in uno unus duntaxat eſt numero. Quum ergo corruptæ hujus diſpoſitionis, quæ originale peccatum dicitur, cauſa in omnibus hominibus una ſit, prima ſcilicet Adæ noxa in omnes carnali generatione transfuſa, & originalis juſtitiæ privatio, quæ rectitudinem mentis Deo plene ſubjectæ ſuſtulit, culpam hanc in omnibus hominibus unam ſpecie, & *proportione* eſſe, conſequitur, in ſingulis vero unam duntaxat numero. Licet autem diverſæ ſingulorum hominum partes originaria hac labe vitientur, eaque vitiatæ ad diverſa ferantur, num propterea originalia in ſingulis peccata plura ſunt? Diverſas originaria labes hæc partes inficit, ait Angelicus, ut partes unius ſunt, ſicut & originalis juſtitia, una tantum in Adamo quum eſſet, corpus, animam, & inferiores animæ partes cum mente perfecte conſociabat, & continebat, miram horum omnium harmoniam efficiens, quemadmodum etiam & in uno homine una febris eſt, etſi diverſæ corporis partes ea *jactentur*. Cur vero diverſæ hominis vires, una licet originaria culpa vitiatæ, in diverſa & contraria ferantur, declarat idem D. Thomas, quia ſcilicet originale crimen juſtitiam omnino ſuſtulit, quæ corpus, animam, variaſque animæ vires prohibebat, ne in propria pro ſua natura ferrentur: Quemadmodum ergo diſſoluta corporis mixti temperatione, elementa ſibi relicta in contraria loca, ut cujuſque natura fert, tendunt, ita ſublato originalis juſtitiæ nexu, diverſæ animæ facultates eo feruntur, quo ſua cujuſque indoles, & proprium pondus inclinat, atque propendet.

III. Tertio demum cum eodem D. Thoma opuſc. 2. quod *compendium theologiæ* inſcribitur, prænotandum eſt, originalem juſtitiam tria hæc primo homini bona attuliſſe, quæ & fuiſſent ſingulis ejus poſteris communia, ſi perſtitiſſet ille in accepta juſtitia: Primo ſcilicet corpus animæ ita ſubiiciebat, ut nihil cadere in illud poſſet, quod animæ in corpus dominatui repugnaret; quare prorſus ab homine mors, & cujuſque generis morbi abfuiſſent: Secundo inferiores animæ vires tam perfecte ſub rationis imperio continebat, ut eſſet in homine jucunda atque plena mentis tranquillitas nullo affectio-

num

Digitized by Google

num inordinato motu turbata: Tertio voluntatem hominis cum Deo, quem unum habebat ille ſui, ſuorumque omnium ultimum finem, gratia & charitate jungebat, qua in conjunctione primi hominis juſtitiam ac innocentiam primo proprieque poſitam intelligimus. Trium autem horumce bonorum ultimum quum eſſet priorum cauſa, & tria hæc primus homo ſibi ſuiſque peccando amiſerit, originale peccatum in beatæ illius juſtitiæ privatione *formaliter* conſtituentes, privationem hanc quoad primam duntaxat ac præcipuam ſui partem, quæ & cæterarum cauſa eſt, accipiamus, oportet, ita ut innocentiæ ſive gratiæ & charitatis originariæ privatio, prava Adæ peccantis voluntate omnibus ejus poſteris voluntaria, & in ſingulos ab eo per carnalem originem propagata ipſum ſit originale peccatum *formaliter*, ſeu vere & proprie.

IV. His præmiſſis, ad probandam primam aſſertionis noſtræ partem, quæ inter Theologos ferme communis eſt, & nonnullis ſolum e Scoti aſſeclis non arridet, in promptu eſt ratio ex eodem D. Thoma depromta. Quis enim dubitare poſſit, originalis culpæ naturam ex originali juſtitia, cui opponitur, quamque ſuſtulit, penſandam eſſe? Si ergo hæc in ſupernaturali mentis Deo ſubjectæ, & cum illo charitatis gratiæque vinculo conſociatæ rectitudine poſita primo & principaliter erat, in hujus rectitudinis privatione *formaliter & per ſe*, ut Theologi noſtri loquuntur, erit illa conſtituenda. Nonne Philoſophorum ſcitum eſt, rerum naturam in eo locandam, quod primum in re eſſe, concipitur, eſtque aliorum omnium, quæ ad rem pertinent, radix & cauſa? Rem adeo notam & exploratam num exemplis illuſtrare, neceſſe eſt? Quum ergo bonorum, quæ homini originalis juſtitia afferebat, radix & cauſa eſſet mentis Deo plane ſubditæ, eique junctæ rectitudo, ut erat hæc in originali juſtitia primum, præcipuum, atque eſſentiale, ita in funeſta hujus rectitudinis ſubtractione, quam corporis ab anima, & concupiſcentiæ a ratione alienatio conſecuta eſt, originale peccatum *formaliter*, ſeu, ut ait D. Thomas, *principaliter & primo* conſiſtit. Nonne etiam rectitudinis hujus privatio in ſingulos Adæ filios carnali generatione transfuſa omnia habet, quæ habitualis peccatum, non perſonale quidem, quum non ſit propria cujuſque naſcentis voluntate confectum, ſed originale, Theologorum omnium conſenſione conſtituunt? Eſt enim habitualis voluntaria a Deo ultimo fine averſio, habitualis debitæ Deo obedientiæ privatio, voluntaria quidem voluntate Adæ ceu capitis & principii totius humani generis, in quo, quum omnes virtute fuerimus, omnes in eo, judice Paulo, peccavimus, quia *omnes*, ut ait Auguſtinus, *unus ille homo fuimus*, quia etiam, quemadmodum cum D. Thoma jam declaravimus, *participatione ejuſdem ſpeciei plures homines ſunt unus homo*, ſicut multa ejuſdem phiſici corporis membra unum idemque corpus ſunt, & cujuſque membri actus voluntarius dicitur non voluntate membri, ſed voluntate hominis, a quo movetur.

V. Si primas in hoc peccato partes habet originalis juſtitiæ privatio, quæ jam erunt concupiſcentiæ, quam nonnulli Eccleſię Patres peccatum ipſum originale vocant? Secundas hæc habet, nec niſi *materialiter* peccatum originale eſt atque dicitur; ut enim diſſerit D. Thomas 2. ſent. diſt. 30. q. 1. ar. 3. & alibi, „ oppoſito-
„ rum oppoſitæ ſunt cauſæ, ergo origina-
„ lis peccati cauſa conſideranda eſt ex cau-
„ ſa originalis juſtitiæ, quæ ei opponitur:
„ tota autem originalis juſtitiæ ordinatio
„ ex hoc erat, quod mens hominis plene
„ erat Deo ſubjecta, quæ quidem ſubje-
„ ctio primo & principaliter erat in vo-
„ luntate, cujus eſt, alias animæ poten-
„ tias movere in finem, quare ex volun-
„ tatis averſione ab ultimo fine ſecuta eſt
„ inordinatio omnium aliarum virium a-
„ nimæ; privatio itaque originalis juſti-
„ tiæ, qua voluntas ſubdebatur Deo, eſt
„ primum & principale in originali pec-
„ cato, omnis alia inordinatio aliarum vi-
„ rium animæ eſt in peccato originale
„ quaſi aliquid materiale; quæ quidem in-
„ ordinatio præcipue in hoc attenditur,
„ quod inferiores animæ vires ad commu-
„ tabile bonum inordinate convertuntur,
„ atque communi nomine ſolet dici *con-*
„ *cupiſcentia*." Quid ſibi vero voluerint Patres, qui peccatum hoc concupiſcentiam appellant, explicat addens: „ Materiale &
„ formale in actibus moralibus conſideran-
„ dum eſt, ſicut in artefactis rebus, ideo-
„ que ſicut in artificialibus materia de to-
„ to compoſito prædicatur, & ſic dicimus
„ cultrum eſſe ferrum, annulum eſſe au-
„ rum, ita de peccato prædicari poteſt id,

„ quod

„ quod nonniſi materiale eſt in eo, & hoc „ modo peccatum originale dicimus, eſſe „ concupiſcentiam. “

VI. Hinc inferre quiſque poteſt, noxam originariam in omnibus Adæ poſteris æqualem eſſe, quod cuique nullo negocio perſuaſum erit, qui animum adverterit ad D. Thomæ doctrinam. Duo enim, ait ille, in hoc peccato ſpectari poſſunt, originariæ ſcilicet juſtitiæ defectus, hujuſque defectus relatio ad peſtilentem ſui cauſam, primi hominis nimirum culpam, a quo per vitiatam originem in univerſam ejus ſobolem proſeminatur. Si primum in originali peccato conſideretur, quis addubitet, an ſit illud hoc nomine in omnibus prorſus æquale? Nonne originalis juſtitia tota ablata fuit? Nonne omnes Adæ filii æqualem fecerunt ejus jacturam? Altero etiam nomine peccatum hoc in omnibus æquale eſſe, perſpicuum eſt; ad primum enim corruptæ originis principium, ad pravam ſcilicet Adæ voluntatem, ex qua labes hæc culpæ rationem habet, totius Adæ progeniei æqualis relatio eſt, ſicut & ab eo naturalem originem tota æqualiter ducit. At nonne mox ſtatuimus, peccatum hoc inordinatam concupiſcentiam *materialiter* eſſe? Qui poteſt ergo hoc peccatum æqualiter omnes inficere, quum non ſint homines ad concupiſcendum peræque proclives, ſed alius alio acrioribus, magiſque moleſtis agatur concupiſcentiæ ſtimulis? Difficultatem hanc feliciter expedit Angelicus inquiens, diſſoluto originariæ juſtitiæ vinculo, quod omnes animæ vires pacate, ordinateque continebat, unamquamque earum ſibi fuiſſe relictam, ac ſuo veluti motui redditam, eoque vehementius, quo fuerit illa acrior. Quum ergo aliquæ animæ facultates in uno acriores valentioreſque ſint quam in alio, propter diverſam corporis temperationem, major unius præ altero ad concupiſcendum pronitas originariæ labi adſcribenda non eſt, fuit enim in omnibus originalis juſtitiæ vinculum æque ſolutum, inferioreſque animæ potentiæ æqualiter in omnibus ſibi relictæ, ſed in variam earum diſpoſitionem, & peculiare cujuſque temperamentum hæc inæqualitas conferenda.

VII. Necdum tamen acquieſcere his poteſt animus, quod communi Philoſophorum ſcito conſtitutum ſit, æqualis cauſæ inæqualem effectum eſſe non poſſe, quum ergo concupiſcendi ardorem, & corporis vitia, quæ funeſta ſunt originariæ noxæ conſectaria & effectus, in diverſis hominibus inæqualia eſſe, quotidiano experimento compertum ſit, qui poteſt eorumdem eſſe æqualis cauſa? Et hanc difficultatem ſubmovere facile poſſumus, ſi cum D. Thoma cauſas *per ſe*, ex quibus nimirum directe effectus exiſtit, a cauſis, ut vocant, *per accidens*, internoſcamus. Ex prioribus, ſi æquales fuerint, æquales oriri effectus, iiſdemque auctis, vel imminutis, effectus quoque augeri vel minui, facile damus: negamus tamen, poſteriorum, quæ tantum removent id, quod prohibebat effectum, æqualitatem, effectuum pariter inducere, aut indicare æqualitatem. Rem declarat D. Thomas exemplo: Si quiſpiam æquali duas columnas impulſu convellat, quibus incumbant lapides imparis maſſæ ac gravitatis, lapidum ſubtracto fulcro ruentium, non erit æqualis deorſum impetus, ſed ejus major & concitatior, cujus ſecundum naturæ ſuæ proprietatem, cui, remoto prohibente, relinquitur, major eſt gravitas. Similiter remota originali juſtitia, natura hominis ſibi relicta eſt, ideoque pro naturalis temperationis varietate quorumdam corpora pluribus ac gravioribus, quorumdam vero paucioribus levioribuſque morbis obnoxia ſunt, ardentius alii, alii remiſſius ad concupiſcendum feruntur, etſi omnes originaria labe peræque vitiati ſint.

VIII. Quamquam non ea confidentiæ ſimus, ut arbitremur, confixos a nobis, ut in proverbio eſt, cornicularum oculos, ſive, quam de originariæ noxæ natura cum D. Thoma expoſuimus, ſententiam certo ac explorate veram eſſe, affirmamus tamen conſtanter, eam eſſe omnium, quæ inter Theologos feruntur, veriſimillimam, totoque oſtio a veritate aberaſſe Theologos illos, qui culpæ hujus naturam in morbida qualitate ſeu contagione locarunt, quæ Adæ corpus & ſemen, quod carnalis procreationis inſtrumentum eſt, inquinarit, hincque factum putarunt, ut omnes Adæ poſteri ab eo ſeminaliter propagati eandem hanc morbidam qualitatem in carne trahant, quæ a carne in animam, mox ut carni jungitur, tranſit, ita tamen ut licet utraque hæc morbida qualitas in carne & anima hærens concupiſcentia dici poſſit, ſola tamen, quæ animam inficit, originale peccatum ſit ac dicatur. Multis ne opus eſt, ut nihil in

hac

hac opinione, quæ a Theologorum pleriſque rejicitur, probabilitatis eſſe, demonſtramus? Quæ ſane contagioſæ hujus qualitatis cauſa, quæ illam in Adamo primum effecerit, pergatque in poſteris ejus efficere? Serpentis ne, a quo decepta Eva fuit, ſibilus, & peſtilens halitus, quemadmodum Gregorio Ariminenſi placuiſſe fertur? At miſcuit ille colloquia cum Eva, non cum Adamo: viro autem, non mulieri peccati in hunc mundum introitum adſcribit Paulus, quum ſit vir activum generationis principium. Vetiti num pomi eſus, quemadmodum arbitrati ſunt alii? Optimi tamen Dei bonum opus, nihil in ſe habens noxium & mortiferum, qui potuit tetræ hujus qualitatis origo & cauſa eſſe? Rurſus: dum quilibet poſterorum Adæ concipitur, qua virtute fit, ut peſſima hæc qualitas ab inquinata carne ad inficiendam animam tranſeat? Undenam id habet? An a primi parentis crimine? Jamdudum tamen quum illud phiſice actu deſierit, qui poteſt phiſicam qualitatem phiſice efficere? Num vitioſa hæc qualitas ad conceptæ prolis carnem adhæreſcens, ſimilem in anima, quum primum in carnem infunditur, poteſt imprimere? Recta tamen ratio non fert, ut in animum inducamus, materiale quidpiam, cujuſmodi eſſe virulentam illam, quæ carnem inficit, qualitatem, Adverſarii concedunt, in anima ſuapte natura ſpiritali poſſit ſpiritale aliquid imprimere. Numquid tandem a Deo? Abſit vero, ut hoc in mentem cuiquam veniat, ne Deum ponamus culpæ originalis auctorem, ſi fuerit malæ hujus qualitatis in Adæ poſteris effector, in qua originalis peccati natura ab his Theologis collocatur.

IX. Videntur ſibi tamen, qualitatem hanc ex Auguſtino promiſſe, qui concupiſcentiam, cum qua luctamur, *affectionem quandam* vocat *malæ qualitatis*, *ſicut languorem*, & l. XI. *de Gen. ad lit.* ſcribit, *Protoparentum corpus duxiſſe morbidam & peſtiferam qualitatem*. At quum nemo Auguſtini mentem felicius aſſecutus ſit, meliuſque expoſuerit D. Thoma, ſatis fuerit, ea huc revocare, quæ cum eodem in hujus exercitationis initio prænotavimus; hinc enim intelligimus, qualitatis hujus nomine, ſolam ab Auguſtino deſignatam concupiſcentiam, quæ in primis parentibus, mox ut peccarunt, vitiata fuit, atque ab iis in poſteros vitiata traducitur, non quod eam tabifica aliqua infecerit qualitas, ſed quia originali juſtitia nudata fuit, ſicut ablata debita humorum temperatione, diſſolutaque fluidorum vel ſolidorum harmonia fit languor in corpore, quod & ipſe Berti Auguſtinienſis admittit, concupiſcentiam ajens ad Auguſtini mentem languorem ac infirmitatem eſſe, pravamque affectionem, quatenus inferiores animæ vires propter Adæ peccatum debito ordine deſtitutæ ſunt, ſicut languor & corporis invaletudo mala ejuſdem habitudo eſt ex humorum perturbatione, & inordinato ſanguinis motu profecta. Nonnihil quidem nobis negotii faceſſeret, quod l. 4. Hypognoſticon c. 1. legimus, *libidinem* ſcilicet *hominis e ſerpentis afflatu natam eſſe*, ſi libri ii genuinum eſſent Auguſtini opus? At quum inter Eruditos jam conveniat, eos fuiſſe Auguſtino ſuppoſitos, eorumque parentem eſſe vel Xiſtum III., qui in Petri ſedem S. Cæleſtino I. ſucceſſit, vel Marium Mercatorem, non eſt, cur multum de eo teſtimonio laboremus; præſertim quum eorum librorum Auctor, quicunque demum ille fuerit, ſerpentis afflatum metaphorice pro fallaci Diaboli ſuaſione uſurparit, qui ſerpente ad fallendam Evam inſtrumento uſus eſt, rectiſſimeque ſcripſerit, *fraudifero flatu mortiferam libidinem fuiſſe inflictam*, quia parentes ea diaboli ſuaſione ad peccatum pellecti ſunt, eorumque ex peccato orta eſt hominis libido, ſive carnis adverſus ſpiritum perduellio.

X. Rectius ne vero Durandus, & Joannes Fiſcherius Roffenſis Epiſcopus art. 2. *adverſus Lutherum in reatu pœnæ*, ſeu *in obligatione ad ſubeundam pœnam*, ſeu in condignitate pœnæ peccatum originale conſtituunt? Falſo certe, nec ſine errore; D. Thomas enim 2. ſent. diſt. 30. q. 1. art. 2., quum Pelagii ac Cæleſtii errorem memoraſſet peccatum hoc abſolute negantium, addit: „ Alius eſt eorum error, qui originale peccatum nomine concedentes, re tamen negabant, dicentes, in puero nato nullam eſſe culpam, ſed tantum obligationem ad pœnam, quod divinæ juſtitiæ manifeſto repugnat, ut ſcilicet aliquis obligetur ad pœnam, qui culpa caret, quum pœna juſte non debeatur, niſi culpæ: “ quibus verbis argumentum nobis ille ſup-

peditat, quo memoratos Theologos perſtringamus : Vel ſolum in Adæ poſteris pænæ reatum agnoſcunt , vel aliquam præterea culpam : Si primnm, verbo tenus originale peccatum adſtruunt, re ipſa negant , Deoque injuſtitiæ notam , etſi non volentes , inurunt , qui pænæ reos habeat cujuſque culpæ expertes : ſi alterum , quum reatus pænæ referatur ad culpam , ut effectum ad cauſam, nonne in rationem peccant, qui rei naturam in ejuſdem effectu ponunt ? At eſt hæc Durandi & Roffenſis opinio ab Auguſtino tradita. Itane? Ita ſane; Vaſquez enim diſp. 13. c. 3. ſcribit : „ Quum Auguſtinus circa „ peccati originalis eſſentiam ſæpe ſuam „ ignorantiam fateatur , nil mirum , ſi „ Vir alioqui ſanctiſſimus & doctiſſimus „ difficultate rei oppreſſus nihil aliud in„ venerit, in quo originalis peccati eſſen„ tiam collocaret, quam reatum illum , „ & ſic in re tam difficili fuerit dece„ ptus . “ An Auguſtinus, an Vaſquez, non quidem in re tam difficili , ſed quæ illi fuiſſet captu facilis, ſi Augnſtinum paulo attentius legiſſet , deceptus fuerit, cordati dijudicent . Quid enim , ſi Auguſtinus ſæpe docuit , concupiſcentiam in non baptizatis originale peccatnm eſſe *non ratione ſui*, *ſed ratione reatus*, ac perinde eſſe , *tolli reatum* , ac *tolli peccatum*, *etſi maneat concupiſcentia*, quæ , *licet actu maneat in baptizatis* , *tranſit tamen*, *& Sacramento baptiſmi tollitur quoad reatum* ? Num ergo Auguſtinus peccati originalis naturam in pænæ reatu conſtituit ? Quis tam immane paradoxum animo imbibat , niſi qui in Auguſtini ſcriptis peregrinus fuerit & plane hoſpes ? Quum opinio hæc, quam refellimus , a Pelagianorum errore verbis duntaxat diſcrepet, re autem ipſa conveniat , cui in mentem veniat, Augnſtinum acerrimum & perpetuum erroris hujus oppugnatorem, qui invicto hoc argumento Pelagianos ſemper exagitavit, fore ſcilicet Deum injuſtum, ſi ab infantibus pænas repeteret , qui omni culpa vacarent , vel ſolum pænæ reatum , omni excluſa culpa, in Adæ poſteris admiſiſſe , vel , ſi culpam agnovit , præter omnes Philoſophiæ leges , eſſentialem & præcipuam hujus culpæ notionem in aliquo ejus effectu præpoſtere collocaſſe ? Quid ergo ? Nunquam ab Auguſtino ſcriptum reperire eſt , peccati hujus naturam in *pænæ reatu* ſitam eſſe, ſed vel in reatu abſolute, vel in reatu *concupiſcentiæ*, ita ut reatus ſit ipſa peccati ratio , qua homo fit , haberurque reus. „ Licet antem „ hoc *reatus* nomen , ait egregie Domi„ nicus Soto, Luthero non placeat, opti„ me tamen derivatur a *reus*, ſicut *fa„ mulatus a famulo*, *dominatus a Domi„ no*, deſiguatque culpam , quæ condi„ gnitatem pænæ ſecum adferr , cujus „ exempla præſto ſunt e ſacris literis . „ Idololatria Hebræorum, qui ad radices „ montis Horeb vitulum aureum colue„ runt, peccatum fuit, diciturque Exod. „ 22. *peccatum maximum*, verſiculo ta„ men ultimo legitur : *percuſſit Dominus „ populum pro reatu vituli*, id eſt pro ſce„ lere idololatriæ . Item Deuteron. 21. „ homicidium appellatur *reatus ſangui„ nis*, ſive ſcelus humani cruoris injuſte „ effuſi. “ Cur vero peccatum ipſum , quod pænæ reatum , ſive luendæ pænæ obligationem inducit , quandoque reatus nomine ſive in divino eloquio , ſive a Patribus deſignetur , declarat Angelicus 2. ſent. diſt. 42. q. 1. art. 2. : „ Reatus „ dicitur , ſecundum quod aliquis eſt reus „ pænæ, & ideo proprie *reatus* nihil eſt „ aliud , quam obligatio ad pænam ; & „ quia obligatio hæc quodammodo media „ eſt inter culpam & pænam , eo quod „ propter culpam aliquis obligatur ad pæ„ nam , ideo nomen medii tranſumitnr „ ad extrema, ut interdum ipſa culpa , „ interdum ipſa pæna *reatus* dicatur. “ Nihil itaque ab Auguſtino peccatum eſt ſcribente, peccatum originale reatum eſſe; ſunt enim plura in Scripturis ſimilis locutionis exempla , eſt etiam hominibus in more poſitum, nomen medii ad extrema ſignificanda traducere.

EXERCITATIO XV.

De pernicioſis originariæ noxæ conſectariis , ſeu effectibus.

I. AD caput hoc illuſtrandum aggreſſi, manus cum Lutheranis primo conferamus oportet, qui & in Auguſtanæ confeſſionis Apologia, & in Vormatienſi colloquio originariæ noxæ gravitatem omnibus ante ſe Theologis ignotam fuiſſe jactantes , infauſtos quoſdam ejus effectus commenti ſunt hactenus inauditos , *Deum* videlicet *ignorare* , *atque*

con-

contemnere, ejus judicium odiſſe, ejus metu atque ſpe carere, Deum judicantem fugere, Deo iraſci, deſperare gratiam, & temporalium duntaxat rerum fiduciam habere. Falluntur tamen inſigniter arrogantes homines, & procaces Scholaſticorum omnium irriſores, ſuntque a ſolida Metaphyſice prorſus imparati. Quos enim vere intelligimus peccati hujus effectus, & legitima conſectaria? Nonne illa, quæ ex natura, ut ajunt, rei, & divina lege peccatum hoc, quin nova opus ſit voluntate, conſequuntur, quæque ſunt omnibus Adæ poſteris, ſive adultis, ſive infantibus, reipſa communia? Quæ autem iſti commemorant, quis ſcite dixerit, ex originali peccato, ſuapte natura, divina lege, abſque novo proprioque voluntatis ſingulorum, qui peccant, actu manare, & in omnibus Adæ filiis promiſcue ineſſe? Quid jam oberit, quin omnia, cujuſque generis, hominum peccata originariæ noxæ dicantur effecta, ſi illa proprie dicenda ſint, quæ Lutherani excogitarunt? Remota quidem, & latiſſima quadam ratione referri omnia hominum crimina ad originis culpam velut ad cauſam poſſunt, quatenus per concupiſcentiam originali juſtitia nudatam voluntas actu peccantis ad conſenſum allicitur: Verbis tamen immaniter abuteretur, qui id efferret; nunc enim in veros, & ut ajunt, proximos peccati originalis effectus inquirimus.

II. Adacti a Catholicis adverſarii ad confitendum, recitatos effectus a ſe confictos neque in infantibus eſſe, & actualia potius eſſe ſcelera, quam peccati originis conſectaria, repoſuerunt, quamquam horum effectuum nomine actualia ſignificari peccata videantur, iis tamen non ſolos deſignari actus, ſed *& potentiam ad pravas hujuſmodi actiones, vel privationem oppoſitarum virtutum, quibus nos peccatum Adæ ſpoliavit*. „ At non ſe ſatis expediunt, ait Dominicus Soto. I. qui Dei odium, ejus judicii contemptum, hiſque ſimilia audit, nihil prorſus intelligit, quam ſcelera ipſa, quæ ſunt actualia peccata, quæ ſi originariæ labis effectus ſunt, conſequens fit, ut pueris ipſis ante rationis uſum adſcribantur, quo nihil fingi poteſt abſurdius. Præterea, cur potius pauca illa commemorant, ut eis temere in buccam venerunt, quam reliqua omnia flagitia, ſcelera, impietates, quas Paulus c. 5. epiſt. ad Gal. tribus verſiculis comprehendit: quandoquidem omnium incentivum, impulſus, origo in concupiſcentia carnis eſt, eaque omnia ibidem a Paulo dicuntur *opera carnis*, ſive concupiſcentiæ? Addo, ſi illos ita originalis culpæ effectus eſſe, interpretantur, ut omnibus Adæ filiis, etiam juſtis, ſoluto per baptiſmum culpæ reatu, inſint, hoc plane falſum eſt, quum multi ſint tantorum malorum expertes, nihilque vetet, quin aliqui ſint, qui omni lethali crimine careant, quales nonnulli in veteri teſtamento laudantur: Sin vero intelligunt, effecta illa eſſe originalis culpæ tunc ſolum, quando baptiſmate non eſt ablata, ſicut in colloquio Ratiſponenſi ſentire viſi ſunt, iterum mendacii revincuntur, quum plures inter Græcos Romanoſque Ethnicos fuerint, quibus ſane remiſſum non erat originale peccatum, qui tamen naturæ lumine edocti a pluribus vitiis abſtinuerunt, quam multi e Chriſtianis, ſicut quum alii, tum etiam Auguſtinus quandoque refert, eoſque nobis in exemplum proponit. 4. Quodnam loquendi novum, abſurdumque genus eſt, inter originalis culpæ effectus referre, *vacare Dei metu, ac fiducia, iraſci Deo, deſperare gratiam*, hiſque ſimilia? Nonne multi ſunt juſti, meticuloſi tamen, Deique judicia extimeſcentes: pravi contra multi non ſolum non deſperantes, ſed ne timentes quidem? “ Hæc Soto.

III. Eſtne ſaltem inter originalis peccati effectus referendus ille, quem Lutherus excogitavit, propugnavitque pertinaciſſime, per lapſum ſcilicet Adæ eam ab omnibus ejus poſteris liberi arbitrii ſive ad bonum, ſive ad malum factam fuiſſe jacturam, ut *liberum arbitrium poſt peccatum*, ita ſcribebat ille ad Leonem X., *res ſit de ſolo titulo, figmentum in rebus, & titulus ſine re*? Vecors ſit, aut plane impius, oportet, qui hoc animo complectatur: quid enim errore hoc immanius, quid pernicioſius, quid divini eloquii veritati magis aperte contrarium? Quum Deus Gen. 4. Caino dixiſſe legatur, *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, Deuter. quoque 30. Moſes populum ita ſit allocutus, *teſtes invoco hodie cælum & terram, quod propoſuerim vobis*

 vi-

vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, ut & tu vivas & ſemen tuum, item Joſue 24., *optio vobis datur, eligite hodie, quod placet, cui potiſſimum ſervire debeatis*; Eccleſiaſtici demum 31. (ne in immenſum ſermo abeat) laudetur juſtus, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit*, hæccine de homine vere dici poſſent libertatis prorſus experte, & ad unum aliquid brutorum animantium inſtar naturaliter determinato? *Optio, dominatus, electio*, & faciendi vel non faciendi poteſtas, cujus eſt? Nonne libertate præditi? Quæ germana eſt libertatis idea, quam in animis conſignatam habemus? Nonne indifferentiam menti offert ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud, plenamque eligendi, quo cunque libuerit, poteſtatem? Hæc autem omnia hominibus poſt Adæ lapſum ſacræ literæ nonne ſexcentis conceptis verbis attribuunt? Qui potuit ergo Lutherus, qui poſſunt, quotquot in hoc ejus errore hærent, veritatem tam luculenter ibidem expreſſam negare abſque maxima Spiritus Sancti ſacrarum literarum Auctoris injuria? Nonne Tridentina Synodus ſeſ. *6. de juſtificatione* can. 5. hoc in eos anathema juſtiſſime torſit: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imo titulum ſine re, figmentum denique a Satana in Eccleſiam invectum, anathema ſit.*

IV. Quoniam autem Lutherus Auguſtini potiſſimum auctoritate ſe protegit, ſuaſque illum in partes vel obtorto collo trahere nititur, ferendum non eſt, tantam Doctori ſummo atque ſanctiſſimo a Luthero injuriam inferri. Quoniam autem infiniti eſſemus, ſi omnia vellemus congerere, quibus ille & Catholicam hanc veritatem adſtruxit, & hunc Novatorum errorem validiſſime profligavit, quid iis luculentius, quæ ſcripſit ille in epiſt. ad Valentinum, ejuſque Monachos, ſe nimirum, quantum potuit, cum eis libris ſuis egiſſe, ut in fide ſana catholica perſeverarent, *quæ neque liberum arbitrium negat ſive in bonam, ſive in malam vitam, neque tantum ei tribuit, ut ſine Dei gratia valeat aliquid, ſive ut ex malo convertatur in bonum, ſive ut in bono perſeveranter proficiat*? Quid & iis diſertius, quæ in l. cont. duas epiſt. Pelagianorum Juliano Catholicis crimini danti, quod eorum de originali peccato doctrina liberum exterminaret arbitrium, repoſuit ajens: *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Liberum arbitrium uſque adeo in homine non periit, ut per illud maxime peccent omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc ejus placet, quod eis lubet*? Poſt duo hæc meridiana luce clariora teſtimonia, aliane, eaque gemina conferre, opus eſt, quæ habet ille ſexcentis in locis? Sed & in re tam manifeſta & pervulgata etiamne argumentatio quærenda erit, quam naturalis ipſa ratio, & quotidiana experientia ſuppeditant? Quum libertas, ut eam definit Tullius, poteſtas ſit vivendi, ut velis, nonne hanc nobis poteſtatem natura dedit, quæ nos rationis participes fecit? Si ergo Adæ peccatum gratiæ nobis damnum attulit, non naturæ, neque enim poſt illud homines eſſe deſivimus, nec libertatis attulit, quæ nobis eſt naturaliter inſita, ac innata. Nonne tandem intimo ſenſu quotidie percipimus, ſumuſque ipſi nobis conſcii, agere nos libere, quæ volumus, modo in poteſtate noſtra illa ſint, ea eligere, quæ placent, repudiare vero, quæ diſplicent? Tam eſt experimentum hoc conſtans, certum, & exploratum, ut qui muſſitare adverſus illud audeat, ait optime Scotus, non argumentis, ſed verberibus ſit caſtigandus.

V. Quid ſibi ergo vult, occurrunt Lutherani, Evangelica parabola Lucæ X. hominis, qui a latronibus expoliatus, plagiſque impoſitis ſemivivus relictus eſt? Nonne hominem ſignificare eo exemplo Chriſtus volit peccato Adæ non gratuitis ſolum donis nudatum, ſed & in naturalibus ita ſauciatum, ut vix libertatis titulum umbramque retineat? Quamquam de Adamo peccante, ejuſque poſteris parabolam hanc univerſi ferme Patres exponant, tantum abeſt tamen, ut Catholicæ veritati incommodet illa, ut eam potius confirmet; Nonne etenim vulneratus a latronibus evangelicus homo ſemianimis relictus eſt, non peremptus? Nonne pii Samaritani opportunis officiis atque cura convaluit, & ad ſalutem reductus eſt? Bene habet: jacta ſunt ergo fundamenta confirmationis, & laudata parabola veritatem hanc conſtabilit, non labefactat.

Li-

Digitized by Google

Liberum itaque arbitrium viribus quidem ad bene agendum, ut Tridentinum loquitur, *attenuatum & inclinatum* eſt, non extinctum, & medicinali Chriſti, cujus officioſus ille Samaritanus imaginem geſſit, gratia ſanatum, & priſtinæ redditum valetudini. Quæ ſit autem communis illius inter Theologos proloquii, hominem ſcilicet peccato Adæ & ſpoliatum fuiſſe gratuitis, & in naturalibus vulneratum, germana ſententia, erit in ſequentis exercitationis initio declarandum, quum de inflictis humanæ naturæ vulneribus ſermo erit.

VI. Nonnulla tamen ſunt Auguſtini teſtimonia, in quibus Lutherani hujus erroris ſui arcem collocant, quibus docere videtur, non imminutum viribus ſolum liberum hominis arbitrium, ſed plane extinctum atque ſublatum; In Enchir. c. 30. namque ſcribit: *Libero arbitrio male utens homo & ſe perdidit & ipſum; Sicut enim qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non vivit, nec ſe ipſum reſuſcitare poteſt, quum ſe occiderit, ita quum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium*, quod & repetit Epiſt. 217. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Quid, quod ille perſæpe indifferentiam illam, in qua libertatis notio collocatur, ab homine lapſo ablegat, eamque ceu Pelagianæ hæreſeos fundamentum impetit, & demoliri conatur? Ipſe demum quoties inculcat, ortam eſſe ex Adæ delicto in ejus poſteris peccandi neceſſitatem? Quæ jam poteſt in homine libertas eſſe, qui fecit liberi arbitrii cum Adamo peccante jacturam, nec jam retinet indifferentiam, ſeu agendi, quod vult, poteſtatem, ſed neceſſitate trahitur ad peccandum?

VII. Non diſſimulamus, multam in his aliiſque ſimilibus Auguſtini teſtimoniis difficultatis ſpeciem ineſſe, quæ tamen non multo negotio diſpellitur, ſi germana Auguſtini mens in ejuſdem ſcriptis perquiratur, & geminis ejuſdem teſtimoniis illuſtretur. Ab ipſo libertatis nomine orſi ejus diviſionem præmittimus; quum enim *libertas* dicatur & a verbo *libero*, & a nomine *liber*, plures ejus accipi poſſunt ſpecies, quarum prima opponitur *coactioni*, altera *neceſſitati*, tertia *ſervituti*; Prima & ſecunda ſignificatio frequentior in ſacris literis eſt, quam ut teſtimonio egeat, ſed & tertia nihiloſecius uſurpatur: liberamur etiam a ſervitute peccati per gratiam Chriſti in hac vita, & a moleſtiis & pugna carnis in futuro ſæculo per gloriam. Hinc triplex a Theologis libertas colligitur, libertas *naturæ*, quæ immunitatem dicit a neceſſitate, qua quiſpiam eligit, quod mavult; libertas *gratiæ*, demum libertas gloriæ, ſeu libertas *a neceſſitate*, *a peccato & a miſeria*, quæ omnes in ſtatu innocentiæ fuerunt. Prima, quia naturalis eſt, permanet poſt peccatum; duas alias amiſimus, quas per Chriſti merita recuperamus, ſecundam quidem in hac vita, tertiam vero in futura. Auguſtinus itaque, quoties cum Pelagianis confligebatur, qui libero arbitrio plenam integramque poteſtatem promerendæ juſtitiæ arrogabant abſque ulla gratiæ adjuvantis neceſſitate, id ipſum validiſſime refellebat, amiſſamque ab homine poſt lapſum libertatem eo ſenſu aſſerebat, quod ita ſervus peccati factus eſſet, ut non poſſet a culpa ſuis viribus ſurgere, atque ita mortuo homini aſſimilatum. Similitudinem hanc tamen non ita conſtituit, ut, quemadmodum mortuus nullo modo cooperans redditur vitæ, ita peccator revocetur ad gratiam abſque ullo libertatis ſuæ uſu; neque enim Deus nos ad ſe trahit ut pecudes, aut inanime organum, ſed illuſtrando, dirigendo, excitando, alliciendo, terrendo, pulſando, & inſtigando; quare non eo ſenſu Auguſtinus eo Evangelico dicto utitur, *ſi vos filius liberaverit, vere liberi eritis*, quaſi vero in peccatore non inſit libertas aſſentiendi, & divinæ motioni, ſi libet, cooperandi, ſed quia a ſervitute peccati per gratiam liberatus, jam Dei auxilio inſtructus eſt, ut poſſit, quod libet, agere, quod ante non poterat. Audiamus Auguſtinum ſui ipſius Interpretem l. 1. *contra duas epiſt. Pelagianorum*: *Quis*, inquit, *noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod humana natura divina indiget gratia, dicente Domino, ſi vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. Liberum itaque arbitrium hoc ſenſu cenſuit Auguſtinus homini deperditum eſſe poſt culpam, quod non ſit

illi

illi ſfacultas recuperandæ gratiæ, neque ad eam ſe diſponendi, niſi adjuvante Deo, non tamen quod liberum illi non ſit, excitanti vocantique Deo aſſentiri, vel diſſentire. Auguſtini perpetua mens cum ex hoſtibus, quos oppugnabat, tum ex dogmatis, quæ confirmabat, promenda eſt, atque inde eruendum, eum Manichæos inter, qui liberum evertebant arbitrium, ac Pelagianos, qui ita illud magnificabant, ut ſolum ſibi ſufficeret, nec ad quæcunque bona opera interiori ullo opus haberet Dei adjuvantis auxilio, medium inceſſiſſe, atque hinc adverſus Manichæos pro libero ita ſtetiſſe auxilio, ut inde adverſus Pelagianos perpetuo demonſtrarit, non poſſe illud ſine Dei adjutorio a peccato ſurgere, & abſtinere, & ſalutis æternæ negotium promovere. Hoc eſt in Auguſtini libris tam perſpicuum, tam expreſſum, tam inculcatum, ut valde mirari ſubeat, Janſenium in librorum ejus lectione diu multumque verſatum de recta Auguſtini mente non dubitaſſe ſolum, ſed præpoſteram adeo falſamque ſententiam fidenter ei adſcripſiſſe. Auguſtini doctrinam probe aſſecuta Tridentina Synodus ſeſ. 6. de juſtificat. cap. 1., quod eſt *de naturæ & legis ad juſtificandos homines imbecillitate*, *declarat*, *oportere*, *ut unuſquiſque agnoſcat ac fateatur*, *quod quum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent*, facti immundi, &, ut Apoſtolus loquitur, filii iræ.. uſque adeo erant ſervi peccati, & ſub poteſtate diaboli, ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, ſed ne Judæi quidem per ipſam etiam literam legis Moyſi, inde liberari, aut ſurgere poſſent, tametſi in eis liberum arbitrium minime extinctum eſſet, viribus licet attenuatum, & inclinatum.

VIII. In iiſdem Auguſtini operibus ſedulo diſpiciendum, quam indifferentiæ libertatem Pelagiani falſo jactarent, quam Auguſtinus totis viribus inſectaretur. Pugnaciſſime negabant illi, originariam noxam tranſire in Adæ poſteros, eoſque a primi ſtatus integritate excidiſſe; nihil propterea damni primi hominis culpa, Pelagianis auctoribus, nobis attulit, non attenuatum imminutumque liberum arbitrium ad bonum: nulla carnis adverſus ſpiritum, & concupiſcentiæ adverſus mentem excitata in nobis perduellio: omnia nobis integra conſtant, atque inviolata, ut quum primo fuimus inſtituti: perfecta eſt arbitrii noſtri æquilibritas, valetque illud ad bonum æque ac ad malum. Ad hæc tam male jacta principia, mirum, attexuiſſe illos peſtilentem errorem, quo veluti charactere a cæteris hæreticis diſtinguuntur, nullam ſcilicet eſſe ad bona opera, obtinendamque ſalutem interioris, quæ naturam reparet, ſanet, elevet, ac confirmet, gratiæ neceſſitatem. *Conſequens putant*, ita de Maſſilienſibus Semipelagianis Proſper ad Auguſtinum... *ut quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momento animus ſe vel ad vitia, vel ad virtutes moveat*. Abſurdam hanc autem æquilibritatem, perverſamque indifferentiam, quæ venenata erat Pelagiani erroris radix, quis non horreat & execretur? Male materiatum hoc exitioſæ doctrinæ fundamentum an non debebat Auguſtinus pro virili diſiicere, atque ſubvertere? Eam vero arbitrii indifferentiam, quam & in nobis intimo quotidie ſenſu percipimus, & Catholica ſemper prædicavit Eccleſia, non eam prorſus, quæ Adæ innocentis fuit, ad bonum perinde expedita ac ad malum, ſed quæ ad malum ſibi ſola ſufficiat, ad bonum vero fracta ac debilitata ſit, ideoque impar, niſi a Deo ſanetur, & roboretur, nonne conſtanter Auguſtinus agnovit, atque confeſſus eſt? Ut ſexcenta mittam, quæ ex libris ejus proferri poſſent, quid eo explicatius, quod in l. de corrept. & grat. habet: *Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parvum*, id eſt infirmum, *eſt*, *niſi adjuvetur ab omnipotenti bono*?

IX. Ad ea poſtremo loca, in quibus ortam eſſe ſcribit ex Adæ peccato in univerſa ejus ſobole peccandi neceſſitatem, triplex adhiberi poteſt D. Thomæ interpretatio. Primam habet quæſt. 22. de verit. art. 5., non ita ſcilicet Auguſtini dictum accipiendum, quaſi vero homo peccato inquinatus ad peccandum neceſſitate impellatur, neque libere vitare illud poſſit, ſed quod homo in peccati ſordes prolapſus hærere in iis neceſſario debeat, niſi ab omnipotenti bono inde eruatur, haud ſecus ac qui volens ſciensque in puteum ſe profundum abjecit, neceſſitatem ipſe ſibi conſcivit perpetuo in eo manendi; neque enim inde exire ſe ſolo jam poteſt, niſi amica opem feren-

ſentis manu extrahatur. Senſum hunc præferre videntur ipſa Auguſtini verba; neque enim ait: *Quia peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem* (peccandi) ſed *peccatum habendi dura neceſſitas*, idest in admiſſi ſceleris ſordibus obſoleſcendi. Num vero Catholicæ fidei doctrina ſeri, ut dicamus, poſſe hominem e peccato naturæ viribus atque conniſu unquam emergere, niſi divina illum miſericordia & gratia eduxerit? Alteram ibidem affert D. Thomas, nempe ni fidei caput eſt ſæpe in divino eloquio perſpicue traditum, a nullo (præter Chriſtum & Deiparam Virginem) poſt Adæ lapſum, quantacunque demum gratia prædito, abſque aliqua veniali culpa tranſigi mortalem hanc vitam poſſe, ita ut, licet hoc vel illud ſigillatim, omnia tamen *collective*, ut Theologi de ſchola loquuntur, vitare omnino nequeat, haud ſecus eum, qui lethali peccato obſtrictus eſt, quamdiu eo tenetur, etſi mortifera peccata ſingula declinare ſeorſum poſſit, abſtinere tamen ab omnibus omnino non poſſe, quin novo aliquo ſe obſtringat, quod in tract. de gratia Theologi cum D. Thoma ſolide probant. Tertiam denique tradit idem Angelicus lect. 3. in cap. 7. epiſt. ad Rom., fieri nempe non poſſe, ut poſt Adæ lapſum homo, utut juſtus & ſanctus, inordinatis concupiſcentiæ motionibus, quæ rationis deliberationem antevertunt, non jactetur, quibus tamen voluntas ad peccandum nec cogitur, nec cogi poteſt, ſed tunc ſolum ei in culpa ponitur, cùm ſe iis ad malum abripi, ſciens prudenſque conſentit. Tertiam hanc interpretationem ad Auguſtini mentem propius accedere, ex iis infertur, quæ in teſtimonio ab Adverſariis objecto habet ille, ajens: *Quid patiebatur, quæſo, qui ſecundum veſtrum ſenſum .... premebatur, ut diceret: non quod volo, bonum, hoc facio, ſed, quod nolo, malum, hoc ago?* Pauli autem ea verba eſſe de homine jam redempto, qui concupiſcentiæ ſtimulis etiam invitus adverſus legem mentis ſuæ agitur, jam explicatum eſt. Generatim duntaxat, & breviter quæſtionem hanc verſavimus; neque enim aliud erat hoc loco probandum, quam liberum arbitrium Adæ peccato non periiſſe, ideoque falſo atque perverſe Lutherum inter peccati originalis conſectaria & effectus jacturam hanc numeraſſe. Eſt opportunior atque prolixior libertatis humanæ apud Theologos noſtros defenſio in tract. *de peccatis*, & in tract. *de juſtific. & merito*.

EXERCITATIO XVI.

De eodem argumento.

I. Si perperam atque falſo Lutherus ejuſque gregales originalis peccati effectus ſtatuerunt, quinam ii Catholicorum omnium conſenſione? Quatuor Venerabilis Beda omnium primus vulnera deſignavit, quæ humanæ naturæ originale crimen *impoſuit*, *ignorantiam* videlicet, *malitiam*, *infirmitatem*, atque *concupiſcentiam*, quæ Theologorum omnium ore trita aptiſſime a D. Thoma 1. 2. q. 85. art. 3. ſic explicantur: „ Per juſtitiam „ originalem perfecte ratio continebat in„ feriores animæ vires, & ipſa ratio per„ ficiebatur ei ſubjecta: hæc autem ju„ ſtitia originalis ſubtracta eſt per pecca„ tum primi parentis, ſicut jam dictum „ eſt (q. 81. art. 2.), & ideo omnes „ vires animæ remanent quodammodo „ deſtitutæ proprio ordine, quo natura„ liter ad virtutem ordinantur, & ipſa „ deſtitutio *vulneratio naturæ* dicitur. „ Sunt autem quatuor potentiæ animæ, „ quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum, ſi„ cut ſupra dictum eſt (q. 61. art. 1.) „ ſcilicet ratio, in qua eſt *prudentia*, „ voluntas, in qua eſt *juſtitia*, iraſcibi„ lis, in qua eſt *fortitudo*, & concupiſci„ bilis, in qua eſt *temperantia*. Inquan„ tum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine „ ad verum, eſt vulnus *ignorantiæ*, in„ quantum vero voluntas deſtituitur ſuo „ ordine ad bonum, eſt vulnus *malitiæ*: „ inquantum iraſcibilis deſtituitur ſuo or„ dine ad arduum, eſt vulnus *infirmita„ tis*: inquantum vero concupiſcibilis de„ ſtituitur ſuo ordine ad bonum delecta„ bile moderatum ratione, eſt vulnus „ *concupiſcentiæ*. Sic igitur iſta quatuor „ ſunt vulnera toti humanæ naturæ infli„ cta ex peccato primi parentis. “ Quoniam autem *inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per actuale peccatum*, ſicut art. 1. ejuſdem quæſtionis perſpicue demonſtrarat Angelicus, propterea addit, „ etiam iſta quatuor eſſe vulne„ ra ex aliis peccatis conſequentia, in„ quantum ſcilicet per peccatum & ratio „ he-

„ hebetatur, præcipue in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & difficultas bene agendi accreſcit, & concupiſcentia magis exardeſcit. “ Quæ itaque originaria noxa nobis impoſuit, vulnera, D. Thoma interprete, peccatis actualibus refricantur, recrudeſcunt, atque augentur.

II. Ignorantiam, malitiam, infirmitatem mittimus, quoniam magnam nobis de ſola concupiſcentia recentes Pelagiani, eorumque perſonatus patronus Phereponus litem inferunt. Multis concupiſcentia nominibus appellatur, *fomes peccati* ſcilicet, quia peccati effectus eſt, vel magis proprie, quia fomentum eſt, ac eſca vitiorum, quæ conſenſu allectæ a concupiſcentia voluntatis admittimus. *Morbus*, *languor*, *ac malum naturæ* a Sanctis Patribus dicitur, nec non *Tyrannus*, qui nos de arce ac cacumine rationis deiicit. *Legem carnis*, *legem* habitantem *in membris noſtris*, *legem peccati* non ſemel eam vocat Apoſtolus, cujus verba ad Rom. 7. mirifice illuſtrat Angelicus lect. 4. in laudatum ejuſdem Epiſt. caput, ajens: „ Fomes peccati poteſt dici *lex* duplici ratione: uno modo propter ſimiles effectus, quia ſicut lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum: alio modo per comparationem ad cauſam. Quum autem fomes ſit peccati pœna, duplicem cauſam habet, unam quidem ipſum peccatum, quod in peccante dominium accepit, & ei legem impoſuit, quæ eſt fomes, ſicut dominus ſervo victo legem imponit. Alia ejus cauſa eſt Deus, qui hanc pœnam homini peccanti inflixit, ut rationi vires ejus inferiores non obedirent, & ſecundum hoc fomes *lex* dicitur, quia eſt per legem divinæ juſtitiæ inducta ... Hæc autem lex duos in homine effectus habet; primo namque reſiſtit rationi ſeu *legi mentis* : .. Secundo ... hominem redigit in ſervitutem. *Captivat* autem *lex peccati* hominem dupliciter, uno modo peccatorem hominem per conſenſum, & operationem, alio modo hominem ſub gratia conſtitutum quantum ad concupiſcentiæ motum &c. “ Gemina habet 1. 2. q. 91. ar. 6.

III. Quamquam ſit doctrina hæc in divino eloquio, in Pauli præſertim epiſtolis, nec non in Patrum, Theologorumque omnium ſcriptis teſtatiſſima, hujus tamen ævi Increduli, etſi Chriſtiani audiant, nihil eam pendunt, neque horrent, adverſus eam efferre, quæ recta ratio, & communis ipſe hominum ſenſus plane refugit & deteſtatur. Nihil in homine, Spinoſa, Pope, Voltaire judicibus, pravum, nihil præpoſterum, nihil inordinatum. *Natura*, ajunt, eſt, quem Deus ipſe conſtituit, ordo, qui numquam poterit malus eſſe. Qui hominem emendare velit, naturam ipſam corrigat, neceſſe eſt. Quod nobis videtur *malum*, optimum eſt, & ſapientiſſime conſtitutum. Hoc, quod putatur malum, aliud non eſt præter *amorem ſui*, *qui eſt æternum hominum bonum*, variæque hominis affectiones ſunt ipſemet hominis amor, qui multiformis eſt, pluresque induit ſpecies. Concupiſcentiam Spinoſa naturæ legem eſſe, decernit, cui qui paret, peccare nequit: „ Sub natura, ait ille tract. theol. polit. cap. 16., homines peccare non poſſunt: rationis ergo non eſt, naturæ jus moderari, ſed concupiſcentiæ, & virium, quas quiſque habet .... In ſtatu tantum naturali legitimum nobis integrumque jus erat *in omnia prorſus*, licebat iis *abſque crimine* uti, ſi obtinere illa, *vi*, *vel fraude*, vel *precibus* potuiſſemus, imo & hoſtis loco habere eum qui obſtitiſſet, ne ſatis concupiſcentiæ noſtræ faceremus. Naturale ergo jus, quod omnibus omnino poſitum eſt, quo & plerique reguntur, non interdicit, niſi quod quiſque non concupiſcit, quodque obtinere non poteſt. Neque *diſcordiam* vetat, neque *odium*, neque *iram*, neque *dolum malum*, nihil eorum denique, quorum cupiditate quis flagrat. “ Gemina *in hominis ſpecimine* pag. 97. habet Pope ajens: “ Omnibus omnino, vecordibus æque ac ſapientibus, non alia lex, præter ſuum commodum, atque utilitatem. “ Spinoſæ & Pope concinens Voltaire epiſt. 25. pag. 297. ait „ abſque hoc ſui amore nec ulla excogitata fuiſſet ars, nec conflari potuiſſet decem hominum ſocietas ac conjunctio. „ Quoniam horrenda hæc atque impia doctrina ejus conſectarium eſt, quod principii loco Increduli jaciunt, & pugnaciſſime retinent, hodiernam ſcilicet hominis conditionem naturæ opus eſſe; omnes enim conſtituti ſimiliter naſcimur, & conformati: idem ergo ſemper homo fuerit, oportet, qui hodie eſt, neque enim mutari potuerunt rerum eſſentiæ, legeſque

ab

ab initio poſitæ, neque hoc, in quo degimus, mundo eſſe aut excogitari alius perfectior poteſt, hujus autem principii falſitatem vanitatemque prima part. Exercitationum *de primo homine* exercit. vi., & 2. p. exercit. vii., ſatis, niſi fallimur, revicimus ac convellimus, nolumus in eo iterum obterendo operam ponere, ne actum cogamur agere, præſertim quum ad illud evertendum multum momenti habere poſſint, quæ nunc ſumus adverſus Phereponum diſputaturi.

IV. Quid autem novus iſte Pelagianorum defenſor, Patrumque ac Magiſtrorum Eccleſiæ, Auguſtini præſertim, ſeveriſſimus cenſor? Juliani veterum Pelagianorum anteſignani partes ſuſcipiens ſuſtinenſque, concupiſcentiam, quam peccati primi parentis effectum pænamque eſſe, Catholica perpetuo Eccleſia docuit, *bonum naturæ* eſſe contendit, quod & hodierni Increduli jactitant, reprehenditque Auguſtinum, quod cauſam non bonam adverſus Julianum egerit, minus ex ea iccirco feliciter, minuſque honorifice exiverit. Quo vero pateat, quam inique Auguſtinum Phereponus criminetur, quam præpoſtere concupiſcentiæ cauſam oret, nonnulla ex D. Thoma præmittenda ſunt, quo nemo germanas rerum notiones magis ad vivum reſecat, nemo clarius evolvit. Totam inferiorum animæ virium, quæ originariam noxam conſecuta eſt, *inordinationem*, ſive earumdem a rationis ſeu mentis imperio defectionem animadvertit ille, communi nomine *concupiſcentiam* dici poſſe, dicique ab Auguſtino, *qui accipit cupiditatem large pro quolibet motu appetitus, qui poteſt eſſe reſpectu boni futuri, unde comprehendit ſub ſe & amorem & ſpem*. Quum ergo concupiſcentiæ nomine venire generatim poſſint omnes ii *animi motus, quos*, ut Auguſtinus ait l. 9. de Civ. Dei c. 4., *noſtri, ſicut Cicero, perturbationes, quidam affectiones, vel affectus, quidam vero, ſicut in Græco habetur, expreſſius paſſiones vocant*, idem de generali hac concupiſcentia, quod de *affectionibus* ſive *paſſionibus*, quas complectitur, ferendum judicium. Quodnam illud vero? Harum paſſionum nullam ſuapte malam eſſe moraliter, demonſtrat Angelicus 1. 2. q. 24. ar. 2., Stoicorum primum, qui *paſſiones omnes malas eſſe dixerunt*, & Peripateticorum, qui eaſdem *moderatas bonas eſſe*, decernunt, ſententiam referens, factaque harum opinionum contentione pronuncians, differentiam hanc, etſi magna voce tenus videatur, ipſa tamen re vel nullam eſſe, vel parvam, ſi quis utrorumque propoſitum ſpectet; " Stoici
„ enim non diſcernebant inter intellectum
„ & ſenſum, & per conſequens nec inter
„ intellectivum appetitum, & ſenſitivum,
„ unde nec diſcernebant paſſiones animæ
„ a motibus voluntatis, ſecundum hoc
„ quod paſſiones animæ ſunt in appetitu
„ ſenſitivo, ſimplices autem voluntatis
„ motus ſunt in intellectivo, ſed omnem
„ rationabilem motum appetitivæ virtu-
„ tis vocabant voluntatem, paſſiones au-
„ tem dicebant motum progredientem ex-
„ tra limites rationis; Et ideo eorum ſen-
„ tentiam Tullius ſequens l. 5. Tuſcul.
„ quæſt. omnes paſſiones vocat *animæ mor-*
„ *bos*, ex quo argumentatur, quod, qui
„ morboſi ſunt, ſani non ſunt, qui ſani
„ non ſunt, inſipientes ſunt, unde inſi-
„ pientes inſanos dicimus. Peripatetici ve-
„ ro omnes motus ſenſitivi appetitus *paſ-*
„ *ſiones* vocant; unde eas bonas æſtimant,
„ quum ſunt a ratione moderatæ, malas
„ autem, quum ſunt præter rationis mo-
„ derationem. Ex quo patet, quod Tul-
„ lius in eodem l. Peripateticorum ſen-
„ tentiam, qui approbabant mediocrita-
„ tatem paſſionum, inconvenienter impro-
„ bat dicens, quod omne malum etiam
„ mediocre vitandum eſt; nam ſicut cor-
„ pus etiam mediocriter ægrum ſanum non
„ eſt, ſic iſta mediocritas morborum vel
„ paſſionum animæ ſana non eſt; non
„ non enim paſſiones dicuntur morbi vel
„ perturbationes animæ, niſi quum carent
„ moderatione rationis. " Sane, ut egregie diſſerit Auguſtinus l. 14. de Civ. Dei c. 9., *rectus amor omnes iſtas affectiones rectas habet: metuunt enim boni peccare, cupiunt perſeverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis &c.* pravus contra amor omnes iſtas affectiones pravas habeat, oportet; quare conſequitur, earum bonitatem vel pravitatem ex eo petendam, quod vel rationi obtemperant, vel ab ejus imperio deſciſcunt, illudque perturbant, ſeu, ut præclare ibidem ſubdit Angelicus: „ Paſſiones animæ, inquantum
„ ſunt præter ordinem rationis, inclinant
„ ad peccatum, inquantum autem ſunt
„ ordinatæ a ratione, pertinent ad virtu-
„ tem. " Hinc ibidem art. 3. memoratam Stoicorum opinionem improbans, qui,

ut omnem animæ paſſionem malam eſſe, ita omni paſſione bonitatem actus humani diminui, cenſebant, quod eas non alio loco haberent, quam pravarum appetitus ſenſitivi motionum, perturbationum ſeu ægritudinum, ait: „ Si paſſiones ſimpliciter nominemus omnes motus appetitus ſenſitivi, ſic ad perfectionem humani boni pertinet, quod etiam ipſæ paſſiones ſint moderatæ per rationem: " Art. demum 4. ſtatuit, paſſiones, quæ in bonum tendunt, ſi ſit verum bonum, bonas eſſe, ut & illas, quæ a vero malo recedunt, eas contra, *quæ ſunt per receſſum a bono, & acceſſum ad malum*, malas eſſe, *bonumque & malum morale poſſe ad paſſionis ſpeciem pertinere, ſecundum quod accipitur, ut objectum paſſionis aliquid de ſe conveniens rationi, vel diſſonum a ratione*.

V. Hinc quia Chriſtus, quidquid naturæ noſtræ vere erat, aſſumſit, 3. p. q. 15. ar. 4. probat Angelicus, paſſiones animæ, affectioneſque appetitus ſenſitivi in Chriſto fuiſſe, quemadmodum & Auguſtinus l. 14. de Civ. Dei c. 9. ait: *Ipſe Dominus in forma ſervi vitam agere dignatus humanitus adhibuit eas, ubi adhibendas eſſe judicavit; neque enim, in quo verum erat hominis corpus, & verus erat hominis animus, falſus erat humanus affectus*. Cæterum, quia *in eo ſolo*, ut ſcribit Leo M., *fuit omnium natura ſine culpa*, & ſolus *formam ſervi nihil peccati habentis* induit atque geſſit, animadvertit ibidem Angelicus, paſſiones hujuſmodi aliter in Chriſto fuiſſe, ac in nobis „ quantum ad tria: Primo quidem quantum ad objectum, quia plerumque in nobis paſſiones hujuſmodi feruntur ad illicita, quod in Chriſto non fuit: ſecundo quantum ad principium, quia paſſiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis, ſed in Chriſto omnes motus ſenſitivi appetitus oriebantur ſecundum diſpoſitionem rationis; unde Auguſtinus dicit loc. cit. *Hos motus certiſſimæ diſpenſationis gratia ita, quum voluit, Chriſtus ſuſcepit animo humano, ſicut, quum voluit, factus eſt homo*: Tertio quantum ad effectum, quia in nobis quandoque hujuſmodi motus non ſiſtunt in appetitu ſenſitivo, ſed trahunt rationem, quod in Chriſto non fuit, quia motus naturaliter humanæ carni convenientes ſic ex ejus diſpoſitione in ejus appetitu manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere, quæ conveniebant: " Quare Hieronymus illud explicans Math. 26., *Cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe*, inquit: *Dominus noſter, ut veritatem aſſumpti probaret hominis, vere quidem contriſtatus eſt; ſed ne paſſio in illius dominaretur animo, per propaſſionem dicitur, quod cœpit contriſtari*, ad quæ Doctoris maximi verba hanc apponit annotationem Angelicus: „ Paſſio perfecta intelligitur, quando animo, ideſt rationi dominatur: *propaſſio* autem, quando eſt inchoata in appetitu ſenſitivo, ſed ulterius non ſe extendit. " Quorſum hæc, quæ tam longe repetita videntur? Ad confirmandum, quod in hujus exercitationis initio poſuimus, concupiſcentiam generatim ſumptam, ſeu inferiorum omnium animæ virium inordinationem, earumque a mentis dominatu deductionem, ab Eccleſiæ Patribus, Catholiciſque omnibus inter originalis peccati vulnera rectiſſime recenſeri; *Deus* enim *fecit hominem rectum*, quibus verbis quid Spiritus S. Eccleſiaſtes 7. ſignificarit, ſæpe jam declaratum eſt. Niſi porro inferiores tunc animæ vires in mentis, quæ eſt princeps animi, pars, cui regnum totius animi, ut ait Cicero in Tuſc., a natura tributum eſt, dominatu ita fuiſſet, ut ratio præeſſent, appetitus vero temperaret, qui dici poſſet homo factus a Deo *rectus*? Quis vero jam intimo ſenſu & quotidiano experimento non percipit, multo deteriore loco res noſtras eſſe, quam quo fuerunt primo inſtitutæ, perturbari ſæpiſſime ab inferiori appetitu hoc totius animi regnum, quod menti natura tribuit, a vi, quæ in appetitu poſita eſt, animum huc, & illuc rapi, ut idem Cicero ait, nec ſemel, ut idem ad Quintum fratrem ſcribebat, ab iracundia, aliiſve hujus modi affectionibus ante occupari animum, quam providere ratio potuerit, ne occuparetur? Quoties affectiones ſive paſſiones rationis judicium antevertunt? quoties ad prava atque vetita & feruntur ipſæ, & ſecum animum non inclinant ſolum, ſed & ferme ſecum rapiunt? Unde autem tanta iſta perverſitas, ut nihil jam ferme in nobis tranquillum pacatumque ſit, primas ſibi partes uſurpent, rerumque potiantur inferiores animi vires, quarum eſſent futuræ poſtremæ, cæcoque impetu rationis imperium non expectent, ſæpe etiam ex-

entiant, neque ferant? Num a natura? At hanc fecit Deus rectam, rectamque, & cujuſque culpæ prorſus expertem quia Chiſtus aſſumpſit, nulla harum perturbationum in eo fuit, qua nos quotidie jactamur. An ab iis, quas ſua quiſque voluntate admiſit, culpis? Ab his tamen, gravibus ſcilicet, quæ ſolæ tantum nobis malum afferre poſſunt, vacui atque puri non pauci, qui *legem* tamen *in membris ſenſerunt repugnantem legi mentis, & captivantem eos in lege peccati*: quamquam etiam demus, peccatis, quæ prudens quiſpiam ſciensque patrat, generalem hanc concupiſcentiam inflammari, & exardeſcere, hocque vulnus recrudeſcere, ac augeri, non eſſe illud tamen tunc primo impoſitum, quum ſponte quis peccat, hinc vel maxime efficitur, quod pleraque hominum crimina ex generali hac concupiſcentia ſint, quæ niſi jam depravata eſſet, pravos non poſſet hos fructus edere. Unde ergo hæc depravatio? A belluinarum carnium eſu, & extranei ſanguinis cum humano mixtione eam repetit Pope, a violato Dei præcepto de non edendo *ligno ſcientiæ boni & mali* Moſes Scriptorum omnium antiquiſſimus, & veraciſſimus: Phereponi eſt, qui tot tamque præclara critices præcepta tradidit, artis ſuæ ſpecimen edere, &, cui credendum, ſua illum diſciplina doceat, declarare.

VI. Quoniam autem uſus obtinuit, ut inferioris appetitus duæ a Philoſophis veluti ſecentur partes, *iraſcibilis* nempe, atque *concupiſcilis*, & ſuæ cuique tribuantur affectiones ſive paſſiones, aliam minus amplam concupiſcentiæ notionem ex eodem D. Thoma depromimus, qui 1. 2. q. 30. ar. 1. & 2. ſpecialem eam eſſe decernit *appetitus ſenſitivi, & vis concupiſcibilis, quæ ab ea denominatur, paſſionem*, cujus hæc germana eſt 1. Rhetor. ab Ariſtotele tradita definitio: *Concupiſcentia eſt appetitus delectabilis ſecundum ſenſum*. Quum vero Philoſophus tum ibidem, tum in 3. Ethic. *concupiſcentias* alias *naturales* ponat, alias *non naturales*, diſtinctionem hanc explicare aggreſſus Angelicus ait ar. 3. „ Concupiſcentia eſt appe-
„ titus boni delectabilis: duplicirer autem
„ aliquid eſt delectabile, uno modo, quia
„ eſt conveniens naturæ animalis, ut ci-
„ bus, potus, & alia hujuſmodi: alio
„ modo dicitur delectabile, quia eſt con-
„ veniens animali ſecundum apprehenſio-
„ nem, ut, quum quis apprehendit ali-
„ quid ut bonum & conveniens, & per
„ conſequens delectatur in ipſo; & huiuſ-
„ modi delectabilis concupiſcentia dicitur
„ *non naturalis*, & ſolet magis dici *cupi-*
„ *ditas*: prima vero dicitur *naturalis*.
„ Primæ concupiſcentiæ naturales com-
„ munes ſunt hominibus, & aliis anima-
„ libus, quia utriſque eſt aliquid conve-
„ niens & delectabile ſecundum naturam,
„ & in his omnes homines conveniunt;
„ unde & Philoſophus 3. Ethic. tt. vo-
„ cat eas *communes & neceſſarias*: Se-
„ cundæ ſunt propriæ hominum, quorum
„ eſt proprium, excogitare aliquid ut bo-
„ num & conveniens præter id, quod na-
„ tura requirit; unde & in 1. Rhetor. c.
„ 11. Philoſophus dicit, primas concupi-
„ ſcentias eſſe *irrationales*, ſecundas vero
„ *cum ratione*: &, quia diverſi diverſi-
„ mode ratiocinantur, ideo etiam ſecun-
„ dæ dicuntur in 3. Ethic. c. 11. *propriæ*
„ *& appoſitæ*, ideſt *ſuper naturales*. "
Hæc quoque fuerant prænotanda, quod ad ea, quæ Phereponus obiicit, diſſolvenda opportuna futura ſint, & idonea. Cæterum, tametſi multa ſint delectabilia ſecundum ſenſum, quorum poteſt eſſe concupiſcentia, quæ tamen Julianum inter, cujus defenſionem ſuſcipit, perſequiturque Phereponus, & Auguſtinum controverſia fervebat, de concupiſcentia venereorum erat, quam Danielis 11. *concupiſcentiam fæminarum*, ad Rom. 1. *paſſionem ignominiæ*, 2. Pet. 2. *concupiſcentiam immunditiæ* dictam legimus. Hanc *bonum naturæ eſſe, quo bono bene utitur, qui modum tenet, quo bono male utitur, qui modum non tenet, quo bono melius non utitur, qui etiam ipſum modum, ſanctæ virginitatis amore, contemſerit*, contendebat Julianus, contendit & Phereponus: Repugnabat nervoſe Auguſtinus l. 3. adverſus eundem Julianum c. 21. ſcribens: *Concupiſcentiæ carnalis qui modum tenet, malo bene utitur, qui modum non tenet, malo male utitur: qui autem etiam ipſum modum, ſanctæ virginitatis amore, contemſerit, malo melius non utitur*. Cui autem adjudicanda cauſa? Quis a veritate ſtetiſſe cenſendus? Quam iniqne Phereponus pro Juliano adverſus Auguſtinum ſententiam tulerit, jam oſtendendum eſt.

VII. Hoc autem ponimus ut exploratum, & in Auguſtini ſcriptis teſtatiſſi-

D d 2 mum,

Digitized by Google

mum, concupiſcentiam hanc ſeu libidinem ab Auguſtino *malum* conſtanter ac perpetuo dictam, non culpæ ſed pœnæ, quemadmodum exerc. XIV. a n. VII. ad finem uſque probatum eſt adverſus Lutherum, ejuſque gregales, quod & optimus Auguſtini Interpres D. Thomas in ſup. 3. p. q. 41. ar. 3. perſpicue tradit, ajens: „ Turpitudo illa concupiſcentiæ, „ quæ actum matrimonialem ſemper co„ mitatur, non eſt turpitudo culpæ, ſed „ pœnæ, ex peccato primo proveniens, „ ut ſcilicet inferiores vires, & membra „ corporis rationi non obediant. “ Quis porro, niſi velit nuntium fidei rationique remittere, libidinem, qualis jam in membris hominum eſt, ſtimulos ad peccandum perpetuo addens, legem mentis ac rationis oppugnans, piis optimeque moratis numquam non permoleſta, pudoris denique & erubeſcentiæ ampla ſeges, & lamentabile argumentum, *naturæ* bonum, Creatoris *donum* dicere audeat, *nihilque habere per ſe mali?* Si Phereponum Auguſtini non movet auctoritas l. 2. Soliloq. ſcribentis: *Nihil ſic dejicit animam ab arce virtutis ſuæ, ſicut contactus ille corporum, ſine quo uxor haberi non poteſt*, rationem, ſi valet, elidat, qua D. Thomas in ſuppl. 3. p. q. 49. ar. 1. Apoſtoli teſtimonio 1. ad Cor. 7. probat, *matrimonium concedi in ſtatu infirmitatis*, ſive poſt Adæ lapſum, *ſecundum indulgentiam*; quia vero, *ubicumque eſt indulgentia, ibi neceſſaria eſt aliqua excuſationis ratio*, demonſtrat, aliquibus bonis opus fuiſſe, quibus excuſaretur matrimonium, redderetur que honeſtum, ajens: „ Nullus ſapiens „ debet jacturam aliquam ſuſtinere, niſi „ pro aliqua recompenſatione alicujus æ„ qualis, vel melioris boni; unde alicu„ jus electio, quod jacturam aliquam „ habet annexam, indiget boni alicu„ jus adjunctione, per cujus recompen„ ſationem ordinetur, & honeſtetur: „ in conjunctione autem viri & mulie„ ris rationis jactura accidit, tum, quia „ propter vehementiam delectationis ab„ ſorbetur ratio, ut non poſſit aliquid in„ telligere in ipſa, ideſt actu, ut Philo„ ſophus ait l. 7. Eth. c. 11., tum pro„ pter tribulationem carnis, quam opor„ tet, tales ſuſtinere propter ſolicitudinem „ temporalium, ut patet 1. ad Cor. 7., „ & ideo talis conjunctionis electio non „ poteſt eſſe ordinata, niſi per recompen„ ſationem aliquorum, ex quibus dicta „ conjunctio honeſtetur, & hæc ſunt bo„ na, quæ matrimonium excuſant, & „ honeſtum reddunt. “

VIII. Ex hac porro D. Thomæ doctrina efficax hæc exiſtit argumentatio. In danda rei uxoriæ opera facit homo rationis jacturam, delectationis enim vehementia ita animum avocat, atque abripit, *ut actu Deo conjungi non ſit idoneus*, ait ibidem q. 41. ar. 3. ad 2. D. Thomas; quare, ut ipſe ſcite animadvertit, in veteri lege iis, quorum erat divina contemplari, aut ſacra tractare, interdictus erat *pro tempore illo* conjugii uſus, recteque Hieronymus ſcripſit: *in actu matrimoniali Spiritus ſanctus Prophetarum corda non tangit*, *quantum* ſcilicet *ad actum revelationis ſecretorum*: Hanc autem delectationis vehementiam ita rationi infeſtam, ut animum tunc ab arce virtutis ſuæ dejiciat, obſtetque, ne *actu* cum Deo conjungi, &, quæ ſua ſunt, perſequi tunc *actu* poſſit, procul ab innocentiæ ſtatu abfuiſſe, germana ipſa, quam ſæpe protulimus, ejus notio perſuadet. Si enim factus a Deo homo fuerat *rectus*, alienum a ratione eſt, cogitare, carnem potuiſſe tunc in ſpiritum dominari, ſuo illum de ſtatu veluti dimovere, ſuiſque ab officiis abſtrahere: Si ergo ea nunc eſt veneris vis, jam non eſt illa *naturæ bonum*, *donumque Creatoris*, ſed peſtilens originariæ noxæ fructus, vitiatæ naturæ malum, pœnæ, non culpæ, quod hominibus utut probis & ſanctis magnam jugemque moleſtiam exhibet, cujus eſſemus omnes expertes, niſi primi parentes ſibi univerſæque ſuæ proli originalis, quam acceperant, juſtitiæ feciſſent peccando jacturam.

IX. Num vero ex rebus dubiis id, quod dubitatur, efficimus, aut ea ſumentes ad concludendum, quorum nihil concedi poſſit, paucis verbis confectum putamus negotium? Quod de libidine in rei uxoriæ uſu rationem obruente ab Ariſtotele, & D. Thoma traditur, dubium plane non eſt, nec de eo a Pherepono dubitari, putamus: Non dubitat ille ſolum, ſed & negat, turbido hoc libidinis æſtu primos Parentes non fuiſſe jactatos. Erit itaque & hoc demonſtrandum (quamquam quod ex Eccl. 7. duximus, ſatis ſuperque futurum Pherepono fuerat) argumento ex ipſa Moſis narratione petito: Scri-

Scribit ille Gen. 2. v. ult. *Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet, & uxor ejus, & non erubeſcebant* : c. vero 3. v. 7., quum uterque divinum de non edendo ligno ſcientiæ &c. præceptum violaſſet, narrat, apertos fuiſſe amborum oculos, & *quum cognoviſſent, ſe eſſe nudos*, conſuiſſe folia ficus, & feciſſe *ſibi perizomata*; audita autem voce *Domini Dei deambulantis in paradiſo*, utrumque latebras quæritaſſe, Adamum hanc evaſionis ſuæ cauſam prætexuiſſe, *timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me*, Deum vero repoſuiſſe v. 4., *quis indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?* Quorſum hæc tam accurata deſcriptio? Quorſum adjunctorum horumce tam minuta notatio? Perperam ne hæc, & inaniter in literas a Moſe relata, Phereponus dixerit? Si uſque eo impius non eſt, ut hoc audeat, intelligat, neceſſe eſt, hæc a Moſe tam diligenter enucleata, ut, quantam in membris primorum parentum mutationem culpa feciſſet, legentibus declararet. Cur ante culpam Adamum uxoremque ejus nuditatis ſuæ non puduit? Excogitari ne alia a cordato ratio poteſt, quam quod quum eſſent ipſi tunc *recti*, eſſetque eorum mens Deo perfecte ſubdita, ita hæc interiores vires, & corporis membra ſibi habebat obnoxia, ut nulla eſſet nec eſſe tunc poſſet carnis adverſus ſpiritum pugna, nullo cieri membra corporis motu poſſent præter mentis dominantis arbitrium, qui propterea eis pudorem & moleſtiam afferret? Mox ut peccarunt, cur ambos tantus nuditatis pudor cepit, ut ei velandæ ſtatim *perizomata*, ſive *ſuccinctoria* ac *femoralia* pararint, *timuerint*, ſeque *abſconderint*? Quum ſola turpitudo pudorem afferat, annon evidens eſt, erubuiſſe illos, quod novum turpe quid & obſcænum ſuis in membris ſenſerint, quod ante non ſenſerant, ſeu, ut ſcite l. 13. de Civ. Dei c. 13. explicat Auguſtinus, *ſenſerunt novum motum inobedientis carnis ſuæ, tamquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ*? Quid aliud naturaliter menti offerunt mox laudata Dei verba, *quis indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno . . . comediſti?* Nonne naturalem hunc ſenſum ingerunt, nudus eras, nec tamen, innocens quum eſſes, erubeſcebas: ex quo autem juſſionem meam poſthabuiſti, tua tibi nuditas facta eſt gravis adeo, obſcœna, & pudenda, ut timeas, nec eam ferre quum poſſis, ad eam obnubendam, tuiſque & alienis ſubducendam oculis, ſubligacula, & latebras quæras?

X. Quid adverſus hæc novus libidinis propugnator, ac pene patronus? „ Nihil, „ ait, nihil habet illa per ſe mali. “ Itane vero? Ita certiſſime; „ ita enim „ conſtituta ſunt a Deo omnium animalium corpora, ut, quum adoleverunt, ea „ cupiditas in iis mechanico impetu excitetur „ non aliter ac cupiditas edendi ac bibendi. Conſectarium eſt naturæ corporis, quale „ a Deo creatum eſt, ut ex brutis, & ex ipſo „ conſilio propagationis generum, intelligere eſt. “ Ad ea vero, quæ Auguſtinus ſcripſerat, honeſtius meliuſque credi, ita fuiſſe primorum parentum corpora in paradiſo conſtituta, *ut appetitum carnalis voluptatis non haberent, qualem habent iſta corpora*, hanc Phereponus notam apponit: „ Appetitus ille, ut liquet vel ex „ brutis, tam naturalis eſt, quam appetentia cibi & potus, voluptaſque, quam „ experimur, quum comedimus eſurientes, vel bibimus ſitientes. Non puto „ ſane, quemquam dicturum, ſitim aut „ famem, voluptatemque, quam iis explendis experimur, effectus eſſe peccati. „ Figmenta mera ſunt, quæ heic, & alibi dicuntur. “ Addit: „ Eadem opera dicere debuiſſet (Auguſtinus) appetitum cibi grati peccatum eſſe, nec „ primos parentes, quum fructus licitos „ & jucundos comederent, ulla voluptate titillatos fuiſſe &c. Addere etiam „ eum oportuiſſet, bruta, quorum organa noſtris non abſimilia ſunt, nullam „ quærere in naturalibus actionibus voluptatem; nam ſane non peccarent; „ ſed iis defungi ſponte naturæ ſine ulla „ prorſus cupiditate . . . Auguſtinus turpia commenta heic nobis propinat, „ duntaxat ut rationem reddat rei, quæ „ nec fuit, nec erit, nimirum generationis liberorum in ſtatu innocentiæ, ſi „ in eo primi parentes perſeveraſſent, & „ quidem, quia ſtatuit, peccatum id eſſe, quod ineſt naturæ omnium animalium, nec uſquam damnatur, ſi modo „ intra leges contineatur, nimirum cupiditatem conjugii, poſtquam pubertatis „ annos attigerunt. “ Argumentum denique ex pudore, quo poſt peccatum ſua nuditas primos parentes affecit, ut infi-

met,

met, tacite negat, morem tegendi verenda inſitum nobis a natura eſſe.

XI. Quamquam totus nobis animus ardeat, vehementerque ſtomachum commoveant indigna in Auguſtinum conjecta a Pherepono maledicta, a quo *turpia nobis commenta propinari*, *mera figmenta* obtrudi, *Deum plane alium deſcribi, ac eſt, quamque nobis a Scriptura præpingitur, toti etiam naturæ vim inferri, ut pravas obſcurorum aliquot Scripturæ locorum interpretationes tueri poſſit &c.* procaciſſime ſcribit, iram tamen premimus, nec reſpondere ſtulto volumus *ſecundum ſtultitiam ejus*. Satis ſuperque omnem ab Auguſtino injuriam propulſabimus, ſola veritatis defenſione, quam ut ſanctiſſime Auguſtinus tenuit, tradiditque, ita violavit Pheremonus iniquiſſime. Multis ne vero opus futurum eſt ad veritatem e tenebris, quas ei Phereponus meditato obduxit, vocandam in lucem? Diſtinguenda ab eo fuerant in rei uxoriæ uſu, quæ D. Thomas accurate diſtinxit, quæque niſi perperam confundi non poſſe, naturalis ipſa ratio perſuadet, quod in eo ſcilicet *naturæ* eſt, & quod *vitii*. Maris fæminæque conjunctio ad procreandum *naturæ* eſt, nam in hunc finem, ut in reliquis animantibus, ſic & in homine & ſexus natura diſtinxit, & peculiaria in hunc uſum conformata membra cuique attribuit; quare & in innocentiæ ſtatu fuiſſet conjunctio hæc, quod naturæ exigat ordo, ut ad gignendum mas & fæmina conveniant, coeantque, abſque eo tamen, quod nunc eſt vitii, immoderata ſcilicet libidinis intemperantia, qua abſorberi rationem, ex arce virtutis deiici, ſuaque tranquillitate privari, jam conſtitutum eſt. Quod itaque Auguſtinus ait, ita fuiſſe primorum parentum conſtituta in paradiſo corpora, *ut appetitum carnalis voluptatis non haberent, qualem nunc habent iſta corpora*, annon rectius honeſtiuſque creditur? Felix *recti* hominis conditio ferebat, ut in principis animi partis, mentis ſcilicet, regno ac ditione inferiora cuncta pacata eſſent, nec turbare eam præter ejus nutum poſſent, moverenturque, quæ ad generationem aptata a natura ſunt, membra, *eo voluntatis nutu, quo cætera, ſine ardore, & illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate corporis & animi*. Itane vero poſt factam primi ſtatus jacturam ſunt in nobis pacata omnia? Phereponi eſt, diſiicere, actu infirmare, quæ de libidine in uxorio opere rationem nunc abſorbente ex Ariſtotele & D. Thoma mox protulimus, quodque de felici primi ſtatus conditione ſtatuimus, a quo hunc libidinis morbum prorſus exulaſſe, non arbitrium nobis ſumſimus, ſed literarum ſacrarum auctoritate probavimus.

XII. Num porro, ut libidinis ardorem, & illecebroſum ſtimulum, ita & omnem in prædicto opere voluptatem a primi ſtatus integritate removemus? Nec Auguſtino, nec Catholicorum ulli id unquam in mentem venit. Revocanda huc ſunt, quę 1. p. exerc. *de primo homine* exerc. XI. n. V. ex D. Thoma optimo Auguſtini Interprete recitavimus, quæ habet ille 1. p. q. 98. ar. 2. ad 3.; piget enim, iterum illa deſcribere; etſi ad obterendam Phereponi cavillationem nihil ſit aptius, nihil validius. Solum probat Angelicus, ab innocentiæ ſtatu ſubmoviſſe Auguſtinum *ardorem libidinis, & inquietudinem animi, non magnitudinem delectationis, quæ tunc eo major fuiſſet, quo erat natura purior, & corpus magis ſenſibile*, ut & *ſobrii in cibo moderate ſumendo minor non eſt delectatio quam guloſi, ſed minus ejus concupiſcibilis in hujuſmodi delectatione requieſcit*. Quo ergo tanta illa Phereponi loquacitas, ut perſuadeat, nihil veneris appetitum, uſumque inter, ac famen & ſitim, & quæ in iis explendis percipitur, voluptatem, prorſus intereſſe? Ad ea, quæ 1. p. exerc. *de primo homine* exercit. X. n. præſertim VII. tradidimus, præclaram addimus D. Th. doctrinam, quam habet in ſuppl. 3. p. q. 49. ar. 1. ad 1., ex qua intelligere Phereponus poterit, quantum ſit inter memorata diſcrimen. Quum ibi quærat, an haberi debeant aliqua bona ad excuſandum matrimonium, idem ipſum, quod Phereponus jactitat, ſibi primum opponit, conſervationis videlicet *individui*, quæ cibo potuque fit, appetitum naturalem peræque eſſe, ac ſpeciei conſervationis, quæ matrimonio quæritur, imo eſſe hunc eo magis naturalem, quo commune ſpeciei bonum dignius eſt ſingulari; ſi ergo bonis aliquibus opus non eſt, ut cibi potuſque uſui concilietur honeſtas, perperam excogitata ſunt bona, quibus excuſetur honeſteturque matrimonium. Quid Angelicus?
„ In actu comeſtionis non eſt tam vehe-
„ mens delectatio rationem abſorbens, ſic-
„ ut in prædicta actione, (nempe in
„ conjugii uſu) tum quia vis generativa,
„ per quam originale peccatum traducitur,
„ eſt

„ eſt corrupta, & infecta, nutritiva au„ tem, per quam non traducitur, non eſt „ corrupta neque infecta; tum etiam, „ quia defectum individui magis qnilibet „ ſentit in ſeipſo, quam defectum ſpeciei; „ unde ad excitandum ad comeſtionem, „ ſecundum quam defectui individni ſub„ venitur, ſufficit ſenſus ipſius defectus, ſed „ ad excitandum ad actum, quo defectui „ ſpeciei ſubvenitur, delectationem divina „ providentia appoſuit in illo actu, quæ „ etiam bruta animalia movet, in qnibus „ non eſt infectio originalis peccati, & „ ideo non eſt ſimile. " Quod de vehementiori delectatione rationem in maritali complexu abſorbente ſtatuit D. Thomas, Phereponus num negabit? *Generativam* autem *potentiam*, non *nutritivam*, originali crimine infectam potiſſimum fuiſſe ac corruptam, ſolo ne D. Thomas arbitratu ſuo conſtituit? Nonne id ex inſtituto probavit 1. 2. q. 83. ar. 4., q. 25. de ver. ar. 6., & q. 4. de malo ar. 2. & 5.? Quod demnn addit de majori, quam quiſque ſentit, conſervandi cibo potuque individui, quam propagandæ conjugali opere ſpeciei, neceſſitate, quid poteſt dubitationis habere? Voluptas itaque, quam ad hoc opns Deus appoſuit, quum nunc vehementia ſua rationem obruat, in cauſa eſt, cur bonis quibuſdam opus ſit ad illnd excuſandnm honeſtandumque, qnemadmodum jam demonſtravimus; *Beſtiæ* enim, ait idem D. Thomas 1. p. q. 98. ar. 2., *carent ratione*, *unde ſecundum hoc homo in coitu beſtialis efficitur*, *quia delectationem coitus*, *& fervorem concupiſcentiæ ratione moderari non poteſt*. Unde autem jam homo habet, ut immodicum hunc concupiſcentiæ voluptatiſque fervorem moderari ratione non poſſit? *Rectus* a Deo inſtitutns ab initio qnum eſſet, inferiora omnia ſibi habebat prorſus obnoxia, nnde in *ſtatu innocentiæ nihil hujuſmodi fuiſſet*, *quod ratione non moderaretur*, *non quod eſſet minor delectatio ſecundum ſenſum*, *ut quidam dicunt*, ... *ſed quia vis concupiſcibilis non ita inordinate ſe extuliſſet ſuper hujuſmodi delectatione regulata per rationem*. Facta autem innocentiæ, a qua rectiſſimus ille erat totius hominis ordo, jactura, *comparatus eſt jumentis inſipientibus* (in veneris præſertim uſu) *& ſimilis factus eſt illis*; quare, etſi *in pecoribus*, quemadmodum l. 4. c. 14. adverſus Julianum ſcribebat Auguſtinus, *malum non ſit concupiſcentia*, *quia non adverſus ſpiritum concupiſcit*, *ſed eorum potius oblectat ſpiritum*, in homine tamen *malum* eſt non culpæ ſed pœnæ, quia ita in eo dominatur, ut *animum de arce virtutis ſuæ deiiciat*, *& mentem de ſupernarum cogitationum delectatione deponat*.

XIII. Ubinam vero membrorum, quæ generationis inſtrumenta ſunt, motum generatim Auguſtinus reprehendit *ut malum*, quod ei Julianus olim, & nunc Phereponus obiicit? Numqnam motnm hujusmodi reprehendit ille *generaliter*, *ſed illum motum reprehendit*, *quem facit concupiſcentia*, *qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, *quam velut bonum defendebat* Julianus, ait ipſemet l. 4. c. 13. adverſus eundem. Quod vero motus hic, quem excitat concupiſcentia, naturæ vitium ſit, nec rationi jam ſubſit, unde eſt? „ Sicut Auguſti„ nus dicit l. 14. de Civ. Dei c. 16., ait „ D. Thomas 1. 2. q. 17. ar. 9. ad 3., „ quod motus genitalium membrorum ra„ tioni non obediat, eſt pœna peccati, ut „ ſcilicet anima ſuæ inobedientiæ ad Deum „ in illo præcipue membro patiatur, per „ quod peccatum originale derivatur ad „ poſteros. Sed quia per peccatum primi „ parentis, ut infra dicetur (q. 85. ar. 3.) „ natura ſibi relicta eſt, ſubtracto ſuper„ naturali dono, quod homini divinitus „ erat collatum, ideo conſideranda eſt ra„ tio, qnare motus hujuſmodi membro„ rum ſpecialiter rationi non obedit, cu„ jus cauſam aſſignat Ariſtoteles in l. *de* „ *cauſis motus animalium* c. 8., dicens in„ voluntarios eſſe motus cordis, & mem„ bri pudendi, quia ex aliqua apprehen„ ſione membra hæc commoventur, in„ qnantum ſcilicet intellectus, & phanta„ ſia repræſentant aliquid, ex quibus con„ ſequuntur paſſiones animæ, ad quas con„ ſequitur motus horum membrorum, non „ tamen moventur ſecundum juſſum ra„ tionis aut intellectus, quia ſcilicet ad „ horum membrorum motum reqniritur „ aliqua alteratio naturalis, ſcilicet cali„ ditatis, & frigiditatis, quæ quidem al„ teratio non ſubjacet imperio rationis; „ ſpecialiter autem hoc accidit in his duo„ bus membris, quia utrumque eſt quaſi „ quoddam animal ſeparatum, inquantum „ eſt principium vitæ &c.. " Diſtinguendum ergo a Pherephono & in hoc motu fuerat, quod naturæ eſt, ab eo, quod vitii, ut Sancti Auguſtinus, & Thomas,

Catho-

Digitized by Google

met, tacite negat, morem tegendi verenda inſitum nobis a natura eſſe.

XI. Quamquam totus nobis animus ardeat, vehementerque ſtomachum commoveant indigna in Auguſtinum conjecta a Pherepono maledicta, a quo *turpia nobis commenta propinari*, *mera figmenta* obtrudi, *Deum plane alium deſcribi*, *ac eſt*, *quamque nobis a Scriptura præpingitur*, *toti etiam naturæ vim inferri*, *ut pravas obſcurorum aliquot Scripturæ locorum interpretationes tueri poſſit &c.* procaciſſime ſcribit, iram tamen premimus, nec reſpondere ſtulto volumus *ſecundum ſtultitiam ejus*. Satis ſuperque omnem ab Auguſtino injuriam propulſabimus, ſola veritatis defenſione, quam ut ſanctiſſime Auguſtinus tenuit, tradiditque, ita violavit Pheremonus iniquiſſime. Multis ne vero opus futurum eſt ad veritatem e tenebris, quas ei Pherepomus meditato obduxit, vocandam in lucem? Diſtinguenda ab eo fuerant in rei uxoriæ uſu, quæ D. Thomas accurate diſtinxit, quæque niſi perperam confundi non poſſe, naturalis ipſa ratio perſuadet, quod in eo ſcilicet *naturæ* eſt, & quod *vitii*. Maris ſæminæque conjunctio ad procreandum *naturæ* eſt, nam in hunc finem, ut in reliquis animantibus, ſic & in homine & ſexus natura diſtinxit, & peculiaria in hunc uſum conformata membra cuique attribuit; quare & in innocentiæ ſtatu fuiſſet conjunctio hæc, quod naturæ exigat ordo, ut ad gignendum mas & fæmina conveniant, coeantque, abſque eo tamen, quod nunc eſt vitii, immoderata ſcilicet libidinis intemperantia, qua abſorberi rationem, ex arce virtutis deiici, ſuaque tranquillitate privari, jam conſtitutum eſt. Quod itaque Auguſtinus ait, ita fuiſſe primorum parentum conſtituta in paradiſo corpora, *ut appetitum carnalis voluptatis non haberent*, *qualem nunc habent iſta corpora*, annon rectius honeſtiuſque creditur? Felix *recti* hominis conditio ferebat, ut in principis animi partis, mentis ſcilicet, regno ac ditione inferiora cuncta pacata eſſent, nec turbare eam præter ejus nutum poſſent, moverenturque, quæ ad generationem aptata a natura ſunt, membra, *eo voluntatis nutu*, *quo cætera*, *ſine ardore*, *& illecebroſo ſtimulo*, *cum tranquillitate corporis & animi*. Itane vero poſt factam primi ſtatus jacturam ſunt in nobis pacata omnia? Phereponi eſt, diſiicere, actu infirmare, quæ de libidine in uxorio opere rationem nunc abſorbente ex Ariſtotele & D. Thoma mox protulimus, quodque de felici primi ſtatus conditione ſtatuimus, a quo hunc libidinis morbum prorſus exulaſſe, non arbitrium nobis ſumſimus, ſed literarum ſacrarum auctoritate probavimus.

XII. Num porro, ut libidinis ardorem, & illecebroſum ſtimulum, ita & omnem in prædicto opere voluptatem a primi ſtatus integritate removemus? Nec Auguſtino, nec Catholicorum ulli id unquam in mentem venit. Revocanda huc ſunt, quę 1. p. exerc. *de primo homine* exerc. XI. n. V. ex D. Thoma optimo Auguſtini Interprete recitavimus, quæ habet ille 1. p. q. 98. ar. 2. ad 3.; piget enim, iterum illa deſcribere; etſi ad obterendam Phereponi cavillationem nihil ſit aptius, nihil validius. Solum probat Angelicus, ab innocentiæ ſtatu ſubmoviſſe Auguſtinum *ardorem libidinis*, *& inquietudinem animi*, *non magnitudinem delectationis*, *quæ tunc eo major fuiſſet*, *quo erat natura purior*, *& corpus magis ſenſibile*, ut & *ſobrii in cibo moderate ſumendo minor non eſt delectatio quam guloſi*, *ſed minus ejus concupiſcibilis in hujuſmodi delectatione requieſcit*. Quo ergo tanta illa Phereponi loquacitas, ut perſuadeat, nihil veneris appetitum, uſumque inter, ac famen & ſitim, & quæ in iis explendis percipitur, voluptatem, prorſus intereſſe? Ad ea, quæ 1. p. exerc. *de primo homine* exercit. X. n. præſertim VII. tradidimus, præclaram addimus D. Th. doctrinam, quam habet in ſuppl. 3. p. q. 49. ar. 1. ad 1., ex qua intelligere Pheremonus poterit, quantum ſit inter memorata diſcrimen. Cum ibi quærat, an haberi debeant aliqua bona ad excuſandum matrimonium, idem ipſum, quod Pherepomus jactitat, ſibi primum opponit, conſervationis videlicet *individui*, quæ cibo potuque fit, appetitum naturalem peræque eſſe, ac ſpeciei conſervationis, quæ matrimonio quæritur, imo eſſe hunc eo magis naturalem, quo commune ſpeciei bonum dignius eſt ſingulari; ſi ergo bonis aliquibus opus non eſt, ut cibi potuſque uſui concilietur honeſtas, perperam excogitata ſunt bona, quibus excuſetur honeſteturque matrimonium. Quid Angelicus?

„ In actu comeſtionis non eſt tam vehe-
„ mens delectatio rationem abſorbens, ſic-
„ ut in prædicta actione, (nempe in
„ conjugii uſu) tum quia vis generativa,
„ per quam originale peccatum traducitur,
„ eſt

Digitized by Google

„ eſt corrupta, & infecta, nutritiva autem, „ per quam non traducitur, non eſt „ corrupta neqne infecta; tum etiam, „ quia defectum individui magis quilibet „ ſentit in ſeipſo, quam defectum ſpeciei; „ unde ad excitandum ad comeſtionem, „ ſecundum quam defectui individui ſub„ venitur, ſufficit ſenſus ipſius defectus, ſed „ ad excitandum ad actum, quo defectui „ ſpeciei ſubvenitur, delectationem divina „ providentia appoſuit in illo actu, quæ „ etiam bruta animalia movet, in qnibus „ non eſt infectio origialis peccati, & „ ideo non eſt ſimile. “ Quod de vehementiori delectatione rationem in maritali complexu abſorbente ſtatuit D. Thomas, Phereponus num negabit? *Generativam* autem *potentiam*, non *nutritivam*, originali crimine infectam potiſſimum fuiſſe ac corruptam, ſolo ne D. Thomas arbitratu ſuo conſtituit? Nonne id ex inſtituto probavit 1. 2. q. 83. ar. 4., q. 25. de ver. ar. 6., & q. 4. de malo ar. 2. & 5.? Quod demnn addit de majori, quam quiſque ſentit, conſervandi cibo potuque individui, qnam propagandæ conjugali opere ſpeciei, neceſſitate, quid poteſt dubitationis habere? Voluptas itaque, quam ad hoc opns Deus appoſuit, quum nunc vehementia ſua rationem obrnat, in cauſa eſt, cur bonis quibuſdam opns ſit ad illud excuſandnm honeſtandumque, qnemadmodum jam demonſtravimus; *Beſtiæ* enim, ait idem D. Thomas 1. p. q. 98. ar. 2., *carent ratione, unde ſecundum hoc homo in coitu beſtialis efficitur, quia delectationem coitus, & fervorem concupiſcentiæ ratione moderari non poteſt*. Unde autem jam homo habet, ut immodicnm hunc concupiſcentiæ voluptatiſque fervorem moderari ratione non poſſit? *Rectus* a Deo inſtitutus ab initio qnnm eſſet, inferiora omnia ſibi habebat prorſus obnoxia, nnde in *ſtatu innocentiæ nihil hujuſmodi fuiſſet, quod ratione non moderaretur, non quod eſſet minor delectatio ſecundum ſenſum, ut quidam dicunt, ... ſed quia vis concupiſcibilis non ita inordinate ſe extuliſſet ſuper hujuſmodi delectatione regulata per rationem*. Facta autem innocentiæ, a qua rectiſſimus ille erat totius hominis ordo, jactura, *comparatus eſt jumentis inſipientibus* (in veneris præſertim nſu) *& ſimilis factus eſt illis*; quare, etſi *in pecoribus*, quemadmodum l. 4. c. 14. adverſus Julianum ſcribebat Auguſtinus, *malum non ſit concupiſcentia, quia non adverſus ſpiritum concupiſcit, ſed eorum potius oblectat ſpiritum*, in homine tamen *malum* eſt non culpæ ſed pænæ, quia ita in eo dominatur, ut *animum de arce virtutis ſuæ deiiciat, & mentem de ſupernarum cogitationum delectatione deponat*.

XIII. Ubinam vero membrorum, quæ generationis inſtrumenta ſunt, motnm generatim Auguſtinus reprehendit *ut malum*, quod ei Julianus olim, & nunc Pherepoaus obiicit? Numquam motnm hujusmodi reprehendit ille *generaliter*, *ſed illum motum reprehendit, quem facit concupiſcentia, qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum, quam velut bonum defendebat* Julianus, ait ipſemet l. 4. c. 13. adverſus eundem. Quod vero motus hic, quem excitat concupiſcentia, naturæ vitium ſit, nec rationi jam ſubſit, nnde eſt? „ Sicut Auguſti„ nus dicit l. 14. de Civ. Dei c. 16., ait „ D. Thomas 1. 2. q. 17. ar. 9. ad 3., „ quod motus genitalium membrorum ra„ tioni non obediat, eſt pæna peccati, ut „ ſcilicet anima ſuæ inobedientiæ ad Deum „ in illo præcipue membro patiatur, per „ quod peccatnm originale derivatur ad „ poſteros. Sed quia per peccatum primi „ parentis, ut infra dicetur (q. 85. ar. 3.) „ natura ſibi relicta eſt, ſubtracto ſuper„ naturali dono, quod homini divinitus „ erat collatum, ideo conſideranda eſt ra„ tio, quare motus hujuſmodi membro„ rnm ſpecialiter rationi non obedit, cu„ jus cauſam aſſignat Ariſtoteles in l. *de* „ *cauſis motus animalium* c. 8., dicens in„ voluntarios eſſe motus cordis, & mem„ bri pudendi, quia ex aliqua apprehen„ ſione membra hæc commoventur, in„ qnantum ſcilicet intellectus, & phanta„ ſia repræſentant aliquid, ex quibus con„ ſequnntur paſſiones animæ, ad quas con„ ſeqnitur motus hornm membrorum, non „ tamen moventur ſecundum juſſum ra„ tionis aut intellectus, quia ſcilicet ad „ horum membrornm motum reqniritur „ aliqua alteratio naturalis, ſcilicet cali„ ditatis, & frigiditatis, quæ quidem al„ teratio non ſubjacet imperio rationis; „ ſpecialiter autem hoc accidit in his duo„ bus membris, quia utrumque eſt quaſi „ quoddam animal ſeparatnm, inquantum „ eſt principium vitæ &c.. “ Diſtinguendum ergo a Pherephono & in hoc motu fuerat, quod naturæ eſt, ab eo, quod vitii, ut Sancti Auguſtinus, & Thomas,

Catho-

Catholicique omnes diſtinxerunt hactenus diſtinguuntque. Quod membra hæc proprio cieantur motu, naturale id eis eſſe, concedimus: quod vero motus hic impotens ſit, atque turbidus, nec illum ratio in poteſtate jam habeat, nec ei modum ponere pro nutu poſſit, culpæ primi parentis adſcribimus, quæ nobis juſtitiæ illius damnum attulit, qua ita corpus, inferioreſque animę vires ſub mentis imperio continebantur, ut nihil tunc in homine eſſet, nec eſſe poſſet non moderatum, non honeſtum, non pecatiſſimum. Id apertiſſima Moſis narratione confecimus, qua docemur quemadmodum n. ix. expendimus, ſtatim ab admiſſo crimine ſenſiſſe primos parentes *novum motum inobedientis carnis ſuæ, tamquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ*, ideoque probroſæ nuditatis ſuæ pudore ſuffuſos, ad amovendam a mutuo conſpectu turpitudinis hujus ignominiam, latere voluiſſe, ſibique ſubligacula comparaſſe.

XIV. Ad enervandam autem conflati ex hac Moſis narratione argumenti vim ſcite ne Phereponus regerit, non eſſe nobis a natura inſitum nuditatis pudorem, ejuſque velandæ ſtudium, quod nonnullæ & nunc in Africa & America gentes ſint, quibus ſua nuditas nihil pudoris affert, nulla ineſt ejus obtegendæ cura? Si quidquam in eo reliquum eſt pudoris humanique ſenſus, doctrinam ei, quo tam immanis commenti eum ſalutariter pudeat, ante oculos ponimus D. Thomæ 1. 2. q. 31. ar. 7. in c. Quum præmiſiſſet, quoniam *naturale dicitur, quod eſt ſecundum naturam*, ut ait Ariſtoteles 2. Phiſ. c. 4., delectationes aliquas naturales homini dici poſſe, quæ ejus propriæ ſunt, quatenus ratione viget, ut veritatis contemplatione, & virtutum actibus delectari, alias eidem naturales dici, quibus ſecundum eam ſui partem afficitur, quæ eſt illi cum cæteris animantibus communis, ut cibus, potus, lectus, & hujuſmodi, necnon venereorum uſus *dicuntur homini delectabilia naturaliter*, ſubdit, „ ſecundum utraſque delectationes contingere, aliquas innaturales eſſe, ſimpliciter loquendo, ſed connaturales ſecundum quid; Contingit enim, in aliquo individuo corrumpi aliquod principiorum naturalium ſpeciei, & ſic id, quod eſt contra naturam ſpeciei, fieri per accidens naturale huic individuo, ſicut huic aquæ calefactæ naturale eſt, quod calefaciat. Ita igitur contingit, quod id, quod eſt contra naturam hominis, vel quantum ad rationem, vel quantum ad corporis conſervationem fiat huic homini connaturale propter aliquam naturæ corruptionem in eo exiſtentem, quæ quidem corruptio poteſt eſſe, vel ex parte corporis, ſicut ex ægritudine, ut febricitantibus dulcia videntur amara, & e converſo, ſive propter malam complexionem, ut aliqui delectantur in comeſtione terræ, vel carbonum, vel aliquorum hujuſmodi, vel etiam ex parte animæ, ſicut propter conſuetudinem aliqui delectantur in comedendo homines, vel in coitu beſtiarum, vel maſculorum, aut aliorum hujuſmodi, quæ non ſunt ſecundum naturam humanam. “ Si non eſt itaque, Pherepono judice, ingenitus homini nuditatis pudor, quod & hodie barbari ſilveſtreſque populi nudo prorſus corpore incedant, fateatur neceſſe eſt, nec a nefandis iis naturam abhorrere, quibus (tanta eſt malæ conſuetudinis corruptela), delectari aliquos, D. Thomas animadvertit; Quid enim olim apud Ethnicos frequentius iis *paſſionibus ignominiæ* teterrimis atque deteſtabilibus, de quibus Paulus ad Rom. 1. v. 26. & 27.? Quid & hodie apud nonnullas Africæ Americæque gentes vetuſtius ac communius ea, quam Cicero *immanem & barbaram* dixit, immolandorum edendorumque hominum conſuetudine? An cum natura iſta non pugnant, quod fuerint turpiſſimæ illæ & infandæ cædes Ethnicis quondam, ſintque hodie quibuſdam Americæ populis cædes, epulæque humanitati tantum infeſtæ non uſitatæ ſolum, ſed & jucundæ?

XV. Puduit Phereponum demum, abſolute negare, pudoris hujus cauſam ex eo petendam, quod Auguſtinus ſtatuit, erroremque ſuum ex parte corrigens, dat, illum *partim inde ortum videri, unde Auguſtinus* dicit, plures alias tamen obnubendi corporis cauſas adiicit, nempe ne liberi parentum nudorum aſpectu ad intempeſtivam libidinem excitarentur, ne fædum quid ſingulis menſibus in fæminis omnium pateret oculis, ne promiſcua nuditas ad mæchandum nupris eſſet incitamento, hincque *paulatim pudorem nuditatis natum eſſe*, concludit; inſcite tamen, atque præpoſtere. Cæpiſſe enim hunc nuditatis pudorem, quum Adam & Eva ſoli conjuges erant, nec alii præter eos (niſi & præadami-

Digitized by Google

damitas Phereponus adoptare velit), qui poſſent ex conſpicua Adæ & Evæ nuditate mæchandi anſam capere, quum nullos ex Eva Adam ſuſtulerat liberos, quibus parentum nuditas eſſe poſſet libidinis incitamentum, quum nondum a ſui formatione Evæ menſis effluxerat, ut poſſet fædum illud, de quo Phereponus, alienis oculis exhibere, Moſes diſerte memorat: Ea ergo pudoris illius cauſa, quam ipſe tradit, non quas Phereponus commentus eſt. Sed jam tædet, in hoc luto diutius hærere: Qui plura deſiderat, Lamindum Pritanium adeat l. 3. de moder. ingen. c. 3. quod totum in hoc argumento contrivit.

EXERCITATIO XVII.

De altero originariæ noxæ effectu, morte videlicet.

I. QUi nullam originis labem a primo parente in poſteros generatione traductam agnoſcunt, recentes Pelagiani, Sociniani videlicet, & Remonſtrantes, nec non ævi noſtri Increduli, quos *Deiſtas* dicunt, ut concupiſcentiam in bonis naturæ numerant, ita mortem ſtatuunt neceſſariam naturæ noſtræ conditionem, quod ſit corpus noſtrum, ut & Adę fuerat, animale, & interitui ſuapte obnoxium: Catholici contra eam admiſſi ab Adamo criminis, & in univerſam ejus ſobolem origine propagati pœnam eſſe, conſtituunt, quam controverſiam, ut e craſſis iis, quas ei offundere vaferrimi Sociniani conati ſunt, tenebris vocemus in lucem, pernecеſſariam D. Thomæ doctrinam præmittimus, quam ſi ad manum habuiſſet Franciſcus Puccius Florentinus in ea, quam an. 1577. cum Fauſto Socino peſtilentiſſimæ ſectæ parente habuit, concertatione, felicius cum verboſiſſimo & callidiſſimo Sophiſta pugnaſſet, & a captioſiſſimis ejus tricis hoc fidei caput multo facilius expediviſſet. Quæſtionem hanc pluribus in ſuorum operum locis accurate verſat Angelicus, explicatque, quomodo mors aliique corporis defectus ſecundum Philoſophiæ ſcita *naturales*, ſecundum autem fidei regulam primi peccati ſupplicia ſint. Animum noſtrum, ait, utpote incorruptibilem atque indiſſolubilem, ultimo fini ſuo, æternæ ſcilicet felicitati proportionatum eſſe, corpus autem noſtrum, ſi ſola ejus natura ſpectetur, quadam ratione proportionem ad animum habere, quadam autem non; conſiderari enim duplex materiei alicujus conditio poteſt, alia, quam operans eligit, alia, quæ præter ejus propoſitum electionemque eſt, naturalemque conſequitur materiei conditionem: E. g. faber ad faciendum cultrum materiem eligit duram ac ductilem, quæ exacui poſſit, ut ad incidendum ſit apta, qua conditione ſpectata ferrum materies eſt ad hujuſmodi opus idonea: quod vero frangi illud poſſit, & rubigine exedi ex ferri natura eſt, nec conditionem hanc faber eligit, reiiceret contra, ſi poſſet; quare ſecunda hæc ferri diſpoſitio nullam habet ad artis, artificiſque propoſitum proportionem. His præmiſſis declarat Angelicus, humanum corpus, quod temperatæ complexionis ſit, aptiſſimumque propterea eſſe poſſit tactus, aliarumque virium ſentientium ac moventium inſtrumentum, materiem eſſe a natura electam: Quod vero ſit illud ex contrariis coagmentatum, ideoque diſſolvi corrumpique poſſit, materiei conditio eſt, quam natura non eligit, quæ, ſi poſſet, materiem eligeret indiſſolubilem. Summus tamen omnium Auctor Deus, cui tota natura ſubeſt, hunc naturæ defectum in prima hominis inſtitutione ſupplevit, additoque originalis juſtitiæ dono eam corpori indiſſolubilitatem, immortalitamque tribuit, quam 1. p. exerc. *de primo homine* exerc. x. expoſuimus: Et ſecundum hoc dicitur *Sap. 1.: Deus mortem non fecit, & mors eſt pœna peccati.*

II. Quod poſtremo D. Thomas ait, ſuppleviſſe Deum hunc naturæ defectum originalis juſtitiæ dono, quam ſit divinæ providentiæ conſentaneum, mirifice illuſtrat 4. c. g. c. 52. ajens: „ Peccati originalis
„ in humano genere *probabiliter* quædam
„ ſigna apparent; Quum enim Deus hu-
„ manorum actuum ſic curam gerat, ut
„ bonis operibus præmium, & malis pœ-
„ nas retribuat, ut in ſuperioribus (l. ſci-
„ licet 3. c. 140.) oſtenſum eſt, ex ipſa
„ pœna poſſumus certificari de culpa. Pa-
„ titur autem communiter humanum ge-
„ nus diverſas pœnas & corporales & ſpi-
„ rituales: inter corporales autem potiſſi-
„ ma eſt mors, ad quam omnes aliæ ten-
„ dunt, & ordinantur, ſcilicet fames, ſi-
„ tis, & alia hujuſmodi: inter ſpirituales
„ autem eſt potiſſime debilitas rationis,
„ ex qua contingit, quod homo difficulter
„ pervenit ad veri cognitionem, & de fa-

„ cili labitur in errorem, & appetitus beſtiales omnino ſuperare non poteſt, ſed multoties obnubilatur ab eis. Poſſet tamen aliquis dicere, hujuſmodi defectus tam corporales quam ſpirituales non eſſe pœnales, ſed naturales, ex neceſſitate materiæ conſequentes; neceſſe eſt enim, corpus humanum, quum ſit ex contrariis compoſitum, corruptibile eſſe, & ſenſibilem appetitum in ea, quæ ſunt ſecundum ſenſum delectabilia, moveri, quæ interdum ſunt contraria rationi, & intellectum . . . . difficulter ad ſcientiam veritatis pertingere, & facile propter phantaſmata a vero deviare. Sed tamen, ſi quis recte conſideret, *ſatis probabiliter* poterit æſtimare, divina providentia ſuppoſita, quæ ſingulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus ſuperiorem naturam inferiori conjunxit, ut ei dominaretur, &, ſi quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus ſpeciali & ſupernaturali beneficio tolleretur, ut ſcilicet, quum anima rationalis ſit altioris naturæ quam corpus, tali conditione credatur, corpori eſſe conjuncta, ut in corpore aliquid eſſe non poſſet contrarium animæ, per quam corpus vivit, & ſimiliter, ſi ratio in homine appetitui ſenſuali conjungitur, & aliis ſenſitivis potentiis, ratio ab iis non impediatur, ſed eis potius dominetur. Sic igitur ſecundum doctrinam fidei ponimus hominem a principio ita fuiſſe inſtitutum, ut, quandiu ratio Deo eſſet ſubjecta, inferiores vires ei ſine impedimento deſervirent, & corpus ab ejus ſubjectione impediri non poſſet, per aliquod corporale impedimentum, Deo gratia ſua ſupplente, quod ad hoc perficiendum natura minus habebat: Ratione autem averſa a Deo, & inferiores vires rationi repugnarent, & corpus contrarias vitæ, quæ eſt per animam, paſſiones ſuſciperet. Hujuſmodi ergo defectus, etſi naturales homini videantur, abſolute conſiderando naturam humanam ex parte ejus, quod eſt in ea inferius, conſiderando tamen Dei providentiam, & dignitatem ſuperioris partis hominis, ſatis probabiliter probari poteſt, hos defectus eſſe pœnales, & ſic colligi poteſt, humanum genus peccato aliquo originaliter infectum eſſe. “

III. Quorſum ait Angelicus, prædicta *ſatis probabiliter probari poſſe?* „ Ut oſtendat, ſcite ait clariſſimus ejus Interpres Franciſcus Silveſter, ea, quæ de peccato originali & ejus pœna ſecundum fidem tenentur, contra rationem non eſſe, ſed aliqua etiam probabili ratione probari poſſe, ſuppoſita divina providentia, quam veri Philoſophi non negant. “ Quum itaque divinam Adverſarii providentiam admittant, neque dubitent, quin ad ſingulas perfectiones ea, quæ perficienda ſunt, aptet, interrogandi jam ſunt, quem in finem animam cum carne, & principem animæ partem, mentem ſcilicet, cum inferioribus viribus ſociarit. Quum multum præſtet anima corpori, & ſenſibus mens, annon rationi maxime conſentaneum eſt, cogitare, tributum a Deo fuiſſe menti totius hominis regnum, ita ut dominaretur illa cæteris, non ſubeſſet, & ad perſequenda, quæ ſua ſunt, cætera illi adiumento eſſent, non autem impedimento? Qui Dei providentiam, & animæ naturam expenderit, profecto non repugnabit. At corporis ex contrariis compacti natura fert, ut corrumpatur diſſolvaturque, *corpus autem, quod corrumpitur, aggravet animam, & terrena inhabitatio deprimat ſenſum multa cogitantem*, eique propterea ad bonum verumque perſequendum, inferat haud raro impedimentum. Divinam itaque providentiam nonne decuit, *quod ad hoc perficiendum natura minus habebat, ſua gratia ſupplere*, dominationis animæ in corpus impedimenta omnia ſpeciali beneficio ſuo tollere, hominemque primo ſic inſtituere, ut, quandiu ipſe ſuo pareret Auctori, inferiora omnia ſibi plane haberet obnoxia? Decuiſſe hominem ſic a Deo primum inſtitui, ipſa Dei providentia, & animæ noſtræ præſtantia perſuadent. Verum, quum non ita faciles ſimus ad concludendum, ut, ex quo id decuerit, factum eſſe reipſa, efficiamus, multumque momenti habeat mors, ſi peccati ſit pœna, ad demonſtrandum & felicem innocentiæ ſtatum, & crimen, quod primum hominem, univerſamque ejus ſobolem e ſtatu illo dejecit, argumentum ex eodem D. Thoma, quo id non adverſus recentes Pelagianos ſolum, ſed & adverſus divinæ revelationis hoſtes, Deiſtas ſcilicet, conficiamus, arripimus.

IV. „ Oſtendendum eſt, homines cum peccato originali naſci; & primo quidem aſſumendum eſt, quod dicitur Gen. 2.: „ *tulit Dominus Deus hominem, & poſuit*

„ *eum*

„ *eum in paradiſo, præcepitque ei dicens:*
„ *ex omni ligno paradiſi comede: de ligno*
„ *autem ſcientiæ boni & mali ne comedas:*
„ *in quacunque autem die comederis ex eo,*
„ *morte morieris.* Sed quia Adam nec eo
„ die, quo comedit, mortuus eſt, oportet,
„ ſic intelligi quod dicitur, *morte morieris*,
„ ideſt neceſſitati mortis eris addictus:
„ quod quidem fruſtra diceretur, ſi homo
„ ex inſtitutione ſuæ naturæ neceſſitatem
„ mortis haberet: oportet igitur, dicere,
„ quod mors & neceſſitas moriendi ſit
„ pæna homini pro peccato inflicta: Pæ-
„ na autem non infligitur juſte, niſi pro
„ culpa: in quibuſcunque ergo invenitur,
„ hæc pæna, neceſſe eſt, ut in eis inve-
„ niatur aliqua culpa; ſed in omni ho-
„ mine invenitur hæc pæna etiam a prin-
„ cipio ſuæ nativitatis: ex tunc enim na-
„ ſcitur homo neceſſitati mortis addictus,
„ unde & aliqui mox poſt nativitatem
„ moriuntur de utero translati ad tumu-
„ lum: ergo in eis eſt aliquod peccatum:
„ ſed non peccatum actuale, quia non
„ habent pueri uſum liberi arbitrii, ſine
„ quo nihil imputatur homini ad pecca-
„ tum, ut ex his, quæ l. 3. dicta ſunt,
„ apparet; neceſſe eſt igitur, dicere, quod
„ in eis ſit peccatum per originem tradu-
„ tum." Hæc D. Thomas 4. c. g. c. 50., cujus argumentatio, quid ad demonſtrandum, quod propoſuimus, roboris habeat, exponendum eſt. Vera ſcripſiſſe Moſen, nec dubitari de ejus fide prudenter recteque poſſe, non ſemel conſtitutum eſt: Non fuerat itaque moriturus homo, ſi ab interdictæ arboris eſu abſtinuiſſet; neque enim exiſtimare, recta ratio permitit, conſtitutum a Deo fuiſſe ceu inobedientiæ ſupplicium, quod naturale homini eſſet, neceſſarium, nec ulla ratione vitandum. At erat hominis corpus ex contrariis compoſitum, ideoque ſponte ad diſſolutionem ac interitum tendens: Qui potuiſſet ergo, non diſſolvi, nec interire, niſi ſpeciale aliquod in homine, quum primo illum inſtituit, Deus beneficium poſuiſſet, quod ab eo moriendi neceſſitatem arceret, illumque indiſſolubilem efficeret ac immortalem? Præter naturæ itaque ſuæ conditionem, ſingulari Dei munere, aſſecutus fuerat homo mortis immunitatem. Qui autem factum eſt, ut hanc immunitatem amiſerit, & in neceſſitatem mortis inciderit? Moſes ex ligni vetiti eſu calamitatem hanc repetit; quum ſit ergo Scriptor, ut omnium antiquiſſimus, ita & maxime veridicus dubitare cordatus nequit, quin divini præcepti deſpectio hominem immortalitate nudatum in moriendi conjecerit neceſſitatem. At non ille ſolum duræ huic neceſſitati addictus fuit, ſed & eadem fataliter obſtricti ſunt, quotquot carnalem ab eo originem ducunt: Et hi ergo ejuſdem criminis participes ſint, oporret, cui mors pænæ loco conſtituta eſt, a Dei namque juſtitia prorſus alienum, criminis cujuſque expertem & purum pæna mulctare. Criminis autem hujus communio ex imitatione manare nequit, moriuntur enim plurimi, quibus per ætatem non licet, primi hominis crimen ſua voluntare imitari: Reliquum ergo eſt, ut carnali origini referatur accepta, & a totius generis noſtri capite, ac principio, Adamo ſcilicet, in omnes generatione transfuſa.

V. Tametſi locupletiſſima ſint, quæ ad eandem hanc veritatem confirmandam Paulus habet, ad Rom. 5. ajens: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, ibidem c. 8. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*, & 1. ad Cor. c. 15., *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, ea mittimus tamen, quod nobis propoſitum ſit, illud tantum argumentum urgere, quo non recentes Pelagiani ſolum, qui Scripturarum auctoritati deferunt, ſed & Deiſtæ, qui ſoli rationi auſcultandum edicunt, perſtringi poſſint; cujuſmodi nobis videtur eſſe, quod ex Moſis narratione conflavimus. Quam male eo torqueantur Adverſarii, ſatis indicant, quæ ad ejus vim infringendam, aut elevandam commenti ſunt. Quid adverſus recitatam Moſis narrationem Socinus? Domini verba, in quibus cauſæ hujus arcem poſuimus, non ad corporis interitum atque diſſolutionem, ſed ad ſpiritualem animæ mortem, quam primus homo, mox ut peccavit, occubuit, referenda contendit, vel, ſi corporeum quid etiam ſonent, unam deſignare infelicem ab Adamo ad mortem uſque traducendam in laboribus vitam: quam itaque Dominus Adæ comminatus eſt, mors non fuit pæna ſed terminus, ad quem uſque producendi erant Adæ in comparando ſibi pane labores, ſudoreſque; quis enim alteri mortis minas intentans, vel reum mortis affirmans, vel aliquem commonens, ut

ſibi a morte caveat, digitum ad mortem intendit, quam omnibus natura affert? Nonne vel violentam ſignificat, vel immaturam, vel certe ærumnoſam vitam, quæ morte ipſa interdum amarior eſt? Quum ergo nec violentus fuerit, nec præmaturus Adæ obitus, calamitoſa ſolum ac triſtis ab eo ad extremum uſque trahenda vita iis Domini verbis ſignificatur. Quid, quod niſi harum interpretationum aliquam laudata Domini verba ſuſcipiant, a mendacio purgari non poſſunt? Quum enim Adæ vita a ligni vetiti eſu ad nongentos & amplius annos proceſſerit, nonne falſo dixiſſet Deus, *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris*?

VI. Ut ſunt tamen hæc non recentia Socini inventa, ſed antiquæ Pelagianorum ineptiæ, ita iiſdem obieri facillime reſponſis poſſunt, quæ Auguſtinus adhibuit. *Illud*, ait l. 1. de pecc. mer. & remiſ. c. 2. *quod in lege dictum eſt, qua die ederitis, morte moriemini, non ad mortem corporis, ſed ad mortem animæ, quæ in peccato fit, referre Pelagiani conantur... Quid ergo reſpondebunt, quum legitur, hoc Deum primo homini etiam poſt peccatum, increpando, & damnando, dixiſſe, terra es, & in terram ibis? Neque enim ſecundum animam, ſed ſecundum corpus terra erat, & morte ejuſdem corporis erat iturus in terram; quamvis enim ſecundum corpus terra eſſet, & corpus, in quo creatus eſt, animale geſtaret, tamen, ſi non peccaſſet, in corpus fuerat ſpirituale mutandus &c.* Damus, eundem Auguſtinum l. 13. de Civ. Dei c. 12. affirmare, intelligi de utraque morte ea Domini verba poſſe. Statuit tamen, ea de corporis interitu potiſſimum accipienda, propter id quod, ſubiicitur: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Quid vero, ſi ea ipſa, qua Dei præceptum violavit, die mortuus Adam non eſt? falſa ne propterea Dei ſententia? Audiendus iterum Auguſtinus, qui l. 11. de Gen. ad lit. c. 32. ait: *Hac mors ea die accidit, qua factum eſt, quod Deus vetuit, quia ex tunc morbidam qualitatem & mortiferam primi Parentes in mortali corpore contraxerunt.*: Vel, ut l. 1. de pecc. mer. & remiſ. c. 16. habet: *Quamvis annos multos primi parentes poſtea vixerint, illo tamen die mori cæperunt, quo mortis legem, qua in ſenium veteraſcerent, acceperunt*; ad quod Auguſtini reſponſum illuſtrandum præclare facit, quod hom. 17. in Gen. ſcribit Chryſoſtomus: *Sicut in humanis judiciis, quando quis, ſententia lata, ut capite mulctetur, iterum in carcerem coniicitur, licet multo tempore agat, nihil melius tamen habet defunctis & mortuis, utpote jam per ſententiam mortuus, ita & hi, eodem die, quo mortis ſententiam acceperunt, tametſi multo tempore duraverint, tamen ſententia mortui erant.*

VII. Quæ vero de ſuo penu Socinus protulit, melioris ne ſucci ſunt? Præterquamquod ea Domini ſententia, *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris*, hunc apud Hebræos, Syros, Græcos, Latinoſque omnes ſenſum conſtanter habuit, atque habet, *quacunque die ederis, ſcias, te proculdubio moriturum*, nonne Socinus ipſe fatetur, tò *morte morieris* ad hebraici ſermonis poteſtatem exactum idem ſonare, ac *certiſſime morieris*, ſeu neceſſitate moriendi obſtrictus eris, ut & in Roberti Stephani Bibliis adnotatur? Nonne annuit, Adamum, priuſquam violatæ divinæ juſſionis reus eſſet, tametſi natura mortalem, neceſſario tamen non moriturum? Si ergo Adam innocens, licet a naturali corporis conditione mortalitatem haberet, moriturus tamen neceſſario, & abſolute non erat, niſi peccaſſet, nec in certiſſimam incidiſſe illum moriendi neceſſitatem, niſi poſt culpam, Socinus ipſe concedit, ſolo Dei conditoris munere a moriendi neceſſitate immunis erat; quod enim ſuapte natura diſſolubile atque mortale eſt, nonne diſſolvatur intereatque demum, oportet, niſi neceſſitatem hanc Auctor naturæ removeat? Quam itaque Deus Adæ, *quacunque die* lignum interdictum ediſſet, minatus eſt, mors ſeu moriendi neceſſitas, verum ſupplicium & pœna fuit, cujus reatu Adam ſe, mox ut peccavit, obſtrinxit, doni illius jacturam ſponte faciens, cujus hæc quoque virtus erat, ut a corpore Adæ tametſi naturali conditione diſſolubili atque interituro, mortem & diſſolutionem arceret. Fac etiam, *mortis* nomine, miſeram moleſtamque venire, ut ſibi non conſtans Socinus dictitat, tranſigendam ab Adamo ad mortem uſque in laboribus & ſudoribus vitam, nonne in tuto adhuc eſt catholica veritas? Nonne & hinc, quod molimur, efficitur? Niſi ergo peccaſſet Adam, non fuiſſet ejus calamitoſa graviſque vita; fruſtra enim, ineptequ e, ut a peccato caveret, fuiſſet ei ſupplicii loco obnuntiatum conſtitutumque,

que,

que, quod jam a ſtatus ſui conditione uſitatum illi eſſet, & quotidianum. A felici itaque, & laborum, moleſtiarumque experte in calamitoſum durumque vitæ genus ſua illum inobedientia dejecit, nec aliunde, ut Socinus ipſe non negat, tanta illa mutatio. At non ſolus ille in has ærumnas conjectus eſt; quis enim negare poſſit, quod Job 5. v. 7. ſcriptum eſt, *homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum*, & c. 14. v. 1., *homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miſeriis &c.* item quod de omnibus univerſim Adæ filiis Eccleſ. 40. v. 1. & ſeq. legitur: *occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium . . . a reſidente ſuper ſedem glorioſam uſque ad humiliatum in terra & cinere, ab eo, qui utitur hyacintho & portat coronam, uſque ad eum, qui operitur lino crudo &c.?* Jugum itaque *hoc grave*, ſub quod Adam miſſus eſt, ſi fuit, Socino judice, non naturæ conditio, ſed admiſſi ab eo criminis ſupplicium, quum & univerſis ejus poſteris impoſitum eſſe *a die exitus de ventre matris uſque in diem ſepulturæ* exploratum ſit, animadverſionis & pœnæ loco fuerit univerſis impoſitum, oportet; quare quum plecti juſte non poſſint, niſi alicujus delicti rei, fateamur, neceſſe eſt, Adamum, univerſoſque ejus poſteros ejuſdem criminis communione conſtrictos eſſe, quibus eadem non conſtituta ſolum, ſed & inflicta eſt pœna: fingere autem, criminis hujus communionem a primo parente in univerſam ejus ſobolem imitatione manaſſe, a ratione quam maxime alienum eſt; præterquam quod enim jugum hoc grave omnes Adæ filios opprimere incipit *a die exitus de ventre matris*, quo tempore imitari Adæ crimen plane non poſſunt, certum pervulgatumque eſt, eo potiſſimum premi, quorum eſt innocens vita, & gravis delicti expers. Quid itaque? Neceſſario conſequitur, ſola origine a patre in filios communionem hanc criminis derivatam.

VIII. Diſſolvenda poſtremo, quæ a naturali ratione petita, & veteres Pelagiani torquebant, & noſtræ ætatis Increduli torquere non deſinunt. Nonne, ajunt, *unus eſt interitus hominis, & jumentorum, & æqua utriuſque conditio?* Num jumentis mors eſt pœna peccati? Ut illa ergo, ſic & homo, naturali conditione, fatalem habet moriendi neceſſitatem. Æquam ſane hominis, & jumentorum conditionem eſſe, ſi materies, ex qua eorum corpora compacta ſunt, ſpectetur, cum D. Thoma reponimus; *de terra enim facta ſunt, & in terram pariter revertuntur*, ſive ſponte ad interitum tendunt, quod ex contrariis conſtent: brutorum tamen animantium quum mortalis ſit & diſſolubilis anima, humana contra ſpiritualis, immortalis atque indiſſolubilis (quod heic certum ponimus, quum illud demonſtrare hujus loci non ſit), eſt hoc nomine jumentorum & hominis conditio longe diſpar. Fuiſſet propterea immortali animo incorruptibile corpus aptandum, ut omni ex parte haberet ad animum proportionem; quum vero id efficere natura non poſſet, ſummus naturæ Auctor & Dominus hunc naturæ defectum ſua virtute ſupplevit, quoddam in primis hominibus ſingulare beneficium ponens, quod attuliſſet eis diſſolutionis & mortis immunitatem, ſi poſito ſibi præcepto de non edendo ligno ſcientiæ paruiſſent; quare quum inobedientia ſua meruerint, eo beneficio privati, facta eſt eis mors pœna peccati, non conditio naturæ, quia, etſi hominis eſſet *animale* & *mortale corpus*, ait Auguſtinus l. 13. de Civ. Dei c. 23., *nequaquam tamen erat moriturum, niſi in Dei ſententiam delinquendo corruiſſet*. Aptiſſimum eſt, quo D. Thomas utitur ad hoc declarandum, exemplum. Quod ab ortu cæcus erret, nec raro labatur, naturæ defectus eſt, nec ſupplicium dici poteſt ab homine inflictum: At ſi gravis delicti reum Judex cæcari juſſerit, aberratio, & caſus pœnæ rationem habent; hæc enim mala ſuo ille ſibi delicto conſcivit: Ita jumentorum interitus conditio naturæ eſt, quod ita naturaliter inſtituta ſint, ut quandoque diſſolvantur, & pereant, hominum vero obitus *ſtipendium peccati eſt*, quia, *etſi eſſet hominis corpus mortale*, ait ibidem Auguſtinus, *eam tamen mortalitatem fuerat abſumptura mutatio in æternam incorruptionem, ſi in homine obedientia permaneret, ſed ipſum mortale non eſt factum mortuum, niſi propter peccatum*. Addere autem, neceſſe non eſt, quod ſæpe jam diximus, primos parentes, ut cum univerſa ſua ſobole eo beneficio affecti a Deo fuerant, ita non ſibi tantum, ſed & omnibus ſuis poſteris luctuoſam ejus feciſſe peccando,

Ita

jacturam, ideoque totum humanum genus eo beneficio nudatum in mortis neceſſitatem ceu primi criminis ſupplicium incidiſse.

IX. Regerebant tamen veteres Pelagiani, regerunt & hodie Increduli, qui poteſt primorum parentum culpa mortis cauſa eſse? Nonne etenim Philoſophorum effatum eſt, æquali cauſæ æqualem reſpondere effectum? eadem & prorſus æqualis in omnibus Adæ poſteris paterni criminis communio perhibetur: mors vero quam varia, quam diſſimilis! aliorum ſera, aliorum præmatura, naturalis aliorum, aliorum violenta, aliorum tranquilla, aliorum maxime anxifera & permoleſta. Non eſt ergo mors peccati pœna, ſed naturæ conditio. Diſtinguendus tamen cum D. Thoma duplex, qui peccatum conſequitur, defectus, alter, qui pœnam hujuſmodi præter Judicis propoſitum, & *per accidens*, ut ajunt, conſequitur, ad quod illuſtrandum in promptu eſt præclarum, quod D. Thomas affert, exemplum: Si judex duos ejuſdem ſceleris æque reos excæcari jubeat, oculorum privatio pœna eſt a Judice conſtituta, relate ad ambos æqualis, quorum fuit æquale crimen. Quod vero eorum alter hoc ſupplicio mulctatus in mendicitatem delabatur, nec greſsuum ducem habens ſæpe labatur, & ruat, mala hæc pœnam inflictam *per accidens* comitantur, nec ad culpam proportionem habent, nec penſantur a Judice, qui nequit, fortuita eventa prænoſse. Quid ergo? Pœna primorum parentum delicto a ſummo æquiſſimoque Judice conſtituta, habenſque ad reorum crimen proportionem, ait D. Thomas, ſingularis illius beneficii detractio fuit, quo tota humanæ naturæ rectitudo, integritas, ac felicitas continebatur, eſtque pœna hæc in omnibus Adæ poſteris, qui omnes originali juſtitia peræque nudati ſunt, prorſus æqualis; mors vero aliæque vitæ hujus calamitates funeſta ſunt pœnæ hujus conſectaria, quæ non oportet, in omnibus, ad quos Adæ culpa traducitur, prorſus æqualia eſse, quum non ſint pœna conſtituta, ſed conſequens.

X. Hinc tamen graviſſima difficultas exiſtit; quum enim immenſum ſit hominem judicem inter, Deumque ſcelerum ultorem diſcrimen, quid, ſi Judicis æquitas in tuto eſt, etſi reorum a ſe damnatorum alter gravioribus præ alio æque reo, eademque pœna mulctato afficiatur incommodis? Hæc, quæ juſtum a ſe reis conſtitutum ſupplicium conſequuntur, quum præſcire & impedire non potuerit, facile ab iniquitate purgatur. Idem ne vero de omniſcio, atque omnipotente Deo cenſendum? Ne ergo iniquum illum eſſe, dicamus, qui ejuſdem ſulpæ reos morte aliiſque vitæ hujus ærumnis tam inæqualiter puniat, fatendum erit, mortem & reliqua vitæ hujus mala non peccati pœnam, ſed naturæ conditionem eſſe. Hoc argumento adnotat D. Thomas, permotum fuiſſe Origenem ad opinandum, animas hominum, priuſquam cum corporibus jungerentur, diverſa habuiſſe merita, quibus ſibi compararunt, ut in diverſa corpora truderentur, diverſis ibi malis plectendæ, atque inde eſſe, ut aliqui cæci naſcantur, alii ſtatim ab ortu torqueantur a dæmone, alii aliis divexentur incommodis. De hoc Origenis errore ſupra non ſemel, exercit. ſcilicet II. *de opere ſex dierum* n. V., & exerc. VII. n. VII. Quorſum itaque ſapientiſſimus & æquiſſimus Deus ejuſdem originariæ noxæ homines æqualiter reos corporeis malis adeo inæqualiter punit? Reſpondet Angelicus, inæqualitatem hanc non in crimina conferendam eſſe, quæ, ut falſo Origenes ſtatuit, quiſpiam extra corpus admiſerit, neque pœnam eſſe *pro originali taxatam*, ſed hoc ſapientiſſimo Dei conſilio fieri, vel *ad punienda perſonalia parentum delicta; quatenus filius ſecundum corpus eſt aliquid Patris, ideo frequenter parentes pœnis hujuſmodi puniuntur in filiis*, quod peritis e Scriptura teſtimoniis exempliſque confirmari abunde poſſet, *vel in remedium ſalutis ejus, qui hujuſmodi pœnalitatibus ſubditur, ut ſcilicet a peccatis arceatur, aut etiam de virtutibus non ſuperbiat, & per patientiam coronetur*, ad quod comprobandum ſexcenta præſto eſſent divini eloqui teſtimonia.

EXERCITATIONUM DE PRIMO HOMINE

PARTIS SECUNDÆ

FINIS.

EXER-

EXERCITATIONUM

De opere ſex dierum, & argumentorum

INDEX.

EXERCITATIO I.

Vera & certa mundi geneſis narratio ex ſolo Moſe petenda.

I. ETſi nihil novi dicturi ſimus, noſtra hæc tamen non erit inutilis exercitatio. II. Mundum æternum non eſſe, III. Nec caſu extitiſſe, conſtituimus. IV. Deus mundi opifex hiſtoricum exordii rerum omnium excitavit Moſen. V. Eſt ille Scriptorum omnium vetuſtiſſimus, & libri Geneſis certo Auctor. VI. Narrationi ejus nequit, niſi temere, abrogari fides. VII. VIII. IX. Quæ adverſus ejus veracitatem Increduli objiciunt, plane futilia. X. Quæ de Ægyptiorum &c. vetuſtate jactantur, quæ etiam Buffon, Monteſquieu, Wiſton, & Telliamedus de mundi initio excogitarunt, ridicula & inſulſa. XI. Neque meliora, quæ Abbas de Prades in *theſis Apologia* propoſuit. XII. XIII. XIV. XV. Quæ ex Sinenſium annalibus corraſit, inepta atque falſa. 2

EXERCITATIO II.

Nonnulla præmittuntur ad faciliorem Moſaicæ narrationis intellectum.

I. Sex dies in mundi opificio a Deo contritos aliter Auguſtinus, aliter cæteri interpretantur. II. Auguſtini opinio in medio relinquitur, notanturque, qui minus honorifice Auguſtinum habent. III. *Creationis, diſtinctionis*, & *ornatus* opera in Moſis narratione præclare a D. Thoma diſtincta, & illuſtrata. IV. Perneceſſaria ad divini eloquii interpretationem tradita ab eodem regula deſcribitur. V. An Angeli cum ſpectabili hoc mundo, an diu ante eum conditi, an prætermiſſi prorſus a Moſe, an tacite indicati, inter veteres Eccleſiæ Magiſtros controverſum. VI. Angelorum creatio mundi initia non præceſſit. De Veterum, quibus aliter viſum eſt, opinione D. Thomæ judicium graviſſima Cajetani, & Cano animadverſione firmatur. 11

EXERCITATIO III.

De primæ diei operibus.

I. Primis Geneſeos verbis tres errores explodi, ſcite adnotat D. Thomas. II. *Cæli* a Deo primum creati non una apud Patres ſignificatio. III. Multiplex & *terræ* apud eos acceptio. IV. *Spiritus Domini* aquis incubantis nomine Spiritus ſanctus probabilius venit. V. Moſis creationem lucis perſequentis narratione nihil, ut ſimplicius, ita ſublimius, Deoque dignius eſſe, Ethnicorum teſtimoniis comprobatur. VI. De lucis natura multæ Veterum, variæque ſententiæ. VII. D. Thomæ placitum recitatur, quod non eſſe, cur Recentioribus Philoſophis riſum excitet, multis oſtenditur. VIII. Cur Moſes *factum* dixerit *diem unum*, non *primum*, evolvitur. Prima hæc mundi dies Dominicæ noſtræ reſpondet. 17

EXERCITATIO IV.

De opere ſecundæ diei.

I. Secunda mundi dies *diſtinctionis* eſt, qua inferiores aquæ a ſuperioribus, firmamento interpoſito, a Deo diſcretæ ſunt. II. Multiplex & ambigua firmamenti apud Veteres, Recentiſque notio. III. Stulte nebulones quidam ab Auguſt. notari aquas, de quibus Moſes, *infectas* eſſe, commenti ſunt.

IV. Erravit & Origenes, qui ſuperiores aquas *rationales virtutes* eſſe, interpretatus eſt. V. Anonymi ab Auguſtino laudati *firmamentum* citimam terris regionem aeris infimam interpretantis opinio, quæ Sanctis Auguſt., & Thomæ, & Recentiorum pleriſque placuit, præeligitur. VI. De cælorum numero opinionum inter Veteres diſſidium D. Thomas apte componit, qui & multiplicem *cæli* in ſacris literis acceptionem luculenter exponit. 23

EXERCITATIO V.

De opere tertiæ diei.

I. Tertia hæc mundi dies *diſtinctionis* eſt, qua aquæ inferiores, quibus tota obruta erat terra, in *locum unum* ſecedere a Deo juſſæ ſunt. II. Quomodo aquæ, Deo jubente, in locum unum abierint, declaratur. III. Argumentum & hinc exiſtere, quo Deum omnium cauſam eſſe probatur, D. Thomæ & Grotio animadverſum. IV. Cur Moſes, etſi plura ſint aquarum conceptacula, congregatas illas dixerit *in locum unum*, cur & aridæ tertia die *terræ* nomen impoſitum ſcripſerit, D. Thomas ſcite exponit. V. Quæ Moſes ſimplici preſſoque ſtylo perſtrinxit, copioſe & eleganter ab Ovidio I. Metam. deſcripta. VI. Verborum Moſis, *germinet terra* &c. non eadem apud Auguſtinum, & reliquos Patres interpretatio. Quo ſingularem ſuam fulciebat Auguſtinus opinionem, Gen. 2. teſtimonium D. Thomas ad aliorum Patrum mentem per quam appoſite explanat. VII. Tertia hac mundi die plantatus hortus voluptatis, nata quoque tum ſalubribus & venenata, mortiferaque germina, necnon tribuli, & ſpinæ. 27

EXERCITATIO VI.

De quartæ diei operibus.

I. Quarta hæc mundi dies prima *ornatus* eſt. Sol, luna, ſidera, an quarta hac die primum condita, an perpolita ſolum, atque virtute aucta, prorſus incertum. II. Exploratum tamen, facta illa fuiſſe ad enarrandam Dei gloriam, univerſi perfectionem, inferiorum commodum, hominum præſertim utilitatem. III. Moſaicæ narrationi mirifice concinunt Ovidius l. 1. Metam., Aratus in principio Phænom., & Chalcidius ad Timæum. IV. Cum verbis Moſis D. Thomas perbelle componit, quæ Hieremias c. 10., Paulus ad Gal. 4. ſpecie tenus pugnantia habent. Veterum Philoſophorum cujuſque religionis ortum ac interitum ſideribus adſcribentium ſtultitia redarguitur. V. Priſcillianiſtarum fatalibus ſtellis hominum corpora animoſque ſubdentium immanis error exploditur. VI. Sidera animata, & Deos eſſe, Pythagoræ, Platoni, & Stoicis olim ſtultiſſime creditum. VII. Etſi Chriſtianorum nullus deitatem ſideribus, multi tamen nec obſcuri ſenſum eis, mentemque tribuerunt. Quid eorum opinionem inter, & Origenis errorem a Conc. V. Æcum. damnatum interſit, D. Thomas ſapientiſſime internovit. In Recentiorum opinionem, cæleſtia ſcilicet corpora, lunam in primis, non habitabilia ſolum eſſe, ſed & in iis reipſa habitari, breviſſima, ſed non inepta, animadverſio. 31

EXERCITATIO VII.

De opere quintæ diei.

I. Quinta hæc dies ſecunda eſt *ornatus medii corporis*, *aeris* nimirum, & *aquæ*. II. Minus recte negant aliqui, *volatilia* ex aquis a Deo formata. III. Ad Moſis narrationem exacta, quæ Ovidius l. 1. Metam., & Thales Mileſius apud Cicer. habent: quæ vero de animantium ortu veteres Ægyptii apud Diod. Sic. tradiderunt, plane abſurda, & ridenda, quæ mirum eſt, Epicuro, Lucretio, aliiſque probari potuiſſe. 36

EXERCITATIO VIII.

De ſextæ diei operibus.

I. Sexta mundi dies *tertia eſt ornatus infimæ partis*, nempe *terræ*. Quæ in Moſis narratione difficultatem afferunt, cum D. Thoma expediuntur. II. *Jumentorum*, *beſtiarum*, & *reptilium terræ* diſtinctio ab eodem D. Th. aptiſſime

Digitized by Google

me declaratur. III. Quod ex venenatis multis, exitioſiſque animantibus adverſus Deum Increduli cudunt, argumentum convellitur. IV. Cum Moſe Ethnicis Scriptoribus mirifice convenit de homine a Deo ad ſui ſimilitudinem facto. V. VI. VII. VIII. Multa, quæ tradit Cicero l. 2. de nat. Deor. afferuntur adverſus eos, qui aut naturam ſine ratione, aut cæcum caſum, non mentem excellentiſſimam, conſtituunt univerſitatis rerum opificem. 38

EXERCITATIO IX.

De iis, quæ ad ſeptimum diem pertinent.

I. Ejus, quod Moſes ait, *perfecti ſunt cæli & terra*, egregia D. Th. interpretatio. II. Ut & ejus, quod idem Moſes tradit, *ceſſavitque Deus ab omni opere, quod patrarat*. III. Nec non & quietis Dei. IV. In diei ſeptimæ ſanctificationem ſapientiſſima ejuſdem Angelici animadverſio. V. Ex diei ſeptimæ religione apud Judæos antiquiſſima, & conſtantiſſima hiſtoriæ ſanctæ veritatem ſcite repetit Jaquelot. VI. Monumentum hoc apud Ethnicos etiam teſtatiſſimum fidem rei, cujus gratia inſtitutum eſt, creationi ſcilicet mundi, certiſſimam facit. 43

EXERCITATIO X.

De anni tempeſtate, qua mundus eſt conditus: de annorum ſumma ab ejus exordio ad nos uſque evoluta: de tempore durationis ejus divinitus præfinito.

I. Vere conditum mundum, non e Chriſtianis ſolum, ſed & ex Ethnicis permulti ſentiunt. II. Probabilius alii autumno ejus initia conſignant. III. Annorum, qui ab ejus ortu hactenus fluxerunt, numerus figi a nullo poteſt. Unde ſumma ejus definiendi difficultas aperitur. IV. Mundum hunc quandoque diſſolvendum, literæ ſacræ produnt, cujus veritatis cognitionem aliquam ad Ethnicos permanaſſe, Ovidii l. 1., Senecæ ad Marciam, & Stoicorum apud Clem. Alex., teſtimoniis confirmatur. V. VI. Durationis ejus tempus mortalium nulli compertum. Qui figere illud conati ſunt, in magnas ineptias abierunt. 47

EXERCITATIONUM DE MUNDI HUJUS OPIFICIO

INDICIS FINIS.

EXERCITATIONUM
DE PRIMO HOMINE
INDEX
PARTIS PRIMÆ.

EXERCITATIO I.

Adam omnium hominum primus eſt, nec fingi, niſi ſtultiſſime, alii ante eum poſſunt.

I. PRæadamitarum Auctorem ſola Moſis, quem omnium veraciſſimum eſſe ratio ipſa perſuadet, narratione refellimus. II. Ad ejus veracitatem confirmandam ſapientiſſimam addimus Auguſtini animadverſionem. III. Multa ex Moſe ipſo Peirerius congerit, quibus commenti ſui vanitatem ſuſtentet. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Futilia tamen illa eſſe, demonſtramus. XII. Celebre Pauli teſtimonium ad Rom. 5. XIII. Nihil prorſus ad inſanum Peirerii figmentum facere, præſtantiſſima D. Thomæ expoſitio velut ſub oculis ponit. XIV. Quem idem D. Thomas in tract. *de primo homine* ordinem tenuit, religioſe ſectabimur. 53

EXERCITATIO II.

De hominis primo producti anima.

I. De animæ humanæ natura immanis Ethnicorum, Manichæorum, ac Priſcillianiſtarum erroris origo a D. Thoma retegitur. II. Alter ejuſdem erroris fons ab ipſo D. Thoma indicatur. III. Aliæ ejuſdem erroris cauſæ ex prava Geneſeos intelligentia ductæ ab Angelico promuntur, atque redarguuntur. IV. Animam hominis Deus *non de ſe ipſo fecit*, ſed creavit ex nihilo. V. Varias Antiquorum de animæ origine opiniones D. Thomas profert, notatque, *duas*, fieri ſcilicet illas *ex traduce, vel eas extra corpora ab initio creatas corporibus poſtea aut ſponte, aut Deo jubente conjungi, judicio Eccleſiæ* jam eſſe *damnatas*, *approbatam* vero *tertiam*, formato ſcilicet corpore *creari animam*, & in illud *infundi*. Graviſſima Melchioris Cano animadverſio ſubjicitur. 61

EXERCITATIO III.

De corporis primi hominis productione.

I. Duæ verborum Moſis pravæ interpretationes a D. Th. refutatæ. II. Germana ad eadem ab Angelico adhibita interpretatio. III. Inſana de materie, ex qua primi hominis corpus effictum fuit, Manichæorum opinio non Scripturæ ſolum, ſed & veterum Philoſophorum, & Poetarum teſtimoniis refutatur. IV. Decentiſſimam corporis diſpoſitionem homini a Deo tributam, D. Th. luculenter evincit. V. VI. VII. Quæ obſtare videntur, perſpicue idem diſſolvit. VIII. IX. X. XI. XII. Ad demonſtrandam Dei Conditoris ſapientiam ac providentiam adverſus veteres, recenteſque Epicuræos nihil iis efficacius, quæ de humani corporis mirabili ſtructura habet Cicero l. 2. de nat. Deor. 66

EXERCITATIO IV.

De productione mulieris.

I. Cur de viro mulieris corpus Deus effinxerit, quatuor D. Th. aptiſſimas rationes tradit. II. Qui & ſcite declarat, cur de coſta potius, quam de alia quavis Adæ corporis parte illud formarit. III. Commenta, quibus Ethnici narrationem Moſis conſpurcarunt, diſpelluntur. IV. V. VI. VII. VIII. Moſis narrationem hiſtoricam eſſe, non alle-

Digitized by Google

allegoricam, multis oſtenditur. IX. X. XI. XII. Cajetani ſecus opinantis argumenta refutantur. 71

EXERCITATIO V.

De imagine Dei, ad quam homo factus eſt.

I. Imago Dei in homine imperfecta ac deficiens. II. Peculiare propriumque eſt hominis decus. III. Fœminis, impiis, & gehennæ etiam deſtinatis commune. IV. Quæ adverſari videntur, Scripturæ teſtimonia mirifice a D. Th. explicantur. V. De hac Dei in homine imagine multa ac diverſa Veterum placita. VI. Nec eorum, qui in ſola hominis mente eam conſtituunt, concors ſententia. VII. Sanctorum Ambroſii, & Auguſtini, quam D. Thomas adoptat, nobis præ aliis placet. 78

EXERCITATIO VI.

De feliciſſimo innocentiæ ſtatu.

I. Adverſus Pope, Voltaire, alioſque innocentiæ ſtatus aſſeritur. II. III. Quod principii loco ponunt, *mundum hunc* ſcilicet *omnium, qui eſſe poſſunt, perfectiſſimum eſſe*, ſolidiſſima D. Th. doctrina disjicitur. IV. Perſpecta Moſis veracitas adverſus Voltaire præſertim urgetur. V. VI. VII. Voltaire momenta futilitatis revincuntur. VIII. Pope ſpeciatim refellitur. IX. X. Ipſum ſecum aperte pugnare, demonſtratur. XI. Reliqua Incredulorum argumenta eliduntur. 82

EXERCITATIO VII.

De conditione hominis quantum ad intellectum.

I. Naturalis primi hominis cognitio numeris omnibus abſoluta, quorum eſſet, explicatur. II. Item, quorum eſſe naturaliter non poſſet, declaratur. III. IV. Difficultates nonnullæ ſubmoventur. V. Erat hæc Adæ ſcientia a quovis errore, & deceptione prorſus immunis, VI. VII. VIII. IX. X. XI. Quæ perfectionem hanc oppugnare videntur, a D. Thoma nitide diluuntur. 89

EXERCITATIO VIII.

De primi hominis gratia, atque juſtitia.

I. Etſi fide certum ſit, Adamum *in ſanctitate, & juſtitia conſtitutum fuiſſe*, in ea tamen *conditum*, etſi probabilius, non tamen exploratum. II. Immanis Baii error notatur, & coarguitur. III. Originalis juſtitiæ natura, & effecta promuntur. IV. Quæ in homine innocente *paſſiones* fuerint, quæ vero non. V. VI. Item quæ *virtutes*, D. Thomas præclare exponit. VII. Hominis innocentis opera *abſolutæ* fuiſſent ad merendum efficaciora, quam noſtra. VIII. Quæ oppoſitum perſuadere videntur, a D. Thoma extricantur. IX. X. Pinguiſſima Baii aberratio de primi hominis meritis, & mercede perſtringitur. 94

EXERCITATIO IX.

De attributa homini innocenti in cætera dominatione.

I. Quorſum Adæ fuerit a Deo tributus in animalia dominatus, declaratur. II. Item quomodo potuiſſet homo omnibus animantibus dominari. III. Verborum Moſis, *& præſit univerſæ terræ*, vel ut alii legunt, *univerſæ creaturæ*, germana intelligentia ex D. Th. profertur. IV. Inſana Almarici Carnotenſis poſitio de nulla in ſtatu innocentiæ ſexuum diverſitate rejicitur. V. Fuiſſet & tunc inter homines animæ & corporis differentia, ac inæqualitas. VI. VII. VIII. Quæ fuiſſet tunc hominis in hominem dominatio, D. Thomas optime explanat. 99

EXERCITATIO X.

De immortalitate, aliiſque dotibus humano corpori in ſtatu innocentiæ collatis.

I. Ingens Baii paradoxum refellitur. II. Quæ primi hominis immortalitas, ex nullo melius, quam ex D. Th., de-

promi poteſt. III. Fuiſſet & tunc cibi neceſſitas, atque uſus. IV. V. Quæ poſitioni huic incommodare videntur, facile a D. Th. diſpelluntur. VI. Quæ ligni vitæ virtus? VII. Quorſum Deus homini ejus eſum conceſſerit, D. Th. luculenter exponit. 102

EXERCITATIO XI.

De conſervandæ ſpeciei modo, ſi felix innocentiæ ſtatus perduraſſet.

I. Propagatum & tunc fuiſſet generatione humanum genus. II. Eademque via, quæ hactenus fuit, eſt, atque erit. III. Nyſſæni aliter ſentientis opinionem minus cum ratione congruere, demonſtrat D. Th. IV. V. Quæ obeſſe videntur, ab Angelico facillime expediuntur. 105

EXERCITATIO XII.

De prolis in ſtatu innocentiæ gignendæ conditione quoad corpus.

I. II. Pueros, qui tunc nati fuiſſent, non ea ſtatim futuros fuiſſe virtute, ut membra perfecte movere poſſent, ſolide probat Angelicus. III. Qui & perſpicue diluit, quæ oppoſitum ſuadere videntur. IV. Perperam opinati ſunt aliqui, fæminas tunc non fuiſſe gignendas. V. Opinionis hujus fundamenta proſus imbecilla. VI. Totidem naſcituros tunc fuiſſe mares, quot fæminæ, *probabiliter* docet D. Thomas. 108

EXERCITATIO XIII.

De prolis in ſtatu innocentiæ gignendæ ſcientia.

I. Erraſſe eos, qui ſtatuerunt, prolem tunc naſcituram ſtatim ab ortu futuram fuiſſe ſcientia perfectam, egregie conficit D. Th. II. Qui & varia percenſet de naturalis cognitionis initio Philoſophorum placita. III. Quid de hoc capite recte ſentiendum, ex eodem D. Th. profertur. IV. V. Quæ difficultatem afferunt, evolvuntur. VI. Nec tunc in pueris mox natis perfectus fuiſſet rationis uſus. VII. Inepta prorſus, quibus hic in eis rationis uſus aſſeritur. 110

EXERCITATIO XIV.

De generandæ tunc prolis conditione quoad juſtitiam.

I. Perperam originalem juſtitiam inter, & gratiam diſcrimen a priſcis quibuſdam Scholaſticis excogitatum: Poſt Trident. definitionem dubitari nequit, *juſtitiam & ſanctitatem, in qua Adam* fuerat *conſtitutus*, futuram fuiſſe poſteris ejus communem. II. Veritatem hanc eximie illuſtrat Angelicus. III. Non fuiſſet tamen hæc originalis juſtitia, ut præpoſtere ſenſit Bajus, *naturalis hominis conditio*. IV. Neque pueris confirmationem in gratia contuliſſet. V. Etſi D. Thomas confirmationem in gratia ex ſola clara Dei viſione *ſecundum legem communem* repetat, prudentiſſime tamen addit, *poſſe ex ſpeciali aliquo privilegio ſecus accidere, ſicut creditur de Virgine Matre Dei*. VI. VII. VIII. IX. Veteres quoſdam Scholaſticos arbitratos, ſi *Adam ſic vixiſſet, ut tentatus non peccaſſet, ita confirmatum iri cum propagine ſua omni, ut ultra peccare non poſſet*, D. Thomas valide refellit, & nonnullorum, quibus nitebantur, Patrum teſtimonia perbelle explicat. 113

EXERCITATIO XV.

De horto voluptatis.

I. Ejus deſcriptio exhibetur ab omnium vetuſtiſſimo, & veraciſſimo Scriptore, Moſe, adornata. II. De loci illius amænitate multa apud veteres Patres occurrunt. III. Aliqua loci illius cognitio ex libris Moſis hauſta ad Ethnicos permanavit. IV. Tres de paradiſo *generales ſententiæ* ex Auguſtino recitantur. V. Origenes hiſtoriæ veritatem explodens, omniaque ad allegoriam trahens, refellitur. VI. Quæ naturaliter ex Orig. poſitione fluunt, horrida conſectaria urgentur. VII. VIII. IX. X. XI. XII. Origenis momenta diluuntur. XIII. Paradiſi terreſtris nomine non terram totam, ſed peculiarem certumque locum venire, probatur. XIV. XV. XVI. Duæ, quæ obeſſe videntur, difficultates expediuntur. XVII. XVIII. De certo paradiſi ſitu etſi multa ferantur

tur Veterum ac Recentium placita, omnia tamen prorſus incerta. XIX. Peræque incompertum, an adhuc paradiſus hic exſtet. Qui ſupereſſe illum, Scripturæ teſtimoniis ſibi videntur efficere, operam ludunt. XX. Neque felicius ex Patrum auctoritate opinionis ſuæ præſidium petunt. XXI. XXII. XXIII. Haud minus imbecilla eorum argumenmenta, qui jamdudum terreſtrem paradiſum omnino periiſſe, decernunt. 116

EXERCITATIONUM DE PRIMO HOMINE

PARTIS PRIMÆ INDICIS

FINIS.

EXERCITATIONUM
DE PRIMO HOMINE
SECUNDÆ PARTIS
INDEX.

EXERCITATIO I.

De primi hominis culpæ cauſa.

I. MOſaicæ narrationis confirmatores ex Ethnicis plures a Cortio excitantur. II. Eandem Thalmudiſtæ ineptiſſimis fabulis perverterunt. III. IV. R. Aben Ezra, qui nullas in mulieris dejectione diabolo partes, ſed totas vero ſerpenti *naturaliter loquaci* adſcribit, coarguitur. V. Cajetani narrationem Moſis ad allegoriam torquentis aberratio caſtigatur. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Momentorum, quibus commentationem ſuam fulcire ille nititur, infirmitas demonſtratur. XII. Cur Deus primos homines tentari, dejicique permiſerit, aptiſſima a D. Th. ratio redditur. XIII. Ophitarum, & Manichæorum ſtultiſſima de ſerpente commenta obteruntur. 126

EXERCITATIO II.

De primorum parentum culpa.

I. Quot & quæ in primorum parentum crimine labes fuerint, explicatur. II. Omnium tamen prima, & cæterarum radix animi elatio fuit. III. IV. V. VI. VII. VIII. Secus opinantium momenta ſolvuntur. IX. X. Quodnam fuerit hoc ſuperbiæ crimen, quo ſe ſuoſque Adam perdidit, explicatur. 132

EXERCITATIO III.

De admiſſi a primis parentibus criminis gravitate.

I. Eorum culpa non fuit omnium abſolute graviſſima. II. *Secundum quid* tamen, idest aliqua ratione, omnibus gravitate præſtitit. III. Pœnæ quæ culpam hanc conſecuta eſt, gravitate non efficitur, culpam omnium fuiſſe abſolute graviſſimam. IV. Si peccati genus ſpectetur, Adæ & Evæ culpa æqualis : ſi vero conditio perſonæ, vir gravius muliere deliquit. V. At ſi peccati ſpecies, quo uterque peccavit, conſideretur, Evæ culpam graviorem fuiſſe non uno nomine, probat Angelicus. VI. VII. Difficultates aliquæ extricantur. 137

EXER-

EXERCITATIO IV.

De pœnis, quibus ob admiſſum crimen primi homines mulctati ſunt.

I. Singulas D. Thomas accurate perſequitur, & exponit. II. III. IV. V. VI. VII. Quæ in Moſis narratione, & D. Thomæ doctrina difficultatem videntur afferre, nitide explanantur. VIII. Origenes allegoriam ſolam *in tunicis pelliceis &c.* commentus refutatur. IX. Ejus momenta inania. X. Impedimenta, quibus intercluſit Deus ad hortum voluptatis aditum, exponuntur. XI. Minus ſcite Veterum plurimi *flammeum gladium* zonam torridam nec permeabilem nec habitalem interpretati ſunt. XII. Homini etſi poſt peccatum certiſſime morituro cur Deus ad lignum vitæ iter præcluſerit, egregie declarat D.Th. XIII. Aliæ, quas ad recenſitas a Moſe Rabbini addunt, primorum parentum pœnæ commenticiæ. XIV. Oleum operamque perdunt, qui tempus a primis parentibus in paradiſo traductum definire nituntur. 139

EXERCITATIO V.

De æterna primorum parentum ſorte.

I. Æterna eorumdem ſalus ſcripto Dei verbo, II. Et tradito aſſeritur. III. IV. V. VI. VII. VIII. Quibus illa appetitur, argumenta retunduntur. Hactenus de primorum parentum noxa *perſonali*, ut ajunt: deinceps de eadem in poſteros per originem traducta. 145

EXERCITATIO VI.

De originaria noxa adverſus Incredulos divinæ revelationis hoſtes.

I. Impia Voltaire ſenſa exſcribuntur. II. Multa, quæ Paſcalis ſuis *in commentationibus* egregie habet, præmittuntur. III. Eadem adverſus Voltaire urgentur. IV. Nihil iis quæ idem principiorum loco habet, futilius. V. VI. VII. Eo, quod Pope ſtatuit, originariæ noxæ traductio confirmatur. VIII. IX. X. Quum recta ratio ſciſcat, Moſi potius Scripto- rum omnium antiquiſſimo, & maxime a falſi ſuſpicione remoto, quam Pope credendum, non ea, quam recentiſſimus Poeta Anglus perperam excogitavit, ſed, quam Moſes tradidit, miſeriarum humani generis cauſa credenda eſt. 151

EXERCITATIO VII.

De eadem originaria culpa adverſus Pelagianos veteres ac recentes.

I. Summa quæſtionis hujus gravitas. II. Primus dogmati huic bellum indixiſſe probabilius creditur Ruffinus Aquilej. Presbiter. III. Recenſetur præcipui, ſive e priſcis Hæreticis, ſive e Novatorum grege, veritati huic infeſti. IV. Mittimus ea Scripturæ teſtimonia, de quorum adverſus Hæreticos efficacitate, nec inter Catholicos convenit. V. VI. VII. Ea tantum ſumimus, quæ verſat D. Th. in l. 4. c. G., illudque primo, quod Job 14. ait Job: *Quis poteſt facere mundum &c.*, quod ab omnibus Adverſariorum cavillationibus extricamus. VIII. IX. Secundo illud Pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus &c.*, urgemus, eique effuſas ab Adverſariis tenebras diſpellimus. X. Cur in pſalmo, qui totus eſt ad obtinendam actualium criminum veniam, originariæ culpæ mentio a Davide injecta, ratio maxime congrua redditur. 156

EXERCITATIO VIII.

Eadem veritas locupletiſſimis novi inſtrumenti teſtimoniis demonſtratur.

I. Notiſſimum illud Apoſt. *per unum hominem &c.*, ut a D. Th. verſatur, expenditur. II. III. IV. V. VI. Perverſæ Zuinglii gloſſæ late refutantur. VII. VIII. IX. Ineptiſſima Phereponi interpretatio redarguitur. X. XI. XII. Alia ejuſd. Apoſt. teſtimonia a D. Th. in Comment. in Epiſt. Pauli illuſtrata in Adverſarios torquentur. 160

EXERCITATIO IX.

Theologicis demonſtrationibus eadem veritas confirmatur.

I. Etſi ad divini eloquii teſtimonia addi poſ-

poſſet Apoſtolicæ traditionis, II. & Catholicæ Eccleſiæ auctoritas, ea tamen dontaxat perſequemur, quæ non Catholicis ſolum rata ſunt, ſed & ab Adverſariis nulla exceptione elidi poſſunt. III. Prima demonſtratio ex perpetuo infantulos baptizandi more conflatur. IV. V. Invicta ejus efficacitas a Veterum Pelagian. tricis, SS. Auguſtini & Thomæ præſidio defenditur. VI. VII. VIII. Phereponi irritus adverſus eandem demonſtr. conatus frangitur. IX. Altera ex univerſali hominum redemptione demonſtratio inſtruitur. X. Etſi Adverſariorum argumenta forte non poſſent reſponſis uſquequaque firmis elidi, ſapientiſſime Auguſtinus monet, nec deſerendam veritatem, nec in ea addubitandum. 167

EXERCITATIO X.

Pelagianorum momenta e divino eloquio petita ſolvuntur.

I. Ejus, quod Ezech. 18. legitur, *Filius non portabit &c.* legitima intelligentia a D. Th. traditur. II. Idem hoc teſtimonium ab Auguſtino in Pelagianos intortum. III. Inſolentiſſima Phereponi in Auguſtini verba animadverſio caſtigatur. IV. V. VI. VII. VIII IX. Nihil in tot iis, quæ ex Pauli epiſt. Adverſarii colligunt, teſtimoniis eſſe, quo errorem ſuum tutari poſſint, evidenter oſtenditur. 172

EXERCITATIO XI.

Conflata ex PP. teſtimoniis argumenta diluuntur.

I. Græcos P.P., Juſt. M., Clem. Alex. Cryſoſt. præſertim, Baſ. M., Greg. Nyſs., Theodor. erroris ſui patronos Adverſarii jactitant. II. III. IV. V. V. VII.. Falſo tamen, & inique, quod demonſtratur, ſingulos excutiendo. VIII. IX. X. XI. XII. Nec minus falſo & injuſte e Latinis Tertull., Cypr., Hilar., & Opt. Millev. in erroris ſui communionem trahere nituntur. 177

EXERCITATIO XII.

Quæ Pelagiani e naturali ratione ducta urgent, eliduntur.

I. Etſi per carnis originem culpa hæc a parentibus derivatur in prolem, nec caro tamen mala eſt. II. Nec damnandæ nuptiæ. III. Nec earum vitioſus uſus. IV. V. Nec culpæ hujus cauſa Deus animam creans, & in corpus vitiatum infundens. VI. VII. VIII. Traductionis culpæ hujus modum nemo Theologorum ſolidius ac nitidus D. Thoma explicavit. IX. Quomodo culpa hæc in nobis vere peccatum ſit cujuſque proprium, aperitur. X. XI. Alia proximorum parentum crimina a parentibus in prolem non tranſire, XII. Nec Judæorum, a quibus occiſus eſt Chriſtus, immaniſſimum ſcelus, probatur. XIII. Quid de parentum baptizatorum filiis credendum ſit, exponitur. 183

EXERCITATIO XIII.

De originariæ noxæ natura.

I. Non eſt noxa hæc ſubſtantia quædam mala, ut Mathias Flaccus commentus eſt. II. III. IV. V. VI. Cujus argumenta omnia diſpelluntur. VII. VIII. Neque eſt concupiſcentia, ſicut Lutherus perverſe decernit. IX. X. XI. XII. Pauli, & Auguſtini teſtimoniorum, quæ Lutherani obiiciunt, germana intelligentia profertur. 190

EXERCITATIO XIV.

In quo probabilius ſita ſit originariæ noxæ natura, aperitur.

I. II. III. Nonnulla ſcitu neceſſaria ex D. Th. prænotantur, IV. Quibus præjactis, originale peccatum *formaliter* originalis juſtitiæ privationem. V. *Materialiter* vero concupiſcentiam eſſe, cum eodem D. Th. ſtatuimus. VI. VII. Hinc infertur, noxam hanc in omnibus æqualem eſſe. VIII. Theologi qui noxam hanc *in morbida qualitate* collocant, refutantur. IX. Tabificæ hujus qualitatis nullum in Auguſtino veſtigium. X. Noxam hanc in reatu pœnæ locantium

tium

tium tolerari nequit opinio, quam & Auguſtini ipſius eſſe, quidam inique & falſo ſcripſit. 197

EXERCITATIO XV.

De perniciosis noxæ hujus conſectariis, ſeu effectibus.

I. II. Non ſunt inter peccati hujus effectus recenſenda, quæ in Auguſt. Confeſs. Lutherani protulerunt. III. Neque, quam Lutherus excogitavit, integra liberi arbitrii jactura. IV. V. VI. VII. VIII. IX. Omnia, quæ Lutherani, ex Auguſtino præſertim, opponunt, diſiiciuntur. 202

EXERCITATIO XVI.

De eodem argumento.

I. Quatuor originariæ noxæ vulnera percenſentur. II. De ſola tamen *concupiſcentia* futurus eſt ſermo, III. Quam Spinoza, Pope, Voltaire in bonis naturæ numerant. IV. Idem ſentit, propugnatque Phereponus, quem ſpeciatim ſuſcipimus exagitandum. IV. V. VI. Præclara multa de varia concupiſcentiæ notione ex D. Th. deſcribuntur. VII. Quoniam de concupiſcentia venereorum Phereponus nobis litem potiſſimum infert, eximia ejuſd. D. Th. doctrina præmittitur. VIII. IX. Ex qua invicta plane adverſus Phereponum cuditur demonſtratio. X. XI. XII. XIII. XIV. Futilitatis revincuntur, quibus Phereponus turpem concupiſcentiæ cauſam orat. 207

EXERCITATIO XVII.

De altero ejusdem noxæ effectu, morte videlicet.

I. II. III. Ad diſſolvenda Socinianorum ſophiſmata luculentiſſima D. Th. doctrina proponitur. IV. Hinc ſola, quam ipſe præclare verſat, Moſis narratione mortem peccati pœnam eſſe. V. VI. VII. Adhibitæ ad Moſis verba a Socino interpretationes præpoſteræ & falſæ. VIII. IX. X. Nec minus vana, quę e naturali ratione Increduli inſtruunt argumenta. 217

INDICIS FINIS.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE DEO HOMINE FACTO.

PRÆFATIO.

QUID cauſæ fuerit, cur in præſtantiſſimo hoc argumento, & præcipuo Religionis noſtræ capite pertractando aliam, quam quæ Theologis ferme omnibus in uſu eſt, rationem iniverimus, ſatis, ut credimus, in ipſo tractationis limine declaravimus. Magnæ nobis porro voluptati fuit, experimento noſſe, accidiſſe illam florentiſſimæ Adoleſcentium coronæ (quadringenti circiter nos audiebant) non perjucundam ſolum, ſed & perutilem; maximam enim eis attulit diſcendi facilitatem arctiſſima rerum inter ſeſe, & continuata connexio, quarum poſteriores ita a prioribus, iiſque maxime ſimplicibus, atque perſpicuis pendent, ut harum veritate percepta, in illis jam impediri, aut hærere, niſi ſtipites, poſſint. Non uſque eo quidem vecordes ſumus, aut arrogantes, ut novæ hujus rationis gloriam ad nos traducamus, vel ſapientibus novi quidpiam ac inauditi polliceamur; Eruditi tamen, quos legere noſtra hæc, non pigebit, ſi velint æqui eſſe, non poterunt, non annuere, ita nos aliorum laboribus uſos, ut, quæ nec omnibus fuiſſent obvia, nec ad ſtudioſæ præſertim pubis captum profectumque accommodata, ex poſita in iis digerendis, illuſtrandis, confirmandiſque a nobis opera acceſſionem lucis non contemnendam acceperint, & ex iiſdem iis quos vel habuimus rationis hujus auctores, vel quorum eximia eruditione multum hoc loco adjutos nos fuiſſe fatemur, *Martini*, *Grotio*, *Huetio*, *Abadie*, *Jaquelot*, *Houteville*, *Francois*, aliiſque puriorem velut doctrinæ ſuccum & ſanguinem expreſſimus. Novi Teſtamenti Scriptorum, quorum, ſepoſito divino inſtinctu & afflatu (nam illud Ethnici, Hebræi, noſtræque ætatis Increduli pernegant, rejiciuntque) demonſtrationibus, quas *moraliter* evidentes dicunt, veracitatem adſtruximus, atque conſtabilivimus, ſola narratio nobis in tota hac tractatione proræ inſtar & puppis fuit: ad eam ſolam omnia tractationis hujus capita conſtanter directa, omniumque veritas ea ſola ceu principio optime proviſo, & diligenter explo-

explorato tranſacta: quidquid denique varii & multiplices myſterii hujus hoſtes in illud torqueut, ea ſola retuſum & fractum; quamquam non ita in ea ſola verſanda ac urgenda toti perpetuo fuimus, quin ad refellenda Adverſariorum argumenta opportune contulerimus ſuo quæque loco reſponſa.

Multa a nobis prætermiſſa quærentur aliqui, quæ nullus præterit Theologorum, & quæ magno fuiſſent uſui adoleſcentibus, quos habebamus in diſciplina. At, ut ſuum ingenium, ita & ſuum cuique judicium, nec eadem omnium de iiſdem plerumque ſententia: mirum ne ergo, non parem videri omnibus earumdem rerum uſum, aut etiam neceſſitatem? Sinimus, alios ſuo indulgere ingenio, & in ſenſu ſuo abundare. Conſtituto nobis ad dicendum de peramplo hoc argumento anni unius curriculo, (quod in cauſa eſt, cur multa preſſe ſtrictimque attigerimus, quæ ſunt ab aliis uberrime diſputata) habendus fuit delectus rerum, quarum quidem nullam omiſimus, cujus eſſet Sapientum omnium judicio explorata neceſſitas, aut utilitas. Licet autem nihil apud nos ſit de celeberrima Jacob vaticinatione, de Danielis hebdomadis, nonnulliſque aliis Meſſæ notis, quarum cognitio non ab opinione & uſu ſolum, ſed & a rei dignitate ac gravitate certam habet utilitatem, nequit tamen nobis vitio dari, qui vetabamur, in iis verſari, quæ ſimul ab alio fuiſſent pro ſui officii munere pertractata: nihil propterea de Auditorum profectu detractum, qui illa ipſa, quæ miſimus, jam habebant a clariſſimo, & immortalis memoriæ Viro, Collega noſtro, divini in eadem Academia eloquii Interprete luculenter expoſita.

Quoniam vero de Meſſia fuſe egimus, ſingulas, inſigniores ſaltem, ejuſdem notas excuſſimus, eaſque omnes in Jeſum noſtrum convenire, verum illum iccirco Meſſiam fuiſſe, confecimus, non defuturos putamus, qui poſitum infeliciter abs nobis in hoc argumento laborem, pronuntiabunt, quod divinarum literarum teſtimonia, quibus hæc veritas continetur, non ex hebraico fonte, ſed ex latini Interpretis tranſlatione promſerimus; Non pauci enim, qui hebraice vel græce norunt, qui etiam Synagogæ Magiſtrorum libros in ipſo, ut ajunt, fonte legerunt, ſoli ferme ipſi ſibi videntur idonei, qui de rebus hujuſmodi agere ſcite & feliciter poſſint: Cæteri, qui vel ab eruditione hac, quam ipſi pemeceſſariam ſtatuunt, fuerint imparati, vel eam non tanti faciunt, ſi non plane inepti, minus profecto apti, qui de Meſſia, aliiſque dogmatis Chriſtianos inter ac Hebræos controverſis diſputationem inſtituant; nam hebraice vel græce rudes, & Rabbinicæ eruditionis jejuni, alienis oculis, non ſuis, videant, oportet, Interpreti credant, non ipſi dijudicent, rivulos conſectentur, quod *tardi ingenii* eſſe, ait Cicero *de Oratore*, ipſos rerum fontes non adeant; quare perſæpe fit, ut divini eloquii teſtimonia ceteroqui firmiſſima, quod non ſint ad hebraicam veritatem exacta, Adverſarii rideant, aut eludant, merito etiam expoſtulent, & ſua haud raro verba ab imperitis his minus fideliter recitati, & alienas ſibi opiniones affingi. Quam multa, quam firma nobis in promtu eſſent ad criminationem hanc pellendam! Parcimus tamen, ne actum agamus, quum alias non ſemel eamdem copioſe ac valide retuderimus, & hominum nimis ſibi in peregrina iſta ſua eruditione plaudentium gloriationem pro viribus compreſſerimus. Eos interim, qui ad hæc noſtra legenda animum præjudiciis ſolutum attulerint, judices volumus, an operam in hoc argumento inutiliter poſuerimus, etſi illud tranſegerimus Scripturarum oraculis ab Interprete noſtro latine redditis, & an in deſcribendis Rabbinorum commentis, quum nobis non eſſent ad manum eorum libri, Viris hebraice ſcientiſſimi, & in Synagogæ Doctorum lectione diu multumque verſatis, Martini, Grotio, & Jaquelot, fidem imprudenter tribuerimus, & inſcite.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATIO

DE DEO HOMINE FACTO.

MAgni illius *pietatis Sacramentum*, quod, ut Apoſtolus 1. ad Timoth. 3. ſcribit, *manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria*, verus ille venerator eſt, teſte S. Leone Magno piuſque cultor, *qui nec de Incarnatione Domini aliquid falſum, nec de Deitate aliquid ſentit indignum; paris enim periculi malum eſt, ſi illi aut naturæ noſtræ veritas, aut paternæ gloriæ negatur æqualitas*. Quemadmodum itaque duobus his capitibus Chriſtianæ fidei ſumma potiſſimum continetur, ut *credamus* nimirum, & *confiteamur*, *quia Dominus N. J. C. Dei Filius Deus & homo eſt, Deus ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, homo ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus*, iſque vere Meſſias, Soſpitator atque Redemptor noſter, noſtræque Religionis Auctor ac Conſummator, ita in iis pro modulo noſtro demonſtrandis, illuſtrandis, vindicandiſque tota hæc, in qua iſte ponendus eſt annus, diſputatio verſabitur. Quoniam vero cum multiplici hoſtium genere nobis conferendæ ſunt manus, cum Judæis, Ethnicis, Mahammedanis, Hæreticis, Spinoziſtis, Deiſtis, aliiſque paſſim Incredulis, qui noſtra ætate *ſpiritus fortes* vulgo audiunt, quos ſi vellemus ſingillarim oppugnare (non una enim eademque ratione adverſus ſingulos agendum eſſet) non permoleſtæ ſolum operæ id foret, ſed & immenſæ, viſum nobis eſt opportunius, ac conſultius, eam ſectari præclariſſimam methodum, quam præmonſtrarunt Huetius in Demonſtratione Evangelica, & recentiſſimus Auctor libri, cui titulum latine feceris *Momenta Religionis Jeſu Chriſti adverſus Incredulos*. Quæ illa porro? Duo hæc præcipua Religionis noſtræ dogmata ad principia quædam, pauca illa quidem, ſed immota, rationi ipſi maxime conſentanea, omniumque vel ferme omnium conſenſione probata exigemus, & petitis inde demonſtrationibus conficiemus; quumque communi Philoſophorum ſcito ea ſit demonſtrationum vis, qualis eſt principiorum, breviſſima hæc erit, & ſimpliciſſima, immo & tutiſſima veritatis aperiendæ via, utpote quæ eo conſtet demonſtrationum genere, quarum principia perſpicuitate & certitudine geometricis ipſis, ſi non præcellunt, omnino æquantur.

II. Age vero, & quoniam Geometrarum more acturi ſumus, faciamus ut illi ſolent. Rerum primo, de quibus nobis futurus eſt ſermo, notionem deffiniendo tradamus:. Quædam ſubinde nobis dari poſtulemus, quæ & cordati quique concedunt, & nemo niſi inique negaverit. Explorata denique atque inconcuſſa quædam proponamus axiomata, quibus propoſitiones noſtras ceu fundamento ſolidiſſimo ſuperſtruemus. A deffinitionibus ordiamur: Prima hæc ſit: *Liber genuinus ille eſt, qui eum Auctorem refert, a quo ſcriptum eſſe, communiter fertur, eoque circiter tempore, quo ab Auctore ſuo prodiiſſe traditur*: nitida eſt hæc deffinitio, neque exemplis eget ut illuſtretur; nec vero minus clara eſt ſecunda, quam addimus: *Synchronus ſeu coævus liber ille eſt, qui ea circiter ætate conſcriptus eſt, qua res eo deſcriptæ accidiſſe feruntur*. Sic Julii Cæſaris Commentarios librum ſynchronum quique vocant, quod res ab ipſo libri Auctore geſtas, & quibus ille interfuit, complectatur. Deffinitio tertia: *Hiſtoria rerum narratio eſt eo tempore jam geſtarum, quo illa literis mandata fuit*. Memorati Cæſaris Commentarii exemplum ſuppeditant, quo deffinitionis hujus veritas ſatis ſuperque patet. Deffinitio quarta: *Prophetia enuntiatio eſt futurorum, quæ quo tempore illa edita eſt, nondum evenerant, neque naturæ lumine prænoſci poterant*. Deffinitio hæc in prophetiam *propriiſſime*, ut ait D. Thomas, acceptam cadit; Etſi enim & præſentium, & præteritorum, modo illa obſcura ſint, & ab enunciantis cognitione remota, manifeſtatio a Sacris

Digitized by Google

& Prophanis Auctoribus prophetia dicitur, minus tamen proprie appellationem hanc ad hujuſmodi manifeſtationem extendi, invicte probat Angelicus, confirmatque auctoritate Gregorii Magni in Ezechielem ſcribentis: *Quum ideo prophetia ſit dicta, quod futura prædicat, quando de præterito vel de præſenti loquitur, rationem ſui nominis amittit*. Deffinitio quarta: *Miraculum proprie dicitur opus, quod præter ordinem totius naturæ creatæ ſit*; non enim ſufficit, ait Angelicus, ad rationem miraculi, ſi aliquid fiat præter alicujus naturæ particularis ordinem; alioqui aliquis projiciens lapidem ſurſum miraculum faceret, quum hoc ſit præter ordinem naturæ lapidis. Poſtrema deffinitio: *Religio Chriſtiana ea eſt, quæ Jeſum Nazarænum verum Deum verumque hominem credit & colit, omnibuſque de eo in utroque ſacro fœdere ſcriptis fidem immotam adjungit*.

III. Quid vero nobis concedi poſtulabimus? Nihil niſi ſummopere æquum, & non ſolum morato, ſed rationi, ut par eſt, auſcultante homine dignum; pertinacem & obfirmatum adverſus veritatem animum amoveri petimus, eundemque adhiberi moderate docilem, qui neque plus æquo credulus, neque ultra modum captioſus, & pervicax, tam certo ſibi ea perſuaderi ſinat, quæ ſumus in hac diſputatione demonſtraturi, quam firmam prudentemque ſolent homines perſuaſionem de rebus iis imbuere, quæ paris momenti rationibus comprobantur. Quidpiam ne ſanctius, æquius, faciliuſque poſſumus poſtulare? Quum nihil ſit hominibus magis futurum cordi, quam ea noſſe, quibus in veri Dei Religione erudimur, una enim religione poſſumus æternum beati eſſe, ſi nimirum ea credamus, quæ de Deo credenda ſunt, & ſupremum Auctorem noſtrum ita colamus, diligamuſque, ut nobis ille præſcripſit, nonne in vera Religione inveſtiganda, atque internoſcenda tota ab hominibus opera locanda eſt? Quid ni ergo hoc impetrem, quod poſtulo, ait clariſſimus Huetius, quum non hic de lana caprina, non de vanis Philoſophorum quæſtionibus, non de rebus temporariis diſputemus, ſed de re omnium maxima, unde ſalus æterna pendet, aut nunquam deſitura calamitas? Si ex iis, quæ vel experientia teſte, vel lumine naturali duce, vel ratione, vel morali fide habemus perſuaſa, aut perſpecta, vitæ hujus & negotiorum noſtrorum normam ſumimus abſque ulla dubitatione, cur non paris auctoritatis rationibus in re omnium longe graviſſima ad idem faciendum impelleris? Si res propoſuero ſimilibus argumentis, moralibus nempe comprobatas atque compertas, cur non parem adjunges fidem? Cur in rebus fluxis & vanis tantum hujuſmodi rationibus tribues, in graviſſimis, æterniſque tantum iiſdem detrahes? Quumque Geometrarum imperia patienter feras, nec eorum poſtulatis quamcumlibet iniquis parere detrectes, æquiſſimo huic poſtulato non annues? Hactenus egregius Præſul, ex quo ut plura de deffinitionibus & poſtulatis excerpſimus, ita & pleraque axiomata mutuabimur, quum ſint illa ut geometrica Geometris, omnibus iis communia, qui rem voluerint demonſtratione morali tranſigere.

AXIOMA I.

Omnis liber vere genuinus eſt, qui ab omnibus ſemper & continuata ſerie ſequentibus eum ætatibus genuinus eſt habitus.

QUum Fauſtus Manichæus novi Teſtamenti libros vocaret in dubium, & ſpurios eſſe contenderet, hoc potiſſimum axiomate ab Auguſtino revictus eſt: *Platonis*, ajebat Auguſtinus, *Ariſtotelis*, Ciceronis, *Varronis*, *aliorumque ejuſmodi Auctorum libros, unde noverunt homines ipſorum eſſe, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? Multi multa de literis Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate canonica, ſed adjuvandi ſtudio, vel diſcendi: unde conſtat, quid cujuſque ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit inſinuavit, atque edidit, & in alios atque alios continuata notitia, latiuſque formata ad poſteros etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cujus quiſque liber ſit, non hæſitemus, quid reſpondere debeamus?* Sane ſi quis axioma illud vitilitigare voluerit, non modo nihil certum habebit in literis, ſed nihil omnino, ut ait Auguſtinus, *humanæ ſocietatis relinquet incolume, ſi nihil credere ſtatuerit, quod non poſſit habe-*

re

re perceptum, ſeu certa mentis ratione tenere, atque intrinſeca, ut ajunt, demonſtratione conficere. Rem declaremus exemplo, quo in lib. *de utilitate credendi* idem utitur Auguſtinus. Sancta illa pietas & obſervantia, qua Parentes ſuos liberi proſequuntur, non ne humana fide, aliorumque teſtificatione tota fulcitur: *Quomodo ſi quod neſcitur, credendum non eſt, ſerviunt parentibus liberi, eoſque mutua pietate diligunt, quos parentes ſuos eſſe, non credant? Non enim ratione ullo pacto ſciri poteſt, ſed interpoſita Matris auctoritate de Patre creditur, de ipſa vero Matre plerumque nec Matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis; nam cui fura ri filius poteſt, alius ſupponi, nonne poteſt decepta decipere?* Perſequamur hoc e liberis ab Auguſtino ductum exemplum; aptiſſimum enim eſt, & in libros, qui Auctorum fœtus vulgo dicuntur, perbelle quadrat. Colendos eſſe Parentes a filiis, naturæ dictatum eſt. Qui vero dictato huic obſequantur filii, niſi certo norint, quibus Parentibus nati ſint? Quum id nequeat ratione atque demonſtratione percipi, præſto eſt dicentium auctoritas: Teſtatur Mater quempiam eo Patre genitum, obſtetrix, quæ puerum primo e matris alvo ſuſcepit, nutrix cui e. veſtigio alendus eſt traditus, famuli ad quorum manus a nutrice translatus eſt, teſtimonio ſuo comprobant, eundem illum eſſe, qui e Matre prodivit, neque alio opus eſt, ut horum omnium dictis, quavis dubitatione ſubmota, communiter, & prudentiſſime fides adhibeatur. Quis ergo dubitare ſapienter poteſt, ſeptem illas Epiſtolas e. g. quæ Ignatii nomen præferunt, quaſque ex vetuſtiſſimo Mediceæ Bibliothecæ codice græco Voſſius & Uſſerius emendarunt, atque ediderunt, genuinum eſſe S. Martyris opus, quum eas ipſas Ignatius Polycarpo Amico ſuo inſinuarit, & in diſcipulum Policarpi Irenæum, mox in Origenem, Euſebium, Hieronymum, Theodoretum, atque alios continuata notitia, latinſque formata perpetua ſibimet ſuccedentium temporum conteſtatio illas ad nos uſque deduxerit?

Fateor, ſupponi poſſe Auctoribus libros, eiſque fuiſſe haud raro ſuppoſitos: Quid porro? Si quis argumento hoc axiomatis hujus firmitatem velit evertere, omnem humanam fidem funditus tollit, omnia in humana ſocietate ſusdeque miſcet, confundit, atque perturbat. Actum eſt de filiorum erga Parentes pietate, de ſubditorum erga Principes obſequio, de hæreditariis juribus etſi vetuſtiſſimis, de bonorum poſſeſſione etſi longiſſimo temporis ſpatio firmata; nonne etenim ſuppoſiti fuerunt, & quidem non ſemel parentibus filii, ſuppoſitæ publicæ tabulæ, ſuppoſita inſtrumenta domeſtica? Quum ergo parentibus debeat proles pietatem, & cultum, quod eos vitæ ſuæ credat auctores; Subditi Principibus obſequium, & ſubjectionem, quod legitimo, & a Majoribus derivato jure ii præeſſe credantur, quiſque bona ſua pacate poſſideat, quod vel ea ſint hæreditatis, aut donationis titulo ad ſe tranſlata, vel legitimo contractu parta, ſi in dubitationem paſſim adducantur hi tituli, quod ſuppoſitioni atque fraudi poſſint obnoxii eſſe, fuerintque quandoque obnoxii, nemo non videt diſſolutum iri ſacratiora quæque vincula, quibus inter ſe homines colligantur, & proculcatum iri rectiores quaſque leges, quæ naturæ vel gentium jure ſancitæ ſunt. Quod ſi integra apud homines communiter manet horum titulorum auctoritas, neque nutat illa aut rejicitur, niſi ſuppoſitionem & fraudem in quempiam eorum irrepſiſſe, certis argumentis compertum fiat, nonne iniquum fuerit, & cordato homine indignum, libros Auctoribus iis eripere, quibus adjudicati ſunt conſtanti proxime conſequentium ætatum, iiſque ſuccedentium teſtimonio, niſi argumentis invictis eorum ſuppoſitio revicta fuerit? Hactenus autem nunquam effectum eſt, ut inſincerus, & ſpurius certo deprehenſus fuerit liber, quem omnes non interrupta ſerie conſequentes illum ætates genuinum habuerant; reliquum ergo eſt, non poſſe a quopiam prudenter de primo hoc axiomate dubitari.

AXIOMA II.

Omnis Hiſtoria verax eſt, cui in rerum geſtarum narratione plures alii, vel ſynchroni vel ſuppares libri conſentiunt.

Quum Auguſtinus in laudato libro *de utilitate credendi*, & Theodoretus in opere *de cura græcanicarum affectionum* ſolidiſſime evicerint, neceſſarium

ſarium eſſe, homines hominibus eredere, niſi vita pecudum more degenda ſit, nec quidquam tam puerile, & ſtultum eſſe, quam ſi ea quæ viderunt alii, quis neget eſſe, quia ipſe non vidit, certa habenda erit hiſtoriæ fides, quum in idem Auctores univerſi conſpirant; nam ut lib. 1. *adverſus Appionem* præclare ait Joſephus: *certum veritatis hiſtoriæ ſignum eſt, ſi de iiſdem rebus eadem omnes conſcribant*. Hinc ex. grat. Bizantium ſive Conſtantinopolim a Conſtantino Magno extructam fuiſſe, nemo unus dubitat, quod idem cum Euſebio omnes ejuſdem, & ſequioris ævi Scriptores affirment, neque minus delirare cenſeretur, qui veritatem hanc Hiſtoricorum omnium conſenſione traditam vel negaret, vel in ea etiam addubitaret, ac qui innumeris Conſtantinopolim adhuc eſſe teſtantibus vel timeret, vel renueret fidem adjungere; neque enim minor eſt, aut eſſe debet præteritorum, quam præſentium teſtium auctoritas: quare ſi *in ore duorum vel trium*, modo probati graveſque ſint, *ſtat omne verbum*, eorumque teſtimonium commune eſt, & potiſſimum humanorum judiciorum inſtrumentum, nonne extremæ dementiæ aut pervicaciæ fuerit, fidem plurimis rem eandem olim ſua, vel proxime evoluta ætate geſtam conteſtantibus abrogare? Plura habet in hoc axioma Melchior Cano, quo locum hunc de humanæ Hiſtoriæ auctoritate nemo fuſius ſolidiuſque verſavit.

AXIOMA III.

Propheticum lumen noniſi a Deo eſt.

Quum nobis res ſit cum Incredulis, qui divinam quamlibet revelationem explodunt, perperam in hujus axiomatis confirmationem ex veteri novoque Inſtrumento teſtimonia conferremus. Verum quid neceſſe foret e ſacris literis argumenta promere, quum ſolo naturæ lumine veritas hæc innotuerit Philoſophis & Poetis Ethnicis, quorum hoc commune ſcitum eſt, *ſolum Deum ſibi futurorum ſcientiam vindicare, neminem mortalium futura certo noſſe*, niſi in eum a Deo ipſo futurorum præſenſio deſcenderit? Hinc quum Porphirius Philoſophus, & Chriſtianæ Religionis infenſiſſimus hoſtis vaticinii cauſam non in divino afflatu, ſed in quadam animi motione locaſſet, a Jamblico Diſcipulo ſuo eodemque Philoſopho refutatus eſt: „ Præſcientia, ait Jamblicus, revera nihil „ eſt ex omnibus, quæ generantur, nec „ ad modum phiſicæ mutationis efficitur, „ nec inventa eſt, nec excogitata, tamquam ad vitæ uſum neceſſaria. In univerſum nihil in ſe humani habet, ſed „ divinum quid & ſupernaturale eſt, cæliluſque ad nos demittitur .... Non „ recte igitur quis exiſtimaverit, enthuſiaſmum pendere ab anima, aut ab „ aliquibus animæ facultatibus, aut ab „ intellectu, aut ab operationibus, aut a „ corporea valetudine, aut ſine hac fieri, aut non fieri; opus namque plus „ quam humanum eſt divinus raptus, „ nec facultatibus & operationibus mortalibus innititur, quamquam iis quaſi „ ſubiectis, & organis utatur Deus, qui „ tamen totum vaticinii munus per ſe „ præſtat. “ Hæc quibus Porphirium Præceptorem ſuum refellit Jamblicus, in Spinozam impiiſſimum torqueri poſſunt, qui Prophetarum vaticinia non divino lumini, ſed acriori phantaſiæ, præjudiciis, educationi, & naturali corporis temperationi accepta refert; Ecquid enim hæc a Spinoza conficta ad futurorum præſcientiam conferre poſſunt? „ Si quis talis „ poſſit eſſe, ajebat præclare Cicero, qui „ colligationem cauſarum omnium perſpiciat animo, nihil eum profecto fal„ let, qui enim teneat cauſas rerum fu„ turarum, idem neceſſe eſt, omnia te„ neat quæ futura ſunt. “ Hanc vero cauſarum omnium cognitionem num parere poteſt vivida imaginandi vis, præclara inſtitutio, & optima corporis habitudo? Deſipit plane, qui id animo fingit, quare Cicero e veſtigio concludit. „ Quod quum facere nemo niſi Deus „ poſſit, relinquendum eſt homini, ut „ ſignis quibuſdam ſequentia declaranti„ bus futura præſentiat. “

AXIOMA IV.

Veri nominis miraculorum ſolus Deus eſt Auctor.

Axiomatis hujus veritas ex miraculi proprie dicti notione patet; quum enim illud communiter definiatur opus, quod totius naturæ ordinem & faculta-

tem

tem excedit, quis dubitet ab eo ſolo patrari illud poſſe, qui ſolus eſt totius naturæ ſupremus Auctor, & cui illa ceu ſupremo Domino ſubjecta eſt? Quum etiam ipſo naturæ lumine perſpectum ſit, ab eo ſolo legem immutari poſſe, qui legem tulit, nonne evidens eſt, eum ſolum poſſe præter naturæ ordinem agere, ſeu veri nominis miracula edere, qui ſolus legem naturalis curſus inſtituit? Edunt quidem & Angeli & homines vera miracula, non virtute tamen ſua, ſed Dei, qui eis ad ejuſmodi operationes miniſtris utitur. Angeli vero mali etſi mira quædam virtute ſuâ operari poſſint, edere tamen vera miracula nequeunt, nec ad ea patranda a Deo ceu miniſtri adhibentur. „ Sicut Angeli boni, ait D. „ Thomas, per gratiam aliquid poſſunt „ ultra naturalem virtutem, ita mali „ minus poſſunt quam naturali eorum „ virtuti convenit, ex divina providen- „ tia, qua, ut Auguſtinus 3. de Trini- „ tate ait, aliqua quæ mali Angeli poſ- „ ſent facere ſi permitterentur, ideo fa- „ cere nequeunt, quia non permittuntur, „ atque ligari dicuntur, quia ab iis, quæ „ naturaliter poſſunt, agendis impediun- „ tur, ſolvi vero, cum agere juxta vires „ naturæ ſuæ divino judicio permittun- „ tur: quædam vero non poſſunt, et- „ iamſi permittantur, quia modus natu- „ ræ eis a Deo præſtitutus id non patitur, „ quare ad miracula facienda ſupra fa- „ cultatem naturæ poſita, nulla eis a „ Deo poteſtas tribuitur, quia quum mi- „ raculoſa operatio quoddam ſit divinæ „ potentiæ, & veritatis teſtimonium, ſi „ dæmonibus, quorum eſt tota voluntas „ ad malum, poteſtas aliqua faciendi mi- „ racula conferretur, Deus falſitatis eo- „ rum teſtis eſſet, quod divinam dedecet „ bonitatem. " Factis his principiis quibus tota demonſtrationis noſtræ moles incumbit, rem ipſam aggredimur, & in plures propoſitiones diſpertitam, Geometrarum more, conficimus.

PROPOSITIO I.

Libri novi Teſtamenti ſinceri ſunt, non ſuppoſiti.

I. QUid ſinceri, ſeu genuini libri nomine veniat, ex prima deffinitione patet; quo nam vero firmo magis magiſque naturæ ipſi conformi momento probari poteſt, librum aliquem genuinum eſſe, & a quavis ſuppoſitionis ſuſpicione remotum, quam publica fide, & traditione conſtanti, quemadmodum axiomate primo ſtatuimus? In adſerenda porro librorum novi fœderis ſinceritate, Chriſtiani, Ethnici, & Hæretici ipſi conveniunt. Mox ut ab Auctoribus, quorum nomina præferunt, prodierunt, excepti ſunt, & in idiomata plura converſi pro diverſitate gentium, quæ dederant Chriſto nomen, quæque omnes de eorumdem Auctoribus ac ætate conveniunt. Perpetuæ huic Chriſtianorum traditioni Ethnicorum nemo repugnat, non Celſus ille Philoſophus, qui libros hos ab ipſa ferme Chriſtianæ Religionis origine exagitavit, non Julianus Apoſtata rerum noſtrarum ſcientiſſimus, qui auctoritatem iis detrahere uſquequaque conatus eſt, non Porphirius, aut alius quiſpiam inter juratos Chriſtiani nominis hoſtes, quorum nemo illos in ſuppoſitionis ſuſpicionem vocavit, omnes contra de eorum Auctoribus idem ac Chriſtiani ſenſerunt. Hæretici ipſi Apoſtolis coævi aut ſuppares, quorum maxime interfuiſſet, ſuppoſitionis, ſi qua fuiſſet, libros illos poſtulare, quum eorum auctoritate vehementiſſime premerentur, nunquam auſi ſunt eos Chriſti Diſcipulis abjudicare. Quid inde? Aut momento huic dandæ ſunt manus, aut omnia in dubium revocanda, quæcunque ipſi non vidimus, & veluti manu non contrectavimus.

II. Quonam tempore fingi poteſt, libros hos fuiſſe ab Impoſtore ſuppoſitos? Chriſtiana ſocietas ſervavit hactenus, atque ſervat Clementis Romani, Ignatii Martyris, & Policarpi Apoſtolis coævorum opera, ſervat & Juſtini, & Irenæi libros, qui a primis iis Apoſtolorum Diſcipulis eruditi ſunt. Quid vero in horum libris? Nonne perpetuum, atque locupletiſſimum librorum novi fœderis teſtimonium? Non ſolum hos libros memorati Patres ut genuinum Apoſtolorum opus appellant, & laudant, ſed & ſanguine ſuo dogmata & geſta iiſdem conſignata confirmant. Coævos iſtos, & ſuppares teſtes alii atque alii indeſinenter excipiunt, ex quibus non interrupta teſtium ſeries conflatur, quæ ab illo ipſo, quo ſcripti feruntur hi libri, tempore ad nos uſque pertingit. Quandonam ergo ho-

horum librorum ſuppoſitio figi poteſt, quum nullum excogitari tempus poſſit, quo ii non ubique habiti fuerint genuini? Ut vero rem preſſius urgeamus, Epiſtolas Pauli excutiamus, quum ſint illæ geſtorum atque doctrinæ Chriſti ſumma, & quæcunque aliis novi Teſtamenti libris continentur, ſtrictim complectantur. Si ab Impoſtore confictæ illæ ſunt, aut vivente Paulo, aut eo jam mortuo. Si Paulo adhuc in humanis agente fraus iſta contigit, latere illum profecto non potuit, quum ex ipſis, quas verſamus, epiſtolis perſpicue pateat, Paulo cum Eccleſiis, quas inſtituerat, intimam fuiſſe conſuetudinem, quas & frequenter inviſebat, & adhibita Diſcipulorum, quos ad eas mittebat, opera ſolabatur, & confirmabat. Quis autem credet Paulum ſuppoſitionis conſcium paſſum fuiſſe illas ſibi Epiſtolas præter veritatem adſcribi? Paulo autem reclamante, eaſque palam ſuppoſitionis redarguente, putas, a Diſcipulis Pauli ementitum opus tanta religione fuiſſe ſervatum, traditumque poſteris pari religione ſervandum?

III. Num vero defuncto Paulo ſupponi Epiſtolæ potuerunt? Quo fieri id potuiſſet, neceſſe fuerat Romæ, Corinthi, Epheſi, Galatiæ, Filippis, & Theſſalonicæ Eccleſiis perſuadere, datas ad ſe a Paulo epiſtolas, de quibus hactenus nihil audierant. Inſipiens adeo videtur conſilium ejuſmodi, & ab omni executionis ſpe deſtitutum, ut fingi animo nullus poſſit, qui fuerit ejus arripiendi capax. Demus tamen inſanum aliquem aut impudentem id meditatum, qui potuit illud exequi? Num id perſuadere Romanis Græciſque potuit, hominibus nempe neque levibus, neque ſtupidis, præſertim quum Pauli epiſtolæ neque iis ſemper, ad quos datæ ſunt, adeo honorificæ ſint, neque earumdem doctrina naturalem hominum philautiam adeo mulceat & lactet, ut recipiendæ illæ eſſent abſque examine? Quod ſi ea fuit Paulinarum Epiſtolarum artificis felicitas, ut illas Eccleſiis obtruſerit, neceſſe fuit Eccleſias cum veteratore illo in fraudem probe cognitam conſenſiſſe: Hanc vero Eccleſiarum cum Impoſtore in mendacium conſpirationem quiſpiam ne credibilem arbitretur? Innumeri homines Romani, Illirici, Pontici, Macedones, Aſiatici, cujuſque ætatis, conditionis, & gradus, Religionem ſectantur, quæ proſcripto mendacio uni veritati adhæret, poſthabita quavis humana ſpe, ærumnis graviſſimis, atque perſecutionibus pro veritate tuenda ſe offerunt, voluptates, commoda, fortunas omnes, ſanguinem ipſum veritati ſacrificant, quæ omnia in ipſis Ethnicorum monumentis, præſertim in Plinii ſecundi literis ad Trajanum ſunt teſtatiſſima: eoſdem autem hos homines totos veritati devotos, quiſpiam credet, falſitatem perſpectam & exploratam una mente adoptaſſe, & in alios, qui ſeſe Chriſtianæ Religioni adjungebant, propagaſſe, quin in tot iis Eccleſiis, in quibus Epiſtolarum Auctor ſcribit, regnaſſe æmulationes, contentiones & ſchiſmata, ullus unquam arcanum prodiderit & fraudulentam conſpirationem? Homo mehercule non ſit, oportet, qui homines ejuſmodi commiſcatur: dubitate ergo jam nemo prudenter poteſt, quin novi Teſtamenti libri in ipſis Religionis Chriſtianæ primordiis ab iis Auctoribus profecti ſint, quorum inſigniti ſunt nomine.

IV. Qua primis Eccleſiæ ſæculis Chriſtiani omnes novi Teſtamenti libros religione ſervarent, quam ſacri hujus depoſiti vigiles cuſtodes eſſent, non Eccleſiaſtica ſolum eaque probatiſſima, & antiquiſſima, ſed & Ethnicorum monumenta teſtantur. Quum perſecutionum tempore ſacri codices, qui Chriſtianis præſidio atque ſolatio erant, conquirerentur ad flammas, vulgatiſſima res eſt ac veriſſima, multa cujuſque ſexus ac generis Chriſtianorum millia maluiſſe atrociſſimis ſuppliciis interimi, quam ſanctum canibus dare, multos contra ſuppliciorum metu fractos ſacrum depoſitum perſequentibus tradidiſſe, quibus ignominiæ cauſa ad noſtram ætatem uſque *Traditorum* nomen adhæſit; ut turpi hac nota cumpuncti poſteris ſignificarent, qua religione libros Evangelicos & Apoſtolicos Eccleſia retineret, quave deteſtatione ſacrilegos averſaretur, qui margaritas has porcis proculcandas & abſumendas objecerant. Num minori vero religione ſequentibus ſæculis libros hos Chriſtiana ſocietas ad nos uſque ſervavit? Novi Teſtamenti libros, ut nunc extant, confer cum innumeris iis textibus, qui in priorum Eccleſiæ Scriptorum libris occurrunt atque laudantur, & e veſtigio deprehendes, nihil ab eo, quod ſolet omnia abſumere, ne-

que

que imperiis parcet, neque monumentis nunquam probabiliter interituris, tempore paſſos hos libros, quod ſummæ in iis cuſtodiendis Chriſtianorum Religionis locupletiſſimum eſt argumentum. Cui ergo jam poſſit de horum librorum ſuppoſitione vel levis ſuſpicio ſuboriri, in quibus inviolate ſervandis tanta ſemper fuit Societatis Chriſtianæ religio? Cum religione hac conſerri ne ulla ratione poteſt illorum aſſiduitas, & attentio, qui cuſtodiendis vel privatis, vel publicis tabularibus præficiuntur? Si ergo rata hominibus eſt, atque tuta publicarum tabularum, vel domeſticorum inſtrumentorum ſinceritas, quod archiva, unde promuntur, cuſtodes habuerint habeantque homines opinione probos & vigiles, nonne multo firmior eſt, atque tutior librorum novi Teſtamenti ſinceritas, quos non pauculi & obſcuri homines, ſed univerſus orbis, ideſt Chriſtiana gens ubique terrarum diffuſa ſumma conſenſione atque cura ſervavit?

V. Quo Incredulorum adverſus propoſitionem hanc argumenta facilius exſufflentur, prænotandum eſt, in id unum nos incumbere, ut novi fœderis libros genuinos eſſe probemus juxta primæ deſſinitionis ſenſum, & declaratam primo axiomate veritatem: an vero divini ſint, ſeu canonici, non inquirimus, quum aliorum hæc provincia ſit, nec debeamus falcem mittere in meſſem alienam. Quid ergo ſi olim de quorumdam divinitate dubitatum eſt, atque ii ſero in Scripturarum Canonem cum cæteris relati ſunt? Nihil hoc ad cauſam, in cujus defenſione verſamur. Cæterum quum hoc potiſſimum nomine nonnulli olim libri venerint in contentionem, an divini habendi eſſent, quod de legitimo eorumdem Auctore inter Veteres non conveniret, oſtendendum eſt, nihil inde poſſe Incredulos arripere, quo propoſitionem noſtram infirment; in quo enim libro genuini nomen poſuimus? Genuinum deſſinivimus librum, qui ab eo Auctore ſcriptus eſt, a quo dicitur eſſe conſcriptus, eoque circiter tempore, quo ſcriptus eſſe putatur. Hæc porro deſſinitio nonne in eos novi Teſtam. nti libros, de quibus eſt controverſia, optime quadrat? De tempore, quo eorumdem conſcriptio conſignatur, dubitatum olim apud Chriſtianos, nullus Incredulorum evincet: in eorumdem ſolum figendo Auctore nonnulla inter Veteres diſſenſio fuit, quæ tamen propoſitioni noſtræ non obeſt. Quum Apocalypſis e. g. Joannis nomen diſerte præferat, quin a Joanne conſcripta fuerit, nemo unus ambigit; quia vero plures erant eodem circiter tempore eodem donati nomine, iique in Eccleſia Chriſti conſpicui, factum eſt, ut plerique iique vetuſtiſſimi & clariſſimi Joanni Apoſtolo, alii pauciores & obſcuriores Joanni Marco, alii Joanni Presbytero, eidemque Chriſti Diſcipulo illam adſcripſerint. Duas item poſteriores Joannis Epiſtolas apoſtolicæ ætatis, & Joannis Presbyteri Chriſti Diſcipuli fœtum eſſe, fuit ſemper omnibus conſtitutum, non item aut Joannis Apoſtoli, aut alterius Joannis Chriſti Diſcipuli. In Joanne ergo Presbytero Chriſti Diſcipulo harum Epiſtolarum Scriptore nulla diſſenſio, quod earum titulus, atque ſeries de hoc dubitare non ſinerent; earum enim auctor ut certe eſt, ita ab omnibus ſemper fuit creditus Joannes Presbyter, quicumque tandem ille eſſet, ſive Joannes Apoſtolus, ſive Joannes alter ei coævus.

VI. Epiſtolam quoque ad Hebræos apoſtolico ævo fuiſſe conſcriptam, perſuaſum ſemper omnibus fuit; quoniam vero nullius Auctoris nomen præfert, nonnulli eam Barnabæ Pauli ſocio, alii Lucæ Evangeliſtæ, alii Clementi Romano Pauli Diſcipulo tribuerunt, plurimi vero & graviſſimi Paulo ipſi. Quid porro ſi illam incerti Auctoris eſſe daremus? Genuina tamen illa eſſet juxta primam deſſinitionem, quum ejus Auctoris ſit, cui vulgo adſcripta fuit, incerti ſcilicet, unius tamen ex quatuor memoratis, qui illam apoſtolica ætate conſcripſit. Valde poſtremo mirari ſubit, potuiſſe nonnullis Veterum de ſecundæ Petri, Catholicæ Jacobi, atque Judæ epiſtolarum Auctoribus dubitationem incidere, licet de earum ſcriptionis tempore, eo videlicet, quo ſcriptæ communiter perhibentur, inter omnes plane conſtaret, quum ſingulæ ſuorum Auctorum nomina præferant, ſa quibus profectæ eſſe creduntur. At ſi hanc pauculorum dubitationem propoſitioni noſtræ Increduli incommodare contendant, nihil jam in Mathematicis ipſis diſciplinis, quæ omnium certiſſimæ atque evidentiſſimæ jactitantur, firmi habebunt & explorati. Ecquæ enim eſt Geometrarum

rum non propoſitio ſolum, ſed & axioma, poſtulatum, ac deffinitio, quæ a multis non in dubitationem vocentur ſolum, ſed & negentur ? Rem non perſequimur Geometris minus gratam, quam pluribus exemplis Huetius non abſque Geometrarum offenſione confecit. Sicut ergo inique ſua Geometriæ detraheretur firmitas atque dignitas, quod non omnes omnino in adſerenda principiorum ejus veritate conſentiant, ita perperam & injuſte laudatas Epiſtolas genuinas quis eſſe negaverit, quod olim de earum Auctoribus nonnulla fuerit dubitatio, quæ a treſdecim & amplius ſæculis omnino diſpulſa eſt. Denique etſi memoratos libros, de quibus fuit antiquitus controverſia, non canonicos ſolum eſſe credamus, ſed & genuinos, ideſt legitimum illorum Auctorum fœtum, quibus illos Catholica adſcribit Eccleſia, liberaliter cum Adverſariis agere volumus, nec illos nobis excuti repugnamus. Quid inde ? Quum nihil ii habeant grave, & ſcitu neceſſarium, quod alii novi Teſtamenti libri, univerſim, perpetuo, & indubitanter Apoſtolis adjudicati diſerte non habeant, nemo non videt ſuam Chriſtianæ Religioni veritatem auctoritatemque conſtare, horum qui certiſſime ſemper genuini fuere, præſidio fultam; & ſi illos ſeponeremus, nec vellemus in ſubſidium advocare.

VII. Neque opponant Increduli, ab Hæreticis ſub ipſa Apoſtolorum tempora plura fuiſſe procuſa Evangelia, Acta, Epiſtolas, & in pretioſum illud, quod tanta religione a Majoribus ſuis ſervatum fuiſſe Chriſtiani credunt, depoſitum manus illatas, reſecta plura, plura addita, vel immutata. Eam fuiſſe veterum Hæreticorum temeritatem, libenter damus: at eadem publica fides, conſtanſque traditio, qua docemur quid ſacrilegi illi auſi fuerint, probe nos edocet, quam facile inſana eorum temeritas a Chriſtianis coævis, & proxime ſequentibus compreſſa fuerit, & retuſa. Irenæus & Tertullianus apoſtolico ævo proximi teſtes ſunt, objecto novitatis nomine ſtulta illa Hæreticorum figmenta a Chriſtianis obtrita. Hactenus hæc ignoravimus, hæc ignorarunt Apoſtoli, quorum nemo Eccleſiis a ſe conſtitutis libros hos tradidit, nemo ex Apoſtolorum Diſcipulis illos laudavit, aut in noſtris cætibus proponere illos, aut explicare aggreſſus eſt: Veritatis prædicationem ſubſecuta eſt horum librorum editio, eodemque partu effuſa eſt cum erroribus, in quorum gratiam conficti ſunt libri: ita redargutos a Chriſtianis revictoſque Hæreticos referunt Irenæus & Tertullianus, qui & teſtantur impiam Hæreticorum ſacras literas mutilantium aut pervertentium fraudem a Chriſtianis nullo negotio fuiſſe deprehenſam atque confuſam, provocatione nimirum ad primigenia exemplaria quæ omnibus Eccleſiis communia erant, eorumdemque collatione cum recentioribus, quæ ſacrilegas Hæreticorum manus paſſa fuerant.

VIII Neque etiam eſt, cur objiciant, in omnibus manuſcriptis librorum novi Teſtamenti codicibus non eundem textum occurrere, differre quoque inter ſe textus originarii verſiones, & pleroſque novi Teſtamenti libros ab Hæreticis bene multis fuiſſe rejectos. Ecquæ enim iſta eſt textus verſionumque diverſitas? Num ſubſtantiam ipſam violat? num primævam & originariam librorum puritatem immutat? Quantacunque hæc fingatur eſſe varietas, tota in verbis eſt, non in ſententiis: ubique eadem doctrinæ ſumma, eadem præcepta morum, eadem miracula, eadem vaticinia, eadem hiſtoriæ ſeries. Num codicem reperire eſt aut verſionem, in qua quidpiam ad mores, ad dogmata, ad Chriſti miracula, paſſionem, mortem, reſurrectionem pertinens aut adducatur in dubium, aut negetur, aut oppugnetur? Quum ergo poſt evoluta tot ſæcula in omnibus novi Teſtamenti manuſcriptis codicibus, verſionibus, editis libris una eademque ubique ſubſtantia deprehendatur, quis divinam providentiam non miretur, quæ adverſus temporis injurias, & impiorum molitiones horum librorum integritati conſuluit, ut nihil certius habeamus, quam perveniſſe illos ad nos, quales a ſuis Auctoribus prodierunt? Eodem porro momento, quo propoſitionem hanc noſtram adverſus Incredulos demonſtramus, demonſtrarunt antiqui Eccleſiæ Tractatores adverſus Hæreticos illos, qui eos novi Teſtamenti libros repudiabant, quos ſuis erroribus adverſari intelligebant; Quare vel hinc maxime veterum Chriſtianorum in recipiendis his libris conſenſus apparet, quod Hæreticos eorum fidem labefactare auſos perpetua præcedentium ſæculo-

culo-

Digitized by Google

culorum conteſtatione revicerint & profligarint.

PROPOSITIO II.

Hiſtoriæ in novo Teſtamento deſcriptæ veraces ſunt.

I. POſſemus propoſitionem hanc ad ſecundum axioma duntaxat exigere, ejuſque veritatem demonſtrare, quod novi Teſtamenti libris plures alii vel ſynchroni vel ſuppares in rerum geſtarum narratione conſentiant, non e Chriſtianis ſolum, ſed & ex Ethnicis & Judæis, quemadmodum clariſſimus Huetius tertia demonſtrationis evangelicæ propoſitione eandem hanc veritatem præclare tranſegit; ſuo tamen quæque loco teſtimonia hæc opportunius prolaturi, generalibus interim ſed inconcuſſis momentis propoſitionem hanc, quæ cæterarum præcipua eſt atque momentoſiſſima, demonſtrandam aggredimur. Novi Teſtamenti Scriptores ſumme dignos eſſe, quibus certa fides adhibeatur, cuique perſuaſum eſſet, modo ſecum animo reputaret, innumeros quolibet ſæculo, eoſque omnium conſenſione ſummos ac doctiſſimos Viros vera conſtanter habuiſſe, quæcunque a novi Teſtamenti Scriptoribus in literas relata ſunt: qui autem fieri potuiſſet, ut tot ſummi ingenii acerrimique judicii homines firmam hanc perſuaſionem animo imbiberent, niſi rerum libris novi fœderis comprehenſarum veritatem exploratam habuiſſent, & comprehenſam? Eorum tamen non moveamur exemplo, ſed ipſi ſinceritatem atque veracitatem Scriptorum novi Teſtamenti excutiamus, & ſeveriſſimo ſubjiciamus examini; quoniam vero Scriptores hi ea referunt, quæ ſuis auribus exceperunt, ſuis hauſerunt oculis, atque ipſi met partem hiſtoriæ conflant, quam texuerunt, ſeu plura narrant, quæ ſua ſunt, nequit eorumdem teſtificatio falſi poſtulari, quaſi vero ex ignorantia profecta ſit, quum ſynchroni Auctores ſint atque Teſtes oculati rerum, quas literis conſignarunt: rejici ergo eorum teſtimonium nequit, niſi in ſuſpicionem veniant, aut deceptos illos fuiſſe, aut alios voluiſſe decipere.

II. Vocari ne vero prudenter poſſunt Apoſtoli atque Evangeliſtæ in ſuſpicionem aberrationis? Quum integram ductæ a Chriſto in terris vitæ ſeriem minutatim exhibeant, plurima ab eo patrata miracula, vulgatam ab eo doctrinam, ejuſdem promiſſiones, vaticinia, mortem, reſurrectionem, aſcenſum ad cælos, Spiritus Sancti in Diſcipulos effuſionem, edita a Chriſti Diſcipulis prodigia, Judæorum Ethnicorumque converſionem, nec non patrata a Neophitis ipſis miracula fuſe recenſeant, hæc autem omnia ejus naturæ ſint, ut tota eorum dijudicatio ab oculis & auribus pendeat, ſi decepti Apoſtoli atque Evangeliſtæ ſunt, dicamus neceſſe eſt, viſos illos ſibi quidem videre cujuſque generis miracula a Chriſto edita, doctrinam audire plane divinam, promiſſiones ampliſſimas, vaticinia ſplendidiſſima, nec tamen quidquam ejuſmodi vidiſſe illos vere, & audiviſſe, omnia idcirco ab eis ſcripto tradita vel deliramenta fuiſſe, vel ſomnia. Hæc ſi ita ſint, qui factum eſt, ut doctrina illa cæleſtis, quam ſibi viſi ſunt Apoſtoli e Chriſti ore excepiſſe, ab iiſdem fidenter ubique vulgata, etſi eſſet illa naturæ vitiatæ plurimum incommoda, & veruſtiſſimis hominum præjudiciis, moribus, ritibus, & religionibus directe contraria, nequicquam repugnante natura, fruſtra obnitentibus Judæis ac Ethnicis, & acerrime pro avita poſſeſſione pugnantibus, ſola toto terrarum orbe mirabiliter obtinuerit, obtineatque? Qui factum eſt, ut tot illa promiſſa creata quavis poteſtate majora, tot illa vaticinia, quæ ſupra quodvis naturæ lumen tantum aſſurgunt, cumulatiſſime impleta ſint & perfectiſſime conſummata? Hæccine eſt ſomniorum & delirii natura & efficacitas? Rurſus ſi liceat novi Teſtamenti Scriptoribus hanc aberrationem affingere, actum jam eſt de humana fide; nam non Hiſtoricis ſolum quibuſque ſynchronis qui res olim geſtas referunt, quas ſuis hauſerunt oculis, & auribus exceperunt, abrogari poterit fides, ſed & quibuſcunque quidpiam nunc a ſe viſum vel auditum teſtificantibus, quod nimirum fieri quadam ſenſuum iudificatione potuerit, ut ſibi viſi ſint, vidiſſe & audire, quæ reipſa neque viderunt neque audierunt.

III. Num vero a Scriptoribus novi Teſtamenti ut illuſionis ſuſpicio, ita & voluntas mentiendi abſuit, atque ut decepti ipſi non ſunt, ita nec alios decipere voluerunt? Iniquiſſimum plane eſſet tanti

eos criminis accuſare, quum nec leviſſima veri ſpecies occurrat, ob quam fraudis hujus ſuſpicio cadere in eos poſſit, imo tam impium facinus de illis credi vetent, & dogmata pietatis ubique pleniſſima, quibus eorum libri a capite ad calcem ſcatent, & vita eorumdem nunquam ullius ſceleris accuſata ne ab inimiciſſimis quidem, qui ſolam illis imperitiam obiiciunt, quæ non eſt nata falſimoniam parere. Quid Scriptoribus his modeſtius, ſimplicius ac candidius? Si vel minimum quid in eis fuiſſet malæ fidei atque fallaciæ, ipſi ne labes ſuas & vitia, ignorantiam, ambitionem, cordis duritiem, mentis cæcitatem, turpiſſimam fugam in extremo Magiſtri periculo &c. æternæ memoriæ prodidiſſent? Sinceritatis Hiſtorici aliud ne quæri poteſt luculentius argumentum, quam ſi & famam ipſam ſuam veritati poſthabeat, & quum poſſit res, prout geſtæ ſunt, fideliter memorare, quin & eas interſerat, quæ in ſui dedecus vergunt, has neque diſſimulet, neque attenuet, neque fucet, ne rerum geſtarum ſeriem ac veritatem imminuat? Deinde quum nemo gratis malus ſit, aut eſſe velit, unde illis hæc mentiendi in re omnium graviſſima perverſa voluntas injecta eſt? An honorem ex mendacio ſperabant, quum honos omnis tunc apud Ethnicos ac Judæos eſſet, a quibus ipſi ludibrio & contumeliis afficiebantur? Divitias ne atque alia hujus vitæ commoda, quum potius Evangelii cauſa bonorum omnium damno mulctati fuerint, atque ipſa Evangelii prædicatio illos immenſis laboribus, fami, ſiti, nuditati, carceribus, plagis, plurimiſque aliis ærumnis objecerit? Num tandem famæ apud ſuos captandæ propagandæque ad poſteros gratia induci ad mentiendum potuerunt? Qui vero hoc potuerint animo concipere, niſi extreme amentes fuerint, famam videlicet aucupari propagatione religionis, cui & intenta commodis ſuis natura, & ubique imperantium auctoritas ſummo conatu ubique gentium repugnabat, & perpetuam ſibi nominis claritatem mendacio promittere, quum hæc ſit mendacii, præſertim in Religionis negotio, conficti natura, ut latere diu non poſſit, æternamque pariat ſuis Architectis infamiam?

IV. Reſtat ergo, ut Religionis quam imbiberant, tuendæ gratia mentiti dicantur, quod omnino, ait præclare Grotius, ſi res penitius expendatur, neque dici de illis nec fingi poteſt; quum enim Religio quæque, præſertim vero Chriſtiana, mendacium ac falſum teſtimonium maxime in divinis rebus diſerte prohibeat, nonne alienum a ratione eſt, comminiſci eos Religionis & quidem Chriſtianæ amore ad mentiendum fuiſſe permotos? Suſpicari ne quiſpiam poteſt, eos, quorum libri de veritate, pænitentia, pace, charitate, patientia, ſanctimonia, fidelitate, temporalium contemptu, æternæ beatitatis amore atque ſpe, & gehennæ metu toti ſunt, quorum tota ſemper fuit de humani generis ſanctificatione ac ſalute ſollicitudo, omnium hominum fuiſſe peſſimos, nequiſſimos videlicet ſeductores totos ad mentiendum factos & comparatos, illius potiſſimum Religionis zelo, quæ mendacium omne proſcribit, atque unam veritatem ubique prædicat & indicit? Quid quod omnes hi Scriptores ita animo fuerunt affecti & conſtituti, ut ea omnia quæ narrabant, ſanguine ipſo ſuo obſignarent? Nemo eorum fuit, qui ob perhibitum veritati eorum, quæ ſcripſerat, teſtimonium non graviſſima quæque perpeſſus ſit, multi etiam eorum ob teſtimonium ejuſmodi morte exquiſitiſſima affecti ſunt. Jam vero, quemadmodum Grotius idem ſcite animadvertit, ut quis ſenſus ſui compos ob conceptam animo opinionem, quam veram exiſtimat, talia toleret, fieri poteſt, at ut ob falſum, quod tale eſſe norit, tam dura pati velit, non unus aliquis, ſed plures, res eſt plane incredibilis; amentes enim non fuiſſe illos, & vita & ſcripta ſatis teſtantur.

V. Quamquam momenta hæc probe convincant, novi Teſtamenti Scriptores a mentiendi conſilio quam longiſſime abfuiſſe, quo eorumdem tamen veracitas evidentius demonſtretur, & impiorum incredulitas validius comprimatur, probandum ſumimus, nec potuiſſe eos fallere, quamquam totum ad fallendum animum intendiſſent. Ecquæ enim rerum natura eſt, quas prædicatione vulgarunt, & literis tradiderunt? Occultæ ne illæ, in antris, in ſolitudine & clanculum geſtæ, quarum non alii teſtes fuerint, quam iidem ii, qui illas verbo, & ſcripto prodiderunt? Immo omnes publicæ, notiſſimæ, & in tota regione illa, in qua geſtæ feruntur, maxime pervulgatæ, quarum innumeri laudantur teſtes cujuſque ætatis, generis, & conditionis. Quid ergo facilius tunc fuiſſet,

ſet, quam illos mendacii revincere, ſi falſa vulgaſſent? Perſuadere ne tunc hominibus potuiſſent, multiplicatis e. g. præter naturæ ordinem panibus atque piſcibus ſe in deſerto bis ſaturatos a Chriſto, plurima ab eodem patrata prodigia ſuis met oculis excepiſſe, ipſa Pentecoſtes die in frequentiſſimo omnium, quæ ſub cælo ſunt, nationum conventu Chriſti Diſcipulos audiviſſe variis linguis Dei magnalia prædicantes, ſi omnia hæc falſo fuiſſent a Chriſti Diſcipulis jactitata, omneſque, quibus illa venditabantur, intime ſibi fuiſſent conſcii, nihil ejuſmodi vidiſſe ſe unquam, & audiviſſe? Profecto niſi velimus homines tunc diverſæ prorſus naturæ fuiſſe ab iis, qui nunc ſunt, fateamur neceſſe eſt, quemadmodum fieri nulla ratione poſſet, ab impoſtore etſi vaferrimo extorqueri ab unius civitatis hominibus rei cujuſpiam fidem, quam in totius civitatis oculis geſtam fuiſſe falſo jactaret, ita nec potuiſſe a novi Teſtamenti Scriptoribus homines decipi, neque ad falſo credendum induci, quæ de Chriſti geſtis ac doctrina narrarunt.

VI. Quid ad hæc Increduli? Prædicaſſe Apoſtolos, ajunt, quidquid eis libebat, quin ullus ſolicitus eſſet de eorum doctrina atque ſcriptis examini ſubiiciendis, quod nihil omnino hominum intereſſet expendere, quæ a duodecim piſcatoribus verbo atque ſcripto efferebantur in vulgus. Nihil omnino hominum intererat hæc excutere? Nihil contra erat, quod tunc deberet magis hominum intereſſe. Quum nova Religio ab iis Piſcatoribus prædicata miraculis, vaticiniis & promiſſionibus Auctoris ſui potiſſimum niteretur, quid magis e Judæorum Ethnicorumque re erat a Religione avita, eaque toto orbe obtinente, Philoſophorum, Poetarum, Oratorum, Magiſtratuum, Principum auctoritate fulta, quodque omnium caput eſt, pravis quibuſque cupiditatibus maxime accommodata, abſtrahi, & in Chriſtianam tranſire novam, cujus ethice ſenſibus permoleſta, cujus myſteria naturæ lumine impervia, cujus profeſſio miſſo quibuſcunque vitæ hujus commodis nuntio graviſſimis ſolum extremiſque malis tota patebat? Num Judæis indifferens erat, a patria, quam divinam immutabilemque credebant, Religione ſplendidiſſimis miraculis confirmata repente ad Chriſtianam transferri, quam Deo atque Moſi contrariam eſſe putabant, eumque demum ceu Meſſiam a Deo promiſſum excipere, & venerari, quem paulo ante ipſi in crucem egerant ceu ſeductorem, in quem nulla veri Meſſiæ nota congrueret? Niſi ergo putemus, innumeros illos Judæos ac Ethnicos, quotquot Apoſtolorum prædicatione ſcriptiſque permoti Chriſto dederunt nomen, ſtupidos plane fuiſſe, & communi hominum ſenſu defectos, qui nullam religionis, honoris, fortunarum, & vitæ rationem habuerint, fatendum eſt, ut vere eorum maximi intererat, ita totos ad propoſitarum rerum diſquiſitionem ſe contuliſſe, nec prius iis acquieviſſe, quam earum veritatem denotatam haberent atque perſpectam.

VII. Etſi vero Ethnicorum Judæorumque permulti, quibus de horum Scriptorum veracitate perſuaſum erat, Chriſtianam Religionem profeſſi fuiſſent, conſtat tamen, multo plures in ea, quam a Majoribus acceperant, pertinaces, novæ huic animo ſemper fuiſſe infenſiſſimo, eique totis viribus obſtitiſſe. Horum vero præcipue quantum intererat curare & eniti, ſi qua ratione poſſent, Apoſtolorum prædicationem & ſcripta omni auctoritate deiicere? Everſo enim fundamento, Chriſtianam Religionem quam ii tantopere averſabantur, concidere ſponte ſua neceſſe erat. Id vero quantum eis erat in promptu? De rebus enim agebatur in omnium ore poſitis, quæque in plurimorum conſpectu geſtæ, palam efferebantur. Quid facilius atque expeditius, quam ut ii audirentur, qui mirabilium Chriſti operum atque dictorum teſtes confidenter ab ejus Diſcipulis excitabantur? Unicum hunc & maxime obvium adinveniendæ veritatis, & retegendi mendacii modum a Judæorum Pontificibus, Magiſtratibus atque Scribis, nec non a primariis Ethnicorum fuiſſe neglectum, a quavis veri ſimilitudine alienum eſt. Quid porro? Ipſa rerum evidentia ab iiſdem iis teſtimonium extorſit, nec ullum reperire eſt inter Ethnicos ac Judæos, qui quod de Chriſto tradunt Apoſtoli, Prophetam illum fuiſſe opere ſeu miraculis & ſermone potentem, negaverit, quamquam ut conſectaria declinarent, inde fluentia, quæ ſibi maxime incommoda ſentiebant, in aliam quamcunque cauſam, quam in divinam virtutem, propheticam Chriſti facultatem & prodigia retulerint; ſed de hoc infra. Interim niſi his omnibus momentis con-

Digitized by Google

confectum ſit, novi Teſtamenti Scriptores nec voluiſſe, nec potuiſſe decipere, nihil jam apud homines erit, ut ut certiſſimum, quod repudiari non poſſit ut falſum.

VIII. Neque his tamen acquieſcunt Increduli, neque Apoſtolorum veracitati dant manus, quod videantur iis plura factu impoſſibilia, a ratione diſſona atque etiam inter ſe pugnantia ſcriptis ſuis complexi eſſe, quo factum eſt, ut a pluribus fuerint falſi accuſati. At quæ iſta ſunt ab his Scriptoribus enarrata, quæ fieri nulla ratione poſſunt? Non eſt nobis cum Atheis res, ſed cum Incredulis iis, qui unum ſupremum Deum rerum omnium Auctorem ac Moderatorem agnoſcunt, quique ſi veram ejus ideam habent, negare profecto non poſſunt, eſſe illum omnipotentem atque omniſcium, facere iccirco illum poſſe, quæ ab hominibus præſtari nequeunt, quæ nullam in ſe repugnantiam includunt, in quorum numero quum tot illa ſint relata ab Apoſtolis Chriſti prodigia, vaticinia, promiſſa, reſurrectio, aſcenſus ad cælum &c. non eſt, cur ea cauſentur impoſſibilia eſſe, quæ uni divinæ virtuti tum ii a quibus deſcripta ſunt, tum Chriſtiani omnes adſcribunt. Audiendi ne vero magis Increduli, quum blaterant, quædam libris his contineri, quæ a recta ratione diſcordant? Qui fieri potuit, ut jam inde a primis temporibus ad noſtra hæc nihil tale in libris his deprehenderint innumeri judicio, eruditione, ſapientia, & pietate valentiſſimi Viri, cum quibus Increduli ipſi ſe conferre non audeant? Nonne libris his apertiſſime traditur, quidquid ſolo naturæ lumine rectæ rationi conſonare cognoſcitur, ſummum Deum eſſe, eumque unum & perfectiſſimum omnium quæ ſunt, conditorem, providentia ſua curantem omnia, opera præſertim humana, quibus poſt hanc vitam præmia vel ſupplicia conſtituit, colendam virtutem, injiciendum pravis cupiditatibus frænum, cognationem inter homines eſſe, æquum iccirco, ut alii alios diligant? Præter hæc quæ ipſo humanæ rationis ductu adſequi poſſumus, alia plura ex libris illis haurimus, in quibus cognoſcendis ratio ipſa nos deficit, quæ ſi voluerimus humano ſenſu dijudicare, atque metiri, erimus rationi ipſi contumelioſi, quæ docet, ſupremam illam mentem adeo ſupra nos poſitam deſiniri ingenio noſtro non poſſe, alioqui Deus non eſſet, ſi non eſſet multo perfectior, multoque plura non poſſet, ac vellet, quam quod de natura, potentia ac voluntate ejus conjecturis noſtris adſequimur. Quum autem & Plato ipſe optime dixerit, nihil horum ſciri poſſe abſque oraculo Dei, quodpiam ne proferri poteſt, quod tale revera eſſe majoribus teſtimoniis conſtet, quam ea, quæ in libris novi fæderis continentur? Probari ne vero poteſt, ut ait Grotius, Deum de natura aut voluntate ſua quidpiam hominibus manifeſtaſſe, quod repugnet his libris?

IX. Si quis eam, quam Increduli objiciunt, ſenſuum diſcrepantiam in libris novi fæderis volet æquis animis dijudicare, hoc quoque argumentis aliis pro Auctorum veracitate, ſicut egregie demonſtrat Grotius idem, adjici poſſe comperiet; nonne etenim in rebus omnibus, quæ aliquod in ſe habent dogmatis aut hiſtoriæ momentum, manifeſtatiſſima ubique conſenſio eſt, qualis nulla alibi inter ejuſdem ſectæ Scriptores occurrit, ſive ii Philoſophi ſint, ſive Medici, ſive Juriſconſulti Græci, Romani, Judæi? Quum ſæpiſſime deprehendas, non modo pugnare inter ſe, qui ſectæ ejuſdem ſunt, imo & eundem ſæpe Scriptorem nunc hoc, nunc illud velut ſui oblitum aut animi ancipitem adſeverare, nonne Scriptores hi noſtri credenda eadem ſemper inculcant, eadem præcepta tradunt, eadem de Chriſti vita, miraculis, vaticiniis, morte reditu in vitam enarrant? Quid vero ſi quum ſumma ubique ſit eadem, in exiguis aliquibus & ad rem nihil facientibus circumſtantiis non videntur ii ſibi probe concinere? Apparentem hanc diſſonantiam facit rerum diverſis temporibus geſtarum ſimilitudo, nominum ambiguitas, non una eorumdem hominum aut locorum appellatio, & ſi quid his ſimile eſt, pluresque e noſtris antilogias iſtas percommode conciliarunt. Levicula porro hæc diſcrepantia Scriptores hos ab omni fraudis ſuſpicione liberat, eorumdemque ſinceritati locupletiſſimum perhibet teſtimonium; Solent enim, ut in jure civili adnotatum eſt, qui falſa compacto teſtantur, rem ita narrare, ut ne in ſpeciem quidem quidquam diverſum appareat; hi vero præterquam quod diverſo & tempore & loco ſcripſerunt, diſſimili in ſcribendo ſtylo uſi ſunt, neque eundem in digerendis rebus ordinem tenuerunt, leviora quædam ſpecie tenus non conſentientia tradiderunt, in quibus componendis Interpretum exercen-

cen-

Digitized by Google

centur ingenia, Deo id ſapientiſſime diſponente, ut a quavis initi inter ſe ad fallendum conſilii ſuſpicione magis abeſſent, quum juxta regulam Adriani Imperatoris corpori juris inſertam, videndum in teſtibus ſit, utrum unum eundemque meditatum ſermonem adtulerint, tunc enim jure ſunt de fraude ſuſpecti.

X. Fac tamen diſcrepantias has, quas leves eſſe, totaſque in adjunctis, non in ipſa rerum ſubſtantia verſari, Increduli ipſi concedunt, conciliari non poſſe, quid iniquius quam ſi velint totis libris fidem, auctoritatemque decedere? Æquiſſimi poſtulati noſtri meminerint, ut nimirum tam certo ea credant quæ probanda ſuſcepimus, quam creduntur ab hominibus reliqua quæ paris momenti rationibus innituntur, quare ſi Polibii, Curtii, Livii, Svetonii, Taciti, Plutarchi, aliorumque inſignium Hiſtoricorum libris, in quibus talia frequentius deprehenduntur, quorum etiam Auctores minora præferunt probitatis, & ſinceritatis inſignia, ſua apud nos de rerum ſumma conſtat auctoritas; æquius multo eſt, ut nihil tale eorum fidem imminuat, quos maximo pietatis, verique ſtudio ductos fuiſſe, ipſorum ſcripta abunde teſtantur, præſertim cum Juriſconſultorum communi effato exactiſſima circumſtantiarum omnium notitia in teſtibus neceſſaria non ſit. Jam vero quod addunt, novi Teſtamenti Scriptoribus falſitatem objectam a pluribus, falſum illud eſt quam quod maxime, quum Ethnicorum Judæorumque neminem vel ſynchronum vel ſupparem proferre poſſint, a quo id eis in culpa poſitum, multa contra nobis ſuppetant hominum ejuſmodi teſtimonia, quæ præcipua hiſtoriæ libris his traditæ capita diſerte confirmant, a nobis ſuo loco promenda. Fatemur plures diu poſt Apoſtolorum obitum hanc eis calumniam impegiſſe, qui tamen juxta tritam juris regulam ſub teſtium nomine venire non poſſunt, tum quod inimicitias profeſſi fuerint adverſus Chriſtianum nomen, tum quod nimis ab ea ætate remoti ſint, qua rerum geſtarum memoria a coævis Auctoribus litteris mandata eſt.

PROPOSITIO III.

Miracula Chriſti a novi Teſtamenti Scriptoribus enarrata, verum illum eſſe Deum, probant.

I. Chriſtum Dominum plurima veri nominis ediſſe miracula, Auctores librorum novi fœderis uno ore teſtantur; quare quum fuiſſe illos veraciſſimos ſuperiori propoſitione demonſtratum ſit, veritas hæc extra omnem jam controverſiam eſt poſita, præſertim quum ab ipſa horum Scriptorum ætate ea ſemper fuerit certitudo, ejus atque evidentia, ut illam Ethnici, Thalmudiſtæ atque Muhammedani confeſſi fuerint, atque confiteantur. Jam vero quum axiom. IV. conſtitutum fuerit, non alium eſſe poſſe horum operum auctorem quam Deum, nihilque magis ab ejus veritate, ſanctitate, ac ſapientia alienum eſſe, quam ut veris miraculis in nomine ſuo patratis, teſtimonium mendacio, aut amphibologiæ ad decipiendum aptæ perhibeat, propoſitio hæc noſtra ad liquidum plane deducta erit, ſi oſtenderimus, quæ Chriſtus egit, mirabilia cujuſque generis opera nonniſi in veri Dei nomine ab illo fuiſſe edita, neque in alium finem, quam ut ſe verum Dei filium Patrique coequalem eſſe probaret. Quam eſt autem utrumque hoc caput in novi Teſtamenti literis teſtatiſſimum atque explicatiſſimum! Quoties Chriſtum dicentem audimus *deſcendiſſe ſe de Cælo, ut ejus a quo miſſus fuerat, voluntatem impleret*, non alium ſibi *cibum* eſſe quam *ut Patris ſui voluntatem faceret*, non alia ſe loqui quam quæ audivit a Patre, nihil ſe facere, quam quod *Patrem facientem videt*, *ſemper ſe* facere, quæ *Patri ſunt placita*, *honorificare ſe Patrem ſuum, atque oportere ut operetur opera ejus, donec dies eſt*, ideſt in mundo degit, *quæcumque Pater facit, & filium ſimiliter facere, quia Pater filius diligit, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & majora his demonſtrabit opera, ut homines admirentur?* Quoties miracula edere aggreſſum illum nobis exhibent Evangeliſtæ intuentem in Cælum, gratias agentem ac benedicentem Deo, quia *ſemper auditur a Patre, in cujus nomine facit, quæcumque facit, ut glorificetur Deus, ejuſque opera manifeſtentur?*

III. Quo porro ſpectabant tot illa edita

ta in Dei nomine a Chriſto atque ab Evangeliſtis memorata prodigia? Oculis aut mente captum eſſe, oportet, qui alteram hanc facti veritatem in ſcriptis Apoſtolicis vulgatiſſimam non deprehendet, voluiſſe ſcilicet Chriſtum miraculis Deitati ſuæ, æternæ a Patre proceſſioni, ac temporariæ ab eodem miſſioni, ſummæque Patrem inter, & ſe æqualitati atque ſimilitudini fidem omnino certam adſtruere. Integrum Joannis Evangelium exſcribere neceſſe foret, ſi loca omnia vellemus adferre, in quibus Evangeliſta Chriſtum palam aperteque de ſe ipſo teſtantem inducit, unius ejuſdemque ſe eſſe cum Patre ſubſtantiæ, potentiæ, ſcientiæ, omnia ſibi a Patre tradita, ſua eſſe omnia, quæ Patris ſunt, uno eodemque ſupremo cultu excipiendum ſe eſſe cum Patre, unum idemque ſe eſſe cum Patre fidei noſtræ, ſpei, dilectionis, æternæque beatitatis objectum, ut & humanæ ſalutis Auctorem vitæ oſtium, cæli viam, & primum veritatis fontem. Quo autem argumento faciebat veritati huic fidem, eamque nitebatur audientibus perſuadere? Miraculis potiſſimum, iiſque veluti regio divinæ omnipotentiæ ſigillo dogma hoc obſignabat. Hinc Judæos, quibus blaſphemare videbatur, quod ſe unum eſſe cum Patre diceret, & quum hominem ſolum ſpecie referret, faceret ſe ipſum Deum, & a quibus lapidibus appetebatur, hoc argumento compeſcuit: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me . . . . Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, etſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia ego in Patre & Pater in me eſt.* Hinc & eoſdem Judæos veritati huic incredulos hoc præſertim nomine inexcuſabiles eſſe pronuntiavit: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Poſtremo quum plura de Deitate ſua propediem moriturus tradidiſſet Apoſtolis, ad miracula quæ patrarat, ceu decretoria veritatis hujus argumenta provocans ait: *Pater in me manens ipſe facit opera. Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite.*

III. Quum itaque demonſtrata Scriptorum novi fœderis veracitate dubitare jam nemo poſſit, quin Chriſtus plurima veri nominis miracula in Dei nomine ediderit, ad comprobandum hoc dogma, quod frequentiſſime, & nitidiſſime prædicabat, jam ex inconcuſſis his facti veritatibus nemo non ſentit, preſſam hanc demonſtrationem exiſtere: aut Chriſtus ſe Deum & Dei vivi filium toties conceptis verbis enuntians, vera locutus eſt, aut falſa; nihil enim inter hæc medium eſt: Si vera, reapſe ergo Deus eſt, & unigenitus Dei Filius; ſi falſa, Deus ergo auguſtiſſimo ipſo ſuo nomine, in quo explorata res eſt tot a Chriſto patrata miracula, omnipotentia ipſa ſua, cujus virtute tantum edi miracula poſſunt, teſtimonium perhibuit ſermonibus, quibus nihil poteſt cogitari abſurdum magis, impium & blaſphemum, iiſque non ſemel, iterumque, ſed frequentiſſime, non clam & obſcure, ſed ad pertrahendos in errorem omnium pernicioſiſſimum homines palam & publice habitis. Ut ut ſe ſe Increduli torqueant, ſe a dilemate hoc expedire non poſſunt. Regerant, ut ſolent, concipi mente non poſſe, Deo filium eſſe naturalem, eundemque hunc Dei filium Patri conſubſtantialem, hominem factum & neci datum: Regerimus nos, concipi minus poſſe, imo incredibile, atque impoſſibile prorſus eſſe, Deum miraculis in ſuo nomine editis falſitatem impietatemque obſignare; non eſſet enim veritas ipſa, ſanctitas, & ſapientia, ideoque nec Deus; quare ſi tot miraculis Chriſti dicta firmavit, relinquitur, Chriſtum vere eſſe, quem ſe dixit, & miraculis comprobavit.

IV. Quum veritas hæc Religionis noſtræ fundamentum & caput ſit, eaque poſita cætera ſponte fluant, quæ nobis Chriſtiana profeſſio credenda & agenda proponit, mirum non eſt, ſi omnis Incredulorum conatus ad eam evertendam aut ſaltem infirmandum ſpectat. Primus demonſtrationis hujus evidentiam obſcurare niſus eſt Julianus, Apoſtata, cujus hæc ſunt apud Cyrillum Alexandrinum l. x. impiiſſima verba. „ Ita autem eſtis miſeri, ut & in
„ iis, quæ ab Apoſtolis vobis tradita ſunt,
„ non manſeritis, & ea in impietatem
„ majorem, quam ſe res habeat, exten-
„ deritis. Jeſum nec Paulus auſus fuit di-
„ cere Deum, neque Mathæus, neque
„ Marcus, neque Lucas, ſed bonus Jo-
„ annes, cenſens magnam multitudinem
„ in multis Græcorum urbibus hoc mor-
„ bo captam, audiens autem opinor mo-

„ nu-

Digitized by Google

„ numenta Petri, & Pauli clam quidem „ circumferri, primus auſus fuit dicere “ &c. Poſſemus ſceleſtiſſimo Apoſtatæ cum Cyrillo reponere: *Admiror, quod licet ſæpiſſime divinam Scripturam vario modo verſet, & nobilem ſcientiæ opinionem venetur, a veritate aberraverit, idque omnibus modis; non enim admittit vel Paulum, vel Mathæum, vel Marcum, vel Lucam dixiſſe, Chriſtum eſſe Deum: at ſi qui voluerint diligenter ſermones noſtros excutere, evidentiſſime videre poterunt, quod celebrent illum divinitatis dignitatibus, & quæcumque ſoli & ſummæ omnium naturæ conveniunt, ea & illi ubique tribuant, præterea Deum nominare ſoleant*. Poſt recitata in hanc rem plurima teſtimonia, quæ ex tribus illis Evangeliſtis & Paulo Cyrillus Juliano opponit, hæc reponere cum eodem Cyrillo poſſemus: *Opinor autem, & a Joannis vocibus eum redargui; non enim, ſicut ipſe dicit, videns circumferri monimenta Petri & Pauli inductus eſt ad dicendum, quod ſit Deus Jeſus Chriſtus: non eſt veriſimile, quod propter illam cauſam illos imitatus ſit, ſed potius excitatus a Spiritu ſancto . . . . neque primus dixit, Deum eſſe Jeſum, ſed & ii qui ante ipſum ſcripſerant, Lucas, Matheus & Marcus Dominum autem & Deum nominarunt illum, ſummam illi gloriam tribuentes ubique: at Julianus vaniloquium ſuum habere ſolet ut præclara facinora &c.*

V. Verum cum nobis propoſitum ſit non Diſcipulorum Chriſti de Magiſtro ſuo, ſed eorumdem, qua hiſtorici ſunt, ejuſdemque geſta atque dicta ſimplici ſtylo recenſent, teſtimoniis veram Chriſti Deitatem adſtruere, non expendimus quid Joannes de Chriſto ſenſerit, ſed quid ab eo de Chriſti actionibus & ſermonibus in literas hiſtorice relatum ſit; non enim novi Teſtamenti Scriptores ut Canonicos diviniuſque inſpiratos ad faciendam propoſitioni noſtræ divinam fidem, ſed ut genuinos, ſynchronos, ac veraces, ad conflandam demonſtrationem moraliter certam ac evidentem adverſus Incredulos adhibemus; cum ergo Julianus ipſe eo loco Joannem habeat, e veſtigio ſubjiciens: *Quod de Jeſu Chriſto dicit Joannes, neque ipſe contradico*, & patrata a Chriſto miracula, quæ Joannes idem, aliique memorant, vera eſſe, lib. vi. apud eundem Cyrillum admittat, ita illum Cyrilli verbis urgemus: *Quoniam miracula conciliant fidem, ſanavit infirmos, cæcis lumen indidit, immundis Dæmonibus imperavit, vocavit mortuos ex monumentis fætidos jam & corruptos. Quid hic, dic, oro, fulgidius? Quid ita magnificum? Itaque ſi medicæ experientiæ oſtentatio eſt miraculorum operatio, irreprehenſibile ſit, quod non admiretur eam: ſin autem virtutis maxime divinæ eſſe comprobatur, quomodo non eſt verum id quod dixit? Etenim tuum, ut ſummum, Jovem, & alios, qui cum eo ſunt, quos tu Deos eſſe dicis, inveniemus impotentiores, quam ut a mortis laqueo eripere poſſint detentos, & id nos docet Poetarum optimus &c.* Fruſtra itaque vaniſſimo illo commento ſuo demonſtrationis noſtræ efficacitatem Julianus imminuere conatus eſt; quum enim Joannem negare auſus non ſit, hiſtoricum fuiſſe veracem, neceſſario conſequitur, Chriſtum vere Deum eſſe, quem idem Joannes perſæpe refert, id ſibi dignitatis diſertiſſime tribuiſſe, dictiſque ſuis auctoritatem & fidem ingentibus cujuſque generis miraculis conciliaſſe.

VI. Quid vero Increduli alii? Neque impietatis & blaſphemiæ Chriſtum accuſant, nec tamen vere Deum eſſe concedunt, quod non ſint verba Chriſti in eum trahenda ſenſum, quem naturaliter præferre videntur; alioqui, ſi prout ſonant, ſumenda ſint, fatendum erit, Chriſtum pugnantia dixiſſe, cum frequenter ſe Deo ſubjiciat, illum ſe majorem agnoſcat, eundemque illum, quem Patrem dicit, Deum & Dominum ſuum appellet. Hinc factum eſt, ut Chriſtianorum plurimi, ipſa etiam Apoſtolorum ætate & proxime ſecutis ſæculis non aliter Chriſti dicta componi poſſe putaverint, quam ſi tot illa ſplendida ejus dicta, quibus ſibi viſus eſt, Deitatem, & cum Patre unitatem adſcribere, ad eximiam plenioremque Deitatis participationem & perfectam voluntatis affectuſque conſenſionem referrent. Verum qui iſta commentantur, nonne communi ipſi ſenſui nuntium remiſerunt? Hominem exuerit, oportet, qui in intelligendis explicandiſque cujuſquam ſermonibus, fas eſſe putat, ideas ſeponere, atque abiicere, quæ verbis expreſſæ ultro menti audientis ſe offerunt; alioqui ſi non ex nativa verborum poteſtate ac ſignificatione, ſed ex audientis arbitrio dijudicanda ſint verba, nihil jam erit in humanis colloquiis ſincerum, perſpicuum atque certum, nihil adeo abſurdum, quod, ſi audienti libuerit,

rit, plenum ſapientiæ, nihil contra tam ſapiens, quod pro ejuſdem nutu æſtimandum non fuerit perabſurdum. Quid his Chriſti verbis planius & apertius, *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificavit, ſic & Filius, quos vult, vivificat: antequam Abraham fieret, ego ſum: ego vitam æternam do ovibus meis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea; ego ſum via, veritas & vita: omnia quæ habet Pater, mea ſunt*, & ſexcenta hujus generis alia? Si ergo ab obvio, & naturali, quem menti ingerunt, ſenſu, liceat verba hæc ad tropicum & alienum ſenſum inflectere, de humana ſocietate actum eſt; jam enim nulla hominibus ſuppetent verba, quibus interiora animi ſenſa aliis patefaciant, falſumque erit, quod ait Cicero, *hoc uno nos præſtare feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere ſenſa dicendo poſſumus*; Quorſum etenim jam alius cum alio colloquia miſceat, ſi audienti liceat alium dicentis verbis ſenſum ſubiicere, quam quem illa ſponte ſua exhibent, & quem loquens ſignificare vult alteri?

IV. Ad quid hæc perſequi neceſſe eſt? Iidem ii Evangeliſtæ, qui referunt, Chriſtum frequentet ſe Dei vivi filium dixiſſe, ſibique omnia veri Dei attributa apertiſſime vindicaſſe, ſcribunt itidem, cujuſque generis homines, Phariſæos, Scribas, Pontifices, Magiſtratus, Sacerdotes, Apoſtolos, & promiſcuum vulgus nihil in Chriſti ſermonibus ambiguum, nihil figurale ſubolfeciſſe, ſed verba ejus intellexiſſe, prout erant ad commune judicium, & popularem intelligentiam accommodata. Hinc ille non ſemel blaſphemiæ accuſatus a turbis, & lapidibus appetitus: hinc in Caiphæ Sacerdotum Principis ædibus ab univerſo Concilio reus mortis pronuntiatus, hinc ad Pilatum delatus, & poſtulatus ad crucem a Pontificibus & miniſtris incondite clamantibus, *nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*. Numquid vero Chriſtum vel ſemel legimus de præpoſtero, atque falſo verborum ſuorum intellectu conqueſtum, aut illa emolliendo ac interpretando conatum perverſam eorumdem intelligentiam ab animis Judæorum evellere, & germanum eorumdem ſenſum iis imprimere? Imo confirmavit ille ſemper, & ſententiis gravioribus, magiſque nitidis conſtabilivit, & ne quiſquam ab iis, quæ audiebat, cohiberet aſſenſum, ad mirabilia, quæ dictis ſuis fidem faciebant, opera provocavit. Si erant ergo Chriſti ſermones ambigui, & ad fallendum aptiſſimi, bone Deus, quæ abſurda concoquere cogimur, quæ nec fingere ratio ipſa permittit! Homini itaque amphibologiis meditato utenti, & flexiloquo dicendi genere in errorem pernitioſiſſimum alios inducenti, neque unquam de avertendo ab eorum mentibus hauſto e verbis ſuis errore ſollicito Deus ipſe ſplendidiſſimum omnipotentia ſua teſtimonium perhibuit, & ſermones loquenti ipſi probe cognitos exitiabiles comprobavit, neque ſolum infinitam hominum multitudinem Chriſti verbis decipi paſſus eſt, ſed & illam ipſe in fraudem impulit Divino ipſo potentiæ ſuæ ſigillo Chriſti ſermones obſignans, quo facilius & certius crederentur. Certum etenim eſt Chriſti Diſcipulos miraculis potiſſimum adductos fuiſſe, ut illum crederent, quem ſe dicebant; quare quum eorum prædicatione innumeri permoti fuerint, ut idem crederent, hæcque ab eis in alios traducta perſuaſio, atque ubique gentium diffuſa ad finem uſque ſæculi perduratura ſit, ſi errarunt omnes, errant, errabuntque, a Deo ipſo hic omnibus error intuſus eſt. Hæc ne vero de optimo, providentiſſimo, ſanctiſſimo, ac veraciſſimo Deo abſque ſumma impietate mente agitari poſſunt?

VII. Quid vero, ſi Chriſtus Patri ceu majori, Deoque ſuo ſe ſubiicit? Si cum Arianis tantum & Socinianis nobis res eſſet, hujus generis teſtimonia cum tot iis, quibus veram Deitatem ſuam, & pleniſſimam Patri æqualitatem Chriſtus adſtruxit, petita ex priſcis Patribus interpretatione, facillime componeremus; verum quia adverſus omnes Incredulos pro ſummo hoc Religionis noſtræ capite depugnamus, argumento utendum eſt, quo omnes validiſſime perſtringantur. Hominem fuiſſe Chriſtum, concedunt Increduli, Deum vero perfracte negant; quæ itaque Chriſtus ait, quibus ſe infra Patrem eſſe ſignificat, in hominem cadunt, & humanæ, quam præfert & ſenſibus offert, naturæ veriſſime aptantur. At quid facias ſexcentis iis locupletiſſimis teſtimoniis, quibus ſe Patri æquat, atque ſcientia poteſtate ac omnigena perfectione unum ſe cum illo eſſe pronuntiat? Non poſſe illa a naturali ſenſu ad tranſlatitium abſque rationis injuria torque-

Digitized by Google

queri, jam ſatis evicimus. Si autem Chriſtus purus eſt homo, falſa illa penitus ſunt; impia, veroque Deo contumelioſa, ideoque alienum a ratione eſt cogitare, potuiſſe illa a Deo ipſo miraculis confirmari: at comprobaſſe illa Deum nomine atque potentia ſua, non ſemel aut iterum, ſed frequentiſſime, non ambigue, ſed clariſſime, tradunt Hiſtorici veraces: quid ergo? Vera hæc ſunt, pia atque juſta æque, ac illa quibus ſe Chriſtus Patri, ceu Domino Deoque ſuo ſubmittit; præter formam itaque ſervi, quam Chriſtus exterius exhibet, & qua minor eſt Patre, in eo agnoſcenda eſt forma Dei, qua æqualis eſt Patri, quamque ſibi vere ineſſe, ipſe toties & perſpicue aſſerit, ad cujus adſtruendam veritatem, quum non ſit illa ſenſibus obnoxia, aut rationi pervia, ſuam Deus ipſe confert omnipotentiam. Ineptiunt itaque Increduli, qui Chriſtum in manifeſta contradictione deprehenſum ſe habere putant, niſi tot illa, quæ de ſua Deitate ac Patri æqualitate dicit, a nativa verborum poteſtate ad tropicum ſenſum, ipſa licet ratione repugnante, inflectantur.

VIII. Tot vero illos Deitatis Chriſti hoſtes, Cerinthum, Ebionem, Arium, Photinum, Socinum non plus moramur, quam Incredulos ipſos, qui illorum impietate ſe protegunt, unoque argumento omnes refellimus: Quum Phariſæi, Scribæ, omneſque Synagogæ proceres ex Chriſti verbis probe intellexerint, illum Deo ſe exæquaſſe, atque omnia ſibi vindicaſſe, quæ veri Dei ſunt, quum idem perſuaſum certiſſime fuerit & primis ejus Diſcipulis, & omnibus ſubinde Judæis ac Ethnicis qui Chriſto dederunt nomen, quum Chriſtiana Societas illum ſemper veri Dei loco, & gradu habuerit, habeatque, omneſque ſemper execrata fuerit, qui auſi ſunt præcipuum hoc Religionis ſuæ caput impetere, unanimi hoc, perpetuo atque conſtanti intellectu atque fide plane conficitur, non alium eos arripuiſſe ſenſum, quam ſimplicem ac nativum illum, quem perſpicua verborum Chriſti ſeries ultro profert. Omnes ne vero erraſſe dicemus, etſi plurimi inter eos fuerint acutiſſimi, ſapientiſſimi, & veritatis addiſcendæ percupidi, neque ſub verborum Chriſti cortice alienum illum & metaphoricum ſenſum deprehendiſſe, quem perſpicaciores Increduli aſſecuti ſunt? Infeliciſſima tot cujuſque generis hominum millia ea mentis cæcitate percuſſa, ut in legitima verborum Chriſti intelligentia aberrarent, & pro eo quod ex his verbis ſibi videbantur haurire, dogmate, fortunas, honores, commoda, vitamque profunderent! At non errarunt ii obvium, atque planum verborum Chriſti ſenſum, cujus veritatem Deus miraculis confirmarat, tenentes; errarunt vero immaniter veteres, errantque recentes Increduli, qui, ut verba Chriſti pervertant, communi ſenſui atque ſibi ipſis vim inferunt. Non vacat veterum Arianorum ac Photinianorum commenta memorare, quibus evidentiſſima Chriſti verba obſcurare conati ſunt, quum ſint illa notiſſima, & a priſcis Patribus diſpulſa.

IX. Pauca ab hodiernis Incredulis adhibita Chriſti verbis interpretamenta proferimus, ut ex eorumdem futilitate ſtupiditas eorum, qui vulgo acuti, ingenioſique ſpiritus audiunt, appareat. Quum Chriſtum Nicodemo dicentem audimus: *nemo aſcendit in Cælum, niſi qui deſcendit de Cælo filius hominis, qui eſt in Cælo*, nonne ex locutione hac ſtatim mente percipimus, tribuere illum ſibi immenſitatem, ideoque & Deitatem, cujus illa attributum eſt, quum ita ſe de Cælo adſerat deſcendiſſe, ut tamen ſemper in Cælo ſit, neque illum ſemper exiſtentem in Cælis aliter inde deſcendiſſe, quam quia idem ipſe ab æterno Dei filius definito tempore filius hominis factus *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus* eſt juxta ſplendidiſſimum Baruchi vaticinium? Cui unquam ſobrio veniſſet in mentem, quod ad eludendum germanum hunc ſenſum recentes Increduli excogitarunt, Chriſtum cum Nicodemo loquentem ſe in Cælis eſſe dixiſſe cogitatione affectuque, non vero ſubſtantia? Quis interpretationis hujus vanitatem non ſentit? Præterquamquod abhorret illa quam maxime a communi hominum loquendi, intelligendique modo, & ab orationis Chriſti continenti ſerie, ſi filius hominis non niſi mente & corde in Cælo eſt, mente itaque & corde in Cælo eſſe deſiit, dum inde, ut idem ait, deſcendit: Quandonam vero Chriſtus a cæleſtium contemplatione & amore, cor & mentem abſtraxit, quum virum illum eximie probum fuiſſe, Increduli negare non audeant? Paulus autem ejus Diſcipulus ſuam aſſerat converſationem in Cælis eſ-

ſe, omneſque adhortetur, ut quæ ſurſum ſunt, quærant, quæ ſurſum ſunt, ſapiant, non quæ ſuper terram? Quam eſt etiam inſulſa & inepta gloſſa illa, quam iis Chriſti verbis adjungunt, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, Patrem nimirum in Chriſto ceu homine inſigniter ſancto, ſibique in primis charo, velut in templo ſuo habitaſſe? Etſi ſtultam hanc gloſſam antecedentia & ſubſequentia Chriſti verba maniſeſtiſſime explodant, non iis tamen opus eſt, ut illam ſummæ levitatis redarguamus; quum enim Chriſtus, quoties Patrem in ſe eſſe ait, ſemper præmiſiſſe legatur, ſe eſſe viciſſim in Patre, niſi velimus & Patrem templum Chriſti fuiſſe, in quo hic habitaret, dicamus, neceſſe eſt, non ea ratione, quæ ab Incredulis fingitur, Chriſtum in Patre & in Chriſto Patrem eſſe, ſed unitate naturæ, qua efficitur mirabilis illam Perſonarum ſibi conſubſtantialium circuminſeſſio.

X. Splendidiſſimo ſane argumento Chriſtus æternitatem ſuam adſtruxit, incidente inter colloquendum cum Hebræis ſermone de Abrahamo hæc habens, *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt*; Hebræis vero reponentibus, fieri nulla ratione poſſe, ut Abrahamum vidiſſet ipſe, qui nondum annos quinquaginta natus erat, e veſtigio ſubjiciens, *amen amen dico vobis, priuſquam Abraham fieret, ego ſum*. Nullam in verbis his metaphoram ſuſpicati ſunt Judæi, ſed planiſſimo eorumdem ſenſu perculſi, atque blaſphemiam rati tulerunt lapides, ut jacerent in eum &c. Quid vero noſtræ ætatis Increduli? totus hic Chriſti ſermo eis eſt allegoricus & translatus, nec aliud ſibi voluiſſe Chriſtum effutiunt, quam ſe priorem eſſe re Abrahæ nomine ſignificata, gentium videlicet converſione, aut ſi non de Abrahæ nomine ſed perſona ipſa ſit ſermo, ſe in divinis ideis ac decretis Abrahæ nativitatem immenſo temporis ſpatio prævertiſſe. Quis ſibi a riſu temperet, immania hæc hominum, qui ſoli ſibi videntur homines, deliramenta conſiderans? Si unum hoc ſibi voluit Chriſtus, quid cauſæ fuit, ut Judæi ſcandalo adfecti adeo in Chriſtum excandeſcerent, eum certe lapidibus oppreſſuri, niſi abſcondiſſet ille ſe, & exiſſet e templo? Quid ſibi peculiare ſumpſiſſet Chriſtus, ut veluti blaſphemiæ reus eſſet lapidibus obruendus, quum nullus Hebræorum illum audientium eſſet, qui non utroque illo nomine poſſet ſe priorem Abrahamo jactare? Sed piget hæc ſerio refutare, alia quoque multa referre, quæ non minus frivola atque abſurda ſunt, in quibus excogitandis eo magis a ratione ipſa aberrarunt Increduli, quo a nativo verborum Chriſti ſenſu longius abierunt.

XI. Quum nequeant Chriſti verba arrodere Increduli, mira ejuſdem facta vitilitigant, blaterantque, nihil ex Chriſti prodigiis extundi poſſe, quo Deum dictis ejus auctoritatem & fidem potentia ſua conciliaſſe probetur, quum omnia portentoſa illa, quæ de Chriſto narrantur, vel ſoli mali ſpiritus virtuti, magicique artibus ſint tribuenda, vel inter præſtigias referenda; Ipſi enim Chriſto coævi Judæi fidenter & palam illi objiciebant, in Beelzebub Dæmoniorum Principe pelli ab eo Dæmones, poſteriores vero nonniſi clandeſtinis artibus & remotis diſciplinis in Ægypto perceptis, de quibus & librum Petro & Paulo inſcriptum edidit, aut ſancto Dei nomini propriis elementis expreſſo, quod ille ex templo callide ſuffuratus fuerat, adſcribunt. At non pudet homines, qui haberi volunt omnium ſubtiliſſimi & prudentiſſimi, figmenta hæc adoptare, quæ cachinnis ſolum & ſibilis digna cuilibet, vel leviſſime docto videntur? Jam obtrita penitus iſta ſunt ab iis, qui de Religionis noſtræ veritate ſcripſerunt, Origene, Euſebio, Arnobio, Auguſtino aliiſque; nos propoſitionis hujus noſtræ momentis contenti erimus, quum ſint illa ſatis ſuperque ſtultiſſimæ huic calumniæ retundendæ; unde enim habent Increduli, objectum Chriſto a Judæis, agi ab illo Dæmones immundi ſpiritus ope? Non aliunde ſane, quam ex iiſdem iis Evangeliſtis, qui Chriſti prodigia tradunt. Quæ vero inſania, quis furor, ut hanc Judæorum blaſphemiam Increduli ex Evangeliſtis exſcribant, ea vero prætereant, quibus illam revictam & diſpulſam a Chriſto, iidem referunt? Nonne ii diſerte ſcribunt, obſtruxiſſe Chriſtum Judæorum blaſphemantium os invicto hoc argumento. *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet: Si autem Satanas in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus, quia dicitis in Beelzebub me ejicere Dæmonia . . . Porro ſi in digito Dei ejicio Dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.*

Quum

Quum ſint ergo veraces Evangeliſtæ, ſtupidi profecto ſunt, qui blaſphemiam inſtaurant, quam ii narrant, mox fuiſſe a Chriſto tam valido argumento retuſam.

XII. Unde etiam conſtat, fuiſſe in Ægypto Chriſtum, niſi ex Diſcipulorum ejus libris? Quum autem iidem addant ſelatum illum fuiſſe adhuc infantulum, qui potuit, in Ægypto magicis artibus imbui ad edenda portenta? Quam inſulſum vero eſt figmentum illud, editum nimirum a Chriſto *de Magia* librum, quem Petro & Paulo Diſcipulis ſuis inſcripſit? Quærit a fabulæ hujus Auctoribus Auguſtinus, num librum hunc viderint unquam, legerintque? Si perlegerunt, cur magicam a Chriſto traditam artem edocti eadem ipſi prodigia non edunt, quæ ille edidit? Si vero nunquam in eorum manus venit hic liber, neque venire potuit qui nullus eſt, an non extremæ impudentiæ fuerit blaterare, præceptis a ſe traditis utentem Chriſtum patraſſe miracula? Fabellam denique a Judæorum nonnullis confictam, qua nihil in toto Eſopo inſulſius eſt, de ſurrepto nimirum e templo auguſto Dei nomine, cujus virtute Chriſtus mirabilia patrarit, ſtrenue caſtigarunt Huetius, Grotius, aliique, ceu chimericum diſtorti Rabbinorum ingenii fœtum, cujus neque in ſacris libris, neque apud Joſephum rerum gentis ſuæ ſcientiſſimum veſtigium ullum. Aliter commenti hujus artifices premimus. Divini hujus nominis virtute Chriſtus miranda geſſit; ille ergo reipſe erat, quem ſe dicebat, quemque ſe eſſe, verum ſcilicet Deum, miraculis divini nominis ope editis comprobabat; alioqui fatendum erit, paſſum fuiſſe Deum, tremendo ſuo nomine abuti hominem omnium maxime impium, facrilegum, atque blaſphemum, ad ſummam ſuæ majeſtatis injuriam, & teterrimam plurimorum perniciem ac ſeductionem, quod cum infinita Dei ſapientia, bonitate, ac ſanctitate num componi poſſit, Hebræi viderint.

XIII. Ut miraculorum Chriſti auctoritatem infringant Increduli, ad Ethnicorum miracula poſtremo confugiunt, & Chriſti prodigiis opponunt tot mira illa, quæ de Serapide, & Eſculapio, de Pythagora, ejuſque Diſcipulo Abari, de Apollonio Thianæo, de Veſpaſiano & Adriano Imperatoribus Jamblicus, Porphirius, Philoſtratus, Tacitus, Svetonius & Valerius Maximus narrant. Verum quum de argumento iſto fuſe ſolideque jam ſcripſerint egregii Chriſtianæ Religionis Vindices, Euſebius in primis l. adverſus Hieroclem Philoſophum, & ſtultiſſimam hanc mirabilium quæ apud Ethnicos geſta jactantur, cum ſpleudidiſſimis Chriſti miraculis comparationem exſibilarint, valde mirari ſubit, noſtræ ætatis Incredulos omnium maxime acutos, & ad credendum difficiles, telum hoc toties protritum, & comminutum ad ſui defenſionem arripere. Rectum hominum ſenſum & rationem ipſam appello, num communi hoc ſenſu, & ratione utantur, qui tot iis Chriſti miraculis publicis, notiſſimis, vulgatiſſimis, quæque ſolum Deum Auctorem referre poſſunt, quum totius naturæ creatæ viribus majora ſint, quibus fidem adſtruunt non oculati teſtes ſolum, iique omni exceptione majores, ſed & hoſtes Chriſto infenſiſſimi Ethnici, Judæi, Muhammedani, mira quædam opponunt, quę qui referunt, ex incerto & populari rumore ſe accepiſſe teſtantur, neque certum iis ipſis, quæ narrant, fidem adjungunt? Quid ſane vecordius, & cordato homine indignius, quam veri miraculi loco habere, quæ a Serapide & Eſculapio nonniſi medicæ artis peritia patrata leguntur, quæ de Pythagora, & ejus Diſcipulo ſcribunt Jamblicus & Porphirius annis amplius mille ab eorum ætate diſtantes, quæ de Apollonio Philoſtratus annis centum eo poſterior aperte falſa & fabuloſa literis conſignavit? An non extremæ dementiæ eſt, & Veſpaſiani & Adriani miracula jactitare, quæ ii ipſi, qui narrant, Tacitus, Valerius Maximus, & Spartianus per ſimulationem facta fuiſſe commemorant? Prudentiores ſane Increduli Cicero, Livius, Valerius Maximus; & Plutarcus, qui hæc apud ſuos jactitata prodigia vel riſerunt, vel ad naturales cauſas, aut ad præſtigias retulerunt, vel ſaltem ab iis ſuſtinuerunt aſſenſum.

PROPOSITIO IV.

Quæ a Chriſto edita fuiſſe vaticinia, atque eventu donata, referunt Evangeliſtæ, veram ejus adſtruunt Deitatem.

I. Plura Evangeliſtarum capita exſcribenda eſſent, ſi omnia vellemus fuſa a Chriſto, eaque inſignia & maxime dearticulata vaticinia complecti, quibus

Digitized by Google

bus factum eſt, ut Prophetam illum eximium fuiſſe, Ethnici & Muhammedani concedant; non ſolum etenim mortem ſuam, ſed & mortis genus, & ſingulas ejus circumſtantias, reſurrectionem e tumulo, & in cælos aſcenſum nitidiſſime prænuntiavit. Notiſſima illa ſunt, quæ Petro cæteriſque Apoſtolis ipſa paſſionis ſuæ nocte eventura prædixit, quos & præmonuit omnibus propter nomen ſuum futuros odio, eaque de cauſa ad Magiſtratus raptos, & in vincula datos morte afficiendos. Quid iis illuſtrius, quæ de exſcindenda Hieruſalem, & Evangelio ſuo ubique gentium prædicando ſemel, iterumque tum Hebræis palam, tum ſeorſim Diſcipulis annuntiavit? Hæc autem omnia aliaque multa, quæ mittimus, prout prædicta fuerant, eveniſſe ii ſolum negare poſſunt, qui nunquam Evangelium, Apoſtolorum acta, Joſephum de bello Judaico, Ethnicoſque Scriptores de rebus noſtris agentes legerint; quum autem omnia hæc a Chriſto prædicta & perfectiſſime impleta ea ſint, ut naturæ lumen, & humanas quaslibet conjecturas omnino fugiant, non potuit illa certe prænoſſe Chriſtus & prænuntiare, niſi afflatus eſſet a Deo, cujus ſolius eſt futura quæque præſcire, ut axiomate tertio ſtatuimus. Divina ergo quum certo fuerint Chriſti vaticinia, verum illum fuiſſe Deum, invicte probant; quum enim non miraculis ſolum, ſed & vaticiniis in Dei nomine editis Chriſtus Deitati ſuæ faceret fidem, multique iis adducti fuerint ad credendum, Chriſtum illum eſſe filium Dei vivi, Regem Iſrael, Salvatorem mundi, a Deo procedentem atque ſcientem omnia, niſi velimus Deum ipſum prophetico lumine quod totum divinum eſt, mendacio omnium maxime impio, & deteſtabili auctoritatem conciliaſſe, & in errorem omnium perniciosiſſimum innumeros homines pertraxiſſe, fatendum eſt Chriſtum vere Deum eſſe cujus veritatis argumentum, etiam ex vaticiniis duxit, quo argumento plures permoti ſunt, ut illum crederent, quem ſe dicebat.

II. Ad frangendam demonſtrationis hujus vim plura reponunt Increduli. Sunt qui blaterant, tributa Chriſto vaticinia in Evangeliſtarum libros fuiſſe intruſa, poſtquam ea omnia acciderant, quæ a Chriſto prædicta feruntur, ut hac fraude Prophetæ dignitas Chriſto accederet; Alii nihil ex his vaticiniis boni ſucci exprimi poſſe contendunt, quod propheticum lumen improbis etiam hominibus, ut Balaam, & Caiphæ divinitus immiſſum fuiſſe legamus; plurima etiam memoriæ mandata ſint edita ab idolis oracula futuri prænuntia. Poſtremo demonſtrationem hanc noſtram alii rident, quod non ſit vaticinatio in divinum afflatum, ſed in congenitam naturæ vim referenda.

III. Quum ſint autem hæc Incredulorum objecta plane futilia, demonſtrationem noſtram non elevant, ſed confirmant. Quam ſit prima illorum exceptio non impia ſolum, ſed & inſulſa, abunde patet ex iis, quæ in ſecundæ propoſitionis noſtræ confirmationem adtulimus. Unum hoc addamus, quod Chriſti vaticinia ab Evangeliſtis deſcripta ſpectat. Omnium ſplendidiſſimum eſt, & ad firmandam Religionem noſtram maxime idoneum, quod Chriſtus de reſurrectione ſua frequenter & explicate prædixerat. Altera a Chriſti obitu die, ſcribit Mathæus, conveniſſe Pilatum Principes Sacerdotum, & Phariſæos dicentes, *Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam &c.* Pervulgata itaque erat non Diſcipulis Chriſti ſolum, ſed & juratis ejus hoſtibus, hæc prænuntiatio. Fac Matheum Chriſto vaticinium hoc falſo adſcripſiſſe, falſa item eſſe quæ ſubdit, de cuſtodibus ſepulcro adhibitis, iiſdemque pecunia corruptis, ut in urbe vulgarent, dum ipſi ſomno indulgerent, ſurreptum a Diſcipulis Chriſti corpus & aſportatum. Quum genuinus ſit Mathæi liber, ſicut propoſitione prima probavimus, eo ſcilicet tempore editus quo ſcriptus eſſe communiter perhibetur, neceſſario conſequitur, vixiſſe tunc Sacerdotum, & Phariſæorum complures, quos ille fabulæ hujus Auctores in ſcænam induxerat. Eos autem turpi adeo nota a Scriptore licentiſſimo inuſtos, putas adeo honoris, & famæ ſuæ fuiſſe oblitos, ut narrationem in tantum ſui dedecus, & ampliſſimam Chriſti gloriam manifeſte vergentem, quam potuiſſent mendacii nullo negotio revincere, impune vagari ſinerent, & adverſus eam ne muſſitarent quidem? Hæc, aliaque, quæ nec animo fingi poſſunt, abſurda concoquant Increduli, neceſſe eſt, ſi velint Chriſti vaticinia ab Evangeliſtis conficta eſſe.

IV. Conficta ne vero, & de Hieroſolimorum excidio, & de gentium vocatione, & de Judæorum reprobatione, & de futu-

futuro ubique gentium, atque ad ſæculi finem uſque maxime celebri mulieris illius, quæ Chriſtum prope diem moriturum unguento perunxerat, nomine vaticinia? Nonne hæc perfectiſſime impleta eſſe omnes norunt? Scripta ſunt autem illa ante Hieroſolimorum excidium, eoque tempore, quo non in Judæa ſolum, ſed & in Aſia, Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithinia, Macedonia, Italia, aliiſque regionibus plures jam Chriſto dederant nomen, eoſdemque novi Teſtamenti libros habebant, eadem Chriſti vaticinia legebant, quæ tunc nondum ad eventum perducta erant. Jam enim demonſtratum eſt, libros novi Teſtamenti ſinceros, iiſque Auctoribus vere coævos eſſe, quibus perpetua ſæculorum omnium teſtificatione adjudicati ſunt, ideoque quum eorum Auctores, ſi Joannem excipias, omnes ante Neronis obitum defuncti ſint, eos qui ab aliis Evangeliſtis & Apoſtolis ſcripti feruntur, Hieroſolimitana clade priores eſſe; quare ab omni veri ſpecie tam procul eſt hæc Chriſti vaticinia Evangeliſtarum libris poſt eventum fuiſſe aſſuta, quam falſum eſt, libros illos poſt Hieroſolimorum devaſtationem fuiſſe conſcriptos.

V. Quid vero ſi homines impii Balaam & Caiphas prophetaſſe leguntur? Deus qui ſolus veræ prophetiæ auctor eſt, & malis etiam, ut egregie adnotat D. Th.; utitur ad utilitatem bonorum, per prophetas Dæmonum aliqua vera prænuntiat, ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adverſariis teſtimonium habet, ideoque Balaamum & Caipham afflavit, ut vera prædicerent, non ut nequitiæ eorum, quibus veri præconibus utebatur, teſtimonium perhiberet, ſed ut veritatem, quam ii nolentes ac inſcientes prænuntiabant, ſua teſtificatione confirmans, audientium utilitati conſuleret. Verum non ea ratione Chriſtum eſſe Deum contendimus, quod Propheta ille fuerit, quum exploratæ rei loco habeamus, prophetiam ut & alia ſuprema dona quæ gratiæ gratis datæ dicuntur, a charitate, morumque integritate ſejuncta eſſe poſſe, ſed quod vaticiniis & multis & inſignibus in Dei nomine fuſis illud, quod frequenter & aperte docebat, verum ſcilicet Deum ſe eſſe & unigenitum Dei filium, adſtruxerit, hujuſque ſui dicti veritatem innumeris hominibus hoc etiam argumento perſuaſerit, atque inde invicte conficimus, illum reipſa eſſe, quem ſe prædicabat, ne intolerandum illud abſurdum cogamur admittere, optimum ſcilicet, ac veraciſſimum Deum homine omnium peſſimo uſum eſſe ſpeciali ſapientiæ ſuæ miniſtro ad humani generis ſeductionem, certamque perniciem, & prophetico lumine, quod peculiaris eſt divinæ ſcientiæ emanatio, mendacium omnium peſtilentiſſimum confirmaſſe, quo facilius & certius crederetur. Abludunt ergo a ſcopo jactata ab Incredulis Balaami & Caiphæ prophetantium exempla.

VI. Quæ vero illa ſunt idolorum oracula, ut cum Chriſti vaticiniis ab Incredulorum grege conferri poſſint? Miſſis egregiis iis argumentis, quibus illa falſitatis & fraudis poſtularunt ac revicerunt Origenes, Tatianus, Arnobius, Euſebius, aliique, pauca dabimus ex Tertulliano, qui in celeberrimo ſuo Apologetico c. 22. idolorum vanitatem Ethnicis fidenter exprobrat, iiſque tributa oracula exagitans, ait: *Diſpoſitiones Dei nunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus reſonantibus carpunt; Ita & hinc ſumentes quamdam temporum ſortem, furantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperant in eventus, ſciunt Crœſi, ſciunt Pyrrhi. Habent de incolatu aeris, & de vicinia ſyderum, & de commercio nubium celeſtes ſapere paraturas, ut pluvias quas jam ſentiunt, repromittant. Lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt ad remedium nova ſive contraria, poſtque deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.* Involutum hunc & paulo obſcuriorem Tertulliani textum explicare neceſſe eſt, & plura illa evolvere, quæ paucis complexus eſt, ut Incredulorum oracula hæc jactantium ſupinitas caſtigetur. Si oracula omnia apud Ethnicos pervulgata in ſolam Sacerdotum & Augurum aliena ſimplicitate abutentium fallaciam referremus, non eſſet, cur de nobis quererentur Increduli, quum id Ethnicorum ſapientiſſimi Demoſthenes, Cicero, Jamblicus, confeſſi ſint: Si vero a Dæmonibus, qui in Idolis latebant, & Sacerdotes ac divinos ſuos afflabant, illa vere fuiſſe edita concedamus, pudere maxime debuiſſet Incredulos, ejuſmodi oracula refricare, quæ conſtat, amphibologica omnia fuiſſe, & flexiloqua, atque ea verborum fraudulenta ſerie contexta, ut in partem quamlibet trahi poſſent, & quicunque demum, eventus eſſet, a mendacii labe purgari poſſet oraculum. Notiora

ſunt

ſunt Apollinis Delphici oracula ad Crœſum, & Pyrrhum fuſa, quàm ut ea huc conferre neceſse ſit.

VII. Agamus tamen liberaliter cum Incredulis, eiſque demus, plura. Dæmones per Idola, & Miniſtros ſuos vere edidiſse oracula, quibus non ambigue & obſcure, ſed certo & nitide futura prædixerint:
„ Dæmones de futuris, ait egregie D. Th.,
„ quandoque vera prænuntiant, quando-
„ que falſa, vera quidem prænoſcentes ea
„ aut ex revelatione bonorum Spirituum
„ a Deo derivata, aut in cauſis extrinſe-
„ cis, quarum omnem virtutem compre-
„ hendunt, aut in proprio propoſito, puta
„ quum prænuntiant, quæ ſunt ipſi factu-
„ ri, falſa vero, quandoque quidem vo-
„ lentes homines fallere, quandoque vero,
„ quia ipſi falluntur, puta quum divini-
„ tus facere prohibentur quod propoſue-
„ rant, vel quum divina virtute aliquid
„ contingit præter ordinem naturalium cau-
„ ſarum. Circa humanos autem actus ex
„ humano arbitrio dependentes, qui ex na-
„ turalibus cauſis præcognoſci non poſsunt,
„ Dæmones per experientiam multa co-
„ gnoſcunt, quia licet cæleſtia corpora in
„ partem animæ intellectivam directe in-
„ fluere non poſſint, plurimi tamen paſ-
„ ſionum impetum & corporales inclina-
„ tiones, in quas efficaciam habere cæle-
„ ſtia corpora, manifeſtum eſt, ſequuntur,
„ quum ſoli ſapientes, quorum parvus eſt
„ numerus, dominentur aſtris, & paſſio-
„ nibus ac corporeis inclinationibus con-
„ tradicant, atque inde eſt, ut Dæmones
„ de humanis actionibus multa prædicere
„ poſſint, conjecturaliter tamen & falli-
„ biliter, quia etſi voluntas & ratio in-
„ directe ad agendum excitentur ab ali-
„ qua exteriori cauſa, quæ paſſionem in
„ corpore, aut in viribus ſenſitivis indu-
„ cit, in poteſtate tamen voluntatis & ra-
„ tionis ſemper eſt, ut ſecundum paſſio-
„ nis motum vel non operetur, vel ope-
„ retur. “ Hæc D. Thomas.

VIII. Hinc facile Idolorum oracula, quæcunque demum illa fuiſse ferantur, exufflamus, & cum vaticiniis Chriſti non niſi ſtulte conferri poſse conficimus; Si enim quidpiam certum, & definitum Dæmones prænuntiaſse dederimus, abeſt ea prænuntiatio plurimum a prophetiæ notione, quæ futurorum prædictio eſt, quorum nulla eſt cum cauſis naturalibus colligatio: quæcunque vero Dæmones prædixiſse feruntur, poterant illa ex naturalium cauſarum, quas ii maxime perſpectas habent, conſideratione cognoſci, ſicut & peritiſſimi Aſtronomi plures naturales effectus ex cæleſtium corporum contemplatione præſagiunt. Quodnam vero adferre Increduli poterunt fuſum ab Idolis oraculum nitidum illud, & ſimplex, quod futura mere contingentia, & in ſolo hominis arbitrio poſita præmonſtrarit? Quod ſi quidpiam ejuſmodi præſcitum, prædictumque ab iis fuerit, indita illis divinitus ea prænotio fuit, utente Deo malis miniſtris ad bonorum utilitatem, non ut Dæmonum nequitiæ teſtimonium perhiberet, ſed ut ex ore inimicorum veritas teſtimonium acciperet, atque inexcuſabiles eſsent, qui a teſtibus minime ſuſpectis veritatem edocti eam ſuſcipere detrectarent. Quantum vero inter hæc & Chriſti vaticinia interſit, ex iis conſtat, quæ de Balaamo & Caipha prophetico lumine a Deo perfuſis diximus. Poſtremo quam ineptum & a ratione alienum ſit, quod Increduli addunt, prophetandi vim in natura eſse, ſatis ſuperque demonſtrat axioma tertio loco conſtitutum.

PROPOSITIO V.

Promiſſa Chriſti fideliſſime impleta invictum ſunt Deitatis ejus argumentum.

I. Quum veraces fuiſſe novi Teſtamenti Scriptores, ſolide probatum ſit, ambigere jam non licet, quin vera ſint, quæ de tot iis Chriſti promiſſionibus, quas vel ipſi ſuis auribus exceperant, vel ab iis qui audierant, hauſerant, literis conſignarunt; Quare ſi Chriſti promiſſiones eæ fuerint, ut non niſi a Deo fieri impleri que potuerint, ſervatæ autem illæ a Chriſto fuerint & confectæ ſanctiſſime, poſitum extra controverſiam erit, Deum illum eſſe omnipotentem. Quæ porro illa ſunt Chriſti promiſſa, quæ Auctores librorum novi fœderis in literas retulerunt? Joan. 2. promiſiſſe illum legimus excitaturum ſe tertia die corpus ſuum e tumulo, vitæque redditurum. Joan. x. poſiturum ſe poteſtate propria, iterumque ſumpturum animam ſuam, ideſt ſponte ſe moriturum, & virtute propria reſurrecturum. Joan. 12. ſe exaltatum a terra, ſive in crucem a-

ctum omnia ad ſe tracturum, ideſt omnes gentes ad nominis ſui notitiam, & cultum paſſionis ſuæ virtute adductutum. Quam magnifica, quam ſtupenda rudibus iis hominibus, quos a retibus, & piſcatu avocatos ſibi ſocios adjunxerat, pollicitus eſt! Spopondit fore, ut piſcatores illos hominum faceret, ut tractis ad Reges & Præſides ob nomen ſuum os, & ſapientiam ipſe daret, cui reſiſtere & contradicere adverſarii qnique non poſſent, ut in eos promiſſum Patris ſui, Spiritum ſanctum videlicet, mitteret, cujus virtute induti teſtes ſibi futuri erant *in Hieruſalem, & in omni Judæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*. Quid præſtantius iis, quæ, Marci ultimo, paulo ante quam efferretur in cælum, cultoribus Religionis ſuæ promiſit? *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.*

II. Stetit ne vero his promiſſionibus Chriſtus, an homines verbis ſuis captos fraudulenter eluſit? Iidem ii Scriptores, qui pollicitationes Chriſti nobis exhibent, quam fideliter ſancteque ille præſtiterit, quæ promiſit, luculentiſſime tradunt: quare ut perſpecta atque probata eorum veracitas de factis a Chriſto, ita & de exſolutis ab eo promiſſis dubitationem omnem excludit, præſertim cum in rerum geſtarum narratione Apoſtolis atque Evangeliſtis Scriptores alii coævi vel ſuppares Judæi Ethnicique conſentiant. Quæ autem & promiſiſſe Chriſtum, & perfeciſſe Scriptores novi fœderis referunt, num ea erant, quæ ab alio, quam a vero ſummoque Deo effici poſſent? Incredulos divinæ revelationis hoſtes fruſtra petitis e Scriptura ſacra teſtimoniis urgeremus: ſola naturali ratione premendi ſunt, ac fateri cogendi ſola divina virtute liberare Chriſtum potuiſſe fidem ſuam iis promiſſis obſtrictam; Negare ne abſque rationis injuria Increduli poſſunt, veri nominis, illudque eximium eſſe miraculum, quod quiſpiam barbaræ neci datus poſt triduum redivivus atque integer e tumulo prodeat, quod homines illiterati ac hebetes ea repente ſapientia perfundantur, quæ & ſubſtantiis ſeparatis impervia eſt, unum nativum ſermonem edocti, cujuſque gentis linguas momento citius addiſcant, iiſque expeditiſſime utentes magnalia Dei prædicent, ſolo invocato Chriſti nomine Dæmones abigant, omnia morborum genera depellant, mortuos ad vitam revocent &c.? Jam vero axiomate quarto poſitum eſt, veri miraculi unum Deum Auctorem eſſe, quique ſolus naturæ leges poſuit, ſolum poſſe eaſdem immutare, ac invertere.

III. Omnium tamen maxime atque locupletiſſime divinam omnipotentiam prædicat inſignis illa Chriſti promiſſio de trahendis ad ſe mox ut fuiſſet ſublatus in crucem, omnibus gentibus, quem mirifice præſtitam perfectamque, non probatiſſima ſolum cujuſque ætatis ac gentis monumenta, ſed & quotidiana ipſa ac communis ſenſuum teſtificatio nos docet. Perfici ne vero tantum opus humana virtute, arte, ac ſtudio potuit? Qui id vel animo fingeret, magis ſe a ratione deſertum probaret, quam ſi aſpectabilis hujus mundi opificium in aliam cauſam, quam in divinam omnipotentiam, referri poſſe cenſeret; quo enim potior eſt ſpiritus corpore, eo perfectius & majus eſt homines cujuſque generis, ætatis, & gradus mente, voluntate, ac vitæ conſuetudine penitus innovare, evulſaque ex eorum animis falſa religione penitus inſita, vetuſtaque, illos ad veri, bonique amorem, ac cultum traducere, non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ut ajebat Paulus, ſed oſtenſione ſpiritus & virtutis, quam cælum & terram creare. Si ergo hæc promiſiſſe Chriſtum, & reipſa feciſſe, facti veritas eſt teſtata adeo, & explorata, ut qui eam neget omnem humanam fidem evertat, non potuiſſe autem hæc perficere, niſi divina virtute, ipſo naturæ lumine certum adeo notumque eſt, ut rationi injuriam irroget, qui refragatur, conſequens neceſſario eſt, Chriſtum verum Deum eſſe, qui promiſit implevitque, quæ ſolius veri Dei ſunt.

IV. Non permoventur tamen Increduli hoc argumento, quod illud putent ex principiis ductum, quæ vel falſa ſunt, vel incerta; reſurrexiſſe etenim Chriſtum pernegarunt hactenus Hebræi conſtantiſſime, aliique plurimi, quibus perſuaderi nunquam potuit caput hoc, quod Chriſtiani veritatis teſtatiſſimæ loco habent: quamquam nec eſſet illud idoneum Deitatis Chriſti argumentum, quum nonnulli

li apud Ethnicos, & ſe ipſos & alios ad vitam excitaſſe leguntur. Quid vero, ſi edita a Chriſti Diſcipulis prodigia Ethnicorum etiam teſtimonio comprobantur? Iidem ii, qui veritati huic ſuffragantur, magicis artibus, & Dæmonum præſtigiis Chriſtianorum portenta tribuunt: neque ad Deitatem Chriſti adſtruendam ſatis apta eſt promiſſa ab eo Evangelii ſui prædicatio, ſuæque Religionis dilatatio; alioqui & Deum habere cogimur Mahometem, cujus etſi ſpurciſſimæ ſectæ incredibilem ferme, totque ſæculorum ſpatio firmatam propagationem nemo non novit. Quam indignum hominibus ſit, qui ratione uti velint ad eludendam argumenti ex Chriſti promiſſis ducti vim hæc opponere, nullo negotio demonſtramus. Reſurrectionis quidem Chriſti veritatem, quum ſit illa præcipuum Religionis noſtræ fundamentum ſcribente Apoſtolo, *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra*, propoſitione particulari firmabimus: cæterum abunde illam adſtruunt, & quæ de Scriptorum novi Teſtamenti veracitate jam diximus, & quæ in reſurrectionis hujus hiſtoriam a Mathæo deſcriptam propoſitione ſuperiori adnotavimus: quo vero loco habenda ſint, quæ de mortuorum ſuſcitatione ab Ethnicis venditantur, patet generatim ex iis, quæ propoſitione tertia de jactatis apud Ethnicos miraculis diſſeruimus, magiſque patebit ex iis, quæ fuſius dicenda ſunt, quum de reſurrectione Chriſti erit ſermo; neque ad eludendam impactam miraculis Diſcipulorum Chriſti calumniam alio opus eſt, quam argumento, quo Chriſtus Phariſæos retudit blaſphemantes, *in Beelzebub principe Dæmoniorum* pelli ab eo Dæmonia.

V. Deplorandum certe vehementer eſt, cogi nos ab Incredulis, Muhammedum cum Chriſto impiiſſime conferentibus immane, quod inter Chriſtianæ & Muhammedanæ religionis progreſſionem intereſt, diſcrimen oſtendere. Homines ne ſunt, qui pudendam adeo comparationem inſtituunt? Omnium autem maxime inſciti ſunt, qui ignorant, quid Evangelium inter & Alcoranum interſit, quamque diverſo modo utrumque fuerit propagatum, aut omnium certe nequiſſimi, qui hæc probe perſpecta habentes, ex latiſſimo Alcorani proceſſu argumentum adverſus Chriſti Deitatem inſtruunt, quæ admirabili Evangelii propagatione potiſſimum confirmatur. Nihil ſane Evangelio ſapientius, ſanctius, ac divinius; at nihil contra myſteriis ejus ſublimius, obſcurius, & præconceptis hominum opinionibus omnium ferme animis jamdudum penitus inſidentibus magis infeſtum, nihil pravis hominum affectionibus, & vetuſtiſſimæ conſuetudini incommodum magis atque moleſtum. Doctrinam hanc tamen creditu ſumme arduam, factuque perdifficilem perſuaſiſſe Chriſtum hominibus, *confitentur Gentiles, nec contradicunt, quod omnes undequaque Orbis Eccleſias fundaverit Chriſtus*, ait egregie Chryſoſtomus in l. *quod Chriſtus ſit Deus*, cujus aurea verba etſi paulo prolixiora digniſſima ſunt, quæ exſcribantur: *Hinc faciemus demonſtrationem virtutis Chriſti*, pergit eloquentiſſimus Pater, *& oſtendemus ipſum Deum; etenim non eſt puri hominis in tantis rebus orbem terra marique tam brevi tempore comprehendere, & tam abſurdis moribus præventum, tantiſque malis irretitum liberare humanum genus, & non Romanos tantum, ſed & Perſas, & omne Barbarorum genus: inſuper quod hæc confecit nullis uſus armis, nullos faciens ſumptus, nullos movens exercitus, nulla prælia committens, ſed per undecim viros principio ignobiles, rudes, idiotas, pauperes &c. Perſuadere potuit tot hominum tribubus, ut non de præſentibus tantum, ſed de futuris etiam philoſopharentur, ſubvertit leges patrias, abolevit conſuetudines inveteratas, & pro illis ſuas alias plantavit, abduxit homines ab his, in quæ propenſi erant, & in ardua, & difficilia induxit.*

VI. *Quamquam adverſus Eccleſiam*, alibi ait idem Chryſoſtomus, *arma Tyranni moverint, ipſique milites nefario conſenſu ruinam & exitium afferre conati, quamquam in ipſam populi univerſi ira & furore æſtuantes exarſerint, licet populorum mores illi repugnarint, Oratores, Philoſophi, Magiſtratus, & divites delere ipſam & extinguere pro viribus tentarint, permanſit tamen, & objectis obſtaculis crevit, & ſeſe quaqua verſum diffundens ipſo igne rapidius verbum Dei tribulos & ſpinas omnes conſumpſit, agros purgavit, & prius ſteriles ſua cœleſti vi fœcundavit. Illi autem, qui veritates evangelicas amplexi retinebant, licet eos carceres, exilia, facultatum amiſſio, flammæ ubique manerent,*

licet hactenus inauditis ſuppliciis quotquot acerbiſſima & turpiſſima excogitari poterant, cruciarentur, creſcebant in dies ſuppliciis & crucibus facti alacriores, eorumque zelum non modo non extinguebant illa ſanguinis flumina, quæ a tot cæſorum fidelium venis fluebant, ſed eum excitabant & inflammabant magis. Hæc diſertiſſimus Pater. Quidpiam ne vero ſimile in Mahammedanæ legis dilatatione deprehendere eſt? Legem, qua nihil erupit hactenus ſtolidius, craſſius, ac fabulis redundantius, qua carnalium hominum concupiſcentiæ ad libidines, rapinas, cædes, flagitia quæque laxiſſimæ remittuntur habenæ, in quam a vaferrimo ejus latore ſeveriſſime vetantur inquirere cultores ejus (quod eſt manifeſtum iniquitatis indictum, ait præclare Grotius, quum merito ſuſpecta ſit merx, quæ hac lege obtruditur, ne inſpici poſſit) legem hanc, inquam, ſtupidum eſſe oportet, qui miratur, ad corruptos hominum mores, & inſanas cupiditates plane accommodatam a Saracænis primum, deinde a Turcis, utriſque arte prædonibus, atque ab omni humanitate ac pietate alienis, fuiſſe aviddiſſime exceptam, retinerique conſtanter. An miraculis illa, morum ſanctitate, & malorum patientia tam late prolata eſt? Uni armorum vi, & hominum improbitati, ſuum incrementum debet, quum in Alcorano ipſo c. Azoara hæc legamus: *Religio iſta, quo arma eunt, ſequitur, & armorum acceſſio eſt, & bellorum ſucceſſu nititur*; quare quum totus humanus fuerit iſque violentiſſimos ejus propagandæ modus, intolerandum eſt, jactari illum ab Incredulis, atque cum admirabili ac divino, quo Chriſtiana religio diffuſa eſt, modo conferri.

VII. Regerit Incredulus: Singulæ Religiones veritatem ſibi arrogant, atque jus exigendi, ut adjungatur cæca ſuis dogmatibus fides, ſingulæ ſua prodigia, vaticinia, atque promiſſa jactant, quibus ſubnixæ ſunt, par ergo earum ac Chriſtianæ Religionis eſt cauſa, parque iccirco omnium habenda ratio: at quæ illa illatio eſt? Eccur homines ſumus, ſi ratione non utimur, qua certa ab incertis, divina ab humanis, vera ſecernamus a falſis? Quum unus ſit Deus, unam quoque religionem oportet eſſe veram, qua ille a nobis rite ſancteque colatur, iiſque perſpicuis, certiſque notis inſignem, ex quibus dijudicare illam poſſit homo ratione utens, atque a falſis rato judicio internoſcere; alioqui eſſet, cur de providentia Dei conqueremur, ſi quum velit ille a nobis vera religione coli, non ea huic evidentia credibilitatis, & veritatis argumenta adjunxiſſet, quæ quum in falſam religionem quadrare nulla ratione poſſint, ab omni nos in veræ Religionis delectu errandi periculo removerent. Argumenta omnium evidentiſſima ſunt veri nominis miracula, vaticinia eventui juncta, promiſſiones, quas implere ſolius veri Dei ſit. Quid porro, ſi tot illæ quæ toto orbe terrarum diffuſæ ſunt, religiones ejuſmodi ſibi vindicant argumenta? Rationis eſt inquirere, an ſingulæ id jure faciant, quumque nonniſi una vera eſſe poſſit, cæteras autem falſas eſſe neceſſe ſit, rei veritatem ſanctitatemque certo adjudicare, in qua ſola omnes veritatis ſanctitatiſque notas certiſſime deprehenderit. Jam vero demonſtratum eſt, non niſi per ſummam inſcitiam, aut peſſimam fidem Chriſti miracula, vaticinia, promiſſa cum iis quæ aliæ quæque religiones venditant, poſſe conferri, quum eam omnem certitudinem, eoſque omnes Deitatis characteres, quos exigere ratio poſſit, noſtra præferant, aliena vero nihil certi habeant, explorati nihil, nihil divini. Stupidus itaque, aut ſponte cæcus eſt, qui veram Religionem a falſis non internoſcit. Judaicam mittimus, quam non hoc nomine falſam jam eſſe, contendimus, quod non fuerit illa veris prodigiis, vaticiniis, diviniſque promiſſionibus conſtabilita, ſed quod ad certum tempus fuerit divinitus conſtituta, quo exacto abrogata fuit, & in multo meliorem a Meſſia juxta divina oracula commutata.

PROPOSITIO VI.

Quæ de Chriſto tradunt Evangeliſtæ, verum quoque illum fuiſſe hominem probant.

I. Q*Uum hoc ſit, quod juſtificat impios, quod ex peccatoribus facit ſanctos*, ut præclare ait S. Leo M., *ſi in uno eodemque Domino N. J. C. & vera Deitas, & vera credatur humanitas*, in altero hoc Religionis Chriſtianæ potiſſimo capite demonſtrando multum a

nobis operæ ponendum eſt, ut quemadmodum veram Domini noſtri Deitatem pro virili firmavimus, ita contendendum eſt, ut probemus, verum eſſe, *quod Beatus Joannes Spiritu ſancto plenus intonuit*, verba ſunt ejuſdem Leonis M., *Verbum illud, quod in principio erat apud Deum & Deus erat, carnem factum eſſe, & habitaſſe in nobis, & in utraque natura eundem eſſe Dei filium, qui noſtra ſuſcipiens propria non amiſit & in homine hominem renovans, in ſe incommutabilis perſeveravit*. Quoniam autem veritas hæc a multiplici hoſtium genere impetitur, nec vero iiſdem armis, in ſuas quique claſſes tribuendi ſunt, ſuaque in arena beſtiæ hæ confodiendæ. Primo occurrunt Ethnici, quibus adſtipulantur recentiores Increduli, ii nimirum, qui omnia naturali ratione metientes nullam divinæ revelationis rationem habent, quibus Dei hominis facti myſterium, teſte Apoſtolo, *ſtultitia eſt*, quod nimirum videatur iis a ratione ipſa & humana fide abhorrere quam maxime, ſummum omnium parentem Deum, eundem certo tempore verum hominem factum. Quo autem veritatem hanc luculentius demonſtremus, & difficultates, quibus illam Increduli vexant, facilius expediamus, præmittenda eſt genuina Incarnationis Dominicæ idea, quæ Chriſtianorum omnium mentibus inſidet.

II. Deum hominem vere factum ita credimus, ut unus idemque Deus & homo ſit, unus quidem unitate perſonæ, quod una ſit divinæ, humanæque naturæ hypoſtaſis, non unitate naturæ, quod neque Deitas in carnem, neque in Deitatem caro converſa fuerit, ſed utraque natura cum ſuis quæque dotibus, & adfectionibus, etſi in una eademque perſona conjuncta ſit, impermixta tamen & inconfuſa permanſerit: quare fit, ut quum in duabus naturis perfectis, & re diſtinctis una eademque perſona ſubſiſtat, enuntiari de illa vere poſſint, quæ propria cujuſque naturæ ſunt, etſi invicem pugnent: hinc recte Chriſtum dicimus mortalem & immortalem, æternum & temporarium, omnipotentem ac infirmum, Dei filium & filium hominis, quia qua Deus immortalis revera, æternus, omnipotens, Deique filius eſt, qua vero homo temporis viciſſitudini, infirmitati, pænis, & morti obnoxius eſt; neque dum Deum, Deique filium paſſum, mortuum, ſepultumque dicimus, hæc Deitati tribuimus, quam neque pati neque mori poſſe, docemus, ſed ad Deum, Deique filium hæc referimus, quod ſit ille non divinæ ſolum, ſed & humanæ naturæ perſona, quam ſibi in hypoſtaſis unitate conjunxit, & ſecundum quam his, quæ in Deitatem cadere nulla ratione poterant, ſubeſſe ultro voluit. Hac expoſita Incarnationis notione, propoſitionem noſtram morali hac, quam nobis D. Thom. l. 4. c. g. c. 27. ſuppeditat, demonſtratione tranſigimus.

III. „ Nihil mirabilius excogitari pot„ eſt divinitus factum, ait Angelicus, „ quam quod verus Deus Dei filius fie„ ret homo verus, & quia inter omnia „ mirabiliſſimum eſt, conſequitur, quod „ ad hujus maxime mirabilis fidem o„ mnia alia mirabilia ordinentur. Hanc „ autem Dei Incarnationem mirabilem „ auctoritate divina tradente confite„ mur . . . . . hanc ipſius Domini Jeſu „ Chriſti verba manifeſte oſtendunt, „ quum de ſe quandoque loquatur humi„ lia & humana, ut eſt illud, *Pater* „ *major me eſt*, *Triſtis eſt anima mea* „ &c., quæ ei ſecundum humanitatem „ conveniunt; quandoque vero ſublimia „ & divina, ut eſt illud, *Ego & Pater* „ *unum ſumus* &c. Oſtendunt hoc etiam „ ipſius Domini facta, quæ de ipſo le„ guntur; quod enim eſuriit, timuit, „ triſtatus eſt, & mortuus, pertinent ad „ humanam naturam, quod vero pote„ ſtate propria curavit infirmos, mortuos „ ſuſcitavit, elementis mundi efficaci„ ter imperavit, Dæmones expulit, pec„ cata dimiſit, a mortuis cum voluit, re„ ſurrexit, quod denique cælos aſcendit, „ divinam in eo demonſtrant virtutem.“ Quoniam vero Evangeliſtas non ut Scriptores divinitus afflatos, ſed ut Hiſtoricos veridicos adverſus Incredulos urgere, nobis propoſitum eſt, divina, qua pollent auctoritate ſepoſita, humanam, quam unam eis Increduli tribuunt, teſtificationem eorum aſſumimus, atque in hunc modum ratiocinamur. Librorum novi Teſtamenti Scriptoribus integram adhibendam eſſe fidem, quod ii maxime ſinceri fuerint, ac veraces, propoſitione ſecunda decretum eſt; quum ergo ii non ſolum miraculis, vaticiniis & promiſſionibus adſtruxiſſe Chriſtum Deitatem

ſuam,

ſuam, teſtentur locupletiſſime, ſed & rebus & verbis humanitati ſuæ conſtantem fidem feciſſe, ſeu prætuliſſe omnia, quæ veri hominis ſunt, natum illum ſcilicet ex muliere, ſenſim ætatis, aliorum hominum inſtar, incrementa cæpiſſe, iiſdem (etſi non omnibus) quibus & alii homines, incommodis laboraſſe, laſſitudine, fame, ſiti, metu, tædio, triſtitia, vulneratum, interemtum, & tumulo datum, quemadmodum Deitatis Chriſti argumentum ab iis fideliter memorata nullum dubitandi, quin verus ille Deus fuerit, locum relinquunt, quod non niſi a vero Deo edi illa potuerint, ita poſteriora quæ referunt, humanitatem ejus certo demonſtrant, quod hæc non potuerint niſi in verum hominem cadere : aut ergo abroganda Evangeliſtis fides, ideoque rationi mittendus eſt nuncius, aut confitendum Chriſtum Deum ſimul hominemque verum fuiſſe : quum vero non fuerit ille homo ſemper, ut ſemper Deus, Incarnationis ſeu Dei deffinito tempore hominis facti myſterium ponendum eſt.

IV. Ut demonſtrationis hujus vim labefactent recentes Increduli, omnia recoquunt, quæ adverſus myſterium hoc Ethnici Philoſophi contorſerunt, ac primo ajunt, concipi nulla ratione poſſe, Deum hominem factum, quum ſit illud & factu & cogitatu impoſſibile. 2. nihil fingi poſſe abſurdius unione hac Dei cum homine, atque idem perinde eſſe, ac ſi Pictor humano corpori cervicem jungat equinam. 3. totum hoc Chriſtianorum myſterium contradictionibus apertis ſcatere, eundem nimirum Deum incorporeum eſſe, & corporeum, beatum ac miſerum &c. Quod ſi hæc in Deo ſuo incarnato ſibi videntur Chriſtiani poſſe componere, cur & mendacium ac peccatum cum ſumma ejus bonitate, ac veritate non conciliant ? Poſtremo deſtrui myſterio hoc veram Dei ideam ; jam enim Deus non eſt, ſi non ſit ille immutabilis, immenſus, atque providentiſſimus ; de his autem veri Dei notis actum eſſe, ſi Deus hominem induiſſe credatur, nemo non videt ; non eſt ergo cur Evangeliſtarum veracitatem Chriſtiani urgeant ; concidit enim eorum fides, quod abſurda, pugnantia, impoſſibilia, Deoque indigna tradant, quæ admittere niſi impii aut ſtupidi poſſunt.

V. Una tamen Incarnationis notio jam præmiſſa omnia hæc, & alia quævis Incredulorum argumenta convellit ; mirabile enim hoc opus repugnare Deo, nec potuiſſe ab illo fieri, ille ſolus adſerat, qui velit Omnipotentem ex ingenio ſuo æſtimare, & infinitum palmo ſubmetiri ; Quum naturalis ratio doceat, ea ſolum fieri a Deo non poſſe, quæ contradictionem involvunt, quæque imperfecta, & abſurda quum ſint, Deum abſolute dedecent, nec poſſunt ei tribui, niſi majeſtatem ejus deprimant veramque ejus ideam tollant, quidpiam ne hujuſmodi in mirabili Dei hominis facti œconomia ? Nemo unus eſt, qui diſſentiat, poſſe Deum ſe ſolo efficere, quidquid ſuapte natura perfectum a creata cauſa præſtatur, naturam autem aliquam ſubſiſtentem efficere, ultimo in linea ſubſtantiæ complere, alteri communicabilem reddere, quæ omnia hypoſtaſis & perſonæ officia ſunt, perfectum eſt : quid ni ergo potuit Deus perfectionem hanc humanæ naturæ ſe ſolo communicare, eamque divina ipſa ſua perſonalitate complere, atque perficere, ſive in aſſumpta natura præſtare quidquid ſub humana ſubſiſtentia præſtitiſſet ? Non poteſt ille quidem ſe ſolo eorum effectuum auctor eſſe, qui deficientes imperfectique quum ſint, defectionis notam illi aſpergerent, neque illarum cauſarum vices obire, quæ ſunt eſſentialiter imperfectæ, ideoque nec corporis, nec formæ, ut ajunt, *informantis*, neque partis, neque accidentis vicibus fungi poteſt, quod hæc imperfectionibus ita ſint illigata, ut ab iis expediri non poſſint. Subſiſtentia vero tantum ab imperfectione abeſt, ut naturam perficiat potius, illam ultimo complens, atque determinans : quare nil vetat, quin Deus perfectiſſimus ipſe, & inexhauſtus cujuſque perfectionis fons, hanc humanæ naturæ in Perſonæ unitatem aſſumptæ perfectionem ſe ipſo tribuerit.

VI. Ut autem id Deus ſe ſolo præſtaret, neceſſarium plane fuit, impedire illum, ne ab humana natura, quam ſibi ineffabiliter junxit, propria, atque congenita ſubſiſtentia pullularet ; neque ſane Deus homo vere factus eſſet, niſi effeciſſet omnipotenti virtute ſua, ne a natura, quam induit, propria & naturalis ſubſiſtentia profflueret, acturus ipſe per ſe, quidquid humana egiſſet ſubſiſtentia, ſi permiſſa fuiſſet juxta naturæ ordinem promanare. Potuiſſe vero id fieri a Deo, quis negare audeat, niſi ipſam ſubſiſten-

ſiſtentiæ notionem a Methaphiſicis traditam prorſus ignorare ſe prodat? Quum ſit illa ultima naturæ determinatio, moduſque naturam poſtremo complens, alterique penitus incommunicabilem reddens, vel poſitivus, ut Thomiſtæ adſerunt, vel negativus, ut Scotiſtis placet, vel re, ſi veteres Peripateticos, vel mente ſolum, ſi recentiores Philoſophos audimus, a natura diſtinctus, poſſe illam divinitus impediri, ne actu profluat à natura, extra controverſiam eſt, quoniam eſt illa præter cujuſque rei naturam, optimeque concipi hominis, ut & cujuſque rei, eſſentia poteſt, quin actu ſubſiſtere intelligatur. Ipſos appello Ethnicos, qui Deorum ſuorum virtute effectum tradunt, ut Augur Nævius coram Tarquinio Priſco cotem novacula ſecuerit, Virgo Veſtalis aquam ſuapte natura fluidam cribro perforato detulerit, altera candentes laminas illæſis manibus attrectarit, quorum nihil fingi poteſt effectum, niſi actualis durities ſectioni reſiſtens fuerit a cote ſejuncta, præterea item fuerit, ne ignis actu ureret, ne aqua actu diffiueret. Qui ergo factum divinitus credunt, ut cos actu dura non eſſet, ignis actu non urens, aqua actu non diffluens, nec excurrens, qui negare poſſunt, fieri a vero Deo non potuiſſe, ut hominis natura actuali ſubſiſtentia ſua nudata, ipſius Dei ſubſiſtentia perficeretur, quum, actu ſubſiſtere præter intima, & eſſentialia hominis principia ſit, haud ſecus, ac durities actualis, comburendi ac fluendi actus, etſi naturales cotis, ignis, & aquæ adfectiones ſint, præter horum corporum tamen eſſentiam ſunt, adeoque divinitus ſeparabiles?

VII. Jam vero nihil in myſterio hoc impoſſibile eſſe, nihil incredibile, nihil abſurdum, nihil chimericum, atque monſtroſum, quamquam momenta ex legitima Incarnationis notione ducta, & ad Methaphiſicæ leges exacta ſatis oſtendant, quia tamen de re agitur momentoſiſſima, petitis ex Ethnicorum Mythologia, ex Thalmude, & Alcorano argumentis revincendi Increduli ſunt, ac fateri cogendi, nihil a nobis credi, quod Deum deceat, quodque rectæ rationi adverſetur. Rem egregie confecit clariſſimus Huetius in *quæſtionibus Alnetanis de concordia rationis & fidei* l. 2. c. 13. cui titulus: *De Deo humana natura induto*, ex quo pauca hæc delibabimus. „ Deum humanam naturam aſſumere non potuiſſe, ſi „ cauſabuntur impii, nos totam antiquitatem ſimilia de ſuis Diis jactitantem „ opponimus; Quot enim homines eſſe „ factos, quum Dii eſſent, prophana ſibi „ perſuaſit antiquitas "? Memorat Huetius primo Græcos, qui Eſculapium, Pythagoram, Abarim, Platonem, Apollonium, alioſque etſi Deos Deoque intelligibiliter genitos humanam in terris formam, naturamque geſtaſſe putarunt. Idem Ægyptis, Romanis, Indorum Brachmanibus, aliiſque creditum fuiſſe, Huetius idem locupletiſſimis monumentis evincit, e veſtigio ſubiiciens: „ Hæc quum a tot gentibus credita ſint, nihil eſt, cur in eo „ doctrinam Chriſtianam reiicere poſſit „ impietas, præſertim cum Amelius Porphirii Magiſter ex Joannis Evangelio „ confeſſus ſit, Dei Verbum Deum eſſe „ hominem factum, ſubiiſſe mortem, „ Deumque poſt interitum extitiſſe, ita „ ut extiterat ante ortum.

VIII. „ Nec ipſi repugnare auſint Judæi, „ qui Meſſiam non purum hominem, ſed Dei „ Verbum, juxta ſplendidiſſimam Philonis „ teſtificationem affirmant, & Sapientiam „ Divinam in eo inſertum iri, quumque „ priſca eorum Cabala tradat, Deum ex „ ſe producere Sephirot, in uſque deinde „ naſci, eaſque fieri, quum neque æternæ illæ ſint, neque æterna ſit Dei cum „ illis conjunctio, cur credere nolint Deum „ cum homine a ſe producto poſſe conjungi, cauſa nulla eſt; & credunt ſane, „ quum fateantur Thalmudicorum & Rabbinorum plerique, Deum induere huma„ nam naturam poſſe, & olim induiſ„ ſe. " Quid de Chriſto Jeſu Muhammedus in Alcorano? Verbum Dei appellat, verum Dei Sermonem, & Spiritum ex Maria Filia Joachim, eaque Virgine natum, & inter Diſcipulos ejus præcipuus Achmedus Chriſtum dicit æternum Dei verbum etiam qui unus ex duobus Mundi conditoribus eſt, quique corpus humanum more cæterorum hominum vere induit. Verum quid plura perſequi neceſſe eſt, quum peſſimus ille Chriſtianæ Religionis hoſtis Porphirius affirmarit, poſſe Deum hominem fieri, quoddamque eſſe Deorum genus, qui humanæ vitæ deſiderio capti, in homines aliquando mutentur? Quid vero ſi myſterio incarnationis adſtructo, neceſſe fuit humanam naturam ſupra ſe erigi, & ad divinum veluti ordinem

dinem elevari? Quidpiam ne aſſerimus divina poteſtate majus, aut hominum naturæ repugnans? Præterquamquod nihil vetat quidpiam a ſupremo rerum omnium Domino magis perfici, quam naturalis ejus conditio exigat, hoc abſurdum eſſe putabunt, humanitatem ipſa Dei ſubſiſtentia completam a Deo perfici, qui homines pleroſque etſi ſpurciſſimos, & ſceleſtos fingunt vel Deos, vel ſidera factos a Jove? Nihil ergo abſurdi fingimus, qui Deum hominem factum aſſerimus.

IX. Leges porro contradictionis ignorant, qui myſterium hoc ex pugnantibus conſutum eſſe ſcripturiunt? Quid enim ſi contraria de eodem Chriſto enuntiamus? Anne vero ſecundum idem? Quum unam eandemque Dei perſonam in duabus naturis reipſa diſtinctis, quarum quælibet ſuas adfectiones habet & attributa, ab alterius attributis & adfectionibus immenſo intervallo diſcreta, ſubſiſtere doceamus, eandem Dei Perſonam, qua Deus eſt, immortalem recte dicimus, ſimpliciſſimam & feliciſſimam, qua vero homo mortalem, compoſitam, & ærumnis obnoxiam, quæ inter ſe pugnantia prædicata a contradictione quam longiſſime abſunt, quod hæc de una eademque perſona enuntientur ſecundum diverſa, diſtinctas nimirum naturas, quibus illa conjuncta eſt. Profecto ſi, ut eſt apud Philoſophos in confeſſo, ſola conceptionum diverſitas, ſola, quæ conſideratione non refit, diſtinctio, atque ſecretio ſatis eſt, ut contraria de eodem dicta contradictione vacent, ſimulque ſint vera, quo magis infinitum illud, quod humanam inter ac divinam naturam intereſt, diſcrimen a propoſitionibus iis, quas de uno eodemque Chriſto conficimus, contradictionem omnem avertet? Hinc intelligitis, nullam a nobis Deo homini facto injuriam irrogari, nihilque illi adſcribi, quod eum deprimat, ac dehoneſtet, dum illum tempori, pœnis & morti obnoxium dicimus; ſunt enim hæc ejus, quam adſumpſit, naturæ conſectaria, & licet in Deitatem ipſam, neque in Perſonam aſſumentem, qua Deus eſt, cadere poſſint, vere tamen de illa enuntiantur, quatenus humanæ naturæ Perſona eſt, quum certiſſimum ſit Philoſophorum omnium ſcitum, ſuppoſito, vel Perſonæ cujuſcunque naturæ rectiſſime tribui, quæ ejuſdem naturæ ſunt propria.

X. Cur vero incorporeus, ſimpliciſſimus, æternus, immutabilis Deus potuerit corpoream, compoſitam, tempori mutationique obnoxiam naturam adſumere, ita vero a bonitate ac veracitate ejus peccatum atque mendacium aliena ſint, ut, hæc Deo etiam in adſumpta natura repugnent, ratio perſpicua in promptu eſt, quam tradit Angelicus. Quum Deus rerum omnium principium & finis ſit, ut primus omnium auctor eſt, ita omnia ad bonitatem ſuam, ſive ad ſe ipſum, ceu ultimum finem convertit, & refert, ideoque eo Auctore illa prodeunt, aut prodire poſſunt, quæ ad bonitatem ejus aliave attributa manifeſtanda poſſunt tamquam ad finem dirigi; Hinc & malorum pœnæ ipſe Auctor eſt, quod divina juſtitia in iis inferendis eluceat, plurima rerum genera in aſpectabili hoc mundo fecit, quod ea rerum varietate divina poteſtas, ac ſapientia manifeſtentur. Quid ergo vetuit, uniri illum humanæ naturæ etſi corporeæ, atque mutabili, quam & ipſe condiderat, cujus etiam adſumptio in ſummam vergere poterat bonitatis, ſapientiæ atque potentiæ ſuæ commendationem & gloriam? Cæterum malum culpæ, quum ſit divinæ legis prævaricatio, ordinis ab eo poſiti perturbatio, atque ab ultimo fine receſſio, divinæ gloriæ infeſtum eſt, majeſtatem Dei infra res creatas deprimit, & bonitati ejus, aliiſque attributis injuriam infert; quare ſicut Deum, ut ſui finem, neque reſpicit, nec vero reſpicere poteſt, ita nequit a Deo ut principio & cauſa eſſe; alias Deus ſecum ipſe pugnaret, negaretque ſe ipſum, quod plane cogitatu abſurdum eſt.

XI. Eccur vero de immenſitate, ac providentia Dei actum eſt, ſi credamus illum humanæ naturæ ſociatum? Voluſiano Ethnico, ex quo ſtrophas has mutuantur Increduli, blateranti abſonum eſſe, ut, *qui extendit omnia, contineatur in minimo, intra corpuſculum vagientis infantiæ lateat, cui parva putatur univerſitas, & cui imminet cura magnorum, ad unum corpuſculum, & ad parva ſe transferat*, repoſuit præclare Auguſtinus: *Non habet hoc Chriſtiana Doctrina, quod ita ſit Deus infuſus humanæ carni, ut curam gubernandæ univerſitatis vel deſeruerit, vel amiſerit, vel ad illud corpuſculum quaſi contractam transtulerit; hominum enim eſt iſte ſenſus nihil niſi corpora valentium cogitare. Deus non mole, ſed virtute magnus eſt, unde magnitu-*

do

Digitized by Google

do virtutis ejus nullas in anguſto ſentit anguſtias . Non eſt incredilile, ſi verbum hominis tranſiens ſimul auditur a multis, & a ſingulis totum , quod Verbum Dei permanens ſimul ubique ſit totum . Perverſe itaque myſterium hoc carnales homines interpretautur , ut illi invidiam conflent ; necvero quidpiam incredibile a nobis obtrudi, præter exemplum aptiſſimum, quod mox ex Auguſtino laudavimus, ipſa perſuadere poteſt Ethnicorum Mythologia , qua iis vulgo creditum fertur, ſupremum mundi rectorem Jovem induta vel aureæ pluviæ, vel tauri, vel volucris forma delapſum in terras, ut ſcelesta illa patraret, quæ ſunt Poetarum carminibus celebrata, quin cælos deſeruerit , vel muudi curam abjecerit, vel pluviæ, tauri , voluctis anguſtiis fuerit circumſcriptus. Abſurdum ne ergo erit, & ab humana fide remotum , quod confitemur , verum Deum e cælis non exceſſiſſe, ut caro fieret, quum ſit ille immenſus, uec univerſitatis curam ad unius corpuſculi adminiſtrationem tranſtuliſſe , quum ſit ille infinite ſapieus, & potens , unuſque par ſit regendis infiuitis rebus, ſi eſſent ?

XII. Denique Deum hominem factum eſſe abſque ulla ſui mutatione , nitide demonſtrat Angelicus ajens : ,, Eorum quæ de „ novo aliquid fiunt, & de quibus aliquid „ incipit enuntiari, quod antea enuntiari „ vere non poterat , non omnia mutan- „ tur, ſed ea ſolum, quæ abſolute aliquid „ in ſe recipiunt, quo ante carebant : ſi „ quæ vero relative dicantur, poſſunt re- „ center alicui tribui, atque de eo dici, „ quin vere mutetur illud de quo dicuu- „ tur, ſicut homo de novo fit dexter abſ- „ que ſuè mutatione per motum illius , „ qui fit ei ſiniſter. Eſſe autem hominem „ Deo convenit ratione unionis , quæ re- „ latio quædam eſt, ideoque hominem eſ- „ ſe prædicatur de novo de Deo abſque „ ejus mutatione per mutationem humanæ „ naturæ, quæ in divinam Perſonam aſ- „ ſumitur. “ Doctrinæ huic refragari Increduli nequeunt , niſi rationem ipſam ejurent ; ut enim alia exempla mittam , Deum fatentur ipſi certo tempore mundum creaſſe , cæpiſſe productis rebus providere eaſque regere . A certo ergo tempore dici cæpit Creator , Proviſor, Dominus, Rector , quum ab æterno nec talis eſſet , nec dici poſſet , neque enim ab æterno mundus erat, quem regeret, cui præeſſet &c.. Numquid vero nova hæc Creatoris, Domiui &c. appellatio mutationem Deo ipſi intulit ? Nullam omnino ; ut enim hæc vera ſit, aſſentiuutur Iucreduli , ſatis eſſe temporariam rerum mutationem quas Deus condidit, quas adminiſtrat , & quibus præeſt . Quid ni ergo Deus a ſeptemdecim dumtaxat ſæculis potuit homo fieri, & vere dici , quin mutatus ipſe ſit ſola mutata humana natura , quam eo dumtaxat tempore unire ſibi voluit , ut eam ſumme perficeret, uon ut ab ea quidpiam perfectionis mutuaretur ? Doctrina hac alia quæque exufflautur Incredulorum objecta, quæ in idem ferme reciduut.

Legitima propoſitionis hujus conſectaria .

XIII. Conſequitur primo, Deum verum adſumpſiſſe corpus humanum , & deliraſſe tot illos veteres Incredulos , qui Incarnationis veritate negata , ut ait D. Thomas 4. c. g. c. 20., fictitiam quandam Incarnationis ſimilitudinem introduxerunt . Si Tertullianum, Irenæum , & Auguſtinum audimus, peſſimi erroris hujus ipſo Apoſtolorum ævo initia figenda ſunt ; Simon Magus etenim primus effutiſſe traditur , Chriſtum Tiberii tempore uon *vere* , ſed *putative* tantum apparuiſſe , nec verum geſtaſſe humanum corpus , ſed phautaſticum, & umbratile. Labente primo ſæculo errorem hunc latius vulgavit Baſilides e Simonis ſchola , eumque ſecundo , & tertio ſæculo avidiſſime exceperuut , retinueruntque conſtantiſſime Cerdoniani , Marcionitæ, Tatianiſtæ, & Manichæi . Etſi autem Valentinus , Apelles , & Apollinaris verum Chriſto Domino corpus adſcripſerint, non illud tamen, quod ejuſdem eſſet cum noſtro naturæ, ſed toto cælo diverſæ. Valentinus enim corpus Chriſti finxit ex quadruplici ſubſtantia compactum ex *ſpirituali* ſcilicet, *animali*, *corporea* æconomiæ cauſa ſuſcepta, quæ tamen a craſſioni quavis materie defæcata erat , & *ex ſuperno Salvatore* , qui in Chriſtum in columbæ ſpecie deſcendit , ex qua ſubſtantia quadruplici una Chriſti natura conſurgeret. Apelles vero, ut Epiphanius refert, fabulatus eſt , Chriſtum e Cælo delapſum in terras corpus ſibi ex quatuor elementis effinxiſſe , poſt paſſionem vero humana natura illa , quam ſumperat , reſoluta unicuique elemento , quod cuique

erat

erat proprium, reddidiſse, velut calido calidum &c. ſicque illo, quod carne conſtabat, corpore diſsoluto in cælum, unde venerat, aſcendiſse; Apollinaris denique, teſte Athanaſio, Epiphanio, atque Theodoreto, eo dementiæ venit, ut increatam interdum, cæleſtemque Chriſti carnem, aliquando Deitati diceret conſubſtantialem.

II. Etſi autem tres hi Hæreſiarchæ in figenda Chriſti veræ carnis natura ac origine diſſentirent, unus tamen idemque hic erat eorum error, non ſumpſiſſe Chriſtum corpus ex Matre, neque ex illa natum, ſed aliunde formatam carnem, atque a cælo advectam per Matris uterum, veluti per fiſtulam tradux iſſe, ſeu, ut Tertullianus refert in lib. *de Carne Chriſti*, natum Chriſtum *per Virginem, non ex Virgine, in vulva, non ex vulva*. Omnes errores iſtos ſuperioris propoſitionis veritati ex æquo adverſari ſentitis; Si enim Deus non verum corpus, ſed corporis umbram aſſumpſit, non verus homo fuit, ſed hominis larva, tantumque a vero homine abluit, quantum ab ipſa hominis veritate ſculpta vel picta hominis imago diſtat: ſi etiam alterius naturæ carnem induit, neque illam materna traxit ex carne, qui verus homo dici potuit, & hominis filius, qui nec carnem haberet humanæ congenerem, nec originem haberet ex homine? Quamquam vero ex propoſitionis præcedentis veritate conſectarii hujus veritas naturaliter fluat, enucleanda tamen illa paulo fuſius eſt, quod tot ii memorati Increduli ſpeciales in eam difficultates intorſerint, neque tamen in hoc exequendo aliis momentis utemur, quam quibus hactenus uſi ſumus, inde videlicet ductis, quod genuini ſint novi fœderis libri, eorumque Scriptores omnino veraces.

III. „ Quum cæpero Mathæi Evangelium recitare, ita Fauſtum Manichæum „ Auguſtinus urgebat, ubi narratio Chri„ ſti tota contexitur, continuo dices, „ narrationem illam non eſſe Mathæi, „ quam Mathæi eſſe dicit univerſa Eccle„ ſia ab Apoſtolicis ſedibus uſque ad præ„ ſentes Epiſcopos certa ſucceſſione per„ ducta: Tu mihi contra quid lecturus „ es? Aliquem forte Manichæi librum, „ ubi Jeſus negatur eſſe natus ex Virgi„ ne: ſicut ergo ego credo librum illum „ eſſe Manichæi, quia ex ipſo tempore quo „ Manichæus vivebat, per Diſcipulos ejus „ certa ſucceſſione Præpoſitorum veſtro„ rum ad veſtra uſque tempora cuſtoditus „ atque perductus eſt, ſic & iſtum librum „ crede eſſe Mathæi, quem ex illo tem„ pore quo Mathæus ipſe in carne vixit, „ non interrupta ſerie temporum, certa „ connexionis ſucceſſione Eccleſia uſque ad „ tempora iſta perduxit. Et dic mihi, cui „ libro potius credere debeamus, ejuſne „ Apoſtoli, qui Chriſto, quum adhuc in „ terra eſſet, adhæſerat, an neſcio cui „ Perſæ, qui tanto poſt natus eſt? “ Ut certo ergo genuinus eſt Mathæi liber, ita certo adjungenda eſt illi fides, ceu coævo, atque oculato teſti eorum, quæ de Chriſto in literas retulit. Quid vero de Jeſu Mathæus, cui alii mirifice concinunt novi Teſtamenti Scriptores? „ Ipſo Evan„ gelii ſui exordio, ait Auguſtinus, ſatis „ oſtendit, generationem Chriſti ſecun„ dum carnem ſe ſuſcepiſſe narrandam, „ ſecundum quam Chriſtus filius hominis „ eſt, quod etiam ſe ipſe ſæpiſſime appel„ lat: Exequitur autem humanam Chri„ ſti generationem, ab Abraham genera„ tiones commemorans, quas perducit *ad* „ *Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt* „ *Jeſus*. “ Jam vero ſi Chriſtus, Mathæo teſte, Abrahæ ac Davidis filius fuit, quod ab his Majoribus continua generationum ſerie caro ejus fuerit procreata, ſi de Maria natus eſt, ſi hæc illum non in utero ſolum habuit, ſe & peperit *filium ſuum primogenitum*, delirare neceſſe eſt, qui phantaſticam Chriſto, aut alterius a noſtra naturæ carnem affingunt, negantque illum de Matre natum.

IV. Innumera afferri in hanc rem argumenta poſſunt, unum tamen brevitatis gratia ſeligimus, quod egregie verſat D. Thom. loco poſterius laudato; Apoſtolos reſurrectionis præſertim Chriſti delectos fuiſſe divinitus teſtes, veritas facti eſt in libris novi fœderis teſtatiſſima, quam Pet. Act. 10., fidenter enuntians ait. *Nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit Jeſus a Nazareth in regione Judæorum & Jeruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno: hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis*. Joannes quoque primam ſuam Epiſtolam ſic ordiıur: *Quod audivimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ...*

ta ... hoc teſtamur & annuntiamus vobis. Conſtanti porro Apoſtolorum teſtificatione miraculis confirmata innumeros Ethnicos ac Judæos ad reſurrectionis Dominicæ fidem fuiſſe perductos, res eſt jam ob omni dubitatione remota: aut vera ergo fuit prædicatio Apoſtolorum, aut falſa: ſi vera, vere utique reſurrexit, vere quoque occiſus: ſi vere occiſus, vere ergo humano corpore indutus erat, ejuſdem cum noſtro conditionis, atque naturæ, quandoque non niſi ſpecie tenus in phantaſtici corporis umbra pati potuiſſet, mori, mandari tumulo, atque inde prodire, in corpus vero cæleſte, ſidereum, aut deitati conſubſtantiale veram paſſionem & mortem cadere poſſe, nemo dixerit, niſi a mente deſertus: ſi autem falſa prædicarunt Apoſtoli, a Chriſto ergo ipſo in errorem omnium peſſimum, & ubique gentium propagandum inducti ſunt, qui nullis non argumentis egit, ut eos, quos reſurrectionis ſuæ teſtes elegerat, de ejuſdem veritate certiores faceret, non eorum ſolum incredulitatem objurgans, quod iis, *qui viderant eum reſurrexiſſe*, tarde fidem adjunxerant, ſed & manus pedeſque videndos eis offerens ac palpandos, ut ortam phantaſmatis ſuſpicionem ab eis abigeret, *quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*, ſicut habere illum viſu, tactuque probabant, atque cum iis adhuc ſtuporem inter fidemque ſuſpenſis partem piſcis aſſi, & favum mellis comedens, iiſque reliquias cibi diſpertiens, Thomam denique manum in fixuras clavorum, & digitum in latus inferre jubens, ut *jam non eſſet incredulus, ſed fidelis*. Quod ſi his, aliiſque argumentis Apoſtoli a Chriſto decepti ſunt, ut & falſa ipſi crederent, & aliis annuntiarent, iam de Chriſti ſanctitate, quam memorati hæretici uno ore fatentur, immo de ſumma Dei ipſius bonitate actum eſt, qui erroris hujus in Apoſtolos a Chriſto ſcienter traducti prædicationem tot miraculis confirmavit.

V. Singula Hæreticorum objecta refutaturi a Phantaſiaſtis ordiemur, quorum, ut ex priſcis Patribus refert ibidem Angelicus, præcipua hæc erant argumenta, quæ ipſis Angelici verbis & proponemus & enodabimus. „Poteſt aliquis dicere, Scripturæ ſacræ quidem veritatem non deeſſe, dum id quod apparuit, refert, ac ſi vere geſtum fuiſſet, quia rerum ſimilitudines figuratæ ipſarum rerum nominibus nuncupantur, ſicut homo pictus æquivoce homo dicitur, ipſa quoque Scriptura conſuevit hoc modo loquendi uti, petram e. g., agnum, leonem Chriſtum appellans, plurima etiam corporalia ob ſolam ſimilitudinem Deo tribuens. Sed licet rerum ſimilitudines æquivoce rerum ſibi nomina interdum aſſumant, non tamen divinæ Scripturæ convenit, ut narrationem facti totam ſub ea æquivocatione proponat, ut ex aliis Scripturæ locis manifeſta veritas haberi non poſſit, quia ex hoc non eruditio hominum, ſed magis deceptio ſequeretur, quum tamen Apoſtolus dicat Rom. 15., *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. Eſſet præterea tota Evangelica narratio poetica, & fabularis, ſi rerum ſimilitudines apparentes, quaſi res ipſas narraret, quum tamen 2. Petri c. 1. dicatur: *non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus nobis D. N. J. Chriſti virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis &c.*

VI. „Sicubi vero Scriptura narrat, aliqua apparentiam, & non rerum exiſtentiam habuiſſe, ipſo narrationis modo hoc intelligere facit; dicitur enim Gen. 18. *Quumque elevaſſet oculos Abraham, apparuerunt ei tres viri*, quo datur intelligi, ſecundum apparentiam viros fuiſſe, unde & in eis Deum adoravit, & Deitatem confeſſus eſt dicens, *loquar ad Dominum meum &c.*" Idem videre eſt Judicum 6. & 13., & Tobiæ 5. & 12., quibus in locis Angelorum, qui Gedeoni, Parentibus Sampſonis, & Tobiæ ſeſe humana ſpecie ſpectabiles præbuerunt, apparitio ita deſcribitur, ut non niſi hominum ſimilitudinem illos geſtaſſe nullo negotio intelligamus. „Quod autem Iſaias, aliique Prophetæ aliqua deſcripſerunt, quæ imaginarie viſa ſunt, errorem non generat, quia hujuſmodi ponunt non in narratione hiſtoriæ, ſed in deſcriptione prophetiæ, & ſemper aliquid addunt, quo apparitio deſignatur, ut Iſaiæ 6. *Vidi Dominum ſedentem &c.* Ezechielis 1. *Facta eſt ſuper me manus Domini, & vidi &c.* & c. 8. *Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me, & adduxit, & veni in Hieruſalem in viſione Dei*. Quod etiam aliqua in Scripturis de rebus divinis per ſimilitudinem dicuntur, errorem generare non poteſt, quia alia ſunt proprie dicta in

„ Scri-

„ Scripturis, quibus veritas eorum expreſſe manifeſtatur, quæ alibi ſub ſimilitudinibus occultantur, quod in propoſito non accidit, nam nulla Scripturæ auctoritas veritatem eorum, quæ de Chriſto leguntur, excludit. "

VII. „ Forte autem quis dicet, pergit Angelicus, hoc ſignificari eo, quod Apoſtolus ait Rom. 8. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, & ad Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo*. Hic autem ſenſus iis, quæ ibidem adduntur, excluditur; non enim ſolum ait *in ſimilitudinem carnis*, ſed addit *peccati*, quia Chriſtus veram quidem carnem habuit, ſed non carnem peccati, quia in eo peccatum non fuit, ſed ſimilem carni peccati, quia carnem paſſibilem habuit, qualis eſt facta caro hominis ex peccato. Ab eo quoque, quod ait Paulus *in ſimilitudinem hominum factus*, intellectus fictionis excluditur, quum ſtatim ſubdat, *formam ſervi accipiens*; manifeſtum eſt enim, formam pro natura non pro ſimilitudine poni ex eo, quod dixerat: *qui quum in forma Dei eſſet*; non enim ponitur Chriſtum fuiſſe tantum ſimilitudinarie Deum, quum Apoſtolus ſubdat, *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*. Excluditur etiam fictionis intellectus ex eo quod ſubiicit, *factus obediens uſque ad mortem*: non ergo ſimilitudo ibi accipitur pro apparentia, ſed pro vera ſimilitudine ſpeciei, ſicut omnes homines ſimiles ſpecie dicuntur: " Hactenus D. Th., qui tertia parte ſummæ Theologicæ variis in locis reliqua, quibus Phantaſiaſtæ veram Chriſti carnem oppugnant, nervoſe refellit; quid enim ſi Chriſtus clauſo prodivit Matris utero, quandoque ab oculis intuentium evanuit, ſuper mare ambulavit, & clauſis foribus ad Diſcipulos introivit? „ Ita Chriſtus voluit, ait Angelicus, veritatem ſui corporis demonſtrare, ut etiam ejus Divinitas declararetur, & ideo permiſcuit mira humilibus, unde ut corpus ejus verum oſtenderetur, naſcitur ex fœmina, ſed ut oſtenderetur ejus Deitas, procedit ex Virgine, *talis enim decet partus Deum*, ut inquit Ambroſius in hymno nativitatis, aqua inſtabilis terrenorum pedum ſuſtinens gravitatem virtutem Chriſti demonſtrabat operantis ſupra hominem ea, quæ hominis ſunt, ſed veritatem carnis probabat ejuſdem vox, qua Apoſtolos turbatos, atque illum phantaſma eſſe putantes confirmavit ajens: *Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere*: denique, ut Gregorius ait, *palpandam carnem Dominus præbuit, quam januis clauſis introduxit, ut eſſe poſt reſurrectionem oſtenderet corpus ſuum & ejuſdem naturæ, & alterius gloriæ.* "

VIII. Aliorum autem Hereticorum, qui Chriſti corpus cæleſte, atque a noſtro plane diverſum commenti ſunt, potiora hæc argumenta feruntur. 1. quod Paulus carnem, & ſanguinem improbet, atque a regno cælorum excludat, 1. ad Cor. 10. ajens: *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt*: 2. quod idem Chriſtum eum Adamo ibidem comparans ſcribat: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de Cœlo cœleſtis*: 3. quod Chriſto omnium perfectiſſimo corpus omnium nobiliſſimum, cujuſmodi eſt cæleſte, tribuendum ſit, non vero carnale, quod Deum ſummopere dedecet: 4. quod ſi terrenum dixerimus, & animale Chriſti corpus, jam non erit ille natus ex Deo, & Spiritu ſancto, ſed cæterorum hominum inſtar *ex ſanguinibus, ex voluntate carnis, & ex voluntate viri*, quod Joanni Evangeliſtæ contrarium eſt: Poſtremo non ne Angelus in ſomnis Joſephum de Chriſti conceptu monens caute ait, *quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, non autem inquit *ex ea*, ut deſignaret Chriſti corpus ſumptum non eſſe de Matre? Nonne & Chriſtus ipſe Matrem ſe habere frequenter negat ajens: *Quid mihi & tibi eſt mulier? quæ eſt Mater mea &c.?*

IX. Faciliime tamen hæc refelluntur; ea enim frivola eſſe manifeſtum eſt, ait Angelicus, „ non enim caro & ſanguis accipiuntur ibi pro ſubſtantia carnis, & ſanguinis, ſed pro eorumdem corruptione, quæ quidem in Chriſto non fuit quantum ad culpam, fuit tamen ad tempus quantum ad pœnam, ut opus noſtræ redemptionis expleret, quæ reſponſio ex ipſo Apoſtoli ſcopo perſpicua eſt: De Cælo etiam Chriſtus dicitur deſcendiſſe dupliciter, uno modo ratione naturæ, non quod divina natura in Cælo eſſe defierit, ſed quia in infimis novo modo eſſe cœpit, ſcilicet ſecundum naturam aſſumptam, ſecundum

„ illud Jo. 3. *nemo aſcendit in cælum, niſi*
„ *qui deſcendit Cælo filius hominis, qui*
„ *in Cælis eſt*: alio modo ratione corpo-
„ ris, non quia ipſum corpus Chriſti ſe-
„ cundum ſuam ſubſtantiam de Cælo de-
„ ſcenderit, ſed quia virtute cæleſti, ideſt
„ a Spiritu S. corpus ejus formatum eſt.
„ Unde & Auguſtinus dicit: *Si quis au-*
„ *tem quærit, cur hominem ſecundum non*
„ *in Cælo, ſed de Cælo, dicat, quum &*
„ *ipſe Dominus de terra corpus acceperit,*
„ *quia utique Maria ex Adam & Eva e-*
„ *rat progenita, intelligat, terrenum homi-*
„ *nem ſecundum terrenam concupiſcentiam*
„ *dictum, & quoniam ille affectus terrenus*
„ *eſt, quo per concubitum maris & fæmi-*
„ *næ naſcuntur homines, trahentes etiam*
„ *ex parentibus originale peccatum, corpus*
„ *autem Domini nullo tali affectu ex utero*
„ *virginali creatum eſt, quamvis de terra*
„ *Chriſtus aſſumpſerit carnem, non tamen*
„ *terrenus ſed cæleſtis homo & de Cælo*
„ *dicitur.* “

X. Tertium argumentum hominum animalium eſt non percipientium, quæ *ſunt ſpiritus Dei*. Deus enim, ut ait Apoſtolus, *infirma, ignobilia, & contemptibilia mundi elegit, ut fortia & nobilia confunderet*. Quorſum ergo, ut idem ait Apoſtolus, *nuſquam Angelos apprehendit*, ideſt non Angelorum naturam, non cæleſte, ac ſidereum corpus aſſumpſit, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, ſeu carnem terrenam ex Abrahamo propagatam ſibi in Perſonæ unitate conjunxit? „ Quia hoc
„ ipſum ad maximam Dei gloriam per-
„ tinet, reſpondet Angelicus, quod cor-
„ pus infimum ac terrenum ad tantam
„ ſublimitatem provexit, eoque tam mi-
„ rabilium rerum inſtrumento uſus eſt;
„ ſicut enim Artificum optimi non in
„ pretioſis tantum materiebus artem o-
„ ſtendentes in admiratione ſunt, ſed vi-
„ liſſimum lutum plerumque aſſumentes,
„ & ſuæ diſciplinæ in eo demonſtrantes
„ virtutem, multo magis laudantur, ita
„ omnium Artifex Dei Verbum non pre-
„ tioſam corporis cæleſtis materiem ap-
„ prehendens ad nos venit, ſed in luto
„ magnitudinem ſuæ artis oſtendit, quem-
„ admodum in Epheſina Synodo legi-
„ mus: “ Carnales autem homines deffinire auſos, quid Deum deceat, aut dedeceat, illumque ex terrenæ carnis conſortio inquinatum iri cenſentes, poſſumus Baſilii verbis graviſſimis caſtigare: *Nonne ſolem vides in luto ſe volutantem, minimeque contaminantem, & in cœno coruſcantem, minime tamen fœtidum aliquid referentem? Quid igitur dubitas de immenſa incorruptaque natura, ne ipſa aliquam ex nobis maculam contraxerit? Ita carni ineſt, ut ejus imperfectum & fragile corrigat, non ut ipſa paſſionum debilitate inquinetur.*

XI. Alias Valentinianorum argutias obterit profundiſſimus Tertullianus in l. de Carne Chriſti; primo demonſtrans, adulteraſſe illos Joannis textum, & adverſus omnium codicum fidem, & ipſam evangelicæ locutionis ſeriem ſacrilege verba illa pervertiſſe, *qui non ex ſanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, ſed ex Deo natus eſt*, quum ſit, *ſed ex Deo nati ſunt*, & quæ de credentibus in nomine Chriſti a Joanne dicuntur, ab iis ad Chriſtum inique fuiſſe detorta. Permittens deinde eis illa ad Chriſtum trahere, hæc ſubtiliſſime adiicit: „ Negans ex carnis voluntate
„ natum, cur non negavit etiam ex ſub-
„ ſtantia carnis? neque enim quia ex
„ ſanguine negavit, ſubſtantiam carnis
„ renuit, ſed materiam ſeminis, quam
„ ſanguinis conſtat eſſe calorem. Intelli-
„ gimus ergo, ex concubitu nativitatem
„ Domini negatam, quod ſapit voluntas
„ viri & carnis, non ex vulvæ participa-
„ tione; & quid utique tam exaggeran-
„ ter inculcavit, *non ex ſanguine, nec ex*
„ *carnis, aut viri voluntate natum*, niſi
„ quia ea erat caro, quam ex concubitu
„ natam nemo dubitaret? Negans porro
„ ex concubitu, non negavit immo con-
„ firmavit ex carne. Oro vos, ſi Dei ſpi-
„ ritus non de vulva carnem participatu-
„ rus deſcendit in vulvam, cur in eam
„ deſcendit? Potuit enim extra eam fieri
„ caro ſpiritalis, ſimplicius multo quam
„ intra eam fieri? Sine cauſa eo ſe intu-
„ lit, unde nihil extulit; ſed non ſine
„ cauſa in eam deſcendit; ergo ex illa
„ accepit. “

XII. Eos quoque nugantes in iis Angeli verbis ad Joſephum, *quod in ea natum eſt*, ita perſtringit: „ quæ eſt iſta
„ tortuoſitas veſtra, ut per Virginem di-
„ catis natum & non ex Virgine, quia
„ & Angelus ad Joſeph inquit, *quod in*
„ *ea natum eſt*, non dixit *ex ea*? Ex ea
„ erat, quod in ea erat; nam idem Ma-
„ thæus originem Domini decurrens ab
„ Abraham uſque ad Mariam, *Jacob*,
„ in-

„ inquit, *generavit Joſeph virum Mariæ,*
„ *ex qua naſcitur Chriſtus.* Sed & Pau-
„ lus grammaticis iſtis ſilentium imponit
„ ajens: *Miſit Deus filium ſuum fa-*
„ *ctum ex muliere:* numquid *per Mulie-*
„ *rem,* aut *in muliere?* Hoc quidem im-
„ preſſius, quod *factum* potius dicit quam
„ *natum,* ſimplicius enim enuntiaſſet *na-*
„ *tum, factum* autem dicendo, & *Verbum*
„ *caro factum eſt,* conſignavit, & carnis
„ veritatem ex Virgine factæ adſevera-
„ vit. „ Argutantibus denique negaſſe
„ illum Matrem & fratres, primo reſpon-
„ det: " Nuſquam quiſquam adnuntiaſ-
„ ſet illi Matrem ejus & fratres foris
„ ſtare, qui non certus eſſet & habere
„ illum & Matrem & fratres, & illos
„ eſſe, quos tunc nuntiabat. Deinde po-
„ tiores faciens alios, & meritum præla-
„ tionis oſtendens, audientiam ſcilicet
„ verbi, demonſtrat, qua conditione ne-
„ gaverit Matrem & fratres; qua enim
„ ratione ſibi alios adoptavit, qui ſibi
„ adhærebant, ea abnegavit illos, qui ab
„ eo abſiſtebant. Solet enim adimplere
„ Chriſtus, quod alios docet; negavit ita-
„ que Parentes, quomodo docuit negan-
„ dos pro opere Dei. Eodem ſenſu deni-
„ que & illi exclamationi reſpondit non
„ matris uterum, & ubera negans, ſed
„ feliciores deſignans qui verbum Dei
„ audiunt. " Hæc ex Tertulliano

CONSECTARIUM II.

I. Conſequitur ſecundo, Chriſtum veram adſumpſiſſe animam, eamque mente præditam, ideoque Incarnationis veritatem ſuſtuliſſe priſcos illos Incredulos, qui præcipuam hanc Deo homini facto naturæ partem ſtultiſſime ſubtraxerunt. Primi erroris hujus Auctores Ariani ab Auguſtino cenſentur in l. de Hæreſibus inter alias eorum blaſphemias hanc numerante. *In eo autem quod Chriſtum ſolam carnem ſine anima ſuſcepiſſe arbitrantur, minus noti ſunt, nec adverſus eos inveni, ab aliquo de hac re aliquando certatum, ſed hoc verum eſſe & Epiphanius non tacuit, & ego ex quibuſdam eorum ſcriptis, & collocutionibus comperi.* Cæterum qui minus præcipuus, minuſque notus Arianorum fuit, factus eſt palmaris ac notiſſimus Apollinaris, ejuſque gregalium error, de quibus præter coævos, & ſuppares Patres Athanaſium, Nazianzænum, Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum, & Theodoretum hæc habet idem Auguſtinus. *Apollinariſtas Apollinaris inſtituit, qui de anima Chriſti a Catholicis diſſenſerunt dicentes, ſicut Ariani, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe; in qua quæſtione teſtimoniis Evangelicis victi, mentem qua rationalis eſt anima hominis, defuiſſe animæ Chriſti, ſed pro hac ipſum Verbum in eo fuiſſe dixerunt.* Auguſtino itaque teſte Apollinariſtæ corpus omnino inanime primum in Chriſto finxerunt, & non niſi Catholicorum argumentis ex Evangelio ductis preſſi animam ei addiderunt, ſed mente vacuam, cujus vices implerentur a Verbo, ſeu, ut idem Auguſtinus ait, *animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt, dederunt ei animam pecoris, ſubtraxerunt hominis; ſed illi abſtulerunt Chriſto rationem non tenendo rationem.*

II. Sane Hæreticos hos non tenuiſſe, ſed turpiſſime deſeruiſſe rationem, manifeſte revincunt momenta illa graviſſima, quibus illos D. Th. 4. c. g. c. 32. & 33. perſtringit: quum enim vera haberent, quæcunque de Chriſto hiſtorice referunt Evangeliſtæ, nonne rationi nuntium omnino miſerunt, quum Chriſtum anima quavis primo, deinde humana mente nudantes, *belluam quandam,* ut Auguſtinus ait, *cum figura humani corporis* ſuſcepiſſe illum, commenti ſunt? Nonne ipſo naturæ lumine comperrum eſt, ſi ab homine animam ſubtrahas, eamque intelligentem, verum illum nec eſſe, nec concipi poſſe hominem, cui dempſeris, quo conſtituitur, & a quovis alio diſtinguitur? Quum etiam ea receptiſſima ſit generationis viventium deffinitio, *origo* nimirum *viventis a principio vivente conjuncto in natura ſimilitudinem,* nonne evidens eſt, non poſſe quemquam alterius filium dici, niſi in eadem ſpecie vivens a vivente procedat? Quum ergo novi Teſtamenti Scriptores ſexcenties Chriſtum & hominem vocent, & hominum fratrem, & hominis ſeu Mariæ filium in ea conceptum, atque ex ea factum, & natum, nemo non intelligit, hæc falſa prorſus eſſe, ſi illud Chriſto defuiſſe fingatur, quo ſolo homines ſumus, aliorum hominum ſimiles, & vere parentum filii.

III. Quum D. Th. argumenta cudiſſet

fert ex triſtitia, turbatione, ira, pavore, tædio, quibus ſubfuiſſe Chriſtum, memorant Evangeliſtæ, quæque animæ ſentientis paſſiones ſunt, iis etiam ex locis, quibus Chriſtus animæ ſuæ diſerte meminit, adverſus Hæreticos cavillantes ipſum Dei filium, qui in Chriſto loco animæ erat, animam dici, eique in Evangelio humanas illas adfectiones metaphorice, quæ & Deo in veteri Teſtamento ſæpe adſcribuntur, ea urgenda cenſet, adverſus quæ excipere Apollinariſtæ non poſſunt. Illud primo invictum eſt, quod Jo. x. Chriſtus dixiſſe legitur : *Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam, nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam a me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam* ; quum enim aperta hæc Chriſti locutio diſcrimen ſtatuat inter eum, qui animam ſponte ponit, & ſumit, & animam poſitam & reſumptam, alterutrum neceſſario fatendum eſt, aut in corporis poteſtate fuiſſe, ut Deitatem ſibi unitam exueret, iterumque ei uniretur, quandoquidem erat illi Deitas pro anima, quod cogitatu ipſo horrendum eſt, aut certe, ut habet Catholica fides, animam Chriſti ab ejus Deitate fuiſſe diverſam, cui animam ponendi, iterumque ſumendi merito poteſtas tribuitur. 2. Corporea quæque ab Evangeliſtis de Chriſto narrata proprie ſumenda eſſe Adverſarii concedunt, qui veram Chriſto carnem attribuunt; quum ergo Evangeliſtæ referant, non manducaſſe illum ſolum ac bibiſſe, ſed & fami & ſiti fuiſſe obnoxium, non ex vero ſolum humano corpore, ſed & ex vera anima conſtitiſſe illum fatendum eſt, quum eſurire, & ſitire non ſit niſi anima ſentiente præditi ; eſuries enim & ſitis cibi potuſque appetitiones ſunt.

IV. Tertio ſi carebat anima Chriſtus, aut certe humana ſeu rationali, quorſum in cruce ait, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum?* Nonne Patrem irriſiſſe dicendus eſſet, ſi nihil in eo erat præter Deitatem & carnem, aut animam ſentientem? Commendaſſe illum Patri corpus, nemo hactenus ſomniavit, quum nemo adhuc adeo ſtupidus fuerit, ut ſpiritus nomine carnem venire poſſe confinxerit : commendatam fuiſſe Patri Deitatem ſuam a Chriſto, horrent Apollinariſtæ ipſi vel cogitare, quum unam eandemque Patris & filii Deitatem eſſe concedant ; animam vero ſentientem commendari a Chriſto potuiſſe, quaſi vero illa poſt corporis diſſolutionem ſuperſtes futura eſſet, nemo, niſi deſipiat, opinabitur : relinquitur ergo commendaſſe illum Patri ſpiritum ſuum, ſive rationalem animam, quæ violenta morte avellebatur e corpore. Poſtremo quum ſecundum Apollinarem, ait Angelicus, Dei Verbum ſit verus Deus, nequit ei admiratio convenire, quæ ex inſolito quopiam, & novo conſurgit, neque hæc poteſt in animam ſentientem cadere, ut apud omnes in confeſſo eſt ; quum ergo Chriſtum miratum eſſe referant Evangeliſtæ, nec vero mirari ille potuerit qua Deus, nec qua ſentiente ſolum anima pollens, humana mens ei neceſſario tribuenda eſt, quæ ſola admirationis eſt capax. His addi poſſunt quæ de Chriſti oratione, obedientia uſque ad mortem crucis, atque merito Scripturæ tradunt ; quum enim hæc Dei eſſe non poſſint, nec cujuſquam eſſe poſſint niſi ratione vigentis, & libera voluntate utentis, rationalem Chriſti animam manifeſtiſſime adſtruunt.

V. Adnotat Angelicus, Arium & Apollinarem erroris ſui fundamentum in iis Joannis verbis locaſſe, *Verbum caro factum eſt*, quaſi vero iis Evangeliſta ſignificare voluerit ſolam carnem, non autem animam aſſumptam a Verbo. Stultiſſime tamen Joannis verba uterque interpretatus eſt ; „ Quod enim Joannes dicit, „ reſpondet Angelicus, non ſic intelligi„ tur, aut quaſi Verbum ſit converſum „ in carnem, aut ſolam carnem aſſum„ pſerit, aut animam ſine mente, ſed „ conſueto Scripturæ modo ponitur pars „ pro toto, ut ita dictum ſit : *Verbum* „ *caro factum eſt*, ac ſi diceretur, *Ver*„ *bum homo factum eſt*; nam & anima „ ponitur in Scriptura pro toto homine, „ ut dicitur Exodi 1. *Erant omnes ani*„ *mæ, quæ egreſſæ ſunt de femore Jacob*, „ *ſeptuaginta*; ſimiliter & caro pro toto „ homine ponitur, ut Geneſis 6., *omnis* „ *quippe caro corruperat viam ſuam*, & „ Iſaiæ 40. *Videbit omnis caro pariter*, „ *quod os Domini locutum eſt*. Sic ergo „ & apud Joannem caro pro toto homi„ ne ponitur ad exprimendam humanæ „ naturæ infirmitatem, quam Dei Ver„ bum aſſumpſit. " Hinc ut aliam argutiunculam eludamus, œconomia Dei homi-

minis facti *Incarnatio* potius, quam *animatio* communiter dicitur ab Evangeliſtæ phraſi, qui Verbum carnem factum eſſe conſulto ſcripſit, tum ad commendandam ſummam Dei erga nos dilectionem, ut cum Auguſtino animadvertit Angelicus; quum enim in tota illa ſuſceptionis unitate principale ſit Verbum, extrema autem & ultima caro, volens Evangeliſta commendare dilectionem, & humilitatem Dei, Verbum nominavit & carnem, omittens animam, quæ eſt Verbo inferior, carne præſtantior; tum etiam ad ſummam Dei potentiam commendandam, qua ſibi carnem in unitate perſonæ conjunxit, quæ magis diſtat a Verbo, & minus ab eo aſſumi poſſe videtur.

VI. Quid vero ſi Dei Verbum eſt totius vitæ fons, & vera lux omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans? ableganda ne iccirco a Chriſto anima, quæ corpus ejus vivificaret, aut humana mens, quæ eſſet intelligendi principium? Carere ergo anima, & mente alit quique homines dicendi erunt; nam etſi Verbum ſpecialiori quodam modo carni Chriſti unitum fuiſſe fateamur, quam cæteris hominibus, negari tamen nequit, illud intime omnibus adeſſe, eſſentia, præſentia, atque potentia ſua, primum eſſe omnium vitæ fontem, & totius cognitionis Auctorem; *in ipſo* enim, ut ait Apoſtolus, *vivimus, & movemur, & ſumus*. Philoſophos diſputare ſinimus, an præſtare Deus in nobis abſque anima poſſit vitæ cujuſque officia, noſque abſque mente intelligentes efficere. Illud, de quo nemo ſanus diſſentit, arripimus, nec eſſe, nec intelligi poſſe hominem, qui non ſit anima, & mente præditus; quare Arianos & Apollinariſtas garrire permittimus, neceſſariam non fuiſſe Verbo animam & mantem ad vitæ ſentientis, & intelligentis officia: unam urgemus Scriptorum novi fœderis veracitatem, quam nec ipſi in dubium vocare audent; quumque ii apertiſſime doceant, Chriſtum verum fuiſſe hominem, ex eorum teſtimonio decretorie conficimus, veram ei quoque fuiſſe animam, eamque humanam, ſine qua verus homo nec eſſe nec fingi poteſt.

VII. Athanaſius Apollinariſtas ita argutatos fuiſſe refert. „ Poſſibile non erat, „ perfectum hominem Chriſtum fieri; ubi „ enim perfectus homo, ibi & peccatum .... alioqui in Chriſto erit ea, „ quæ in nobis eſt pugna peccati, opuſ„ que ei erit illa apud nos fieri ſolita „ purgatione. “ Inſulſa tamen hæc ſunt, & ex ſtulta poſitione fluentia; quod enim anima rationis compos peccato, & pugnæ peccati ſubſit, non ex naturæ neceſſitate, ſed ex tranſgreſſione primi Parentis eſt, a quo per originem labes hæc, hujuſque labis funeſta conſectaria derivantur in animam. Potuit ergo Dei Verbum perfectus homo fieri, quin peccatum, quod extra hominis naturam eſt, aſſumeret, immo debuit totam integramque hominis naturam aſſumere, ut toti, quæ peccato erat ſaucia, mederetur, quia ut ait egregie Damaſcænus, *quod inaſſumptum eſt, incurabile, ſeu incuratum eſt*. Hinc l. 2. adverſus Apollinarem ſcribebat præclare Cryſoſtomus: *Quum natura rationalis, quæ ob peccatum damnationem mortis incurrerat, ſe ipſam liberare non poſſet, venit ipſe Dei filius, ut eam in natura ſua per novam originem, & mirabilem generationem reſtauraret, non quo eam, quæ ab initio facta erat, conſtitutionem divideret, ſed quo ſuperſeminatam maledictionem abrogaret*; *quare Apoſtolus dicit ad Rom.* 1. *Ubi abundavit peccatum, ibi ſuperavit & gratia*, *non locum indicans ſed naturam ſignificans*, *ut*, *ſicut*, *inquit*, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, *ita per unum hominem Jeſum Chriſtum gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam*, *& per quam naturam juſtitia proceſſit*, *per eandem juſtitiæ ſpecimen daretur*, *& humana natura a peccato liberata Diaboli opera ſolverentur*, *Deoque daretur gloria*.

CONSECTARIUM III.

I. Conſequitur tertio, quum in Chriſto vera fuerit hominis anima & mens, creatam quoque in eo fuiſſe ſcientiam ab increata ſeu divina diſtinctam. Veritas hæc ex ſuperiori neceſſario conſequitur; quemadmodum enim non uno ſuorum operum loco demonſtrat Angelicus, quum filius Dei vere homo ſit factus, ut totum humanum genus peccato corruptum reformaret, atque perficeret, decuit eum maxime, ut naturam humanam perfectam aſſumeret, qua uſurus erat ut inſtrumento conjuncto, quo alios perficeret;

ret; conſtat autem humanam mentem non intelligendi ſolum capacem eſſe, ſed & naturaliter ſcientiam appetentem, imperfectamque eſſe, niſi hæc ejus capacitas, & appetitio expleatur; oportuit ergo ut humana Chriſti mens creata ſcientia polleret, ne illam non imperfectam ſolum, ſed & cæteris imperfectiorem aſſumptam fuiſſe dicamus a Verbo. Niſi etiam velimus rationalem animam perperam aſſumptam a Deo, fateamur neceſſe eſt, ſuam illi cognitionem fuiſſe, quum ſit commune Philoſophorum effatum, *unamquamque rem propter ſuam operationem eſſe*. Deinde quum ſcientiæ nomine ampla quadam ſignificatione quævis humanæ mentis cognitio hoc loco veniat, ſi menti Chriſti humanam ſcientiam quis ſubtraxerit, ipſam quoque intelligentem animam aſſumptam a Deo fuiſſe, negare revincitur, quum aliqua creata ſcientia, ea nimirum qua naturaliter prima principia cognoſcimus, ad ipſam humanæ mentis naturam pertineat, nec tolli illa poſſit, quin & iſta tollatur; quare adnotat idem D. Th., poſitionem negantium in Chriſto duas ſcientias vel duas ſapientias, divinam ſcilicet & humanam, ceu veritati incarnationis infeſtam in ſexta generali Synodo fuiſſe damnatam. Huc etiam faciunt momenta ex Chriſti admiratione, oratione, obedientia, & merito paulo ſuperius dicta; quum enim actus hi nonniſi cognoſcentis ſint, Chriſto vero qua Deus eſt, tribui abſque blaſphemia non poſſint, non potuerunt ex divina, ſed ex humana Chriſti ſcientia procedere.

II. Celebris eſt humanæ Chriſti ſcientiæ partitio in *beatam*, *infuſam*, & *acquiſitam*. Beatam cum D. Th. Theologi communiter dicunt, qua perfuſa a primo conceptionis inſtanti anima Chriſti facie ad faciem Deum vidit, infuſam vero ſeu inditam, qua eandem animam ſibi in unitate Perſonæ conjunctam ab eodem primo illo inſtanti Dei Verbum ornavit, intelligibiles illi imprimens rerum omnium ſpecies, ſive imagines, quarum percipiendarum humanus intellectus eſt capax, acquiſitam denique, ſive *experimentalem*, quam ipſe ſibi Chriſtus humano modo, ideſt ſenſuum officio, & quotidiana experientia comparavit. Ut exploratæ veritatis loco jam conſtituimus, Chriſtum vera humana ſcientia, eaque a divina diverſa viguiſſe, ita humanam hanc ſcientiam ejus abſolutam adeo, perfectamque fuiſſe tuemur, ut quamlibet ignorantiam excluſerit. Occurrunt ſecundo ſæculo Valentiniani, quos Irenæus accerrime exagitat, quod blaterarint, Chriſtum diſcendi gratia ſcholas frequentaſſe, ac ſub Magiſtelli ferula diſcipulorum inter ploraſſe cathedras, quod inſanum commentum e Rabbinorum libris forte hauſerant, qui Chriſti noſtri Magiſtrum Jeſum quemdam Perachiæ filium Hillelis, & Samai Diſcipulum e cerebro ſuo cuderunt: ſexto labente ſæculo Themiſtius Alexandrinus Diaconus Chriſto plurium ignorationem adſcribens *Agnoetarum*, ſeu *Ignorantium* ſectæ Auctor fuit, quem errorem Chriſto ſummopere contumelioſum adoptarunt Lutherus, Calvinus, & Grotius; Uni tamen, quam hactenus tenuimus, quamque conſtanter tenere nobis propoſitum eſt, methodo inſiſtentes, facile omnes Incredulos hos redarguimus, & revincimus.

III. Nebulones illos ſive Hebræos, ſive Chriſtianos, qui Chriſtum ad humanas literas addiſcendas magiſtro uſum eſſe finxerunt, mendacii aperte damnat Joannes Evangeliſta c. 7. referens, die feſto Scenopegiæ docente in Templo Jeſu miratos fuiſſe Judæos dicentes: *quomodo hic literas ſcit, quum non didicerit?* Pervulgatum ergo apud Judæos erat, Chriſtum diſcendi cauſa ſcholarum limina non triviſſe; quare admirati, illum tantum pollere ſcientia, quam nullo magiſterio perceperat, de hujus doctrinæ origine in varias opiniones diſtracti ſunt, quemadmodum memorat idem Evangeliſta ajens: *Diſſenſio facta eſt inter Judæos propter ſermones hos: dicebant multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit, quid eum auditis? alii dicebant: hæc verba non ſunt Dæmonium habentis &c.* Judæi ergo poſteriores, qui Chriſti præceptorem commenti ſunt, communi popularium ſuorum Chriſto coævorum teſtificatione mendacii convincuntur, hoſque ſectatos Valentinianos Hiſtorici graviſſimi, atque ſynchroni rem publicam omnibuſque exploratam narrantis teſtimonio deliraſſe conficitur. Omnigenam vero Chriſti doctrinam ut humana diſciplina non partam, ita fuiſſe pleniſſimam, & nulli ignorantiæ permixtam, probant communiter Theologi noſtri iis Joannis 1. *Vidimus gloriam ejus quaſi Unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis*; iis quoque Pauli ad Coloſ. 2. *In Chriſto Jeſu ſunt*

omnes

omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Verum quum hæc teſtimonia de Chriſto qua Deus eſt, ejuſque divina ſcientia percommode exponi poſſint, alia promenda ſunt, quibus certo probetur, infediſſe animæ Chriſti humanæ ſcientiæ plenitudinem, quæ omnino ignorationem abigeret. Undenam vero illa, quum nihil ejuſmodi in novi Teſtamenti libris diſerte expreſſum ſit? At ex iis, quæ ibi traduntur, neceſſaria conſecutione veritas hæc poteſt in hunc modum inferri.

IV. Joannes c. 5. Chriſtum memorat palam teſtatum eſſe, omne judicium ſibi a Patre traditum, ſeque poteſtate judicium omne faciendi donatum, *quia Filius hominis* erat; quare jam inter Chriſtianos convenit, quemadmodum egregie probat Angelicus, etſi primæva ac ſuprema judicandi auctoritas in Deo reſideat, omnem tamen ejus exercendæ actum Chriſto qua homo eſt, a Deo fuiſſe concreditum; judiciariæ autem huic Chriſti poteſtati non omnes omnino homines ſolum, atque omnia humana ſubeſſe, ſed & Angelos quoſque ſive bonos, ſive malos, quum Apoſtolus ad Epheſios 1. ſcribat, Chriſtum a Patre gloriæ conſtitutum fuiſſe *ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc* ſæculo, *ſed etiam in futuro, omnia pedibus ejus fuiſſe ſubjecta*, ipſumque datum *caput ſupra omnem Eccleſiam &c.* quæ Pauli verba ad Chriſtum qua homo eſt, pertinere nemo ambigit Chriſtianorum. Si ergo Chriſto homini judiciaria poteſtas a Patre collata fuit, quis dubitare poſſit, an eidem tributa fuerit veritas, & ſcientia, ſine qua judicium recte exerceri non poſſe ipſo naturæ lumine notum eſt? Hanc autem veritatem, & ſcientiam animæ Chriſti futuram fuiſſe pleniſſimam, & cujuſque ignorationis expertem, ipſa probat judiciariæ poteſtatis ei demandatæ amplitudo nullo limite circumſcripta; cui enim *principale committitur*, ait Aug., *committitur & acceſſorium*: quare quum ſpiritualia, & corporea quæque, naturalia, & gratuita, ad ſalutem æternam velut ad ultimum hominum finem ordinata divinitus ſint, ad quam ſalutem homines admittuntur, vel a qua judicio Chriſti hominis repelluntur, judiciariæ huic ejus poteſtati hæc omnia quoque ſubeſſe conſequitur. Si autem Judicem ſapientem, & rectum nihil lateat, oportet, eorum, quæ cum cauſa præcipua intime conjuncta ſunt, quid ſupremum & ſapientiſſimum vivorum, & mortuorum omnium Judicem latere potuit, quum nihil prorſus in mundo ſit, quod ad judicandorum ultimum finem veluti medium divina inſtitutione non ſit relatum? Omnia ergo ſcivit ut homo; quia omnium omnino Judex a Patre conſtitutus eſt Chriſtus, quia Filius hominis eſt: ſi omnia ſcivit, ſumme ergo illi injurii ſunt, qui ei plurium rerum ignorationem affingunt.

V. Plura adverſus veritatem hanc Calvinus e novo Teſtamento corradit, quæ eadem illa ſunt, quibus abuſos legimus priſcos illos Incredulos, qui vel Chriſtum purum hominem fuiſſe finxerunt, vel illum etſi Deum, ſummo tamen Deo omnium Patri conſubſtantialem & coæqualem eſſe negarunt. Illud 1. Calvinus obiicit, quod de Chriſto ad Heb. 2. ait Apoſtolus, debuiſſe illum ſcilicet *per omnia fratribus aſſimilari abſque peccato*, ex quo infert, obnoxium illum fuiſſe ignorantiæ, alioqui non fuiſſet nobis per omnia ſimilis: 2. illud urget, quod Lucas c. 2. de Chriſto ſcribit; quod enim vulgatus Interpres reddidit, *Puer autem creſcebat & confortabatur plenus ſapientia*; Græcus primigenius textus exhibet, *Puer implebatur ſapientia*; ſi ergo pro ætatis modo ſenſim capiebat ſapientiæ incrementa, jam non fuit in eo ſapientiæ plenitudo: 3. Quid eo diſertius, quod idem Lucas paulo poſt addit: *Puer proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia*? 4. Quis removere poſſit a Chriſto plurium ignorantiam, quam ipſe ſibi ingenue tribuit? Quid enim ea confeſſione ſincerius, qua ſe diem Judicii neſcire confeſſus eſt? Denique in iis verbis, quibus Patrem in cruce affatus eſt, ajens: *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me*, deprehendit Auguſtinus *ignorantiam cauſæ, ob quam fuerat derelictus a Deo*.

VI. *Quid* ex Pauli verbis primo loco laudatis extundere poſſit Calvinus, plane non video. Debuiſſe quidem Chriſtum *per omnia fratribus aſſimilari*, ideſt ea omnia adſumere, quæ ad veritatem humanæ naturæ pertinent, ut poſſet Deo ſatis pro hominibus facere, invicte probat Apoſtolus: inde tamen inferre, debuiſſe illum & ignorantiæ obnoxium eſſe, hominis inſani eſt, qui non videat, quam impia inde ducantur abſurda; non enim debuiſſet Chri-

ſtus de Spiritu ſancto concipi, & de Virgine naſci, debuiſſet pugna carnis adverſus ſpiritum & inordinatis animi motibus perturbari, lepra, podagra, febri cæteriſque humanæ naturæ languoribus affligtari, ut fratrum, qui hæc patiuntur, per omnia ſimilitudinem gereret: Ea itaque, in quibus debuiſſe Chriſtum fratribus ſimilari pronuntiat Apoſtolus, non alia ſunt, quam quæ ad humanæ naturæ ſubſtantiam ſpectant, atque ad humanæ redemptionis finem quidpiam utilitatis habebant; quare quum ignorantia excellentiſſimo fini huic adverſaretur, ut & peccatum atque peccati fomes, ableganda prorſus a Chriſto eſt. Etſi vero Damaſcænus ſcribat, aſſumpſiſſe Chriſtum *naturam ignorantem ac ſervilem*, nefas tamen eſt ſuſpicari, faviſſe illum Calvino, atque Chriſto ignorantiam tribuiſſe; aliud enim & longe aliud eſt, naturam hominis aſſumptam a Verbo ſecundum intranea ſua principia ſpectare, ſeu congenitam tantum ejus, & propriam conditionem expendere, aliud vero eandem inſpicere ut Dei Verbo hypoſtaſis unitate conjunctam, vique ineffabilis hujus unionis omnigena perfectione donatam. Primo modo ignorantem illam atque ſervilem recte dixit Damaſcænus; neque enim titulo ſpeciei ſuæ fuit Chriſti humanitas cujuſque ignorantiæ expers, omnique ſcientia refertiſſima, ſed ab hypoſtatica ipſa cum Dei Verbo primo veritatis fonte conjunctione redundavit in eam totius veritatis, & ſcientiæ plenitudo.

VII. Lucæ vero textus quocumque modo legatur, poſitioni noſtræ non officit: ſi cum vulgato Interprete legeris, *Puer creſcebat & confortabatur plenus ſapientia*, in tuto plane rem eſſe vides; ſi vero græcum textum ſectari mavis, egregiam accipe M. Athanaſii interpretationem. *Sapientia tam increata quam creata in Chriſto exiſtente magis in dies implebantur organa corporea, atque aptabantur ad excellentiora opera facienda; Puer enim creſcebat corpore, & roborabatur ſpiritu, qui in ipſo erat, ut perfectiora opera faceret, & pariter implebatur ſapientia non aliunde adſcita, ſed ea, quæ in ipſo erat, diffundente ſe, & poſſidente membra omnia, & ſenſus omnes, unde ſequitur, & gratia Dei erat in illo: non ait, acquirebat gratiam, ſed gratia Dei erat in illo, eum fovens & dirigens, ita ut ſicut a principio Spiritus & ſapientia corpuſculum illud implevit, ita creſcente templo illo quodammodo ſeſe extendebat Spiritus, & totum replebat*. Illum autem gratiæ ſapientiæque profectum, quem ibidem Lucas memorat, non uno modo Patres exponunt; Plures profectum hunc non ad ipſam rei veritatem, ſed ad opinionem hominum referunt, quibus Chriſtus magis in dies ſapientiam ſanctitatemque ſuam aperiebat, ſicut ſolem, quo magis ad meridiem accedit, luce & calore proficere dicimus, non quod vere ſenſim fiat ille lucidior, calidiorque, ſed lucem ejus caloremque tunc magis percipiant homines. Damaſcænus profeciſſe Chriſtum exiſtimat, quod eſſet aliis cauſa profectus, ſicut Ludimagiſtrum proficere dicimus, quum ex diſciplina ejus profectum hauriunt Auditores. D. Thomas ſapientiæ & gratiæ Chriſti proceſſum ſecundum effectus, non ſecundum ipſos ſapientiæ & gratiæ habitus interpretatur; quia nimirum, etſi habitus hi a primo conceptionis inſtanti pleniſſimi in Chriſto adaucti non fuerint, ſecundum proceſſum tamen ætatis perfectiora ille faciebat opera, ut ſe verum hominem demonſtraret, & in iis quæ ſunt ad Deum, & in iis quæ ſunt ad homines.

VIII. Quod D. Th. de ſapientiæ ſecundum effectus ſolum, non vero ſecundum habitum incremento ait, de infuſa Chriſti ſcientia intelligendum eſt, quam a primo ipſo conceptionis inſtanti perfectiſſimam in Chriſto fuiſſe aſſerit, utpote a cauſa infinitæ virtutis, a Deo nimirum, animæ Chriſti inditam, qui temporis ſpatio non indiget ut operetur, ſed totum ſimul efficere perfecte poteſt. Si vero de acquiſita Chriſti ſcientia ſit ſermo, hanc vere creviſſe ait Angelicus, ut & ætatem, quia quum eam ſibi comparaverit Chriſtus humano intellectu, qui finitæ virtutis erat, nec totum ſimul percipere poterat, ſed ſucceſſive, quemadmodum corpus ejus naturalis caloris, aliarumque intranearum cauſarum virtute non ſubito, ſed paulatim ad debitam quantitatem, perfectamque ætatem productum eſt, ita acquiſita ejus ſcientia non ab initio plena fuit, ſed pro ætatis augmento & ipſa profecit. Adnotat Angelicus, acquiſitam Chriſti ſcientiam, etſi non ſemper perfecta fuerit ſimpliciter, & ſecundum naturam, ſecundum tempus tamen ſemper in eo fuiſſe perfectam, idest in quovis ætatis modulo habuiſſe illum eam hujus ſcientiæ plenitudinem, quæ conveniebat ætati. Quid vere,

re, ſi acquiſita hæc ſcientia non ſemper fuit abſolute perfecta, ſed pro ætatis modo cœpit augmentum, quid etiam ſi hujus ſcientiæ lumine Chriſtus omnia abſolute non novit? Neque fuit iccirco imperfecta mens Chriſti, quum ea ſemper polluerit acquiſitæ ſcientiæ perfectione, quæ illam pro vario ætatis gradu decebat, neque ignorantiæ obnoxia, quum infuſæ ſcientiæ lumine omnia ſemper perfectiſſime noverit, quæ acquiſitæ ſcientiæ non ſuberant, aut ſubeſſe non poterant. Hinc licet Chriſtus peccatum, teſte Apoſtolo, aliaque bene multa experimento non noverit, omnium tamen ſimplicem, ſeu theoreticam, notitiam habuit, non ex infuſa ſolum ſcientia promanantem, ſed etiam ex acquiſita, ſi de iis ſermo ſit, quæ ſcientiæ hujus limitibus continentur; nam, ut ait D. Th., etſi Chriſtus ſenſibilia omnia ſenſu corporeo non perceperit ex, iis tamen, quæ ſenſu percepit, potuit propter excellentiſſimam rationis vim in aliorum notitiam devenire.

IX. Quæ porro ad revincendum ignorantiæ Chriſtum e ſacris litteris Calvinus excerpſit, nullo negotio refelluntur; atque ut ab exaggerata illa tantopere extremæ diei ignoratione ordiamur, quid ſi cum Ambroſio, & Hieronymo reponeremus, verba illa *neque filius* ab Arianis fuiſſe aſſuta, ut Filium a Patre alterius eſſe naturæ conficerent, quem non ejuſdem ſcientiæ cum Patre eſſe, verba laudata videntur innuere? Jam obtritum eſſet præcipuum hoc Calvini argumentum, quum memorati Patres ſacrilegæ fraudis hujus Arianos veterum græcorum codicum, quibus hæc verba deſunt, fide revicerint. Hoc tamen miſſo, ignorare Calvinus profecto non potuit, textum hunc in quo Ariani, & Agnoetæ erroris ſui arcem locabant, ita perſpicue, & ſolide, licet non uno modo, fuiſſe a priſcis Patribus explicatum, ut jam non poſſit quis, niſi ſtultus aut impius, ex eo errandi anſam arripere. In hanc interpretationem Patres plerique conſpirant, quam ex iis hauſtam D. Th. adhibuit: „ Dicitur neſcire Chriſtus diem „ & horam judicii, quia non facit ſcire; „ interrogatus enim de hoc ab Apoſtolis „ hoc eis noluit revelare, ſicut e contra- „ rio legitur Geneſ. 22. *Nunc cognovi,* „ *quod timeas Deum*, id eſt *feci ut cognoſce-* „ *res*. Dicitur autem Pater ſcire, quia „ cognitionem hanc tradidit Filio, unde „ hoc ipſo quod dicitur *niſi Pater*, datur „ intelligi, quod Filius quoque cognoſcit, „ non ſolum quantum ad divinam, ſed „ etiam quantum ad humanam naturam: „ ut enim Chryſoſtomus argumentatur, „ *Si Chriſto homini datum fuit quod ma-* „ *jus eſt*, ut ſciat, *qualiter oporteat judi-* „ *care, multo magis datum eſt ei ſcire,* „ *quod minus eſt*, *nempe tempus judicii:* „ & ut ait Ambroſius: *quomodo neſcivit* „ *judicii diem, qui horam judicii & lo-* „ *cum & ſigna expreſſit, & cauſas?* “

X. Cur vero Chriſtus id revelare Apoſtolis noluit? Quia nihil revelat hominibus niſi mandante Patre, ut Jo. 12. ipſe teſtatus eſt, ajens: *Ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mandatum mihi dedit, quid dicam & quid loquar*; non habebat autem Chriſtus in mandatis a Patre, ut extremum diem hominibus indicaret, quum noſtrum non ſit *noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. Numquid vero & neſcire judicii diem Patrem dicemus, quod illam hominibus non revelet? Quum Pater, ut omnia per Filium facit, ita homines niſi per Filium non erudiat, qui verbum ejus, & ſermo eſt, hoc etiam titulo ſcire dicitur, quia notitiam hanc una cum natura Filio communicavit, Filius vero hoc nomine neſcire dicitur, quia cognitionem hanc acceptam a Patre in homines non derivavit. Si qui autem veterum Patrum Chriſtum, qua homo eſt, diem judicii ignoraſſe ſcripſerunt, ſpectarunt ii naturalem hominis conditionem, cujus certe non eſt futura prænoſcere, neque ſibi aliud voluerunt, quam præſcientiam diei noviſſimæ, ut & aliorum omnium futurorum, qua Chriſtus Deus & homo eximie polluit, non a congenito lumine aſſumptæ naturæ petendam, ſed ab infinita dignitate aſſumentis, qui humanam naram ſe ſola futurorum neſciam omnigena ſcientia perfudit. Paucis id nitidiſſime Gregorius Magnus expoſuit ajens: *Unigenitus factus pro nobis homo perfectus, in humanitatis quidem natura novit diem & horam judicii, ſed tamen hunc non ex natura humanitatis novit: Scientiam itaque, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit, hanc ſe cum Angelis, qui creaturæ ſunt, habere denegavit: Diem ergo judicii ſcit Deus & Homo, ſed ideo quia Deus & homo.*

XI. In oratione vero Chriſti petentis calicem paſſionis a ſe transferri ignoran-

tiam comminiſci, nonne hominis eſt aut plane ſtolidi, aut extreme impii? Perſpectum probe habebat Chriſtus mandatum Patris de ſubeunda morte, & plane norat, fieri abſolute non poſſe, ut a ſe calix ille tranſiret. Quorſum ergo oravit, ait Calvinus? „ Deliberata voluntate, reſpondet „ Angelicus, non petiit Chriſtus calicem „ a ſe transferri, quem certo ſciebat a Pa„ tre immmobiliter prædeffinitum; ſecun„ dum ſenſualitatem tamen oravit, qua„ tenus oratio ejus exprimebat affectum „ appetitus ſenſibilis mortem naturaliter „ refugientis, ut nos de tribus inſtrueret: „ 1. ut oſtenderet ſe veram naturam hu„ manam ſuſcepiſſe cum omnibus natura„ libus adfectionibus; 2. poſſe hominem „ naturali affectu aliquid proprium velle, „ etſi Deus aliter velit; 3. debere homi„ nem naturalem hunc affectum ſuum di„ vinæ voluntati ſubiicere, quare ſtatim „ adjecit: *Verumtamen non ſicut ego volo*, „ *ſed ſicut tu vis*. Peſſime tandem Calvinus & Chriſti morientis clamores, & Auguſtini eos interpretantis verba pervertit. Nemo tamen mirabitur hominem impiſſimum, qui ex verbis Chriſti clamantis ad Patrem *Deus Deus meus &c.* deſperaſſe tunc illum, ſacrilege intulit, Auguſtini verba meditato truncaſſe, ut poſſet quoque Chriſto ignorantiam affingere; Auguſtinus enim juxta primam Ticonii regulam, ſecundum quam Chriſti, & myſtici ejus corporis una moraliter perſona æſtimatur, ea Chriſti verba ad veterem hominem, ſive ad humanum genus, ob cujus delicta Chriſtus mortem oppetebat, referens, atque animadvertens aliqua Chriſto, quatenus perſonam noſtram gerit, in Scripturis tribui, quæ illi ſecundùm ſe nullo modo conveniunt, hæc habet; *Hæc verba ſunt non juſtitiæ ſeu Chriſti, ſed delictorum meorum, ob quæ ſcilicet abolenda Chriſtus moriebatur. Vetus enim homo confixus cruci loquitur, etiam cauſam ignorans, quare eum dereliquerit Deus*. Non ergo Chriſto, ut Calvinus blaterat, ſed humano generi ignorantiam Auguſtinus adſcripſit.

CONSECTARIUM IV.

I. Conſequitur IV. humanam quoque in Chriſto voluntatem & operationem fuiſſe. Animadvertit Angelicus, veteres omnes Incredulos, quos hactenus refutavimus, unam in Chriſto voluntatem operationemque adſtruxiſſe, illumque vera voluntate humana atque operatione voluntatem hanc conſequente nudaſſe, qui quidem error ex ſtultiſſima eorum de Deo homine facto poſitione ſponte fluebat. Si enim Deus vel naturæ noſtræ umbram ſolum, non veritatem aſſumpſit, quod Phantaſiaſtæ putarunt, vel naturam induit ſolidam quidem ſed a noſtra diverſam, ut Valentinus, Apelles, aliique commenti ſunt, vel cum humano corpore animam ſibi junxit mente carentem, ut Apollinari placuit, nemo non videt, quolibet horum poſito, excluſum conſequenter iri a Chriſto humanam operationem ac voluntatem, quæ non niſi veri hominis proprietas eſt. Nihil tamen abſurdius magiſque pugnans eorum errore fuit, qui etſi duas in Chriſto naturas admitterent in hypoſtaſis unitate conjunctas, atque a Phantaſiaſtis, Valentinianis, Apollinariſtis non ſolum, ſed a Neſtorianis & Eutychianis procul abeſſent, nonniſi unam tamen in Chriſto voluntatem operationemque finxerunt, Monothelitæ iccirco dicti, ideſt unius voluntatis adſertores. Paulo poſt ſeptimi ſæculi exordium novus hic adverſus Incarnationis myſterium error erupit, & faventibus Heraclio, & Conſtante Orientis Imperatoribus, Catholicam acerrime diuque vexavit Eccleſiam, donec adnitente Conſtantino Pogonato Conſtantis filio in Conſtantinopolitana tertia, quæ ſexta Œcumenica fuit, Synodo damnatus eſt, quique illum invexerant, foverant, fovebantque, Cyrus Alexandrinus, Sergius Pyrrus, & Paulus Conſtantinopolitani, & Macarius Anthiochænus Patriarchæ anathemate perculſi, æternaque infamia notati. Ut autem nihil fuit Monothelitarum errore ſtultius, magiſque præpoſterum, ita nihil eſt oppoſiti dogmatis, quod quarto hoc conſectario proponimus, demonſtratione facilius.

II. Non Philoſophiæ ſolum omnino rudes fuiſſe Monothelitas, ſed & a communi hominum ſenſu deſertos, oportet, qui non adverterint, Chriſtum verum Deum verumque hominem ponere, eique veram hominis voluntatem ac operationem adimere, idem perinde eſſe ac corpus fingere non extenſum, neque dividuum, ſolem ſine luce, ignem ſine calefaciendi vi, & ut ſexcenta mittam, ſe ipſos, ſi tamen homines erant, qui tam pugnantia ſcribebant, ſine mente concipere. Quoniam vero nobis conſtitutum eſt, ex iis ſolum

quæ

Digitized by Google

quæ novi Teſtamenti Scriptores de Chriſto habent, adverſus Incredulos momenta conflare, prætorimus ea, quæ ex naturali ratione petita D. Thomas in Monothelitas validiſſime intorquet, unumque illud perſequimur, quod l. 4. c. g. c. 36. idem Angelicus egregie verſat ex evangelica narratione depromptum. Si Evangelium, evolvamus, quot in oculos ſtatim incurrunt veritatis hujus locupletiſſima teſtimonia? Unam eandemque Chriſti qua Deus eſt, & Patris ut naturam, ita & voluntatem eſſe, non opus eſt ut probemus, quum id ultro Monothelitæ concedant: unam eandemque utriuſque operationem eſſe & it fatentur, Chriſto ipſo Jo: 5. dicente. *Quæcumque Pater facit, hæc & filius ſimiliter facit*: Fuit ergo in Chriſto divina voluntas, & operatio, eademque ipſa quæ Patris. Quoties tamen Chriſtum ipſum opere atque verbo apertiſſime teſtatum eſſe, aliam ſibi a Patris, eademque divina ſua voluntate ac operatione voluntatem ac operationem ineſſe, memorant Evangeliſtæ? Quid ſibi ea Chriſti volunt, *Ego non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me; deſcendi de Cælo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me, Pater non mea voluntas ſed tua fiat?* Quis non intelligit, hæc, vel falſo ab Evangeliſtis Chriſto tributa, vel a Chriſto ipſo falſo prolata, ſi carebat ille vera hominis voluntate? Ecqui enim negare poterat, ſe deſcendiſſe de Cælo, ut voluntatem ſuam quæreret, & faceret, ſi non pollebat ille niſi voluntate divina, quæ eadem prorſus erat ac Patris? Sane voluntatem Patris quærens, & implens, divinam quoque ſuam quærebat implebatque, quum Patris & Filii una ſit Deitas ac voluntas; Patris itaque non ſuam quærens, paternæ non ſuæ faciendæ intentus, paternam non ſuam fieri cupiens luculentiſſime demonſtravit, alia ſe præditum voluntate, quæ paternæ, eidemque ſuæ qua Deus eſt, poſthabenda erat & ſubiicienda.

III. Nonne & illum frequenter legimus, pernoctaſſe in oratione Dei, & ſæpe Patrem precatum eſſe? Niſi velimus illum per jocum, & perperam in oratione noctes integras poſuiſſe, fateamur neceſſe eſt, humanam in eo voluntatem fuiſſe; quum ſit enim oratio, ut omnibus compertum eſt, voluntatis ad Deum directio, ut illam impleat, quorſum oravit Chriſtus, ſi voluntate humana carebat? An divinam voluntatem dirigere ad Patrem potuit, ut ab eo impleretur, cum quo erat ille unius ejuſdemque dignitatis atque potentiæ? Rurſus voluntate humana a Chriſto ſublata omnem ab eo libertatem tolli oportet. Chriſtus homo ergo, infert Angelicus, non hominis more agebat, ſed brutorum animantium inſtar; quæ libero arbitrio carent; Nihil ergo in ejus actibus virtuoſum, aut laudabile, aut nobis imitandum fuit. Fruſtra ergo ipſe ait Math. xı. *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde*, & Jo: xııı. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; non obedivit ergo, neque promeritus eſt; hæc enim omnia ut ſolius humanitatis erant, ita nullius fuiſſent honeſtatis, utilitatis, & meriti, ſi ab humanitate prodiiſſent, quæ ita fuiſſet a Deo mota, ut ſe ipſam propria voluntate libere non moveret. Aliam quoque in Chriſto operationem fuiſſe, quæ non erat illi communis & Patri, ſed aſſumptæ naturæ propria, ut dormire, eſurire, comedere, & alia hujuſmodi, quæ Chriſtus humanitus egit & paſſus eſt, tradunt Evangeliſtæ; qui potuerunt ergo Monothelitæ, unam in Chriſto tantum operationem adſtruere adverſus locupletiſſimam Evangelii auctoritatem & fidem?

IV. Unde inſanus hic Monothelitarum error effluxerit, declarat præcipue D. Th., cujus verba ad diluenda præcipua eorum objecta aptiſſima ſunt: „ Videtur hæc poſitio, ait Angelicus, ortum ex hoc habuiſſe, quod ejus Auctores neſcierunt „ diſtinguere inter id quod eſt ſimpliciter „ unum, & ſolo ordine unum. Viderunt „ enim voluntatem humanam in Chriſto „ ſub divina voluntate omnino fuiſſe ordinatam, ita ut nihil Chriſtus humana voluntate vellet, niſi quod eum velle voluntas divina diſpoſuit. Nihil etiam Chriſtus ſecundum humanam naturam operatus eſt vel agendo vel patiendo, niſi „ quod voluntas divina decrevit, juxta illud Jo: 8. *quæ placita ſunt ei, facio ſemper*; humana quoque Chriſti operatio „ divinam quandam efficaciam ex unione „ divinitatis conſequebatur, ſicut actio ſecundarii efficaciam quandam ex principali agente ſortitur, ex quo factum eſt, „ ut quælibet Chriſti actio vel paſſio ſalubris fuerit; quare Dionyſius humanam „ Chriſti operationem vocat *theandricam*,

„ ideſt

„ ideſt *Dei virilem*, & etiam quia eſt Dei „ & hominis. Videutes ergo Monothelitæ „ humanam Chriſti voluutatem & operationem ſub divina infallibili ordine contineri, judicaveruut in Chriſto unam „ tantum voluntatem eſſe, & uuam opera„ tiouem; at non idem eſt uuum ordine, „ & unum ſimpliciter: “ hæc D. Th., quibus pinguiſſima Monothelitarum aberratio coarguitur; quid enim ſi in Chriſto nulla fuit pugna, & contrarietas voluntatum, quid ſi ille omnia ad divinæ voluutatis uutum egit & paſſus eſt, quid deuique ſi in humanas ejus actiones tota, quę ſupra naturam in iis erat, efficacia & ſalubritas a Deitate profluxit? Moralis inde voluntatis ac operationis illa unitas fuit in perfectiſſimo illo ordine ſita, quo Deitas omnia, quæ humanitatis erant, adminiſtrabat atque regebat, non vero realis & indiviſa, quam Monothelitæ commenti ſunt, quæ apertiſſime pugnat tum cum iis quæ memoravimus ex Evangelio, tum cum iis, quæ ipſi de Chriſto vero Deo ſimul veroque homine confiteutur.

V. Unitatem hanc voluutatis & operationis ex unitate Perſonæ petebant Monothelitæ; deliraſſe tameu illos & a recta Philoſophia abluſiſſe, ibidem demonſtrat Angelicus ajens, etiam iu puro homine, qui eſt ſuppoſito unus, plures tamen & appetitus & operationes ſecuudum diverſa naturalia principia eſſe; nam ſecundum rationalem partem iueſt ei voluntas, ſecuudum ſenſitivam iraſcibilis atque concupiſcibilis, & rurſus naturalis appetitus conſequens uaturales vires; ſimiliter & oculo videt, aure audit, lingua loquitur, pede ambulat, mente intelligit, quæ operationes diverſæ ſunt. Hoc autem ideo quia operationes non multiplicantur ſolum ſecundum diverſa ſubjecta operantia, ſed etiam ſecuudum diverſa principia, quibus unum idemqne ſubjectum operatur, a quibus etiam operatioues ſpeciem trahunt. Divina porro uatura multo plus ab humaua natura diſtat, quam diverſa ejuſdem naturæ humanæ principia ab invicem: eſt ergo alia, & alia voluntas divinæ & humanæ naturæ in Chriſto, licet ipſe in utraque natura ſit unus, ideſt licet ſit una utriuſque naturæ Perſona. Sane non a ſuppoſito, ſed a uatura operationis unitatem vel pluralitatem ducendam eſſe, intellexiſſent Monothelitæ, ſi ad ineffabile Trinitatis myſterium animum advertiſſent. Nonne etenim trium Perſonarum una virtus, voluntas, atque operatio eſt, quod una trium natura ſit? Etſi ergo uua ſit Chriſti Perſona, quum duæ tamen in eo naturæ ſint, erit ille quidem unus volens, uuuſque operans, duæ tamen in eo operationes & voluntates.

VI. Quia tamen Monothelitæ argutabantur, ut iu quarta ſextæ Synodi actione legimus, ex diverſitate naturarum in Chriſto diverſitatem quidem effectuum, ſeu ut ajebant ipſi, *operatorum* extundi, uon autem operationum, ſicut ambulare quod pedum eſt, palpare quod manuum, diverſa quidem ſunt unius ejuſdemque hominis operata, una tamen & indifferens eſt operatio, quia unum eſt primum principium movens, ſeu una anima, quæ per manus pedeſque operatur, præſertim quum Patres humauitatem Chriſti Deitatis inſtrumentum paſſim appellent, inſtrumenti autem, & cauſæ nonniſi uua ſit actio, D. Thomas deceptos fuiſſe illos, evidenter oſtendit; Ejus enim quod movetur ab altero, duplex eſt actio, altera quam formæ ſeu uaturæ ſuæ virtute habet, altera quam uon habet, niſi quatenus ab alio movetur; operatio autem, quæ rei cujuſpiam eſt vi ſuæ naturæ ſeu formæ, propria ejus eſt, neque ad moventem pertiuet, uiſi quatenus ea re ad ſuam utitur operatiouem, ſicut calefacere propria eſt ignis operatio, non fabri, niſi quatenus ignem adhibet ad ferrum calefacieudum; ea vero operatio, quæ rei ſolum eſt, quatenus ab alio movetur, alia non eſt a moventis operatione, ſicut cujuſque artefacti conſtructio nou eſt inſtrumenti, puta ſecuris, aut ſerræ operatio ab artificis operatione diſtincta, ſed ejuſdem operationis artificis iuſtrumentum ab eo motum ſit particeps, ideoque quoties movens & motum diverſas habent formas, ſeu operaudi virtutes, aliam oportet eſſe moventis operationem, aliam, quæ moti ſit propria, licet motum moventis participet operatiouem, & moveus moti operatione utatur, atque ita cum alterius communione utrumque agat.

VII. Hac præmiſſa doctrina, quæ Philoſophis omnibus, licet in ejus explicandæ modo diſſideant, reipſa commuuis eſt, ad iuſtitutum accedens ita pergit Angelicus: „ Sic igitur humana in Chriſto uatura „ propriam formam habet, & operaudi „ virtutem, ut & divina, ideoque pro-

„ priam

„ priam habet operationem a divina diſtinctam, divina tamen natura humanæ ceu inſtrumenti ſui operatione utitur, & viciſſim humana divinæ naturæ ceu ſupremi agentis, a quo regitur, & movetur, operationem participat, quod Leo Papa in epiſtola ad Flavianum expoſuit, Agit utraque forma in Chriſto cum alterius communione, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt. Si vero una tantum eſſet utriuſque naturæ in Chriſto operatio, dicendum eſſet, vel humanam naturam in Chriſto propria forma & virtute carere, vel ex divina & humana virtute unam in Chriſto virtutem fuiſſe conflatam, " quorum utrumque eſt impoſſibile, nam horum primo imperfecta in Chriſto humana natura adſtruitur, altero vero naturarum permixtio & confuſio inducitur, quorum utrumque Monothelitæ ipſi refugiunt. Rem mirifice illuſtrat Cyrillus Alexandr. trac. 4. in Jo. c. 14. ajens. *Quoniam Salvatoris caro conjuncta verbo Dei, quod naturaliter vita eſt, vivifica effecta eſt, in exſuſcitandis mortuis non ſolum verbo, & imperio quaſi Deus utebatur, ſed etiam carnem ſuam quaſi cooperatricem adhibebat, ut revera oſtenderet, carnem ſuam, quoniam ſibi conjuncta eſt, vivificam eſſe, & fideles doceret, corpus non alterius, ſed ſuum eſſe; nam quando ſinagogæ Principis filiolam ſuſcitavit, manum ejus apprehendit, & erexit dicens, puella ſurge: Ita Deus & verbo & carnis ſuæ tactu eam excitavit, unam ab uno ſe Chriſto, Deo ſcilicet & homine, operationem producens.*

VIII. Nec quemquam moveat, quod Cyrillus mortuorum ſuſcitationem Verbo tactuque carnis a Chriſto peractam unam appellet operationem ab uno Chriſto, Deo ſcilicet, & homine, prodeuntem; quum enim Chriſtus corporeo tactu ad miracula ceu inſtrumento uteretur, una autem ſit inſtrumenti, quod a principe cauſa movetur, & præcipui moventis operatio, ideo operatio humanitatis in Chriſto, ait D. Thomas, quatenus Deitatis inſtrumentum erat, ab operatione divinitatis alia non eſt; non enim alia erat infirmorum curatio aut mortuorum ſuſcitatio, qua curabat aut ſuſcitabat Chriſti Deitas, ab ea, quam præſtabat humanitas; quatenus tamen Chriſti humanitas natura quædam eſt ſua forma & operandi virtute inſtructa, ſuam habebat naturalem operationem a Deitatis operatione diſtinctam, quam exercebat non ſolum in operibus, quæ pure humana ſunt, ut orare, obedire, ambulare &c. ſed & iis, quæ Deitatis propria ſunt, ut patrare miracula, in quibus edendis quidpiam erat Deitatis proprium, ut curatio, ſuſcitatio, peccatorum remiſſio, aliud proprium humanitatis, ut contactus, vox, inſufflatio &c. ita tamen ut unum idemque ſemper eſſet ambarum operationum effectum, quatenus una natura ſemper cum alterius communione agebat; humana enim divinitus, & divina humanitus Chriſtus operabatur, ideſt infinita ejuſdem Perſonæ excellentia humanis actionibus & paſſionibus divinam quandam dignitatem ac virtutem addebat, quæ vero ſolius Dei ſunt propria, humanitatis miniſterio præſtabat.

IX. Id unum ſibi voluiſſe Auctorem librorum de divinis nominibus, vulgo Dionyſium Areopagitam, quum *novam*, non *unam* ſicut Monothelitæ jactabant, *theandricam*, ideſt *Dei virilem* operationem in Chriſto poſuit, ſolide D. Thomas evincit, ajens, eo loquendi modo deſignaſſe memoratum Auctorem, „ divinam Chriſti operationem humana uſam fuiſſe ceu inſtrumento, humanam vero divinæ virtutem participaſſe, quum in Epiſtola quadam ad Cajum Auctor idem hæc habeat: *Super hominem operabatur, quæ ſunt hominis, quod monſtrat Virgo ſupernaturaliter concipiens, & aqua inſtabilis terrenorum pedum ſuſtinens gravitatem*; Concipi enim & ambulare humanæ naturæ eſt, quorum utrumque in Chriſto ſupernaturaliter fuit, qui & divina humanitus operabatur, ſicut quum leproſum tangendo ſanavit, ideoque in eadem Epiſtola memoratus Auctor hæc addit: *Non ſecundum Deum divina faciens, non humana ſecundum hominem, ſed Deo homine facto, nova quadam Dei & Hominis operatione.* " Hæc expoſitio iis omnibus adhibenda eſt Patrum teſtimoniis, quibus Monothelitæ abutebantur, ut unam in Chriſto operationem fuiſſe conficerent.

X. Quoniam vero Catholica Eccleſia in ſexta Synodo deffinivit, duas in Chriſto *naturales* voluntates, & duas *naturales* operationes eſſe, ad elidendas Mono-

thelitarum cavillationes, qui voluntati repugnare blaterabant, ut a natura ſit, ſeu naturalis, alioqui non libera ſed neceſſaria facultas eſſet, adnotandum eſt cum Angelico, ipſam voluntatis potentiam naturalem eſſe, & naturam neceſſario conſequi, quum ſit proprietas hominis, qua rationalis eſt, qui abſque intelligendi atque volendi vi nequit concipi; hujus vero potentiæ motum, ſive actum, qui & ipſe voluntas dicitur, quandoque naturalem & neceſſarium eſſe, puta reſpectu felicitatis, quandoque vero indifferentem & liberum, rationem ipſam tamen, ſive judicii indifferentiam, quæ liberi motus principium eſt, naturalem eſſe, ſeu ab ipſa natura hominis proficiſci: hoc ipſo enim quod homines ſumus, & voluntate pollemus, & quædam objecta neceſſario volumus, puta felices eſſe, & quædam libere appetimus, puta peculiaria bona, in quibus felicitatem apprehendimus, vel in quibus ad eam obtinendam quidpiam utilitatis eſſe cenſemus. Hinc patet, quo ſenſu humana Chriſti voluntas naturalis ab Eccleſia dicta ſit, quia nimirum a vera hominis natura ceu proprietas dimanabat, quædam etiam naturaliter & neceſſario volebat; quod vero libere ad plura ferretur, ab ipſa quoque veri hominis natura erat, a qua ita comparati factique ſumus, ut liberam habeamus plurium electionem. Solent heic Theologi longam quæſtionem inſtituere, an Honorius I. Rom. Pontifex Monothelitis adhæſerit; ſed nos vetamur alienum agrum arare; ejus enim eſt de his agere, cujus eſt de Romano Pontifice tractationem habere.

PROPOSITIO VII.

Evangeliſtarum narratio unam eandemque Dei & Hominis Perſonam in Chriſto fuiſſe probat.

I. „ EX præmiſſis apparet, ait D. Thomas 4. c. g. c. 34., Chriſto nec divinam defuiſſe naturam, ut Ebion, Cerinthus, Photinus, aliique dixerunt, nec verum corpus humanum juxta Valentini, Apellis & Manichæi deliria, nec veram animam, ut blaterarunt Ariani, nec veram hominis mentem, ut Apollinariſtæ finxerunt, nec voluntatem humanam, quæ Monothelitarum poſitio fuit. Tribus igitur his ſubſtantiis, Deitate nimirum, vera hominis anima, & vero humano corpore in Chriſto convenientibus, quid de eorum unione ſentiendum ſit, ſecundum librorum novi Teſtamenti documenta ſupereſt inquirendum." Genuina tamen ipſa Incarnationis notio, quam propoſitione ſexta tradidimus, unionem hanc in Perſona factam fuiſſe, nos docet, ſecus ac blaſphemarit Neſtorius Conſtantinopolitanus Antiſtes, cujus errorem ipſis Angelici verbis exponimus: „ Poſuit ille, ait ibidem D. Thomas, animam humanam & corpus naturali unione conveniſſe in Chriſto ad conſtituendum unum hominem ejuſdem naturæ cum aliis, in quo Deus velut in templo ſuo per gratiam habitavit, ex quo conſecuta eſt quædam affectus unio inter hominem illum & Deum, dum & homo ille bona ſua voluntate Deo inhæſit, & Deus illum acceptum habuit, ita ut hominis illius unio cum Deo talis intelligatur eſſe, qualis illa eſt, de qua Apoſtolus I. ad Cor. 6. ait: *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.* Quoniam vero ex morali hac unione nomina, quæ proprie Deo conveniunt, ad homines transferuntur, ut dicantur Dii, Filii Dei, Domini, Sancti, & Chriſti, ſicut ex variis Scripturæ locis apparet, ita & nomina divina homini illi conveniunt, ut propter Dei inhabitationem dicatur Deus & Dei Filius & Dominus & Sanctus & Chriſtus.

II. „ Quia tamen in eo major fuit gratiæ plenitudo, quam in aliis Sanctis, templum etiam Dei præ cæteris fuit, arctiuſque Deo ſecundum affectum unitus, ſingulari quodam privilegio divina nomina participavit, eamque conſecutus eſt divinæ dignitatis & honoris participationem, ut Deo ipſi coadoretur. Aliam iccirco Neſtorius poſuit Perſonam Verbi Dei, aliam illius hominis, qui cum Dei Verbo adoratur, quæ tamen dici poſſit moraliter una propter unitatem affectus; ſicut de viro & muliere dicitur, *jam non ſunt duo, ſed una caro.* Quia vero viri & mulieris unio non facit, ut quidquid de uno dicitur, de altero dici poſſit, non enim verum eſt de muliere, quidquid viro convenit, ita in Verbi & hominis illius unione hoc obſervandum

„ pu-

Digitized by Google

„ putabat, eà ſcilicet, quæ humana ſunt,
„ ejuſque hominis propria, de Verbo
„ Dei atque Deo dici non poſſe; ideoque
„ etſi homo ille de Virgine natus ſit,
„ paſſus, mortuus, & ſepultus, hæc ta-
„ men de Deo, Deíque Verbo dicenda
„ non eſſe. Cæterum quum ſint quædam
„ nomina, quæ etſi principaliter Deo
„ conveniant, hominibus tamen aliquali-
„ ter communicantur, ut Chriſtus, Do-
„ minus, Sanctus, & Filius Dei, de his
„ nominibus humana prædicari patieba-
„ tur Neſtorius, nec abſurde dici puta-
„ bat, Chriſtum Dominum gloriæ, Sanctum
„ Sanctorum, vel Dei Filium natum de
„ de Virgine, paſſum &c. unde & B.
„ Virginem non Matrem Dei, vel divi-
„ ni Verbi, ſed Matrem Chriſti nominan-
„ dam eſſe dicebat: “ Hæc de Neſtorio D. Thomas, quo nemo magis perſpicue Neſtorii errorem, ejuſque ineptas ſubtilitates expreſſit. „ Si quis diligen-
„ ter conſideret, pergit Angelicus, præ-
„ dicta poſitio veritatem Incarnationis
„ excludit, quumque in fide Incarnatio-
„ nis Religio Chriſtiana fundetur, ipſum
„ Chriſtianæ Religionis evertit fundamen-
„ tum. “

III. Etſi D. Thomas errorem hunc ſeptem & viginti validiſſimis argumentis ibidem oppugnet, in ea tamen, quam ab initio propoſuimus, diſſerendi ratione conſtantes, ſolam Evangelicam narrationem urgebimus, eaque ſola conficiemus, nonniſi unam in Chriſto Dei, hominiſque fuiſſe Perſonam. Ne autem in immenſum abeamus, duobus tantum momentis inde petitis contenti erimus. Primum momentum ex eo, quod Mathæus c. 16. refert, cum S. Leone M. conflamus; Dicente Domino, quem me dicunt homines eſſe Filium hominis, varias quidem diverſorum opiniones Diſcipuli memorarunt, ſed quum ab eis quid ipſi crederent, quæreretur, Princeps Apoſtolorum plenitudinem fidei brevi ſermone complexus, *tu es*, inquit, *Chriſtus Filius Dei vivi*, hoc eſt, tu qui vere es Filius hominis, idem vere es Filius Dei vivi, tu, inquam, verus in Deitate, verus in carne, & ſalva geminæ proprietate naturæ utrimque unus. Hæc ſane Evangeliſtæ narratio jugulum Neſtorio petit; ſi enim Chriſti interrogationem, *quem dicunt homines eſſe Filium hominis*, *quem vos me eſſe dicitis*, & Petri reſponſum, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, expendamus, de una eademque Perſona, quæ Filius hominis, & Filius Dei vivi erat, ſermonem fieri, certo intelligimus, quum pronomina hæc, *me*, & *tu*, ad unam eamdemque Perſonam referri, ipſa narrationis ſeries oſtendat: Una ergo eademque erat in Chriſto Filii hominis, & Filii Dei Perſona. At num Perſona Filii hominis in Chriſto erat Dei vivi Filius ſpeciali adoptione ſolum, non natura, inhabitatione, & affectu ſolum, non ipſa rei veritate? Satis eſt, quæ Chriſtus adjecit excutere, ut cuique perſpectum fiat, Petrum naturalem verumque Dei Filium confeſſum eſſe, qui idem erat & hominis Filius; Chriſtus enim Petri confeſſionem approbans & commendans ait: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*; porro ſi Petrus purum hominem confeſſus eſt, qui ob majorem gratiæ plenitudinem, arctioremque cum Deo affectionis unionem Dei vivi Filius eſſet, & in quo Dei Verbum velut in excellentiſſimo templo ſuo habitaret, perperam imo falſo fuiſſet laudatus a Chriſto, quid enim ſplendidius tribuiſſet ille Chriſto, quod non & turbæ ipſæ tribuerent? Quum multi e turba Chriſtum Joannem Baptiſtam eſſe ſentirent, gratia ſcilicet & ſanctitate, Joanne autem inter natos mulierum, Chriſto ipſo judice, major non ſurrexiſſet, in idem cum turbæ de Chriſto opinione recidiſſet Petri judicium, ſi non alio nomine Chriſtum Dei vivi Filium confeſſus eſt, quam quod ampliſſima gratia inſtructus eſſet, & arctiſſima voluntatis unione cum Deo junctus; perperam ergo fuiſſet præ aliis omnibus laudatus a Chriſto.

IV. Falſam quoque fuiſſe laudis in Petrum a Chriſto collatæ cauſam, ſi alia erat in Chriſto Filii hominis a Filii Dei Perſona, quis non intelligit? Ultra humanos oculos intendiſſe & vidiſſe laudatus eſt Petrus, ait Hilarius, qui non id quod ex carne & ſanguine erat, contuens, ſed Dei Filium cæleſtis Patris revelatione conſpiciens, dignus judicatus eſt, qui quod in Chriſto Dei erat, primus agnoſceret; ſi autem non aliud in Chriſto Petrus agnovit, quam Filii hominis Perſonam moraliter Deo conjunctam, quæ Filius Dei ſpeciali adoptionis titulo diceretur, falſo agnitionem hanc

Chriſtus non ad carnem & ſanguinem, ſed ad naturæ vires, ſed ad ſpecialem Patris revelationem retulit; nonne etenim ſatis erat, eximiam vitæ Chriſti ſanctimoniam, doctrinam, & ſigna oculis, animoque luſtrare ad id unum de Chriſto ſentiendum? Nonne & abſque ſpeciali hac Patris revelatione in eandem de Chriſto opinionem venerant ante Petrum Andreas, Philippus, Nathanael, Nicodemus, aliique plures? Si ergo Filium hominis eundem verum Deum eſſe Petrus conteſſus non eſt, falſo fuit laudatus a Chriſto. At decretorium eſt argumentum, quod ex præmio ducitur, quo Chriſtus Petri confeſſionem affecit, ajens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum &c.* Quid his verbis apertius? Ille idem Filius hominis, quem Dei vivi Filium Petrus conteſſus eſt, nonne manifeſte declarat, ſe verum & naturalem eſſe Dei viventis Filium? Cujus eſt, Eccleſiam ædificare, tantaque divinitus ſoliditate munire, ſicut Leo M. exponit, ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia? Cujus eſt, claves regni cælorum, ut habere, ita & tradere, hominesque ea poteſtate donare, ut eorum terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cælo? Nonne ſolius veri Dei & ſupremi omnium Domini? Si ergo continens hæc Mathæi narratio unam eandemque eſſe veri Dei, & veri hominis perſonam in Chriſto, dubitare non ſinit, impietatis reus eſt Neſtorius, qui Chriſtum diviſit in duos.

V. Secundum momentum ex pluribus, quas Evangeliſtæ referunt, Chriſti locutionibus cum D. Thoma in hunc modum inſtituimus: Pronomina demonſtrativa Grammaticorum & Philoſophorum omnium conſenſu ad Perſonam vel hypoſtaſim vel ſuppoſitum referuntur, ſed homo ille, qui dictus eſt Jeſus, de ſe ipſo loquens plura ſibi palam adſcribit, quæ, quum ſolius veri Dei ſint propria, verum illum Deum eſſe Patrique conſubſtantialem manifeſte conficiunt, quæque a nobis ſuperius laudata ſunt, quum de vera ejus Deitate ageremus; hominis ergo illius loquentis Perſona ipſa erat Filii Dei Perſona; alioqui ſi homo ille loquens non fuiſſet ſecundum hypoſtaſim Deus, ſed Deum ſolum habuiſſet plenius inhabitantem, ait D. Thomas, ſummæ reus fuiſſet impietatis atque ſuperbiæ, ſibi unius veri Dei characteres attribuens, innumeros homines in errorem omnium peſſimum, æternamque perniciem verbis ad fallendum meditato compoſitis pertraxiſſet, qui naturali & obvia pronominis *Ego* vi moti, verum illum natum Deum eſſe crediderunt, quum non niſi pleniori gratia talis eſſet; nec fuiſſet ergo homo ille eximie Deo charus, ipſa Dei jura ſacrilege violans, nec potuiſſet Deus ſermonibus ejus manifeſte falſis, capțioſis, & blaſphemiæ plenis teſtimonium miraculis inſignibus perhibere; quum itaque hominem illum loquentem Neſtorius omnium ſanctiſſimum prædicet, Deo præ cunctis acceptum, qui verbis ejus fidem auctoritatemque ſummis miraculis conciliavit, non potuit in duas Perſonas eum dividere, quin ipſam Dei veritatem, Chriſti ſanctitatem, & naturalem rationem ipſam everteret.

VI. Quam inſulſa autem erant, quibus fulcire peſtilentiſſimum errorem ſuum Neſtorius nitebatur? Ut aliam in Chriſto hypoſtaſim hominis a perſona Verbi probaret, ea inſcite captabat, quæ in ſacris literis de Chriſti humanitate leguntur, quæ non ſemel templo, domui, indumento comparatur, inde inferens, aliam fuiſſe hominis Perſonam in Chriſto, aliam Dei, ſicut aliud eſt ſuppoſitum habitantis ab eo, in quo habitat &c. Pueriliter tamen atque ineptiſſime hæc ab illo fuiſſe jactata, invicte demonſtrat Angelicus, ajens: „ ſi non aliter facta fuerit divini Verbi Incarnatio, quam ſpeciali ejus in homine Jeſu inhabitatione per gratiam, ab ipſo „ mundi exordio frequentiſſime divinum „ Verbum dicendum eſſet carnem factum, „ quum a mundi conſtitutione in omnibus Sanctis ſpeciatim habitaverit, juxta „ illud Pauli 2. ad Corinth. 6. *Vos eſtis* „ *templum Dei vivi, ſicut dicit Dominus,* „ *quoniam inhabitabo in eis*; nec vero „ dici poteſt Verbum Dei incarnatum „ ſolum in Chriſto, quia in eo ſolo præ „ omnibus Sanctis abundantiori gratia „ habitavit, magis enim & minus ſpeciei „ differentiam non inducunt. “ Inſuper ſi non alia ſit Incarnationis Verbi Dei notio ab ea, quam ſtultiſſime Neſtorius invexit, fateamur neceſſe eſt, & Spiri-

tum

tum ſanctum in homine Jeſu incarnatum, quum in eo pleniſſime inhabitarit juxta illud Lucæ 4. *Jeſus autem plenus Spiritu S. regreſſus eſt a Jordane*. Quid vero ſi Jo. 1. legimus, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis?* Ergo ne ſola inhabitatione per gratiam Incarnatio peracta eſt? Reſpondet primo Auguſtinus, Verbum carnem factum in nobis habitaſſe, ut ejus gloriam videremus, quam nemo videre poterat, niſi Verbum factum fuiſſet caro, ideoque ſubdit Evangeliſta, *& vidimus gloriam ejus* &c. Magis ad Evangeliſtæ mentem reſpondere videtur Angelicus, tò *habitavit in nobis*, non ad Verbi Incarnationem, ſed ad ejuſdem jam incarnati cum hominibus converſationem referri, juxta illud Baruchi celeberrimum vaticinium: *Hic eſt Deus noſter: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*.

VII. Si vero ex comparatione illa, quam inter templum, tabernaculum, veſtimentum, ſacræ literæ inſtituunt & Chriſti humanitatem, perverſus ille eliciendus ſenſus ſit, quem Neſtorius commentus eſt, quidni in unoquoque homine duo pariter ſuppoſita diſtinguamus, quum & corpora noſtra *domui*, *tabernaculo* a Paulo, *tunicæ* vero a Juda Apoſtolo comparentur? „Omnifariam itaque & indefective, ſicut ex Damaſcæno adnotat D. Th., neceſſe non eſt aſſimilari exempla; quod enim eſt omnino ſimile, idem utique eſt, & non exemplum, in divinis præſertim, quum impoſſibile ſit, exemplum in omnibus ſimile invenire, &c. in Theologia, ideſt in Perſonarum Deitate & in diſpenſatione, ideſt in Incarnatione." Templo itaque & tabernaculo humana natura aſſimilatur in Chriſto, quod in ea *omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitaverit*, ut ait Apoſtolus, eamque multo amplius ac perfectius, quam Moſaicum tabernaculum & Salomonicum templum majeſtas divina repleverit, non vero quod aliud fuerit ſuppoſitum Chriſti hominis a divini Verbi Perſona. Veſtimento quoque eandem naturam humanam aſſimilari, animadvertit Angelicus, „non quod accidentaliter unita fuerit Verbo, ſicut indumentum induto, ſed quia ſub exteriori hominis forma latebat Deus, & per illam fiebat aliqua ratione conſpicuus, ſicut homo veſtimento velatur, eoque indutus apparet; quia etiam veſtimentum ipſum mutatur, quatenus ad menſuram induentis efficitur, induens vero nullam ſuæ formæ mutationem patitur, ita humana natura a Dei Verbo aſſumpta perfecta fuit, & in melius commutata, quin Verbum ipſum ullam ſubierit mutationem."

VIII. Procul vero a peſſimo Neſtorii errore abfuiſſe Patres illos, qui Chriſtum hominem *Deiferum & Dominicum* appellarunt, quique *hominem* a Verbo aſſumptum fuiſſe, in Chriſto *aliud* & *aliud*, imo Deum & hominem duas *Perſonas* eſſe ſcripſerunt, non uno ſuorum operum loco demonſtrat Angelicus. Non aliud voluiſſe Patres, dum a Filio Dei hominem aſſumptum fuiſſe dixerunt, quam veram hominis naturam aſſumptam a Verbo, ex qua aſſumptione factum eſt, ut una eſſet Dei hominiſque Perſona, exponit D. Th.; hanc tamen locutionem minus propriam eſſe, ait, neque uſurpandam, quod Patres de rei ſignificatæ veritate ſecuri minus fuerint de modo ſignificandi ſolliciti, nondum exorta Neſtorii hæreſi, qui *hominis* vocabulum non ad humanam naturam ſolum, ſed & ad ejuſdem naturæ hypoſtaſim retulit, quæ a Perſona divini Verbi diſtincta ab ea ad moralem ſolum unionem fuiſſet aſſumpta; quare quum, monente Hieronymo, nec debeamus nomina cum Hæreticis habere communia, abſtinendum ab ea phraſi, licet innoxie atque ſimpliciter a Patribus uſurpata, quod ea Neſtorius abuſus ſit. Hinc adnotat idem Angelicus, Auguſtinum, quum Chriſtum non ſemel hominem *Dominicum* appellaſſet, retractaſſe hæc & alia hujus generis verba l. 1. Retract. c. 9. *Non video, utrum recte dicatur Jeſus Chriſtus homo Dominicus, quum ſit utique Dominus, ideoque ubicumque hæc dixi, dixiſſe me nollem; poſtea quippe vidi non eſſe dicendum, quamvis nonnulla poſſet ratione defendi*: quia nimirum, ſubdit D. Thomas, Chriſtum hominem Dominicum quiſpiam vocare poſſet ratione humanæ naturæ, quam hoc nomen *homo* ſignificat, non ratione ſuppoſiti.

IX. Juxta D. Thomæ doctrinam idem de hac voce *Deifer* a nonnullis Patribus adhibita cenſendum eſt. Verum ut magis pateat latiſſimum vocis hujus apud veteres Patres, & apud Neſtorium uſus diſcrimen, quum Cyrillus Alexandrinus

Digitized by Google

anathematiſmo quinto eam prave a Neſtorio adhibitam proſcripſiſſet, Theodoretus genuinum ejuſdem vocis intellectum enucleans ſic Cyrillo reſpondit: *Sicut unum quidem Filium adoramus, & eum, qui aſſumpſit, & id quod aſſumptum eſt, naturarum autem differentiam cognitam habemus; & Deiferum hominem, ſicut a multis Sanctis Patribus eſt, quorum unus magnus ille Baſilius, non devitamus: vocamus autem Deiferum hominem, non quod particularem quamdam gratiam acceperit, ſed quod omnem unitam habeat Filii Deitatem.* Quid vero ſi in Chriſto *aliud* & *aliud* eſſe Auguſtinus non ſemel aſſeruit?
„ Quum de Chriſto, ait D. Thomas,
„ divina & humana dicantur, ſi quæta-
„ tur id de quo dicuntur, unum & idem
„ eſt, ſi vero id ſecundum quod dicun
„ tur, aliud & aliud eſt, ut idem Au
„ guſtinus ait 1. de Trinitate. Quum
„ ergo dicit, aliud in Chriſto eſſe Dei
„ Filium, aliud hominis Filium, alietas
„ non eſt referenda ad id de quo utrum-
„ que prædicatur, quod eſt unum utriuſ-
„ que filiationis ſuppoſitum, ſed ad id,
„ ſecundum quod prædicatur, quare ibi-
„ dem addit Auguſtinus, *aliud, inquam,*
„ *pro diſtinctione ſubſtantiæ, ſeu naturæ,*
„ *non alius pro unitate Perſonæ.*“ Poſtremo ſi Chryſoſtomum Neſtoriani animo ſincero legiſſent, verum ejus ſcopum & ſenſum nullo negotio aſſecuti eſſent, quum Chryſoſtomus non aſſerat, duas in Chriſto perſonas eſſe Dei, & hominis, ſed illud verſans, quod ad Heb. 1. ex Pſal. 44. Paulus de Chriſto recitat, *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis*, argumentum inde petit, quo Hebræos & Sabellianos perſtringit oſtendens, aliam eſſe Dei ſeu Patris ungentis, aliam hominis uncti Perſonam, quam tamen David & Paulus Deum appellant.

X. Ad obterendas quaſcumque Neſtorii cavillationes e Philoſophia petitas, revocanda in mentem ſunt, quæ propoſitione ſexta ſtatuimus, dum Incarnationis myſterium adverſus Ethnicos, noſtræque ætatis Incredulos tueremur. Ea præ oculis habentes Neſtorio argutanti reponimus, ex unione animæ, & corporis Chriſti, ſpectato naturæ ordine, debuiſſe humanam ſeu hominis propriam ſubſiſtentiam promanare, impeditam tamen a divini Verbi Perſona fuiſſe, ne pullularet, quia Deus ipſe voluit naturam illam aſſumere, perficere, ac ultimo determinare, ſeu efficere ſe ſolo, quidquid humana ſubſiſtentia, ſi permiſſa fuiſſet effluere, præſtitiſſet. Potuiſſe id a Deo fieri, ea perſuadent, quæ ibi adverſus Incredulos e Philoſophia deprompſimus, factum vero reipſa, ea demonſtrant, quæ ex Evangelio mox recitavimus. Nihil vero perfectionis humanitati Chriſti detractum, quod vetita divinitus fuerit, congenitam ſubſiſtentiam habere, imo plurimum ei additum, quod ad divinam fuerit ſubſiſtentiam evecta, ea invicte probant, quæ ibidem cum quibuſque Philoſophis conſtituimus, actualem videlicet ſubſiſtentiam præter cujuſque ſubſtantiæ naturam eſſe, quum optime poſſit hominis, ut & cujuſque alterius rei eſſentia concipi, quin concipiatur actu per ſe ſubſiſtere. Fatemur quidem, humanitatem aſſumptam a Verbo individuam fuiſſe ſeu ſingularem, negamus tamen, ſua illam iccirco adſectam fuiſſe perſonalitate; Etſi enim Perſona, deffiniente Boerio, *rationalis naturæ individua ſubſtantia ſit*, non quælibet tamen rationalis naturæ individua ſubſtantia Perſona eſt, ut ait Angelicus, alioqui manus hominis Perſona eſſet, ſed inſuper neceſſe eſt, ut ſubſtantia individua ſit ultimo completa, plene ſui juris, per ſe ſubſiſtens, atque omnino incommunicabilis, quæ quum humanitati Chriſti defuerint, ſua illam caruiſſe perſonalitate conficiunt.

PROPOSITIO VIII.

Evangelicæ narrationis ſeries quamlibet in Chriſto naturarum converſionem & confuſionem excludit.

I. ETſi Incarnationis myſterium, ait D. Thomas .4. c. g. c. 45., ita intelligi oporteat, ut Verbi Dei & hominis ſit una eademque Perſona, quædam tamen ſupereſt de veritate hac difficultas; naturam enim divinam, neceſſe eſt, ut ſua perſonalitas conſequatur, ſimiliter & humanam, quare poſſibile non videtur, ut una in Chriſto Perſona ſit, & duæ naturæ. Ad hanc difficultatem ſolvendam Neſtorius, quem jam refutavimus, juxta naturarum numerum in Chriſto numerum quoque Perſonarum adſtruxit, hac de cauſa in Generali Epheſino Concilio damnatus, Eutyches Con-

ſtan-

ſtantinopolitanus Monachus & Archimandrita, ut unitatem Perſonæ contra Neſtorium ſervaret in Chriſto, dixit unam quoque in eo fuiſſe naturam, ita ut licet ante unionem duæ eſſent diſtinctæ naturæ, divina & humana, in unione tamen in unam naturam coiverint, & licet Chriſti Perſona ex duabus naturis eſſet, non tamen in duabus naturis ſubſiſteret, quare in Chalcedonenſi Synodo damnatus fuit. Quid ſibi voluerit *delirus ille & imperitus ſenex* (ſic Eutychetem Leo M. appellat) unam poſt unionem ſtatuens in Chriſto naturam, non una eſt recentium Theologorum opinio. Vaſquezius putat, unam ab eo poſitam in Chriſto naturam, quæ ex divina & humana in ſua integritate manentibus, neque permixtis, neque confuſis compoſita eſſet, ſicut eſt hominis una natura ex anima & corpore coaleſcens: Combefiſius opinatur, Eutychetem unam Chriſto eatenus tribuiſſe naturam, quatenus, quum ea ſit & dicatur propria cujuſque natura, quæ primas obtinet partes, non ſecundas ſolum, quæ habet, non habetur, etſi Chriſto vera non deeſſet humanitas, quum tamen ſecundas tantum partes obtineret in Chriſto, & a Deitate tanquam ſuperiori haberetur, ſola Deitas, non vero humanitas propria Chriſti natura cenſenda erat.

II. Quum tamen recta ratio doceat, iis potius auſcultandum eſſe, qui Eutycheti coævi errorem illius preſſius exagitarunt, damnaruntque; quis malit, e Vaſquezio aliiſque tantum ab Eutychetis ævo remotis illius errorem diſcere, quam a Chalcedonenſi Concilio, & Patribus ſynchronis? Si autem vetera laudatæ Synodi & Patrum documenta conſulimus, ſi argumenta expendimus, quibus adverſus illum egerunt, dubitare non poſſumus, quin inſanus ille unam Chriſto naturam poſt unionem aſſinxerit, quod a Deitate putaret humanitatem fuiſſe conſumptam, ideoque Chriſtum ſolam hominis effigiem geſſiſſe, non veritatem. Pauca ſolum dabimus ex Theodoreti Dialogo, cui titulum fecit, *inconfuſus*, in quo Eraniſtes Eutychetis Perſonam agens ita errorem ſuum exponit: „ Ex duabus naturis dico Chriſtum, duas vero non dico: poſcenti dein Orthodoxo, ut doceat, quomodo unam dicat poſt unionem naturam, an quod una ex ambabus facta ſit, an quod altera deleta altera remanſerit, reſpondet Eraniſtes: Ego dico manſiſſe divinitatem, ab hac vero abſorptam humanitatem, ut mare mellis guttam ſi accipiat; ſtatim enim gutta illa evaneſcit aquæ maris permixta. “ Fateor, nonnullos ſubinde ex Eutychetis grege invictis Catholicorum argumentis preſſos alterutro illorum modorum, quos Vaſquezius & Combefiſius indicarunt, ad faciendum Catholicis fucum & minuendam ſui erroris invidiam, illum exponere conatos eſſe; Diſcipulorum tamen, non Magiſtri illa poſitio fuit.

III. Quamquam Eutychetis errorem Gregales ejus, qui jamdudum *Jacobitæ* dicuntur, hocque vocabulo noti latiſſime Ægyptum, atque Orientem occupant, variis, quæ tamen omnes perverſæ erant, interpretationibus obductum foverint, propagarintque, omnium tamen impiiſſime illum expoſuit, vulgavitque Timotheus Elurus Alexandrinus Antiſtes, a quo *Timotheani*, cujus hoc fertur immane deliramentum, Chriſti ſcilicet naturas in Mariæ utero in tertiam quandam naturam veluti maſſam confluxiſſe, quæ jam neque divina ſit, neque humana, conſumptiſque unione ac mixtione illa utriuſque naturæ proprietatibus, tertium quiddam inde extitiſſe, quod dicitur *Chriſtus*, ea plane ratione, qua ex aqua melle commixtis fit hydromel, item ex aceto & melle fit oximel, quod jam neque acetum eſt, neque mel, ſed tertium quidpiam ex utroque compoſitum. Idem de Chriſto Timotheus effutiebat, quaſi vero poſt Incarnationem neque verus Deus ille fuerit, nec verus homo, ſed veluti chimæra quædam ex Deo & homine confuſis coagmentata. Horret calamus hæc exſcribere, quæ tamen ſæculo ſextodecimo a nequiſſimo illo Antitrinitariorum Parente Michaele Serveto Genevæ combuſto inſtaurata ſunt, qui aliis blaſphemiam ſuam exemplis æque impiis communivit, ajens naturarum unionem perinde factam in Chriſto, ac ſi duæ ceræ colliqueſcant, aut duo liquores invicem miſceantur, & confundantur.

IV. Quum diverſos modos illos, quos ad erroris ſui expoſitionem Eutychiani commenti ſunt, D. Thomas invicte refelliſſet, luce clarius oſtendens, a recta ratione ipſa, & ſolida Philoſophia illos ab-

abhorrere, eorumque Auctores plane ignoraſſe, quæ vera ſit Deitatis idea, quæ mixtionis natura, quæque neceſſaria ſit rerum indoles, quæ invicem miſceri debent, recte concludit, non potuiſſe ab Eutychete, ejuſque Aſſeclis, unam poſt unionem in Chriſto naturam ſtatui, quaſi vero ex duabus naturis una in eo conflata ſit, quum ipſe hominum communis ſenſus commentum illud explodat. Quo ſenſu ergo nonniſi unam potuerunt in Chriſto naturam adſerere? Si ex duabus effici poſt unionem una natura non potuit, relinquitur, ait Angelicus, hanc naturæ unitatem in Chriſto ab Eutychianis inductam non aliter intelligi poſſe, quam quod altera tantum earum poſt unionem in Chriſto remanſerit: Aut ergo ſola in eo fuit divina natura, quod que in eo videbatur humanum, apparens fuit atque phantaſticum, ut Manichæi dixerunt, aut divina natura in humanam converſa eſt, ut ſtolidiſſimus Apollinaris effutiit: primum propoſitionis ſextæ conſectario primo falſi revictum eſt, alterum nonniſi a ſtultis fingi poſſe, ipſa divinæ immutabilitatis idea ſatis ſuperque probat; undequaque ergo impoſſibile eſt, ante unionem fuiſſe duas naturas in Chriſto, poſt unionem vero unam tantum: ita D. Thomas ex S. Leone M. in epiſtola ad Leonem Auguſtum.

V. Age vero, & methodi noſtræ tenaces argumentum illud perſequamur, quod ex Evangelica hiſtoria promptum præclare ibidem verſat Angelicus: Oſtenſum eſt ſupra, idque ex ſexcentis Evangelii locis apparet, in Chriſto Jeſu veram fuiſſe Deitatem, verum quoque humanum corpus, & animam mente preditam: quis autem uſque eo deſipiat, ut corpus Chriſti poſt unionem ipſam Verbi Deitatem fuiſſe putet, quum corpus Chriſti corporeis oculis aſpectabile, manibus palpabile, membrorum lineamentis diſtinctum, & paſſioni fuiſſe obnoxium, tradant Evangeliſtæ, quorum nihil in Deitatem cadere poſſe, naturalis ipſa ratio demonſtrat? Quum etiam Chriſti animam poſt unionem doloris, triſtitiæ, metus, iræ, & admirationis propaſſionibus vere proprieque fuiſſe affectam, iidem Evangeliſtæ diſerte memorent, quidpiam vero ejuſmodi Deo proprie adſcribere, vetet ipſum naturæ lumen, animam Chriſti aliud projecto fuiſſe a Verbi Deitate manifeſte conſequitur: quum ergo ex rationali anima & corpore veri hominis natura conſletur, ambæ autem hæ veri hominis partes in Chriſto fuerint longiſſime a Verbi Deitate diverſæ, naturam quoque humanam ex iis conſtantem a Divina etiam poſt unionem diſtinctam fuiſſe, neceſſe eſt; Duæ ergo fuerunt in Chriſto impermixtæ, & inconfuſæ naturæ, neque aut Deitas humanitatem abſumpſit, aut in humanitatem converſa eſt, aut ex utriuſque naturæ mixtione tertia quædam natura coaluit; alioqui falſa ea omnia eſſent, quæ de Chriſto vero Deo, veroque homine Evangeliſtæ ſcripſerunt, quandoquidem, poſitione Eutychianorum admiſſa, Chriſtus aut ſolus fuiſſet Deus, larvam hominis gerens, aut ſolus fuiſſet homo, aut neque Deus, neque homo, ſed monſtrum quoddam ex Deitatis & humanitatis mixtione compactum, ſicut quodcunque mixtum nihil jam eſt eorum, ex quibus concretum eſt.

VI. Animadvertit Angelicus, Apollinarem & Eutychetem ſtultiſſimi erroris ſui anſam ex eo ſumpſiſſe, quod Jo. 1. legitur, *Verbum caro factum eſt*, quod ita intelligendum eſſe uterque putavit, quaſi Verbum ipſum in carnem converſum fuerit, ſicut illud intelligitur quod Jo. 2. ſcriptum eſt: *Ut guſtavit Architriclinus aquam vinum factam*, quod ea ratione dicitur, quia aqua in vinum mutata fuerat. Facile tamen eſt deprehendere, adjicit D. Thomas, id eſſe omnino factu impoſſibile; quidquid enim in aliud convertitur, in illud mutari neceſſe eſt, quare quum Verbum Dei ſit verus Deus, ſit autem Deus omnino immutabilis, niſi veram Dei ideam quis abjiciat, fingere animo nequit, Verbum Dei in carnem tranſiviſſe. Verborum ergo Joannis hic ſenſus eſt; *Verbum Dei carnem aſſumpſiſſe*, ut cum hominibus converſaretur, & eis conſpicuum appareret, quare ibidem ſubditur, *& habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus* &c. Quorſum vero e Scripturis Eutychiani exempla congerunt rerum, quæ illud factæ dicuntur, in quod fuerant divina virtute converſæ? Exempla illa libenter admittimus, quum e rebus petita ſint ſuapte natura mutationi obnoxiis, nec divinæ omnipotentiæ obſiſtentibus, quin illas poſſet in alias tranſmutare. Idem ne vero ſanæ mentis homo cogitet de immutabili Deitate, ut

vel

Digitized by Google

vel ipſa in creatum quidpiam, vel hoc in illam converti poſſit? *Hoc merum delirium*, ait Cyrillus Alexandrinus, *& dementia eſt; cenſent enim per hoc, quod dicitur, Verbum caro factum eſt, neceſſaria quadam ratione mutationem, alterationemque ſignificari. Ergo quum dicitur, Domine refugium factus es nobis, quid reſpondebunt? Anne Deus deſinens eſſe Deus, mutatus eſt in refugium, & translatus naturaliter in aliud, quod ab initio non erat? Quum Dei mentio ſit, & ab aliquo dicatur illud, factus eſt, quo pacto non ſit vehementer abſurdum, exiſtimare mutationem aliquam Dei per id ſignificari?*

VII. Quamquam Eutyches paris inſcitiæ, ac impudentiæ homo ſolas ſe Scripturas ſectari dictitaret, Patrum vero placita non amplecti, ſi quandoque eos a Scripturarum ſenſu, & vera fide aberrare cognoſceret, ut act. 4. Conſtantinopolitani Concilii a S. Flaviano adverſus illum habiti legere eſt; ſi quæ tamen Patrum dicta errori ſuo congruere falſo putaſſet, illa immodice jactare, ac in Catholicos torquere quaque occaſione ſolebat. Illam primo arripiebat, quam in Apologia 2. Juſtinus Martyr Incarnationem inter ac Euchariſtiam inſtituit, comparationem, indeque argutabatur, Verbum ita carnem factum ad Juſtini mentem, ut panis in corpus Chriſti convertitur. Eos quoque captabat veteres Patres, qui Incarnationis myſterium utriuſque naturæ *mixturam*, & Chriſtum *hominem Deo mixtum* ſæpe dixerunt: Illam etiam collationem urgebat, quæ apud nonnullos Patres occurrit, unum videlicet ex Deo & homine Chriſtum extitiſſe, ſicut ex rationali anima, & carne unus eſt homo, ibique videbatur præclare conficere, nonniſi unam in Chriſto poſt unionem naturam eſſe, ſicut ex anima & corpore una unius hominis natura conſurgit. Præſertim vero Cyrillum Alexandrinum totum ſibi vendicabat Eutyches, qui in Epiſ. ad. Jo. Antiochenum ſcripſit, *non oportere intelligere duas naturas, ſed unam naturam Verbi Dei incarnatam*. Quum etiam Cyrillus idem naturam divinam frequenter *incarnatam* appellet, Nazianzænus vero humanam naturam *Deificatam*, ex his Patrum locutionibus inferebat Eutyches, ex duabus naturis unam in Chriſto coaluiſſe, quum duarum naturarum una denominari non poſſet ex altera, niſi aut Deitas in carnem, aut caro tranſmutata fuiſſet in Deitatem.

VIII. Immaniter tamen a Patrum mente aberrabat Eutyches; primo enim non aliud eo loci propoſitum fuiſſe Juſtino, quam ut doceret, ſub panis vinique ſymbolis, conſecratione peracta, Chriſti Domini corpus & ſanguinem tam vere & proprie a nobis ſumi, quam vere, proprieque idem Servator noſter divina virtute caro factus eſt, luculenter indicant, quæ ibi habet: *Quemadmodum per Verbum Dei caro factus eſt Jeſus Chriſtus Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit, ita quoque illud alimentum, in quo per preces Verbi ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, ipſius Jeſu Chriſti incarnati carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus*. Etſi autem nonnulli Patres hypoſtaticam duarum naturarum unionem in Chriſto *mixturam* minus apte vocarint, nefas tamen eſt ſuſpicari, Eutychiano errori illos faviſſe vel minimum. Audiatur Cyrillus Alexandrinus in l. adverſus Neſtorium genuinam eorumdem mentem enuncians. *Mixtionis nomen poſuerunt nonnulli etiam Sancti Patres, ſed quod metuere te dicis, ne qua confuſio contigiſſe exiſtimetur inſtar liquidorum, quæ inter ſe mutuo commiſcentur, libero te hoc metu. Non ſic illi ſenſerunt: minime: ſed ea voce ſunt uſi, quum ſummam unionem oſtendere ſtuderent*. Si quis Tertullianum, Auguſtinum alioſque Patres mixtionis vocabulo minus proprie uſos adiverit, deprehendet, unum id eis fuiſſe perpetuo conſtitutum, quod Cyrillus in eorum lectione verſatus expoſuit.

IX. Quid vero ſi Cyrillus idem frequenter ſcripſit *unam Verbi Dei naturam incarnatam*? Fateor, hoc potiſſimum nomine, veniſſe illum apud Orientales in ſuſpicionem hæreſeos Apollinaris, nec non a quibuſdam Novatoribus ejuſdem criminis inſimulari; inique tamen & falſo. Bellarminum, alioſque non moror, qui negant, memorata verba Cyrilli eſſe, ajuntque, ab Hæreticis in Cyrilli libros intruſa, quod ſit hoc eorum reſponſum ab omni veri ſpecie remotum, neque ad purgandum ab hac labe Cyrillum neceſſe eſt, adoptare interpretationem, quam Juſtinianus Imperator in profeſſione fidei laudatis Cyrilli verbis adhibuit, *naturæ no-*

nomen videlicet a Cyrillo poſitum *pro Perſona*, quum *ſubſtantiæ nomen* apud Græcos flexiloquum ſit, & naturam æque ac Perſonam ſignificet; licet enim hæc interpretatio ſummis Viris, Ephremio Antiocheno, & Eulogio Alexandrino Patriarchis, S. Maximo Martyri, & S. Anaſtaſio Sinaitæ probetur, nec ſit illa a Cyrilli more aliena, cui adnotat Chriſtianus Lupi, familiare fuiſſe vocem *hypoſtaſis* pro *natura* promiſcue, ac pro *Perſona* uſurpare, probabilior tamen, & Cyrilli menti conformior illa eſt, quam D. Thomas 3. p. q. 2. a. 1. tradit, ajens: „ Auctoritas illa Cyrilli exponitur in quinta Synodo can. 8.: *ſi quis unam naturam Verbi incarnatam dicens, non ſic accipiat, ſicut Patres docuerunt, quia ex natura divina & humana, unitione ſecundum ſubſiſtentiam facta, unus effectus eſt Chriſtus, ſed & talibus vocibus naturam unam ſive ſubſiſtentiam Divinitatis & carnis Chriſti introducere conatur, anathema ſit*. Non ergo ſenſus eſt, ſubdit Angelicus, quod in Incarnatione ex duabus naturis una ſit natura conſtituta, ſed quod natura Verbi Dei carnem univit ſibi in Perſona.

X. Quum D. Thomas interpretationem hanc non ex laudata Synodo ſolum, ſed & ex Gelaſio apud Fulgentium, Damaſcæno lib. 3. de fide, Leontio Byzantino l. de ſectis, Petro Diacono aliiſque depromſerit, mirari ſubit, carpi illam a P. Vaſquezio potuiſſe, ceu minus ad Cyrilli, & laudati Concilii mentem accommodatam; nonne etenim Cyrillus ipſe eundem hunc dicti ſui ſenſum protulit, tum alibi ſæpe, tum præſertim in Epiſtola 2. ad Succeſſum Epiſcopum? *Etiamſi unus dicatur a nobis*, ait, *Filius Dei incarnatus, non propterea permixtus eſt, ut illi putant, neque in naturam carnis tranſiit Verbi natura, neque carnis in Verbum, ſed quum utrumque in ſua naturali proprietate permaneat inexplicabiliter unitum, unam nobis Filii naturam oſtendit, ſed, ut diximus, incarnatam*: & paulo infra: *Si unam dicentes Dei Verbi naturam, taceremus, non inferentes incarnatam, erat illis fortaſſe non improbabilis ſermo ſimulantibus interrogare, ubi perfectio in natura humana, aut quomodo ſubſiſtat noſtra ſubſtantia? Quia vero perfectionis, quæ conſtat in humilitate eſſentiæ noſtræ, declaratio profertur per hoc, quod dicitur incarnata, deſinant arundineum ſibi ſupponere baculum .... non enim de ſolis tantum ſimplicibus per naturam unum ſpecialiter dicitur, ſed etiam de iis, quæ juxta compoſitionem aliquam convenerunt, ut eſt v. g. homo, qui ex anima & corpore conſtat.*

XI. Pergit Cyrillus tum ibi, tum in Epiſtola 1. ad eundem, animæ & corporis exemplo myſterium Incarnationis illuſtrans: *Confitemur unum Filium, & ſicut Patres aſſeruerunt, unam Verbi naturam dicimus incarnatam, duas naturas adunatas eſſe perſpicimus, ſed unum Chriſtum Filium Dei factum hominem, incarnatumque profitemur; & ſi placet, hujus compoſitionis etiam ex nobis ipſis ſumamus exemplum: compoſiti enim ex anima conſtamus, & corpore, duaſque intuemur naturas, alteram quidem corporis, alteram vero animæ, ſed unus homo eſt ſecundum unitatem ex utraque natura ſubſiſtens*. Hinc intelligitis, non alio ſpectaſſe exemplum a Cyrillo aliiſque Patribus ex corporis animæque unione petitum, quam ad deſignandam Perſonæ unitatem in Chriſto, nimirum, ſicut ait Angelicus, ut quemadmodum ex anima & corpore unitis unus reſultat homo, ita ex Deitate & humanitate in hypoſtaſis unitate conjunctis unus & ſolus Chriſtus extiterit. Quo tandem ſenſu tum Nazianzænus aliique Patres, tum Cyrillus ipſe carnem Chriſti *Deificatam* dixerint & *Divinam*, ibidem ipſe Cyrillus exponit ajens: *Divinum quidem dicimus corpus Chriſti, quia corpus eſt Dei, & ineffabili gloria illuſtratum; quod autem in naturam Deitatis ſit immutatum, neque Sanctorum Patrum quiſquam ſenſit aut docuit, neque nos ita ſentimus*. Pauca hæc ex Cyrillo decerpta non ſolum Eutychetis inſaniam plane caſtigant, ſed & Novatorum impudentiam retundunt, quos non puduit, tantum Doctorem Apollinariſtis adjungere, & Eutychianorum ſigniferum venditare.

XII. Quum itaque in Chriſto duæ naturæ ſint inconfuſæ & impermixtæ, una vero Perſona, recte pieque de Incarnationis myſterio loquemur, ſi propoſitiones noſtras ad duo hæc fidei capita perpetuo exigamus, & oppoſitos Neſturii & Eutychetis errores vitemus. Spectata ergo unitate Perſonæ, eam adverſus Neſtorium tuemur idiomatum cummunicationem,

qua,

qua, ut Nazianzænus ait, *propter exactam unitionem aſſumptæ carnis, & aſſumentis Divinitatis mutuo transferuntur vocabula, ut humanum ex divino, & divinum ex humano denominetur*, ſeu, ut ait Angelicus, quæ Filii hominis ſunt, de Filio Dei enuntiantur, & e converſo; quia quum ſit eadem utriuſque naturæ hypoſtaſis, de cujuſque vero naturæ hypoſtaſi ea recte enuntientur, quæ illius naturæ ſunt, modo nominibus concretis utamur, Filio Dei, qui humanæ naturæ hypoſtaſis eſt, ea quæ hominis ſunt, rectiſſime tribuuntur, Filio vero hominis, qui divinæ naturæ Perſona eſt, quæ Dei ſunt propria, ſanctiſſime adſcribuntur. Hinc idem Angelicus ſolide probat, enuntiationes has eſſe veriſſimas, *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*, quod una eademque divinæ & humanæ naturæ in Chriſto Perſona ſit, de quavis vero cujuſque naturæ hypoſtaſi prædicari ſua natura poſſit concreto nomine expreſſa. Quia vero Deus, ſeu Perſona Filii Dei non ſemper fuit homo, ſed præfinito tempore humanam naturam aſſumpſit, demonſtrat Angelicus, hanc quoque propoſitionem eſſe veriſſimam, *Deus factus eſt homo*, quia unumquodque recte dicitur factum illud, quod de ipſo incipit prædicari.

XIII. Abſit vero, ut quiſpiam propoſitionem hanc viciſſim uſurpet, *homo factus eſt Deus;* quum enim in memorata propoſitione τὸ *homo* ſubjecti loco ſtans Perſonam denotet Chriſti, quæ ab æterno naturaliter Deus eſt, quis enuntiet, Perſonam illam Deum factam eſſe, niſi aut cum Neſtorio humanam in Chriſto Perſonam adſtruat a divini Verbi Perſona diſtinctam, quæ Deus facta ſit ob peculiarem affectionis, & dignitatis unionem, aut cum Photino Chriſtum purum hominem doceat, qui ampliori gratiæ participatione Deus fieri, dicique meruerit? Eadem de cauſa ab hac quoque propoſitione, *iſte homo*, ſi Chriſtum intelligas, *incæpit eſſe*, cavendum, ait Angelicus; quum enim in Chriſto nonniſi una Perſona ſit, quæ demonſtrativo illo pronomine deſignatur, una vero illa Chriſti Perſona æterna ſit, nemo non videt, repugnare illi, ut abſolute incipiat eſſe; alioqui prius non fuiſſe dicenda foret, quæ fuit execrabilis Arii blaſphemia. Etſi autem catholice dicamus, *Chriſtus cæpit homo eſſe*, demonſtrat tamen Angelicus, perperam illatum iri, ergo incæpit eſſe; quoties enim de incæptione fit ſermo, futile eſt argumentum ab inferiori ad ſuperius ductum, puta ſi quis argueret, hoc incipit eſſe album, ergo & coloratum: quare quum abſolute eſſe ſuperius ſit, latiuſque pateat, quam hominem eſſe, etſi vere quis dixerit, Chriſtum cæpiſſe hominem eſſe, falſo tamen enuntiarit, illum abſolute eſſe incæpiſſe.

XIV. Præclaram ſubinde regulam tradit Angelicus, ad quam dirigendæ ſunt propoſitiones, quas de Chriſto efformamus. Si quæ ſint attributa, de quibus oriri dubitatio poſſit, an Chriſto ſolum qua homo eſt, an etiam qua Deus eſt, conveniant, non ſunt illa abſolute de eo enuntianda, ſed duntaxat addita limitatione: ſi quæ vero exploratum ſit, in Chriſtum ſolius humanæ naturæ titulo quadrare poſſe, hæc illi abſque addito licebit adſcribere. Petit regulæ hujus exemplum a communi ipſo hominum loquendi modo; nam quæ in dubitationem venire poſſunt, an toti vel parti conveniant, ſi nonniſi parti inſint, non ſolemus toti tribuere, neque enim Æthiopem abſolute album dicimus, ſed addimus ſecundum dentes, eundem vero abſolute Criſpum dicimus, quod nemo ignoret, ſolis crinibus quempiam criſpum eſſe. Hinc monet Angelicus, abſtinendum a propoſitione hac, *Chriſtus eſt creatura*, quod cum Hæreticis, ut Hieronymus docet, nec nomina debeamus habere communia, ne eorum videamur errori favere, Ariani autem non ſolius humanæ naturæ, ſed ipſius divinæ hypoſtaſis titulo Chriſtum dixerint creaturam, ſed præclaram illam adhibendam limitationem, qua uſus eſt Damaſcænus ajens: *una ipſa hypoſtaſis Chriſti & increata eſt Deitate, & creata humanitate*; quare ſi quos veteres Patres brevitatis gratia, determinatione hac omiſſa, creaturæ vocabulum Chriſto legimus tribuiſſe, limitationem hanc, quatenus nimirum homo eſt, in eorum dictis intelligendam eſſe docet Angelicus. Neque Chriſtum quis dixerit abſolute *incorporeum*, & *immortalem*, ne videatur cum Manichæis ſentire, qui Chriſto non veritatem ſed phantaſma corporis affinxerunt. Procul vero a quovis errandi periculo ea de Chriſto fidenter, & abſque ulla adjectione enuntiamus, quæ ipſo naturæ lumine perſpectum eſt, cadere in Chriſtum non alia ratione poſſe,

poſſe, niſi quatenus homo eſt: Hinc Dei Verbum dicimus natum de Virgine, paſſnm, mortuum, & ſepultnm, quod ſtultum oporteat eſſe, qui ſuſpicetur hæc de ipſo Dei Verbo, quatenus Deus eſt, pronnntiari.

XV. *Sicuti* vero, ut ait Fulgentius, *in Chriſto Unigenito Dei Filio Perſonam non dividunt propria naturarum, ita nec Perſonæ unitas poteſt, utriuſque naturæ propria confundere, vel auferre;* quarę ſicut ob Perſonæ nnitatem, quæ Dei ſunt, homini, quæ vero hominis, Deo concretis nominibus tribuuntnr, quum *inſeparabiliter manente unitate Perſonæ*, verba Leonis M. ſunt in Epiſtola ad Paleſtinos, *idem ſit & totus hominis Filius propter carnem, & totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem*, ita impium, & ſacrilegum eſt, inquit Vigilius Martyr l. 5. adverſus Eutychen, *quæ ſunt propria carnis Chriſti, ad naturæ Verbi proprietatem referre, & quæ ſunt propria Verbi, carni adſcribere*, ſeu ut Scholarum more loquamur, abſtractis nominibus utentes, quæ Deitatis propria ſunt, ad humanitatem transferre, & e converſo. Eccur autem impia eſt & ſacrilega hæc translatio? Eccur ſancte dicimus Deum paſſum, crucifixum, & mortuum, Jeſum etiam, aut Filium hominis æternum, omnipotentem, omniſcium, impie vero & ſacrilege diceremus, Deitatem paſſioni, mortique obnoxiam & humanitatem infinitam, immenſam &c.? Ratio præſto eſt, quam tradit Angelicus, quod nimirum conſueto apud homines loquendi modo abſtractis nominibns forma ſive natura, concretis vero Perſona, aut ſuppoſitum denotetur; quare qnum in Chriſto una ſit utriuſque naturæ hypoſtaſis, duæ vero naturæ neque confuſæ neque permixtæ, invicemqne infinito intervallo diſtantes, concretis nominibus rectiſſime fit idiomatum communicatio ob Perſonæ unitatem, qnnm de cnjuſque naturæ ſuppoſito ſic prædicari vere poſſint, quæ naturæ ſuę ſunt propria, eandem vero nominibns abſtractis fieri omnino vetat ſumma naturarum in Chriſto diverſitas ac diſtantia.

PROPOSITIO IX.

Jeſus verus Deus, veruſque homo, ipſe eſt Meſſias ſacro veteris inſtrumenti eloquio millies prænuntiatus.

I. VEritatis hujus teſtem advocamns locupleriſſimum Joannem Evangeliſtam, cui alii quique novi ſæderis Scriptores mirifice concinunt. Dno ſolum ex Joanne teſtimonia depromimus, ex qnibus invicta dogmatis hujus probatio conſurgit. Narrat ille c. 1., Philippum Apoſtolum a Jeſu vocatnm Nathanaeli dixiſſe, *Quem ſcripſit Moſes in lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum &c.* Nathanaelem ob ſolidam pietatem animique candorem laudatum a Jeſu miratum eſſe, undenam potuiſſet a Jeſu noſci, miranti reſpondiſſe Chriſtnm, *Priuſquam te Philippus vocaret, quum eſſes ſub ficu, vidi te*, hac vero occultæ remotæque rei maniſeſtarione perculſum Nathanaelem in hæc verba erupiſſe: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael*. Cap. 4. integrum Jeſu cum mnlie re Samaritana colloquium deſcribens refert, ut ſenſit illa omnem vitæ ſnæ rationem Chriſto probe eſſe perſpectam, dixiſſe Jeſu, *Domine video, quia Propheta es tu . . . . Scio, quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus &c.* Quid ad hæc Jeſus? *Ego ſum*, ait, *qui loquor tecum*. Quid tum mnlier? In urbem propere regreſſa concives ſuos permovit, *venite*, inquens, *& videte hominem, qui dixit mihi quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?* quo factum eſt, ur in Jeſum ceu Meſſiam Samaritanorum multi crediderint *propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcumque feci*. Simplici hac Evangeliſtæ narratione præmiſſa, de cujus veritate dubitari prudenter a nemine poſſe propoſitione ſecunda ſtatutum eſt, ſequentem demonſtrationem inſtruimus.

II. Quum prophetia nonniſi a Deo eſſe poſſit præter naturæ ordinem aliquid revelante, quemadmodum axiomate tertio jam fiximus, abſque rationis injuria fingi animo nequit, perfundi a Deo quempiam poſſe prophetico lumine, ut falſum enuntiet, alioſque meditato in errorem inducat, ſicut propoſitione quarta oſtenſum eſt, quum de Chriſti Deitate ejus vaticiniis demonſtrata ageremus: aut ergo Chriſtus

Na-

Digitized by Google

Nathanaelis confeſſionem, quam ab eo prophetica rei naturaliter ignotæ declaratio expreſſerat, probans, addenſque, *quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis, majus his videbis . . . . . videbitis cælum apertum, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis*; Samaritanam quoque certiorem reddens, eſſe ſe Meſſiam, vera locutus eſt, aut falſa: ſi vera, Meſſias itaque ille eſt, quem ſe dixit, quemque ſe eſſe, prophetico lumine comprobavit, eoque argumento, quod totum a Deo eſt, Nathanaeli, Samaritanæ, aliiſque multis perſuaſit: Si falſa, Deus itaque primus & ſolus veræ prophetiæ Auctor vaferrimum ſeductorem inſigni ſapientiæ ſuæ participatione donavit, ut non mentiretur ſolum, ſed & prophetica revelatione faceret mendacio fidem, illudque in animis audientium imprimeret, & ſignaret. An autem hoc de ſumma Dei veritate, ac bonitate concipi animo poſſit, viderint Increduli; ſi enim Chriſtus mentitus eſſe dicatur, certo certius eſt, conferendam in Deum ipſum illius mendacii culpam, qui illud ſpeciali divinæ virtutis ſuæ argumento probavit, effecitque, ut ab hominibus crederetur.

Reſpondetur Incredulis.

III. Opponunt: Si Jeſus vere Meſſias fuit, ſi caput hoc vere prophetico afflatu & miraculis confirmavit, fieri plane non potuit, quin a Judæis Meſſiam anxie præſtolantibus, ejuſque adventum jam inſtare probe ſcientibus agnitus, exceptuſque, magno apud illos in honore eſſet: quam honorifice vero Jeſum Judæi habuerint, norunt Chriſtiani e libris ſuis; conſequens ergo eſt, rejectum illum fuiſſe a Judæis & morte mulctatum, quod nullos in eo pronuntiati Meſſiæ characteres agnoſcerent, & certo ſcirent, falſa eſſe, quæ de vaticiniis ac miraculis in hujus rei confirmationem ab eo editis ab Evangeliſtis narrata jactantur.

IV. Quum de re facti ſit ſermo, quam ducto e libris noſtris argumento Increduli oppugnant, inde quoque reſponſio petenda eſt, qua argumento faciamus ſatis. Qui ergo ex Evangelio iſta promunt, eidem, ſi velint ſinceri æquique eſſe, fidem habeant, neceſſe eſt, referenti, plurimos Jeſu, dum viveret, ceu Meſſiæ adhæſiſſe, neque illos de plebe ſolum, ſed & e primoribus Synagogæ, hocque potiſſimum, ut in eum crederent, argumento permotos, quod nimirum doctrinam ille ſuam miraculis eximiis conſignaret, quod Joannes adnotavit ſcribens: *Multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus quum venerit, numquid plura ſigna faciet quam quæ hic facit?* Quod vero alii bene multi Jeſum repulerint, peſſimeque habuerint, num iccirco, quod nullas in eo veri Meſſiæ notas deprehenderent, ſcirentque, falſo jactari patrata ab eo miracula? Si de miraculis, quorum ſplendore Jeſus veritati huic fidem adſtruxit, quæſtio ſit, ut erant illa publica & teſtatiſſima, ita erant ab omni prorſus fictionis ſuſpicione remota, adeoque ſolida, & permanentia, ut peſſimi ipſi Jeſu hoſtes numquam ea in dubitationem adduxiſſe legantur, quod ſatis ſuperque probat impia illa Pontificum & Phariſæorum concilium agentium conſultatio apud Joannem una voce dicentium: *quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum &c.* Quod itaque adverſus veritatem hanc, quam tuemur, obfirmatò animo Judæorum præcipui ſteterint, uni eorum perfidiæ deputandum eſt, qui argumenta ejus etſi maxime idonea, & vulgatiſſima ad operationem immundi ſpiritus detorquebant, non divino eloquio ſolum, ſed & naturali rationi injuriam inferentes, cui ſi auſcultaſſent, cum Nicodemo confeſſi eſſent, *Rabbi ſcimus, quia a Deo veniſti Magiſter; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.*

V. Cæterum ipſa Judæorum incredulitas invictum eſt dogmatis hujus momentum. *Quum tanta ſigna feciſſet Jeſus coram eis*, ait Joannes, *non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ impleretur, quem dixit: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos. Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo.* Quod itaque fuerat jamdudum ab Iſaia prædictum, fore ſcilicet, ut Judæi cæcitate percuſſi Meſſiam non agnoſcerent, nec audirent, neque ab eo ad meliora converterentur, in Jeſu noſtro impletum eſt; quare Judæi tunc maxime Jeſum Meſſiam eſſe probarunt, quum ei pertinacius refragati ſunt, nam ipſa hæc illorum pervicacia jampridem fuerat ſacris oraculis præ-

nuntiata; neque eſt cur Increduli regerant, non moveri ſe a Joannis animadverſione, non crediſiſſe ſcilicet Judæos in Jeſum, etſi tanta ſigna facientem, ut ſermo Iſaiæ impleretur, quod eam ille arbitratu ſuo appoſuerit. Etſi nobis certum ſit, Joannem ex Spiritus S. afflatu id adnotaſſe, eo tamen ceu canonico Scriptore non utimur, ſed ut veraci Hiſtorico, quo & utuntur Increduli, atque hanc demonſtrationem inſtruimus: Inter alios Meſſiæ characteres a Prophetis diu ante notatos hunc quoque deſcriptum eſſe, futurum ſcilicet illum *lapidem angularem in Sion*, quibuſdam *in ſanctificationem & honorem*, aliis vero *in lapidem offenſionis & in petram ſcandali, in laqueum & in ruinam habitantibus Hieruſalem*, negandum illum ac reprobandum a populo ſuo, veritas facti eſt iis in libris teſtatiſſima, quos Judæi ceu genuinos retinuerunt hactenus religioſiſſime: Jeſum autem noſtrum præter alias Meſſiæ notas hanc quoque prætuliſſe, confitentur Increduli; Meſſias ergo ille fuit, probaruntque veritatem hanc atque probant Judæi vel maxime, quum negarunt, & in ea neganda perſiſtunt.

VI. Inſurgunt: Si Chriſtianos audimus, Synagoga vivente Jeſu vera erat Dei Eccleſia inerrantiæ privilegio donata, Synagoga porro Moſis cathedram tenens Jeſum repulit ceu Impoſtorem, vaticiniis Prophetarum alium omnino ſenſum ſubeſſe intellexit, quam quem illis Jeſus ſubjecerat, veritatem miraculorum ejus inficiata eſt, capitis denique damnavit illum, quod Chriſtum, Deique Filium ſe feciſſet; in falſum ergo ſenſum Jeſus vaticinia Prophetarum torſerat, erant igitur falſa patrata ab eo miracula, non erat ergo ille Meſſias, Chriſtiana denique Religio ſuis ipſa principiis evertitur.

VII. Quoniam Increduli e Chriſtianorum principiis argutantur, æquum maxime eſt, ut nobis eadem principia inter reſpondendum verſantibus acquieſcant. Veram itaque Dei Eccleſiam Synagogam fuiſſe, quum Jeſus noſter advenit, ac divinitus ad certum tempus inerrantia donatam, ultro damus: excidiſſe vero illam hoc privilegio ſuo, ac deſiiſſe, quum eundem publico decreto damnavit, jure contendimus. Eccur porro? Quia iiſdem iis in libris, quos authenticos & divinos ſemper habuit, habetque illa etiamnum, millies Prophetæ prædixerant, fore, ut quandoque reprobaretur a Deo, ejuſque Populus eſſe deſineret, atque ei reprobatæ gentium multitudo ſuccederet, tunc ſcilicet quum rejeciſſet illa, damnaſſetque Meſſiam. Quum non vacet Prophetarum vaticinia congerere, Danielem unum proferimus, quem Gabriel c. 9. legitur futuram Meſſiæ necem & Synagogæ eum ad mortem poſtulaturæ reprobationem verbis his docuiſſe: *Poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ei populus, qui eum negaturus eſt*. Quid ergo hoc Incredulorum argumento futilius, Jeſu doctrinam, atque miracula Synagoga damnavit, erant ergo illa falſa, quum ſexcentis in locis Prophetæ jam prædixiſſent, damnatum iri Chriſtum a Synagoga, eamque ob iniquiſſimam hanc damnationem reprobatum iri a Deo?

VIII. Inſiſtunt: Synagoga aliud de Jeſu judicium ferre non poterat, quam quod tulit, niſi velimus, Deum ipſum homines in errorem inducere, quem vitare non poſſint; Quum enim ipſe per Prophetas ſuos Meſſiam ſæpiſſime promiſiſſet, & pronuntiaſſet *inclitum & ſplendidiſſimum Gentium domitorem*, *populi ſui liberatorem*, omnibus Regibus terræ majorem, cujus regnum æternum, cujus gloria remotiſſimas inſulas erat pervaſura, immortalem denique, & beatiſſimum, eo ne loco habere potuit Synagoga hominem humillimo loco & egenis parentibus natum, fabrum & fabri filium, pauperculum & nullo nomine inſignem, cæterorum denique hominum ærumnis obnoxium? Quum nullas ergo in Jeſu promiſſi Meſſiæ notas agnoſceret, in eo rejiciendo decepta Synagoga non fuit, aut ſi deceptam illam fuiſſe Chriſtiani contendunt, Deum ipſum deceptionis hujus fateantur Auctorem, neceſſe eſt, qui alium Meſſiam Synagogæ conceſſerit, quam quem illi ſpoponderat, & præſignarat.

IX. At quæ, amabo, hæc conſecutio eſt, Jeſus abjectus fuit & humilis, Meſſias ergo eſſe non potuit, quem magnum futurum eſſe ex Prophetarum vaticiniis Synagoga didicerat? Quid ſi ego quoque concluderem, Alexandrum e. g. magnum falſo dici, quod nonniſi vulgari ſcientia polluerit, neque magnus Orator fuerit, nec Philoſophus, nec Geometra? Platonem quoque magnum fuiſſe negarem, quod neque natalium ſplendore, neque ditionis amplitudine præcelluerit? Sentiunt

ſane

ſane Increduli, vana hæc atque inepta fore, quum non unum idemque ſit magnitudinis genus; alia namque eſt magnitudo ſenſibilis, quod nimirum imaginandi vim, atque oculos percellere ſoleat, ex generis claritate, divitiis, pompa, auctoritate, rerumque ſtrenue geſtarum fulgore perita, quam unam plerumque mirantur homines, & conſectantur: alia eſt animi, quæ ex idearum ſublimitate, exquiſita ingenii, judicii, atque facundiæ vi, & uberrima omnigenæ eruditionis copia conſurgit; alia poſtremo virtutis morumque eſt in cæleſti ſapientia, vitæque ſanctimonia poſita, qua qui excellunt, magni ſunt coram Deo, ut alii vel ab hominibus paſſim, vel a doctis magni habentur, dicique ſolent. Si de prioris, ſecundique generis magnitudine ſermo ſit, non prætulit ſane illam, neque ſtudioſe ad alliciendos homines affectavit Jeſus noſter: at ſi tertia ſpectetur, quæ ſola vera eſt, atque ſolida magnitudo, quæque tantum aliis præſtat, quantum Deus creatis quibuſque rebus, quam fuit ille inclitus atque magnus! Quid cæleſti ejus ſapientia ſublimius, quid virtutibus ejus illuſtrius; quid ſanctitate ejus auguſtius? Quoties obſtupuiſſe Judæos legimus ſuper doctrina ejus, etſi eſſet illa a conquiſita verborum pompa imparata, & exclamaſſe, *numquam ſic locutus eſt homo?* Nonne mirabili ejus ſanctitati teſtimonium perhibuerunt, & Dæmones ab Energumenis verbo ejus abacti, qui dum cogerentur exire, clamabant, *Scio qui ſis Sanctus Dei*, & tot ii iniquiſſimi teſtes, qui a Principibus Sacerdotum ad Jeſum perdendum acciti nihil habuerunt, quo eum alicujus culpæ vel revincerent, vel accuſarent? Magnus itaque ille præ omnibus coram Domino vere fuit, neque excuſari Synagoga poteſt, quod eum Meſſiam eſſe negaverit.

X. Undenam vero factum eſt, ut in Jeſu humilitate, ac paupertate ſcandalum paſſa ſit Synagoga, noſtraque etiam ætate patiatur, ejuſque in repellendo Jeſu pervicacia Increduli argumento ſit, illum non fuiſſe Meſſiam? Falſa illa & perverſa, quam ſibi de promiſſo Chriſto confinxerat, idea, & præpoſtera Scripturarum intelligentia in cauſa fuit, cur Meſſiam ante oculos ſuos poſitum non agnoverit, imo rejecerit; quare diſpungenda eſt ſupina hæc Synagogæ aberratio, & germana a Scripturis lineamenta promenda, quibus Meſſiam Prophetæ præſignarunt, ut jam deſinant Judæi & Increduli Jeſum noſtrum criminari, quod nullis Meſſiæ notis inſignis eum ſeſe hominibus venditarit. Quid ergo fuit, eſtque adhuc, cur Jeſum Meſſiam fuiſſe inficiata ſit Synagoga, pernegetque obſirmatiſſime, quod fuerit ille pauper, humilis, & inglorius? Alium ne vero vaticinati ſunt Prophetæ, alium ne Deus promiſit? Agite, & Prophetarum oraculis conficiamus luculentiſſime, Jeſum non habendum fuiſſe Meſſiam, ſi affluxiſſet ille divitiis, & ſenſibili gloria claruiſſet, quæ cum pompa & faſtu regio confunditur, quæque a carnalibus hominibus tanti fit. Pauca dabimus ſed clariſſima, atque ex iis Prophetarum capitibus ſumpta, in quibus de Meſſia ſermonem eſſe, Thalmudici libri, & primores Synagogæ Magiſtri conſentiunt.

Pſalmum vigeſimum primum totum de Meſſia eſſe docetur in *Midraſch Tehillim*, ideſt in Gloſſa Pſalmorum Hebraica, & in libro Thalmudico *Sanhedrim* tamquam certum id ſumitur. Quid vero ibi de Chriſto? Illum in hæc verba Deum alloquentem Pſaltes inducit: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis: omnes videntes me deriſerunt me &c.* Futurus ne ergo ille erat Vir magnus, exterioris pompæ apparatu ſplendidus ac terribilis? Quid ſibi ea volunt Ieſaiæ c. 53., quod totum in Meſſia prænotando verſari tradunt R. Abrabaniel, R. Moſes Hadarzan, R. Maimonides & R. Salemoh: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum, deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & nos putavimus eum quaſi leproſum, percuſſum a Deo, & humiliatum?* Quid ergo Meſſiam regia majeſtate, & ſæculari pompa fulgentem animo fingunt carnales homines? Verum quid efficacius ad obterendam ſtultam illam, in qua jamdudum Hebræi ſunt, opinionem de Meſſia prædivite & regio ſatellitio ſpectabiliſſimo iis Zachariæ verbis c. 9., *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Hieruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ?* Nonne celebriores Hebræorum libri, ac Rabbinorum præſtantiſſimi, Aben Ezra, Saadias Gaon, Abrabaniel, & Maimonides hæc de Meſ-

Meſſia prænuntiata fuiſſe fatentur, imo R. Selemoh non alteri hæc, quam Meſſiæ accommodari poſſe contendit? Qui itaque ad alium Meſſiam vota dirigunt, ii & divini eloquii lucem meditato averſantur, & librorum Magiſtrorumque ſuorum auctoritatem infringunt.

XI. Quum decretoria hæc ſint, neque illa negare Judæi audeant, ne Jeſum noſtrum tamen, qui vere pauper fuit & humilis, Meſſiam cogantur agnoſcere, poſſintque laudata Prophetarum oracula cum aliis conciliare, quibus ſupremi honores, æternum regnum, ac ſumma Meſſiæ potentia prænuntiantur, duos Meſſias invehunt, alterum Nehemiam nomine Uzielis filium e tribu Joſeph, abjectum vere futurum & pauperem, ærumnis & calamitatibus conficiendum, in prælio demum, quod cum immani Gigante, cui nomen Armillus, geret, interiturum, in quem cadunt, quæ de Meſſiæ humilitate, & inopia ſunt vaticinia, alterum e tribu Juda & Davidico genere, glorioſiſſimum & prædivitem, ad quem ſpectant alia de Meſſiæ majeſtate, poteſtate & dominandi amplitudine Prophetarum oracula. Hæc tamen ſomniantium deliramenta ſunt ab omni veri ſpecie remotiſſima, quum diſertiſſimis Scripturæ teſtimoniis adverſentur. Duo tantum eorum quæ mox laudavimus, teſtimonia, Jeſaiæ nempe & Zachariæ excutiamus, quibus unus idemque Meſſias prædicitur, idem omnino deſpectus, egenus, ærumnoſus, inglorius, idem etiam a Deo ſumme glorificandus ac exaltandus. Poſtquam futuram Meſſiæ inopiam, abjectionemque Jeſaias ibidem graphice delineavit, de eodem continenter hæc adiicit: *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate, ſi poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur; pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua juſtificabit ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit: ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt.* En eundem illum Meſſiam deſpectum ac virorum noviſſimum, humilitatis, paupertatis pænarumque, quas pro humana ſalute laturus erat, præmio afficiendum ampliſſimo, fructu donandum uberrimo, pluzimorum ſcilicet, qui credituri in illum eſſent, eique ſubiiciendi, converſione glorificandum. Hæc autem in Jeſu noſtro impleta eſſe quis dubitet, qui deſpectus hominumque noviſſimus, dum in humanis ageret, peccata noſtra portavit, & cum ſceleratis in cruce reputatus eſt, redivivus tamen e tumulo, eam conſecutus eſt nominis claritatem, & gloriam, ut in *nomine ejus omne genuflectatur, omniſque lingua illum in gloria Dei Patris eſſe confiteatur*, quo neque ſplendidius aliquid, neque magnificentius concipi poteſt?

XII. Dubitari ne etiam a quoquam poteſt, an de uno, eodemque Meſſia Zacharias capite memorato loquatur? *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator, ipſe pauper &c. & loquetur pacem gentibus, poteſtas ejus a mari uſque ad mare, & a fluminibus uſque ad terminos terræ.* An non unus idemque a Zacharia notatur pauper Rex ille in aſino ſedens, & toti terræ dominans, & poteſtatem in orbem univerſum exercens? Ergo quid a divini eloquii veritate magis alienum, quam duos Meſſias inducere? Videntur Synagogæ pugnantia Prophetarum oracula, quorum aliqua Meſſiæ labores, anguſtias, ignominias, humilitatem, aliqua ſummam ejus gloriam, potentiam, majeſtatem præſignant, neque aliter componenda, quam ſi ad duos Meſſias referantur; errat illa tamen immaniter, quod nolit cum univerſo Chriſtianorum cætu duos ejuſdem Meſſiæ adventus agnoſcere, ut eos ſacrarum litterarum evidentia perculſi, Thalmudici libri, *Sanedrim*, Ruth Rabbati, *& Midraſch Tehillim*, & Rabbinorum præcipui, *Selemoh Tarchi*, *Moſes Alſchech*, *& Iſaac Abrabaniel* probe internoſcunt, humilem unum demiſſumque in carne mortali, qui jam præceſſit, ſplendidum alterum & magnificum, quando in ſæculi fine judicaturus orbem adveniet. Si duos hos Chriſti adventus Synagoga diſtinxerit, poſueritque vetuſtas illas & ſtultas præconceptas jam dudum de Meſſia ideas, melioreſque, & divino eloquio conformes induerit, futurum ſcilicet regnum ejus ſpirituale, non terreſtre, poteſtatem non quæ Principum hujus ſæculi eſt, ſed cæleſtem, gloriam, non quæ in armorum, ſatellitum, & exterioris pompæ apparatu ſita eſt, ſed quæ in miraculorum operatione, peccatorum remiſſione, idololatriæ everſione, omnium denique gentium vocatione maxime fulget, facillime intelliget, perbelle ſibi Prophetarum vaticinia conſtare, nec aliam inter ea colli-

colliſionem eſſe, quam quæ fingitur ab Incredulis.

XIII. Quam eſt etiam in fingendo ſibi Meſſia bellatore, reiiciendoque iccirco Jeſu noſtro, quod pacificus ille fuerit, Synagoga vecors & ſtupida! Non vacat, tot illa Prophetarum oracula adferre, quæ Meſſiam perpetuo exhibent mitiſſimum, & pacificum, ab armorum uſu, cladibus, atque præliis abhorrentem. Ab uno hoc argumento ſe expediat Synagoga, quod ex teſtimoniis Geneſeos, Jeſaiæ, Micheæ, Aggæi, & Zachariæ ad Meſſiam omnium Hebræorum conſenſione ſpectantibus inſtruimus. Promiſit Deus Abrahæ, fore, ut in ſemine ejus, ideſt meritis & virtute Meſſiæ ex ejus ſtirpe orituri benedicerentur omnes tribus & nationes terræ; Jacob Abrahæ nepos futurum Meſſiæ adventum filiis ſuis præſignificans, & tempora adventus ejus indigitans, ait, venturum illum, qui erit expectatio gentium, & deſiderium collium æternorum: Eundem præmonſtrantes alii Prophetæ vaticinati ſunt, futurum illum teſtem populis, ducem ac præceptorem gentium, dandum illum a Deo in lucem ac ſalutem uſque ad extremus terræ, confluxuras ad eum omnes gentes, ut ab eo docerentur vias Dei, & in ſemitis ejus ambularent. Hæc porro quis non videt, eſſe falſiſſima, ſi a Meſſia, quem Judæi fingunt ingentium copiarum ductore, delendæ ſint omnes incircumciſæ nationes, neque adferenda ab illo libertas Hebræis, niſi poſt internecinam gentium omnium cladem, neque futurum illum, ut Scriptura teſtatur, nationum expectationem & deſiderium, Ducem, Præceptorem, Lucem, Salutemque gentium, a quo non benedicendæ; neque vias Domini docendæ univerſæ gentes, ſed funditus exterminandæ? Quum ergo negare Synagoga non audeat, quin ſint illa veriſſima, Pſeudo Meſſias itaque ille eſt, quem armis aſſuetum, præliis & cædibus delectandum, ipſa animo delirante complectitur.

XIV. Reponunt Increduli: Quid facias tot iis teſtimoniis, quæ e Prophetis ſuis Synagoga depromit, quibus Meſſias illi promiſſus manu fortis, ac bellicoſiſſimus delineatur, qui ſtrictogladio populares ſuos in libertatem adſeret, illataque exteris gentibus perampla clade, eam orbi terrarum pacem adferet, quæ nullo non ſolum bello, nullo gentium inter ſeſe diſſidio deinceps turbanda ſit, ſed quæ feroces ipſas belluas manſuefaciat, reddatque hominibus perſamiliares? Quidpiam ne ejuſmodi Jeſus effecit? Jure ergo rejectus a Synagoga fuit, qui hac omnium maxime inſigni prophetica nota carebat.

XV. Quum explorata res ſit, nonniſi unum Meſſiam in veteri inſtrumento prædictum eſſe, deque eodem hæc ſpecie tenus pugnantia a Prophetis præſignata fuiſſe, erit nobis magnus Apollo, quiſquis Hebræorum aut Deiſtarum invicem hæc compoſuerit, omnemque a Prophetis manifeſtæ contradictionis labem abſterſerit; ſi enim in Meſſia benedicendæ erant omnes gentes, non ergo ab illo bellis atque clade perdendæ; ſi futurus ille erat, quem ſibi in Prophetis veluti de facie agnoſcere videntur Hebræi, pugnaciſſimus, hoſtiumque ſuorum domitor, & profligator, tantum aberat, ut eum expectarent inſulæ, deſiderarent populi, ad eum confluerent gentes ab eo in ſemitas Domini deducendæ, ut potius omnibus horrori atque execrationi eſſet, omnes illum averſarentur & fugerent, quippe qui non doctrinam, ſalutem, & lucem, ſed exitium humano generi inferret. Aut ergo ſibi non conſtiterunt Prophetæ, deque eodem pugnantia ſcripſerunt, quod neque Synagoga concedit, neque Deiſtæ abſque rationis injuria adfirmare poſſunt, aut alius verbis eorum ſubiiciendus eſt ſenſus, quam quem præferre verba ipſa videntur, figuratus nempe ſive ſpiritualis ſub litteræ cortice latens; quum autem duo ſint horum textuum genera, inter quæ videtur mutua colliſio eſſe, quum alia Meſſiam mitiſſimum atque imbellem referant, alia pugnaciſſimum, & terribilem, diſpiciendum eſt, quodnam horum ad myſticum ſenſum flectendum ſit. Verum quid inquiſitione opus eſt, quum iidem ipſi Prophetæ jam litem hanc ſuo judicio diremerint, ipſi diſertiſſime docuerint, ſecundi generis teſtimoniis, quæ Meſſiam belligerum exhibent, hoſtiumque victorem, nonniſi ſpiritualem ſenſum ſubeſſe?

XVI. Ita ne vero? Ita ſane. Quum ejus generis bellum ſit, cujus ſunt arma a bellatore tractanda, ſi nonniſi ſpiritualia futura erant arma Meſſiæ, nonniſi ergo ſpirituale ab eo gerendum bellum, nonniſi ſpirituales ab eo profligandi hoſtes, nonniſi ſpiritualis pax ab eo parienda. Aliis ne autem armis, quam ejuſmodi, uſurum

illum

illum antiqui Vates præcinuerunt? Unum ſat eſt laudare Jeſaiam c. XI. quod integrum ad Meſſiam ſpectare nemo unus Hebræorum diſſentit: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet . . . Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, & erit juſtitia cingulum lumborum ejus & fides cinctorium renum ejus.* En bellicoſi hujus Meſſiæ arma, verba, ideſt prædicationem, ſpiritum, juſtitiam, & fidem, quibus adverſus veros hominum hoſtes, peccata nimirum & Dæmones, prælium commiſſurus erat, eoſque expugnaturus. Armis his uſus Jeſus noſter fortis armati, nempe Dæmonis, univerſa vaſa diripuit, Principem hujus mundi ejecit foras, idololatriam ſcilicet ubique vigentem abolevit, populum ſuum juxta Gabrielis oraculum ſalvum fecit a peccatis eorum, illud exacte implens, quod de Meſſia Oſæa prædixerat, *ſalvabo eos in Domino Deo ſuo, & non ſalvabo eos in arcu & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus*: pacem denique ſpiritualem hominibus adtulit, dum Patrem humano generi offenſum ſanguine ſuo placavit, & bonæ voluntatis hominibus non interioris ſolum dum vivunt, conſcientiæ tranquillitatis, ſed & æternæ, quæ in cæleſti expectatur beatitate, Auctor factus eſt.

XVII. Quod vero Hebræi ſubiiciunt, promiſſam a Deo Meſſiæ temporibus & inter animalia pacem & domeſticam ſocietatem, nugatorium plane eſt ac ridiculum. Niſi ſtultiſſima hæc commentatio jam fuiſſet egregie a R. Maimonide inter populares ſuos clariſſimo refutata, nullius futurum eſſet operæ Hebræos ita revincere atque premere, ut ſi obſtinate velint, Jeſaiæ verba de pacifico lupi cum agno, pardi cum hædo, leonis cum bove contubernio, quum Meſſias advenerit, prout litteræ ſuperficies fert, exponenda, dare vel inviti cogantur, Prophetam in eadem orationis ſerie contradictione turpiſſima laboraſſe; at non tantum nobis eſt temporis, ut hæc perſequamur. Quis ergo legitimus hujus, qua Synagoga miſerrime in ſui perditionem abutitur, prophetiæ ſenſus? Gentium vocationem præſignat eo loci Propheta, quæ ſuperbia, morumque feritate poſita, agni inſtar ac ovis, manſuefactæ doctrina Chriſti ad ejus fidem & obſequium traducendæ erant, & in unius Eccleſiæ ſocietatem coaliturae; neque enim inſolens ac peregrinum eſt, ut barbaras feraſque gentes ferocium animalium ſymbolis Scriptura deſignet: ita ſub leænæ ſpecie Aſſirii, ſub urſi typo Perſæ, ſub pardi figura Macedones, ſub beſtiæ denique omnium maxime terribilis imagine Romani Danieli divinitus præmonſtrati ſunt; ovis vero agnique ſimilitudines ad mites, fideles, pioſque populos ſignificandos Scriptura eadem non infrequenter aſſumit. Quam præclare vero facta eſt Jeſu noſtri virtute mirifica hæc horum animalium conſociatio! Ut enim prædicari Evangelium cæpit, Ethnici ejurato Idolorum cultû, Judæorum plurimi miſſo Moſaicæ legi ac paternis ritibus nuntio, in unum Chriſtianæ Eccleſiæ corpus coiverunt, & ex gentibus, & iis, qui e circumciſione erant, factum eſt unum ovile, unuſque Paſtor. Quod de Meſſia immortali ac beatiſſimo Hebræi commenti ſunt, infra opportunius diluetur.

PROPOSITIO X.

Circumſtantia temporis, quo Jeſus noſter advenit, Meſſiam fuiſſe illum probat luculentiſſime.

I. JEſum Dominum mundo illuxiſſe Octaviani Auguſti temporibus, veritas facti eſt omnium oculis patens, non ab Evangeliſtis ſolum diſerte tradita, ſed & in ipſis cenſualibus libris, & publicis Romanorum tabularibus, ad quæ veteres Chriſtianæ Religionis Vindices provocabant, nec non a Scriptoribus Ethnicis denotara: venit ergo toto terrarum orbe in pace compoſito, florente Romanorum imperio, ſtante ſecundo templo, & Hieroſolimis nondum excifis, quæ omnia tam certa ſunt, ut ſtipes ſit, qui in iis addubitet, quum Ethnici quique & Chriſtiani Scriptores uno ore teſtentur, Cæſarem Auguſtum Romanorum Imperatorem ab Oriente in Occidentem, a Septentrione ad Meridiem & per totum Oceani circulum, cunctis gentibus una pace compoſitis, Jani portas tertio clauſiſſe, ac Rempublicam, quam bello quæſiverat, pace amplificare ſtudentem leges plurimas ſtatuiſſe, quibus humanum genus libera reverentia diſciplinæ morem gereret. Subſtitiſſe vero tunc una cum ſecundo templo Hieruſalem, dubitare nequiſquam poſſit, quum Hiſtoricorum omnium conſenſione teſtatiſſimum ſit, nonniſi

poſt

poſt Tiberii, Caligulæ Claudii & Neronis obitum, a Tito Romani exercitus Duce, Hieroſolymorum urbem fuiſſe dirutam, templum flammis abſumptum, Hebræamque gentem malis innumeris jam attritam, per totum terrarum orbem pulveris inſtar ante faciem venti fuiſſe diſperſam? Meſſiam ergo fuiſſe Jeſum ipſa temporis, quo apparuit, circumſtantia demonſtrat.

II. Rident conſecutionem hanc Hebræi, rident Increduli; ſtulte tamen utrique, quod non ſentiant, quam ſit illa evidens & legitima. Si enim Meſſias ille eſt, cui uni omnes veri Meſſiæ notæ a Prophetis præſignatæ conveniunt, an non Meſſias fuiſſe Jeſus dicendus erit, ſi & alias quaslibet de Meſſia editas Prophetias impleverit, eoque tempore advenerit, quo ſacri Vates prædixerant, fore, ut Meſſias Mundo illuceſceret? Aliis omnibus Meſſiæ notis inſignem fuiſſe Dominum Jeſum, ſequentibus propoſitionibus oſtendemus: interim apparuiſſe illum eo tempore, quod Meſſiæ adventui erat divinitus præfinitum, & ſacris oraculis præmonſtratum, probandum aggredimur; Si enim Auguſti tempore ortus eſt, quo totus terrarum orbis pacatus erat, & Romana Reſpublica ſanctiſſimis legibus reformata, an non illud implerum eſt, quod David pſ. 71. de Meſſiæ temporibus prænuntiarat, *orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis? Multitudo pacis*, præclare vaticinium hoc verſavit Origenes contra Celſum, *facta eſt mox, ex quo natus eſt Jeſus, præparante Deo gentes ad ejus doctrinam, ut omnes parerent uni Romanorum Regi, neve propter multitudinem regnorum interruptis gentium commerciis difficilius fieret illud Jeſu Apoſtolis mandatum, euntes docete omnes gentes: Conſtat autem, Auguſto regnante, Jeſum natum, qui Princeps quaſi complanavit pleraque terrarum uno regno inducto*.

III. Florente quoque Romanorum imperio prænotatum fuiſſe a Prophetis Meſſiæ ortum, veritas eſt in divino eloquio teſtatiſſima; quum enim Daniel portentoſæ illius ſtatuæ Nabucdonoſori per ſomnium viſæ myſteria reſeraſſet, ſignificari nempe variis metallorum generibus, ex quibus illa conſtabat, Aſſiriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum regna, quæ ſucceſſura ſibi erant invicem, ſeque mutuo conſumptura, ſubjecit: *in diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet autem, & conteret univerſa regna, & ipſum ſtabit in æternum*. Quintum hoc regnum a Deo excitandum finis & mutationis cujuſque expers, cætera vero conſumpturum, Meſſiæ ſpirituale Regnum eſſe, in pluribus Hebræorum libris aperte traditur, & a veterum Rabbinorum pleriſque docetur, ut hinc etiam intelligere Synagoga poſſit, ſtulte abs ſe ad venturum Meſſiam ſuſpiria dirigi, quum jamdudum corruerit Romanorum Imperium, quo vigente venturum illum vaticinatus eſt Daniel. Quum ergo obtinentibus Romanis ubique terrarum imperium, Jeſu Domini regnum ſuſcitatum a Deo fuerit, ſeu exorta Chriſtiana Religio, quæ univerſa regna comminuit, ſeu falſas omnium gentium religiones abſumpſit, ipſam quoque in æternum non diſſipandam, ſed perpetuo duraturam probet ſeptemdecim ſæculorum ſeries ab ejus ortu jam lapſa, quibus etſi incredibili impetu ab innumeris in eam conſpirantibus hoſtibus undequaque oppugnata neque corruit, neque labefactata eſt, quod fieri minime potuiſſet niſi inſtituta illa fuiſſet a Deo, & perpetua indeficientia donata, evidens eſt, Danielis vaticinium in Jeſu noſtro fuiſſe perfectum, eumque iccirco Meſſiam eſſe hac quoque temporis circumſtantia demonſtrari.

IV. Dubitare ne vero Synagoga poteſt, prædictum fuiſſe a Prophetis, fore ut Meſſias ſtante ſecundo templo, atque ante Hieroſolymorum exitium adventaret? Clariora ſunt Aggæi & Malachiæ oracula, ut veritatem hanc poſſit quis in dubitationem adducere. Quum laxata a Cyro Babilonica captivitate, Hebræi ad patrios lares reverſi, atque inſtaurandi Salomonici templi, quod fuerat a Chaldæis incenſum, facultate donati, in novi templi molitionem ardenti animo incumberent, ob imminutas tamen tunc nimium vires, & exhauſtum ærarium, poſterioris hujus templi moles a prioris magnificentia, & majeſtate plurimum abeſſet, flerentque iccirco effuſe, quotquot levem aliquam priſtini templi memoriam retinebant, Deus lacrimantem populum ſolatus eſt, majoremque ſecundi templi

præ primo gloriam Aggei 2. ſpopondit : *Adhuc unum modicum eſt : ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus & implebo domum iſtam gloria . . . . Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus, & in loco iſto dabo pacem.* Promiſſum hoc Deus per Malachiam Prophetarum omnium poſtremum confirmavit luculentiſſime : *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis : ecce dicit Dominus exercituum.* Si demonſtrandum unice ſuſcepiſſemus, jam advenisſe Meſſiam, his duobus oraculis confecta res eſſet; quum enim a ſeptemdecim ferme ſæculis ſolo æquatum ſit templum illud, cujus majorem præ primo futuram gloriam Deus præſignificarat, quod eſſet illud Meſſiæ adventu illuſtrandum, niſi vellimus Deum fuiſſe mendacem, ſuiſque non ſletiſſe promiſſis, fatendum eſt, jamdudum illum mundo illuxiſſe.

V. Verum quum illud ſumpſerimus demonſtrandum, Meſſiam his oraculis prænotatum non alium fuiſſe, quam Jeſum, ita inſtruenda probatio eſt : Erit Jeſu Domino abjudicanda Meſſiæ dignitas, ſi non venit ille ſtante ſecundo templo, ſi illud ſua præſentia non ornavit, ampliorique præ primo gloria non perfudit, ſi in eo veram pacem hominibus non adtulit, ſi ſe dominatorem toties promiſſum, novique Teſtamenti Angelum eſſe, argumentis evidentiſſimis non probavit, ſi adventum ejus non antevertit Angelus ſive Præcurſor viam ante faciem Domini præparans, ſi denique adveniente illo cælum, terra, mare, & arida mota non ſunt, omneſque gentes affectæ & excitatæ; hæc autem omnia laudatis oraculis comprehenſa mirifice in Jeſum Dominum conveniſſe, ac in eo perfectiſſime impleta, veritas facti eſt compertiſſima; Meſſias itaque fuit ille, de quo fuerant hæc prædicta. Quum ante templi ſecundi cladem Jeſus noſter advenerit, ante eandem hanc cladem jam cælum, terram, mare, omneſque gentes adventu ejus fuisſe commotas, teſtes adferunt locupletiſſimi, quibus etſi domeſticis abrogari non poteſt fides, tum quod res efferant publicas & vulgatiſſimas, tum quod in iis narrandis conſentientes habeant hoſtes ipſos rerum evidentia coactos. An non moti ſunt cæli, quum Angeli nativitatem ejus Paſtoribus ſignificarunt, auditique ſunt laudem canentes Deo, pacemque hominibus nuntiantes, quum novum ſidus in cælo conſpicuum Magos ad eum adorandum ab Oriente perduxit, quod & Julianus & Chalcidius confitentur ? Quid terram memorem ingenti motu, eo moriente, concuſſam, cujus prodigii meminiſſe & Plegontem, & Thallum, & alios ex Ethnicis plures, tradunt Aphricanus & Euſebius in Chronicis, quid mare, quod imperio ſuo tam prompte placavit ille, ut homines mirati eſſe ac dixiſſe legantur, *Qualis eſt hic, quia & venti & mare obediunt ei ?* Ante ipſam vero Hieroſolymitanam calamitatem, jam omnes gentes Evangelicæ prædicationis ſono fuiſſe commotas, & Chriſtianam religionem extremas ipſas Romani Imperii partes pervaſiſſe, nonne præter Lucam in Actis, Petrum, Paulum, & Jacobum in Epiſtolis, ipſi Svetonius & Tacitus vel inviti teſtantur ?

VI. Dominatorem autem illum ſe eſſe toties a Deo promiſſum, novi Teſtamenti Angelum, ideſt novæ legis Auctorem & nuntium, cunctarum denique gentium expectationem & deſiderium, quantis ille divinæ virtutis operibus, miraculis nempe, & vaticiniis, quæ omnium locupletiſſima ſunt veritatis argumenta, probavit ? Dominator hic porro quoties ad templum ſuum venit, quoties hic novi Teſtamenti Angelus in eodem illo ſuo templo legem novam edixit, quoties majorem illi præ Salomonico gloriam adtulit ? Quum ſeſe & Salomone & templo majorem eſſe, non ſolum dixerit, ſed momentis invictis oſtenderit, nemo non ſentit, ampliorem inde gloriam ſecundo templo acceſſiſſe, quod Dominus ipſe templi, non igne, non nube, non nebula, ſpecialem ſuam præſentiam ibi manifeſtarit, ſed ipſe crebro illud adiverit, illudque oratione, feſtorum celebratione, doctrina, ac miraculis plurimis illuſtrarit. An non in eo veræ pacis hominibus auctor fuit, quum fuſis in eo precibus Patrem humano generi reconciliavit, palamque in eo docens clamabat; *Si quis ſitit veniat ad me & bibat, qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ : hoc autem dixit de Spiritu,*

quem

quem accepturi erant credentes in eum? Negare ne poſtremo Judæi poſſunt, præiviſſe Jeſu Angelum ſive nuntium, qui ante eum ſterneret viam, quum Joannes Baptiſta hoc ſibi munus divinitus demandatum fuiſſe aſſeruerit, neque ſe Chriſtum eſſe, ſed vocem clamantis in deſerto, *dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta*, ſeque propterea fuiſſe præmiſſum, *ut manifeſtaretur Chriſtus in Iſrael?* Si perperam id ſibi tribuiſſe Joannem Hebræi blarerent, caſtigandi erunt a popularibus ſuis, Joſepho Mathiade, & Gorionide, quorum uterque Evangeliſtis conſentanea ſcribit.

Refutantur objecta.

VII. Opponunt Increduli: Quid ſi Jeſus eo tempore apparuit, quod jactatur, adventui Meſſiæ a Davide, Daniele, Aggæo & Malachia præfixum? Si inferre inde liceat, illum fuiſſe Meſſiam, quotquot ea ætate, vel doctrina vel pietate vel potentia floruerunt, præclaro hoc titulo ornandi eſſent. Sane eo illo tempore, quo Jeſus degebat in terris, ac paulo poſt ejus necem, Meſſiæ dignitas ab Herodianis delata fuit Herodi Magno, Veſpaſiano Imperatori a Joſepho, alii vero eam ſibi uſurparunt, ut Theodas, & Judas Galilæus, quorum meminit Lucas; quare vecordis eſt, credere, Jeſum fuiſſe Meſſiam, quod in ejus adventum quadret circumſtantia temporis, quo Meſſias venturus perhibebatur.

VIII. Vere tamen ipſi vecordes ſunt, qui hæc nobis objiciunt; quum enim apud Chriſtianos omnes unus ille verus Meſſias ſit, quem ſolum omnes veri Meſſiæ characteres exornant, pſeudo-Meſſias vero habeatur, qui aliquo eorum careat, quos certum ſit, fuiſſe a Prophetis ad Meſſiam delineandum adhibitos, Jeſum noſtrum verum fuiſſe Meſſiam jure contendimus, non quod hanc, vel illam veri Meſſiæ notam prætulerit, ſed quod unus ipſe, & nemo alius præter eum, omnes in ſe complexus fuerit, alioqui eum repudiaturi, ſi certo deprehenderemus, vel illum aliqua, quæ germana ſit Meſſiæ nota, carere, vel quidpiam in eo Prophetarum vaticiniis contrarium certo apparere. Quoniam vero multi ſunt characteres, quibus Meſſiam venturum Prophetæ delinearunt, ut diſcerni ab omnibus atque diſtingui poſſet, plura ab eis diſertiſſime prænuntiata de Meſſiæ ſtirpe, naſcendi tempore, & loco, de mirabili nativitatis modo, moribus, ſtudiis, geſtis, morte, & mortis genere, ſepultura, mirabili ad vitam reditu &c. non potuimus omnia hæc una propoſitione complecti, coactique ſumus, quod & alii quique faciunt, uni huic veritati demonſtrandæ, Jeſum nempe fuiſſe Meſſiam, plures propoſitiones adjicere. Quid porro ſi ex ſingulorum characterum examine, eorumque in Jeſum Chriſtum conſpiratione, hæc a nobis conſecutio ducitur, Jeſus ergo Meſſias fuit? Legitima illa & neceſſaria eſt, ſuppoſita quam mox præmiſimus, receptiſſima apud Chriſtianos omnes Meſſiæ notione, neque enim dum hanc vel illam Meſſiæ notam excutimus, & ex quo in Jeſum apte illa cadat, ei Meſſiæ dignitatem adſcribimus, quidpiam ut certum aſſumimus, quod in quæſtione eſt, & incertum, fuiſſe illum ſcilicet aliis quibuſcunque Meſſiæ notis inſignem. Nonne ſiquidem id jam fuit ſuperiori propoſitione confectum? Si Jeſum fuiſſe Meſſiam, ſatis ut puto, probavimus, omnes ergo prætulit veri Meſſiæ notas, quum non alia ſit Meſſiæ idea Chriſtianis Hebræiſque communis; quare quum veritatem eandem generatim jam demonſtratam, tum claritatis, tum ſpecialium difficultatum diſſolvendarum gratia minuratim concidamus, vecordes plane non ſumus, ſi eandem perpetuo conſecutionem ducimus ex ſingulis Meſſiæ notis, quæ aliarum omnium complexionem extra litem poſitam jam ſupponunt.

IX. Quam inique vero, quam ſtulte Meſſiæ dignitatem ſibi aſciverint ævo illo Theodas, Judas, aliique, quam temere honorem hunc maximum in Herodem ac Veſpaſianum contulerint turpiſſimi quidam aſſentatores, non multis opus eſt, ut probemus. Eorum ne, aliorumque præter Jeſum quiſpiam omnes Meſſiæ notas divinitus præſignatas exhibuit? Neque enim, ſi quem alium vel Davide ortum reperias, ait præclare Huetius, vel Auguſti tempore Bethleemi natum, vel pacificum, vel pauperem, vel Prophetam, vel Sacerdotem, vel Concionatorem, vel Legumlatorem, vel Principem, vel Regem, vel fortem, vel falſo accuſatum a ſuis, & neci traditum, Meſſiam il-

illum credere par eſt, quum vera illa Meſſiæ notio, quæ Chriſtianis atque Judæis inſidet, alii cuicunque id honoris deferri vetet, præterquam illi, in quo evidens notarum omnium complexio deprehendatur. Quamquam quid neceſſe eſt, alia perſequi, quum ſola, quæ mox laudavimus, prænotantia adventus Meſſiæ tempus oracula veritatem hanc manifeſte conficiant? Nonne etenim ſatis fuerit memorata Danielis, Aggæi, & Malachiæ vaticinia cum Herodis, aliorumque Hiſtoria conſerre, ut cuique perſuaſum ſit, etiam hoc uno nomine tantum abſuiſſe illos a Meſſiæ munere & dignitate, quantum inferi a cælis? Quum autem demonſtrata a nobis ſit integra eorum cum hiſtoria Jeſu noſtri conſenſio, pudeat Incredulos, qui nonniſi ſolida & explorata conſectari ſe, blaterant, inepta hæc exempla jactare, tamque infelicibus armis veritatem impetere.

X. Regerunt: qui ex memoratis oraculis Jeſu ſuo Meſſiæ decus accerſunt, iis infelicibus armis utuntur, quæ jam a Judæis ſæpe non retuſa ſolum, ſed etiam obtrita ſunt. Primo quum a Davide prædictum Chriſtiani velint, orituram diebus Meſſiæ juſtitiam & abundantiam pacis, *donec auferatur Luna*, nempe perpetuam, merito illos Judæi interrogant, an Jeſus æternam hanc pacem invexerit, quum veteres Hiſtorici tradant, Auguſtæam pacem pluribus ſubinde bellis fuiſſe diſpulſam. 2. Quam ſunt eximie confidentes, qui regnum illud quartum a Daniele prædictum interpretantur Romanorum Imperium, quum nonniſi Ægypti, & Syriæ regna ex Alexandri Magni Monarcitia conflanda eo regni nomine Daniel indigitarit. 3. In Aggæi quoque textu explicando nimiam ſibi licentiam tribuunt; quum enim major ſecundi templi gloria a Deo promiſſa pluribus aliis ex capitibus, quam ex Meſſiæ adventu peti potuerit, puta vel quia Alexander Magnus ad illud ſupplex, & ſacrificia oblaturus acceſſerit, vel quia ab Herode Magno fuit illud magnificentia ſane regia exornatum, vel quia nunquam idolis pollutum fuit, ut primum, vel quia præ Salomonico diutius ſubſtitit, vel quia nonniſi armorum, vi atque maxima difficultate completum fuit, Salomonicum vero florentibus maxime rebus, & altiſſima ac imperturbata pace perfectum, nonne licentiſſimi argutatores ſunt, qui in ſolo Meſſiæ adventu majorem hanc gloriam locarint? 4. Quam pacem Jeſus adtulit in ſecundo illo templo, de quo Aggæus? Præterquamquod ipſe diſerte ait, non veniſſe ſe, *pacem mittere, ſed gladium*, opere ipſo probavit, nullam a ſe pacem hominibus allatam in templo, quum turbulentiſſimæ poſt ejus adventum fuerint Hebræorum res, fuerintque in pejus eo mortuo, donec amiſſis templo & urbe a propriis ſedibus extruſi ſunt. Poſtremo quum Meſſiæ adventui præiturum Eliam prænuntiarit apertiſſime Malachias, perſpicuum eſt, nondum veniſſe Meſſiam, quia Elias nondum apparuit. Stultum iccirco eſſe Jeſum jactitare Meſſiam.

XI. Facilis tamen eſt Adverſariorum repulſio, qui pacem illam Auguſti ævo florentem poſt annos aliquot turbatam fuiſſe cauſſantur; quamobrem perperam illud Pſalmi, *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis*, a nobis Jeſu aptatum fuiſſe contendunt. Quum non de cæleſti ſolum, ſed etiam de terrena pace diebus Meſſiæ oritura ſit ſermo, numquid eam æternam fore Pſaltes eo loci præcinuit? Quamquam eam adhibuerit phraſim, quæ perpetuitatem ſonare videtur, ignorare tamen Hebræi non poſſunt, quod ſapienter poſt Rabbinos plurimos non adnotavit ſolum, ſed & pluribus e Scriptura promptis exemplis confirmavit in ſuo Radicum libro David Kimchi, Grammaticus Hebræorum omnium doctiſſimus, *æternum* ſcilicet ,. *ſempiternum, perpetuum*, quod Hebraice dicitur *Ngolam*, iiſque gemina vocabula non ſemper veri nominis æternitatem, ſed frequenter diuturnitatem, eamque non admodum prolixam ſignificare; tunc autem ſolum durationem omni fine carentem abſolute a Scriptura notari, quum aliquam harum vocum uſurpat *Scela*, aut *Nezc*, aut *Valed*. Quidpiam ne vero ſimile in eo, quem excutimus, Davidico verſiculo, ut infinitam terrenæ pacis diebus Meſſiæ oriturae durationem intelligere neceſſe ſit? Si velint Judæi & Magiſtrorum ſuorum doctrinam e Scripturis excerptam amplecti, & illi ipſi, quod univerſim retinent, ſyſtemati de venturi Meſſiæ regno annorum bis mille ſpatio circumſcripto congruere, fateantur ,, neceſſe eſt, non æternam, quæ nunquam

d. fit

deſitura eſſet, ſed diuturnam terrenæ pacis Meſſiæ ævo orituræ durationem Davidico illo verſiculo præſignatam.

XII. An non vero Auguſtæa illa pax Jeſu Domini ortum comitata abundans fuit, & inſigniter diuturna? Quum tota hujus demonſtrationis noſtræ efficacitas ex præclaro Prophetiæ & Hiſtoriæ concentu petatur, duos proferimus commendatiſſimos Hiſtoricos, quorum & ſi ſint ambo domeſtici, ſuſpecta tamen nullo nomine fides eſt, quod res enarrent toti terrarum orbi notiſſimas, ab Ethnicis & Judæis, adverſus quos agunt, facillime revincendi mendacii, ſi fuiſſent adeo effrontes, ut quidpiam publice falſum ſcripto vulgarent. Prior occurrit Euſebius ſæculi quarti Scriptor eximius in libris tum *de præparatione*, tum *de demonſtratione evangelica*; pacem illam a Davide & Jeſaia prædictam, & ſub Servatoris noſtri ortum inductam ſua adhuc ætate perdurare fidenter enuntians: *Conſentaneæ prædictionibus res conſecutæ ſunt; ſtatim enim ſublatus apud Romanos dominatus ille a multis uſurpatus, quum ad unum Auguſtum imperii ſumma ſub ipſum Servatoris noſtri ortum rediiſſet; ab eo enim tempore ad hanc uſque ætatem minime videas, civitates cum civitatibus, ut prius decertantes, neque gentem cum gente præliantem, neque res hominum omni perturbationis genere attritas*. Eidem huic veritati ſuo quoque ſæculo, quinto videlicet, compertiſſimæ teſtimonium perhibet Theodoretus eundem hunc Pſalmi verſum interpretans: *Olim toparchiæ & regna per ſingulas gentes diviſa frequentibus bellis vexata pacis dono frui nequibant, continue enim in armis vitam ducebant, & hæc bella multi Romanorum, & Græcorum conſcripſerunt: docent autem nos etiam Regnorum & Machabæorum hiſtoriæ, quot ſibi mala toparchiæ adſciſcebant: Poſt Incarnationem autem Dei & Salvatoris noſtri illa ceſſarunt: unum vero regnum orbi noſtro imperat, per quod pax obtinens divinæ prædicationi robur largita eſt*.

XIII. Etſi nonnulli Chriſtiani Interpretes, Grotius inprimis, quartum regnum illud a Daniele notatum, Seleucidarum & Ptolomæorum regna eſſe velint, hac tamen interpretatione liberaliter permiſſa, nihilo melior fieret Judæorum cauſa; ſive enim quarti illius nomine veniant duo illa regna, ſive Romanorum Imperium, Meſſias promiſſus aut certo jam venit, aut non amplius certe venturus eſt, jamdudum exciſo, quodcunque demum illud fuerit, quarto illo regno, cujus durationi Meſſiæ adventum Daniel illigavit. Cæterum quum admiſſa Grotii commentatione, non eſſet Jeſus noſter Meſſias, quippe qui ſtantibus Ægypti & Syriæ regnis nondum advenerat, oſtendendum eſt, eam cum Daniele pugnare, ideoque repudiandam, dictante natura ipſa, præpoſteram eſſe gloſſam Interpretis, quæ cum Auctoris textu aperte collidítur. Primo, Danial quartum hoc regnum diſtinguit a tertio, nempe Græcorum, ut tertium a ſecundo, ideſt Perſarum, & ſecundum a primo, ſcilicet Aſſiriorum; Quis autem ignorat, Ægypti & Syriæ regna poſt obitum Alexandri conflata, neque conſtitutæ ab eo Græcorum Monarchiæ ſucceſſiſſe, neque ab ea fuiſſe diſtincta, ſed duo duntaxat, etſi præcipua, ejuſdem membra fuiſſe? 2. quartum hoc regnum Daniel ferro comparans ait, *quomodo ferrum comminuit & domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc*, ideſt regnorum omnium præcedentium potentiſſimum erit, eaque penitus ſubiget. Idne vero de Ægypti Syriæque regnis a quopiam, qui prophanam Hiſtoriam calleat, fingi poteſt? Quam fuerunt hæc tribus præcedentibus imperiis, opibus, ditione, ac potentia inferiora? Eane vero comminuiſſe, & contriviſſe præcedentia regna quis dixerit, quum nunquam Ægyptus Syriam, nunquam Syria Ægyptum, nunquam Ægyptus & Syria ſimul Macedoniam Græcanici Imperii caput, aliaſque illius imperii partes comminuere potuerint ac delere? Poſtremo ſi quartum illud Imperium ſola Ægypti & Syriæ regna notavit, reliquum eſt, prætermiſſum fuiſſe a Daniele Romanum omnium nobiliſſimum, florentiſſimum, in quod ſolum ſingulas notas, quibus Daniel quartum Imperium expreſſit, perfectiſſime conſenſiſſe, vetus Hiſtoria docet: prudens ne vero quiſquam id credet? Quod enim ad hoc vitandum abſurdum Grotius addit, præſignatum a Daniele Romanum Imperium ſymbolo lapidis e monte præciſi, qui in montem magnum excreſcens univerſam terram implevit, futilius multo eſt, magiſque injurium Danieli, qui lapi-

pidem illum interpretatus eſt regnum alterum *in diebus regnorum illorum ſuſcitandum a Deo nunquam diſſipandum, nunquam alteri populo tradendum, conſumpturum univerſa regna, & permanſurum in ſæcula abſque fine*. Videat Grotius, an hæc ad Romanum Imperium referri poſſint jamdudum exciſum & Ghotis, Vandalis, Francis Germanis, aliiſque populis traditum in direptionem.

XIV. In refutandis diſtortis iis, quibus Aggæi textum Hebræi conantur eludere, interpretationibus non multi erimus: Primo nugivendos interrogamus, an Alexander M. aut Herodes fuerint cunctis gentibus deſiderati, quorum adventu cælum, terra, mare, & arida omneſque gentes commotæ ſint, ut majorem ſecundi templi gloriam aut ab unius in templum ingreſſu, aut a collata ab altero in illud exornandum magis ſumptibus poſſimus arceſſere; duo enim hæc eadem orationis ſerie jungit Aggæus, implendumque gloria templum a Deo, aperte ſignificat, adveniente deſiderato cunctis gentibus &c. Si neutrum ergo deſideratum cunctis gentibus fuiſſe, probe intelligunt, quid majorem ſecundi templi gloriam ab alterutro petendam eſſe negantur? 2. Quo eos rapuit inſana Scripturas pervertendi libido, ut majorem ſecundi templi gloriam inde ducerent, quod nunquam fuerit Idolis pollutum ut primum? Quid mendacio hoc turpius, & Machabaicæ hiſtoriæ Scriptoribus magis adverſum, qui Antiochum Epiphanem referunt abominandum idolum deſolationis, ideſt ſimulacrum Jovis Olimpii ſuper altare Dei locaſſe, quod ſolido triennio ibidem ſubſtitit? 3. Quo momento probare poſſunt, ſecundum templum diutius perduraſſe quam primum? Hoc etiam miſſo, quam ineptum & ſtultum eſt, a majori novi operis diuturnitate gloriam ſecundi templi repetere, quam Aggæus uni deſiderato cunctis gentibus, in eo loco pacem mortalibus conceſſuro, acceptam refert! 4. Quum major illa ſecundi templi gloria adhuc futura, & ab aliquo futuro pendens promiſſa a Deo fuerit, non potuit ad quidpiam præteritum, nempe ad eam, quæ a Judæis fingitur, operis difficultatem referri abſque Scripturarum injuria, a quarum perpetuo more alienum eſt, ut rem jam præteritam futuri temporis verbis ſignificent.

XV. Quam vero pacem in ſecundo templo Jeſus noſter adtulerit, jam inter probandum demonſtratum eſt; non enim terrenam pacem mortalibus ibi daudam promiſſam a Deo fuiſſe probat egregie R. Iſaac, quia a jactis ſecundi templi fundamentis uſque ad ejus exitium numquam pacatas fuiſſe Hebræorum res, eorum temporum Hiſtoria docet; quare niſi velimus, Deum non ſtetiſſe promiſſis, ad ſpiritualem cæleſtemque pacem a Meſſia in ſecundo templo hominibus concedendam Aggæi verba neceſſario flectenda ſunt. Numquid autem Jeſus Meſſias non fuit, quod ſe veniſſe dixerit, non pacem mittere ſed gladium? Legant inſulſiſſimi argutatores integrum Mathæi & Lucæ textum, & ex ſequentibus deprehendent, non falſam illam, ac fucatam pacem, quam Pſeudo-Prophetæ a Jeremia damnati Hebræorum genti annuntiabant, *dicentes, pax, pax, quum non eſſet pax*, ſed veram & ſolidam, quæ in cordis puritate ac tranquillitate conſiſtit, ab eo fuiſſe collatam, qua quia frui non poſſunt homines, niſi pravas animi cupiditates edoment, ſeque ab omnibus, quæ ad malum alliciunt, ſtrenue abſtrahant, idcirco ait, non veniſſe ſe pacem mittere ſed gladium, ſive *ſeparationem*, ut ait Lucas. Quid denique, ſi nondum venit Elias? Meſſias ergo non fuit Jeſus? Quum duos Meſſiæ adventus Thalmudici libri, & Rabbinorum præſtantiſſimi agnoſcant, ſi Malachiæ textum attente Hebræi legerent, perſpicue noſſent, prædictum ab eo fore, ut Elias ſecundum adventum Meſſiæ Judicis antevertat; quid enim ſibi volunt Prophetæ verba, *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*? Quamquam ſi ad primum Meſſiæ adventum ea referre quis velit, ſua eſt prædictioni veritas; impletum enim illud, quod Gabriel Zachariæ prædixerat, præiturum nempe Joannem Chriſto *in ſpiritu & virtute Eliæ*, teſtatus eſt Chriſtus ajens, *ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*; neque eſt, cur hanc Jeſu noſtri teſtificationem Synagoga reiiciat; ſi enim ob aliquam Meſſiam inter & Davidem ſimilitudinem, Prophetæ ſæpiſſime Meſſiam Davidis nomine appellant, cur Jeſu noſtro non licuit, Eliæ nomenclatione Joannem ornare, quum maxima inter utrumque fuerit vitæ & officii germanitas?

PRO-

PROPOSITIO XI.

Jeſus e Davide genus ducens, & Bethleemi ortus alteram prætulit veri Meſſiæ notam.

I. SI Jeſus Dominus aliunde, quam e Davidico genere duxiſſet originem, aut alibi ortus eſſet, quam Bethleemi, merito illum Hebræi reiicerent, & Meſſiam fuiſſe negarent; quum enim Deus Davidi explicatiſſime promiſiſſet, proditurum ex ejus ſtirpe Meſſiam, atque promiſſum hoc ſexcentis Prophetarum oraculis confirmaſſet, natalem quoque ejus locum Bethlemum civitatem Davidis Michææ quinto prænuntiaſſet, tam pervulgata erat, ac in univerſa Hebræorum gente penitus inſita hæc perſuaſio, ut a Jeſu interrogati Phariſæi, *quid vobis videtur de Chriſto* ſeu Meſſia, *cujus Filius eſt?* abſque ulla tergiverſatione, reſponderint *David*. Herodi quoque ſciſcitanti, ubi Chriſtus naſceretur, omnes Sacerdotum Principes & Scribæ populi repoſuerint, *In Bethleem Juda, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam &c.* quare ſi Jeſus Davide non eſt propagatus, aut non fuit Bethleemi in lucem editus, Scripturarum auctoritate jubemur, illum e Meſſiæ gradu deiicere. At nonne certum æque eſt, utraque hac nota Jeſum noſtrum fuiſſe diſtinctum, ut certum eſt utramque de Meſſia fuiſſe prædictam? Illum ex Davide natum fuiſſe, ſatis ſuperque probat genealogia ejus a Mathæo & Luca contexta; ut enim egregie ratiocinatur in diſſertatione de Meſſia Dominus Jaquelot, quum ambo Jeſum Davidis filium appellarint, & Progenitorum ejus ſeriem prior a Davide deſcendendo duxerit, alter ad eundem aſcendendo retulerit, fatendum eſt, veritatem hanc fuiſſe eo tempore vulgatiſſimam, & ab omni controverſia ſemotam; nam aut veraces in ea texenda fuerunt, aut fallaces & impoſtores: ſi primum, jam omnis itaque difficultas ſublata eſt: ſi ſecundum, debuerant itaque, ut medacio fidem facerent, antilogias omnes ſtudioſe vitare, ac curare quammaxime, ut in concinnanda Majorum Chriſti ſerie non viderentur invicem diſcrepare; ſolent enim, ut in jure civili adnotatum eſt, qui mendacium de compacto teſtantur, rem ita narrare, ut ne in ſpeciem quidem aliquid diverſum appareat: Mathæus tamen & Lucas, præter quamquod diverſo & tempore & loco ſcripſerunt, & diſſimili in ſcribendo ſtylo uſi ſunt, in adornarda Chriſti genealogia neque eundem ordinem tenuerunt, neque eoſdem Chriſti Parentes ſive remotos ſive proximos numerarunt, alia etiam ſpecie tenus non conſentientia tradiderunt, in quibus componendis Interpretum exercentur ingenia: A quavis ergo inter ſe initi ad fallendum conſilii ſuſpicione quam longiſſime abſunt.

II. Deinde quum Judæorum Ethnicorumque, Mathæi, & Lucæ ætate viventium, plurimum intereſſet, Religionem Chriſtianam Judaiſmo & Ethniciſmo infeſtam explodere, unoque hoc momento illam falſitatis revincere facillime potuiſſent, ſi nimirum non prodiviſſe Jeſum e Davidica ſtirpe probaſſent, putas, illos non contuliſſe ſe totos ad quæſtionis hujus diſquiſitionem, an videlicet, quæ circumferebantur, Jeſu genealogiæ veritate niterentur, an eſſent illæ falſo confictæ? Quid porro? Etſi palam & ubique Jeſum filium Davidis prædicarent Apoſtoli, ſcriptiſque in vulgus editis idem teſtarentur Evangeliſtæ, nemo unus Hebræorum ac Ethnicorum tunc reclamaſſe legitur, & fidenter provocamus Incredulos, ut aliquem proferant, vel coævum, vel ſuppatem, qui violatæ veritatis reos hoc nomine egerit Apoſtolos atque Evangeliſtas. Diu quidem poſt Apoſtolorum obitum id auſi ſunt Increduli quidam, Celſus Philoſophus tertio ſæculo, quarto vero Porphirius, & Julianus: hi tamen juxta tritam juris regulam ſub teſtium nomine venire non poſſunt, tum quod inimicitias profeſſi fuerint adverſus Chriſtianorum nomen, tum quod nimis ab ea ætate diſtent, qua rerum geſtarum memoria a ſynchronis Auctoribus litteris mandata eſt. Jeſum quoque noſtrum Bethleemi natum eſſe, quid demonſtrari aggrediamur, quum id Hebræi paſſim affirment? Quum vero Bodinus nec Mathæi auctoritate, nec Chriſtianorum, Hebræorumque conſenſione moveatur, cenſuales ei Romanorum tabulas opponimus, in quas profeſſio illa, quam in Auguſti cenſu ediderunt Joſeph & Maria & Jeſus infantulus, ad quas Juſtinus M., Tertullianus, & Chryſoſtomus provocabant, homines ſane non ſtupidi, neque illarum fidem tam fidenter appellaturi, niſi eam extuliſſent in toto

Ro-

Digitized by Google

Romano Imperio notiſſimam: Ethnicos illi opponimus, qui ſecundo, & tertio ſæculo, ut teſtatur Origenes, ſpeluncam, in qua Deipara Chriſtum peperit, in Bethleemitico agro ſitam exteris oſtendebant, ac in ea fuiſſe Jeſu Chriſtianorum Auctoris cunabula, ad Religionis noſtræ ludibrium prædicabant.

Refelluntur objecta ab Incredulis.

III. Opponunt: Chriſtus Davide non eſt ortus, ſi Joſephi filius non eſt: Sin Joſephi filius eſt, non eſt ergo natus ex Virgine: eligant Chriſtiani, quod malunt.

Argumentum primo retorquere poſſumus: Si Jeſus cæterorum hominum inſtar ex Joſepho prognatus eſt, ex Davide ergo ortus eſt: Sin Davide non eſt ortus, filius itaque eſt Virginis. Directe ſecundo reponimus cum Chryſoſtomo Hebraicarum rerum conſultiſſimo: *Quum mos non eſſet apud Hebræos, generationum catalogum per fœminas texere, Mathæus ut morem cuſtodiret, ne in ipſo ſtatim exordio videretur antiqua deſtruere, & nobis Virginem certius indicaret, parentes ejus reticens atque majores, de Joſeph generatione non tacuit: . . . . . Ut ergo & nos diſcerneremus, quæ eſſet Maria vel unde, & conſuetudo legis permaneret immobilis, generationum ſeriem uſque ad Sponſum ejus perduxit, ac illum de Domo David eſſe monſtravit, hoc enim declarato, illud quoque pariter oſtendit, unde eſſet & Virgo, quia utique juſtus ille non pateretur uxorem aliunde ſibi, quam unde lex præcipiebat, accipere.* Quid itaque ſi Chriſtum non Joſephi ſed Deiparæ Virginis Filium confitemur? Davide illum natum eſſe jure contendimus, quod Virgo quæ illum peperit, Joſepho eſt nupta, quem ex Davide oriundum ſcimus, & juſtum, ac idcirco nefas eſt ſuſpicari, violaſſe illud, quod Deus Numerorum 36. præceperat, *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua.*

IV. Rident reſponſum hoc Hebræi atque Increduli, atque ajunt: Quorſum Deus id juſſerit, apparet ex legis cauſa, quam addit, *ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de tribu in tribum . . . . . ut hæreditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur tribus . . . ut poſſideat quiſque filiorum Iſrael hæreditatem Patris ſui.* Puellas ergo lex afficit divites, & hæredes, quæ vetantur alterius tribus, & cognitionis hominibus jungi, ne tribuum, & familiarum poſſeſſio per dotes iis conſtitutas, vel hæreditaria jura ad eas tranſlata permiſceretur: divitem porro non fuiſſe Mariam, nec hæredem ex aſſe, ſatis indicant initæ ab ea cum fabro pauperculo nuptiæ. Fac tamen, illam fuiſſe prædivitem, non erat, cur Joſeph etſi juſtus ab ea, & ſi diverſæ familiæ & tribus, ducenda caveret, quum laudata *lex* a tempore Babylonicæ captivitatis prorſus exoleviſſet.

V. Quum negare Increduli nequeant, fuiſſe apud Hebræos in more poſitum, ut ex eadem cognatione ſua viri ſibi uxores eligerent, morem hunc in Davidica præſertim familia omnium nobiliſſima, etſi tunc temporis maxime attrita, viguiſſe credendum eſt; quare Joſephum ex Davide certo ortum a conſtanti & vetuſtiſſimo more hoc inducenda conjuge receſſiſſe, Incredulorum eſt demonſtrare. Ea Numerorum lege ſolæ feminæ divites & hæredes cum alterius tribus & familiæ viris nuptias vetebantur inire: Eſto; Incredulorum tamen eſt probare, Virginem etſi fabro nuptam, ita fuiſſe inopem, ut nec domunculam, quam incolebat, dotis aut hæreditatis nomine tranſtulerit ad Joſephum. Deinde lex fœminis divitibus & hæredibus nuptias cum alienæ tribus & generis hominibus interdicens, non jubebat ſane pauperes viros aut mulieres in aliena tribu & familia ſibi connubia quærere, ſed unice id eis integrum eſſe ſinebat. Probent Increduli, Joſephum Virum eximie juſtum atque religioſiſſimum finem hunc legis potius impleviſſe, quam legem, & permiſſione potius uſum eſſe, pauperem ex alia cognatione ducendi, quam legi obtemperaſſe generatim jubenti, a viris de Tribu & cognatione ſua uxores duci. Quum id hactenus nec probaverint, nec vero probare poſſint, veritatem hanc ab Evangeliſtis diſerte traditam, & ab univerſa Chriſtianorum ſocietate perpetuo creditam infeliciter labefactare conantur; frivolis enim conjecturis rem facti teſtatiſſimam, & inconcuſſam oppugnant.

VI. Sane ſi vellemus etiam cum Incredulis liberaliter agere, eiſque concedere, Chryſoſtomi aliorumque veterum Patrum argumentum ex ea Numerorum lege petitum, undequaque firmum non eſſe, num veritas iſta nutaret? Nupſerit Mariæ Joſephus

ſephus

ſephus ſecundum legem, an ſecus, viguerit ne adhuc Joſephi tempore ea lex, an antiquata jam dudum eſſet, non diſputemus: Joſephum tamen de domo & familia David Virgini de eadem domo ac familia nupſiſſe, veritas facti eſt, geometricis ipſis firmitate, ac evidentia præcellens; nam propoſitum ſuiſſe Mathæo & Lucæ in adornanda Chriſti genealogia originem ejus ex Davide declarare, quiſquis legere novit, intelligit: crediſiſſe utrumque firmiſſime Jeſum non ex Joſepho, ſed de Spiritu ſancto conceptum & natum ex Virgine, dijudicare quiſque ſuis oculis poteſt, qui primum utriuſque caput evolvat: jam vero, etſi non fuerint ambo Philoſophi, neque humana doctrina exculti, fuiſſe illos tamen ſtipites, & communis hominum ſenſus expertes, nemo hactenus auſus eſt dicere, eorumque opera oppoſitum ſatis evincunt. Quid inde? Niſi Mariam quoque ex Davide prognatam eſſe, rei exploratiſſimæ loco uterque habuiſſet, fuiſſe illos (ignoſcat verbis Deus, quæ ad revincendos Incredulos cogimur adhibere) omnium ineptiſſimos, & plane fatuos, neceſſe eſt, qui genealogias illas inſtruxerint, ut Jeſum Davide ortum eſſe probarent; quum enim ibidem Jeſum non Joſephi ſed Mariæ filium adſtruant locupletiſſime, non Philoſophia, non admodum ſubtili ingenio, ſed mente dumtaxat integra opus erat, ut intelligerent, nihil eſse Jeſu cum Davide, ſi nihil Matri ejus cum illo erat. Rurſus ſi Davidicum Mariæ genus non fuiſſet ea ætate certiſſimum, quomodo tot iis Hebræis non e plebe ſolum, ſed & e Scribis, & Sacerdotibus, qui Chriſto jam dederant nomen, perſuadere Scriptores hi potuerunt, & Jeſum Davide oriundum eſſe, & natum ex Virgine? Niſi velint Increduli, & innumeros illos Hebræos fuiſſe ſtupidos, ac ſupina rerum gentis ſuæ ignoratione detentos, fateantur, oportet, Mariæ e Davide originem fuiſſe eo tempore omnibus compertiſſimam.

VII. Inſurgunt: fuerint ii Evangeliſtæ non fatui: minus tamen fuerunt, quam par eſt, acuti, qui tot ſuas illas genealogias ambagibus involverunt, tot antologiis a capite ad calcem ferme ſparſerunt, ut magnus Apollo futurus ſit, qui eas feliciter evolverit, ac conciliarit. Satis ne vero dixeris acutum Lucam præſertim, qui Davidicum Chriſti genus probare aggreſſus, Virginis, e qua illa prodivit, per quam iccirco unice ſpectare ille potuiſſet ad Davidem, Leviticum genus haud obſcure ſignificat ſcribens, fuiſſe illam *cognatam Elizabeth, quæ erat de filiabus Aaron?*

VIII. Utramque Chriſti genealogiam a Mathæo & Luca contextam pluribus difficultatibus implexam eſſe, & multa ſpecie tenus pugnantia complecti fatemur; noſtrum tamen non eſt in iis diſpellendis & conciliandis calamum exercere, quum hanc ſibi Provinciam jure vendicet præclariſſimus in hoc lycæo ſacrarum litterarum Interpres, a quo ut difficiliora quæque Evangeliorum loca, ita & quæ in utraque hac genealogia negotium exhibent, feliciſſime jam ſunt expoſita. Mirari tamen ſatis non poſſumus Incredulorum audaciam difficultates illas Evangeliſtis ceu ineptis vitio vertentium; quæ jam dudum a doctiſſimis Chriſtianæ ſocietatis Scriptoribus eliquatæ ſunt, & compoſitæ! Sive enim quis viam ineat, quam ſæculo Eccleſiæ ſecundo Julius Aphricanus aperuit, quod ab ipſis Jeſu noſtri cognatis ſe accepiſſe ſignificat, & in qua plerique Patrum veterumque Scriprorum ſubinde inſtiterunt, ſive aliam ſequi malit, quæ Recentioribus bene multis viſa eſt expeditior, nonne in tuto eſt utriuſque Evangeliſtæ veracitas, & conſenſio? Rem a laudato ſummo Viro jam in pleno lumine poſitam non perſequemur: tantum cum Domino Jacquelot adnotabimus, ſi quæ genealogiæ Chriſti ab Evangeliſtis inſtructæ difficultates inſunt, & tenebræ, uni ignorantiæ noſtræ deputandas eſſe, qui nimis ab ea ætate diſtamus, qua res ejuſmodi erat eliquatiſſima, poſt Auguſti præſertim edictum, quo ſinguli juſſi fuerant genealogias familiarum ſuarum, cenſus gratia, proferre. Rurſus non poteſt obſcuritas hæc & implexio Evangeliſtis in culpa poni, niſi antiquis quibuſque Hebræorum genealogiis idem crimen ab Incredulis inferatur; conſtat enim illas involutas eſſe, & ferme inextricabiles, quod obtinente apud Hebræos leviratus lege, & frequentiſſimo adoptionis uſu, duo perſæpe unius, ejuſdemque patres occurrant, unus natura, alter lege, vel electione, diverſis quoque nominibus unus idemque notetur, & frequenter e Majorum ſuorum ſerie conſueverint Hebræi illos abradere, qui ob delicta ſua publice mulctati fuerant. Sicut itaque hæ tenebræ Hebræorum genealogiis offuſæ earum certitudinem non imminuunt, ita quidquid in Chri-

Chriſti genealogia in hunc finem contexta, ut illum Davide ſatum eſſe conſtaret, nunc videtur obſcurum, infirmare nequit quid eo tempore, quo fuit illa in lucem edita, perſpectum erat & certum.

IX. Ex quo autem Deipara fuerit cognara Eliſabeth, quam Lucas memorat fuiſſe de filiabus Aaron, quid adverſus aut Davidicum Chriſti genus, aut Lucæ prudentiam, ducere poſſint Increduli, plane non video. Id unum enim confici inde poteſt, aut Zachariæ Patrem, aut Joſephum extra tribus ſuas ſibi conjuges elegiſſe: quum in hoc quæſtio verſetur, quis eorum extra cognationem ſuam uxorem duxerit, facile determinatur; quum enim in ſorte filiorum Iſrael Deus poſſeſſionem nullam Levitis adjudicaſſet, ex quacumque tribu poterant, ii ſibi uxores arceſſere, & revera miſcuiſſe illos cum tribu Juda, & cum Davidica præſertim ſtirpe connubia, non ſemel legimus; rationi ergo apprime conſonum eſt, ut credamus Zachariæ Patrem, aut etiam ſi velis, Eliſabethæ genitorem potius, quam Joſephum, in altera tribu, & cognatione connubia junxiſſe; ratione autem vetari nos, ne id de Joſepho credamus, momenta jam producta demonſtrant.

X. Adverſus Bethleemiticum Chriſti ortum Bodinus opponit ea Evangelii loca, in quibus Nazaræus dicitur, quæ appellatio ei recte adhæſit a patria: Ergo Bethleemi ortus non eſt? O ſtultiſſimam conſecutionem, o funeſtam Incredulorum cæcitatem, qui in ſola Scripturarum luce videre renuunt, quod apud prophanos Auctores paſſim, & in uſitato apud homines loquendi more quotidie vident! Cæſarem ne e.g. non Romæ, ſed Trojæ natum eſſe Bodinus dixerit, quod de eo Virgilius ceciniſſe legatur, *naſcetur pulcra Trojanus origine Cæſar*? An non apud homines in uſu eſt, ut quiſpiam non ſolum a loco ortus, ſed etiam a loco originis vel domicilii compelletur? Quum ergo ſacri ii Scriptores, qui vel Jeſum Nazaræum appellant, vel ab aliis referunt appellatum, illum Bethleemi natum diſerte ſcribant, nonne evidens eſt, eos Nazaræum illum appellaſſe non a nativitatis loco, ſed quia Nazarethum Parentes ejus incolebant, ibique Jeſus altus fuerat, & eductus? Quum Lucas ſcribat, edictum Cæſaris Auguſti de univerſo orbe deſcribendo in cauſa fuiſſe, cur Maria cum Joſepho Bethleemum venerit, ubi Jeſum enixa eſt, Bodinus impiiſſimus pluribus hanc Lucæ narrationem exagitat, quæ refellere non eſt noſtri muneris; neque enim partes occupare volumus eximii ſacrarum litterarum Interpretis, qui hanc Lucæ narrationem cum prophana Hiſtoria jam præclare compoſuit.

PROPOSITIO XII.

Jeſus e Virgine natus alterum veri Meſſiæ characterem exhibuit.

I. Virgineum Deiparæ partum, paucis a Chriſti obitu exactis annis, ſcripto vulgarunt Mathæus & Lucas; prior autem adnotavit, Jeſum de Spiritu ſancto conceptum, & natum ex Virgine, ut impleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: *Ecce virgo in utero habebit & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus:* Meſſias ergo erat naſciturus ex Virgine, Jeſus iccirco Matre Virgine ortus, alia eaque ſplendidiſſima veri Meſſiæ nota inſignis fuit. Si contra antiquos & novos Antidicomarianitas pro intemerato Deiparæ partu ſtaremus, confecta res eſſet, iniquiſſimæ enim illi, qua benedictam inter mulieres afficiunt, contumeliæ ſatis ſuperque eſt divina horum Scriptorum auctoritas. Verum quid illa ad Hebræos, qui nullam novi Teſtamenti rationem habent, quid ad hodiernos Incredulos, qui revelationem quamlibet aſpernantur? Conandum itaque eſt, ut demonſtratione morali e factis petita utroſque revincamus, & conſecutionis veritatem adſtruamus, quam ex Mathæi & Lucæ narratione duximus. Si myſterium hoc purum fuit utriuſque figmentum, plane conſequitur, non eos ſolum, quid illud ſcripto prodiderunt, ſed Apoſtolos omnes ac Diſcipulos Chriſti, a quibus adoptatum illud fuit, & prædicatione in alios effuſum, omnium fuiſſe imprudentiſſimos, qui felicem prædicationis ſuæ exitum commento hoc intercluſerint; nonne etenim ab iis effectum eſſet, ut totum Evangelium fabulæ loco haberetur, ſi inventum humanum erat, quod in ipſo ejus exordio de Meſſia ortu ex Virgine divinitus prænuntiato, & in Jeſu completo refertur? Si nihil ſimile de Meſſia prædictum eſt, ſicut hodierna Synagoga contendit, ſi puerum Virgine Matre prodire abſurdum omnino eſt, factuque

que impoſſibile, ut recentibus Incredulis placet, quam excandeſcere in hujus inventi Auctores Judæi Ethnicique debuerant, & ab eo credendo, præeunte vel Scripturarum, vel naturæ luce, abhorrere?

II. Conſtans tamen facti veritas eſt, non tot illos Hebræos ſolum, qui poſt datum Chriſto nomen, *quotidie ſcrutabantur Scripturas*, ut refert Lucas, ſi *hæc ita ſe haberent*, ſed & innumeros alios qui prædicationi Evangelicæ reſtiterunt, numquam falſi poſtulaſſe Apoſtolos atque Evangeliſtas Chriſti nativitatem a Virgine palam aperteque vulgantes, nec niſi poſt plenam Evangelii victoriam, & ſubſtitutos a Synagoga Scripturæ Thalmudicos libros cæpiſſe illam, laudatum Jeſaiæ oraculum, & nativitatis Meſſiæ modum vitilitigare: Erat ergo tunc temporis generatim Synagogæ perſuaſum, non aberrare Diſcipulos Chriſti a legitimo oraculi ſenſu. Explorata quoque res eſt, myſterio huic ab Apoſtolis prædicato adjunxiſſe immotam fidem innumeros Ethnicos non plebejos ſolum & rudes, ſed genere, judicio, ac ſapientia præſtantes; nihil ergo in eo deprehenderunt, quod contradictione ſcateret, nec fieri divinitus poſſet. At ut erat illud Deo poſſibile, & quandoque complendum a Propheta prædictum, ita in Jeſu ortu fuiſſe perfectum, quo argumento adducti ſunt Judæi, atque Ethnici ut crederent? Quum ſola divina revelatione innoteſcere mira hæc Jeſu nativitas poſſet, certis divinæ virtutis argumentis opus fuit, quibus palam fieret, Apoſtolos ac Evangeliſtas myſterium hoc divinitus fuiſſe edoctos. Adhibuiſſe porro Deum, ut in aliorum Evangelicæ doctrinæ capitum, ita & in hujus confirmationem cujuſque generis miracula, non apud Lucam in Actis & Paulum in Epiſtolis ſolum, ſed apud Scriptores Ethnicos, Phlegontem in primis, teſtatiſſimum eſt: Vera ergo Evangeliſtæ ſcripſerunt, vera prædicarunt Apoſtoli: Jeſus ergo Virgine Matre progenitus alio veri Meſſiæ charactere illuſtris fuit. A ſeptemdecim & amplius ſæculis Chriſtiana ſocietas myſterium hoc retinet, & adverſus impios quoſdam Judæorum fraterculos ſtrenue tutata eſt: Incredulorum eſt antiquiſſimam hanc, conſtantiſſimam, atque univerſalem Chriſtianæ gentis fidem documentis idoneis labefactare; alioqui, ratio ipſa, & humana jura non ſinunt, ut audiantur.

Refutantur Increduli.

III. Quum recentium Incredulorum nullus recoxiſſe legatur, quod Celſus apud Origenem, & Judæi in utroque Thalmude impuro ac maledico ore adverſus Mariam & Jeſum evomuerunt, primam adulteram, alterum adulteræ filium ſacrilege vocitantes, in tetro icciro hoc crimine a nefariis hominibus ſanctiſſimæ ac integerrimæ Virgini impacto, quod ſine ſtomacho audire non poſſumus, diſpungendo non eſt, cur moremur. Ea potius refellenda ſunt, quæ Deiſtæ e Judæis exſcripta in myſterium hoc torquere non deſinunt, contendentes, neque olim prædictum, Meſſiam oriturum e Virgine, neque Jeſum eo ineffabili modo natum. Primum quidem ſibi videntur præclare conficere, quod male Interpres noſter hebraicam vocem *Alma Virginem* latine reddiderit, quæ reddenda fuerat *Adoleſcentula* ſeu *puella*, ſive integra illa ſit, ſeu virum experta; quare Aquila, Symmachus, & Theodotion probe noſcentes, ab Hebræis ad virginalem corporis integritatem indicandam vocem *Bethoula*, ad ætatem vero ſignificandam *Alma* uſurpari, confirmarique exemplis e Canticorum primo & ſexto, & e Proverbiorum trigeſimo petitis, *juvenculam* non *Virginem* ſcite verterunt.

IV. In diſſolvendo hoc argumento apud Hebræos palmari, quod a Chriſtianis ſexcenties obtritum, mirum eſt a Joanne Bodino Incredulorum ſignifero adhuc jactari, non eruditionem Rabbinicam oſtentabimus, nec peregrina conquiremus: una veritate freti conſtantiſſime pernegamus, vocem *Alma* ancipitem eſſe, & puellam integram corpore æque, ac corruptam ſignificare. Vadem habemus hominem omnium conſenſione hebraice ſcientiſſimum, Hieronymum nempe, cui nemo inter Incredulos ſeſe, ut puto, æquare audeat, qui vocis hujus poteſtatem excutiens ait, *Alma non virginem ſolum, ſed cum emphaſi Virginem abſconditam ſignificare, & ſecretam, quæ virorum aſpectibus numquam patuerit, ſed magna Parentum diligentia cuſtodita ſit, punica quoque lingua, quæ Hebraicæ propago eſt, Virginem Alma appellari, nec meminiſſe ſe, vocabulum hoc ad ſignificandam mulierem nuptam, aut non intactam, ullibi adhibitum.* Rem confirmat Rebeccæ exemplo,

quæ priuſquam Iſaaco nuberet, *Alma* vocatur in Geneſi, ideſt *Virgo domi abſcondita*, & Mariæ Sororis Moſis, quam *Alma*, ſeu Virginem dictam in Exodo legimus: inde fidenter Hebræos provocat, ut oſtendant, alicubi in Scripturis poſitum *Alma*, ut adoleſcentulam tantum, & non Virginem ſonet, *& concedimus eis*, ait, *illud quod in Iſaia apud nos legitur, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, non abſconditam Virginem ſed adoleſcentulam ſignificare jam nuptam*.

V. Falſum item eſt, Virginem thori & viri expertem voce *Bethoula* ab Hebræis perpetuo denotari, quum vocabulo hoc mulieres nuptas, & virum paſſas, & viduas Scriptura non uno loco deſignet. Si una hæc eſt, ac perpetua apud Hebræos vocis hujus acceptio, eccur Joel Propheta c. 1. adoleſcentioribus viduis immaturum ſuorum virorum obitum flentibus illam accommodat, ajens, *Plange quaſi Virgo* (*Bethoula*) *accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ*? Eccur Judith in ſuo cantico juvenes Matres eadem hac voce compellat, ajens, *filii Puellarum* (*Bethoula*) *compunxerunt eos*? Non eſt ergo vocis hujus una illa & præciſa ſignificatio, quam Rabbinorum deliria conſectantes illi adjungunt Increduli. Quid porro ſi Aquila, Symmachus, & Theodotio in vertendo hoc, quod tuemur, oraculo *juvenculam* pro Virgine reddiderunt? Eos ne putant Increduli, melius hebraice noviſſe, quam Septuaginta Interpretes, & Chaldaicæ, Syriacæ, & Arabicæ verſionum Auctores, qui *Virginem* non *juvenculam* hebraica voce *Alma* ſignificari ſenſerunt? Hiccine etiam eſt eximius ille candor, hæccine optima illa fides, quam tantopere jactant Increduli? Ad dirimendam graviſſimam hanc controverſiam judices arceſſunt homines Chriſtiani nominis profeſſos hoſtes, quorum primus profeſſione Judæus, duo poſterioris Ebionis hæreſi infecti, non in alium finem verſiones ſuas adornarunt, quam ut ille gentis ſuæ perfidiam, iſti Ebionis errorem de Chriſto puro homine, Joſepho & Maria nato foverent, quique in reddendo Ieſaiæ oraculo a Septuaginta Interpretum verſione, quæ apud Hebræos probatiſſima erat, & ſummo in honore, & ab antiquiſſima Onheloſi, & Jonathanis paraphraſi, ea, quam mox indicavimus, de cauſa recedere voluerunt?

VI. Neque exempla, quæ e Canticis & Proverbiis excerpſerant, viris impiiſſimis poterant ſuffragari; & ſi enim eas, quas *adoleſcentulas & mulieres* vulgatus Canticorum Interpres latine reddidit, *Alamoth* dictas legamus hebraice, eas tamen nuptas fuiſſe, & virum expertas, inferre, hominum eſt ſupina veterum morum ignorantiam laborantium. Quid ſane vecordius, quam eas *Alamoth* fæminas fingere jam virum paſſas, quod eas Salomon advocet ad nuptiale, & amatorium carmen, cui indecorum, atque a more alienum erat, Virgines intereſſe? Hæcne ſcriptitaſſent homines, qui noviſſent e Cantico Canticorum derivatum ad Ethnicos morem, Epitalamia, ſive nuptialia carmina adornandi, traductumque uſum, innuptos pueros, innuptaſque puellas ad ea canenda eligendi, e quibus priores ſponſum, alteræ ſponſam ad nuptias comitabantur, & carminibus ad conciliandum excitandumque ſoporem compoſitis proſequebantur, ſicut Theocriti, Ariſtenæti, & Catulli teſtimoniis locupletiſſimis probat Huetius? Eæ ne quoque e Virginum choro extrudendæ ſunt, quas idem Salomon Can. 6. memorat ajens: *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & adoleſcentularum* (Alamoth) *non eſt numerus*? Immo incorruptas illas fuiſſe, vereque Virgines hinc vel maxime inferimus, meritoque dictas *Alemoth*, quia ſi virum jam noviſſent, eas vel inter Reginas, vel inter Concubinas Salomon retuliſſet.

VII. Quam turpiter etiam in eo hallucinati ſunt, quod Prov. 30. idem Salomon ait, *tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in Cælo, viam colubri ſuper petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia*, ſeu ad hebraicæ linguæ rigorem, *viam potentis in Alma*? Ergo ne τὸ *Alma juvenculam vitiatam* notat? Ita quidem cenſent Judæi & Increduli, imperite tamen & falſo: Sua ſtet interpretationi probabilitas, quam a pervetuſto Hebræorum Doctore R. Haccados in Epiſt. ad Antoninum Romæ Conſulem excogitatam adoptarunt nonnulli e Noſtris, Salomonem videlicet iis verbis mirabilem Meſſiæ ortum, vitam, reſurrectionem, & aſcenſum in Cælum, perturbato ordine, prænuntiaſſe: Videmur nobis germanam Proverbiorum Auctoris mentem propius aſſecuturi, ſi cum Huetio dicamus, vo-

luiſſe

luiſſe illum poſtremis verbis maximam indicare difficultatem internoſcendi & ſecernendi illibatam Virginem a ſeducta, quod puellæ etiam delibata integritate crimen ſuum ſtrenue ſtudioſeque cælare ſoleant, quod etiam mille occultæ doloſæque ſint artes, quibus viri pudori Virginum inſidiantur, adeoque ſit perdifficile, prava eorum conſilia detegere. Qualibet harum expoſitionum ſuſcepta, propoſitum ſenſum conſtare dictioni *Alma*, eaque Virginem ſignificari, perſpicuum eſt.

VIII. Verum quorſum longiores in Gramaticæ tricis moras ducimus, atriuſque pro unius voculæ acceptione pugnamus, quum omnes difficultatum fibras una hac ad lumen rationis exacta adnotatione amputare poſſimus? Si dare vellemus Incredulis, vocem *Alma* juvenculam apud Hebræos quandoque ſignificare non Virginem, *Bethoula* vero ab iis ad puellam corpore integram denotandam perſæpe adhiberi, quicunque recte voluerit ratiocinari, concludere inde non poterit, duabus his vocibus peculiarem ſuam, & propriam ſignificationem non ſubeſſe, nec ſcite negare, priori dictione Virginem, altera puellam innuptam proprie deſignari; Sumenda enim & dijudicanda ſunt verba juxta receptiorem communioremque, & minus figuratam eorumdem apud homines acceptionem; quare quum ſolemne ſit Scriptoribus ſacris duabus his vocibus eam, quam expendimus, ſignificationem ſubjicere, ſtulte quis veram hanc propriamque earum ſignificationem eſſe negaverit, quod nonnumquam in alium ſenſum ab iiſdem illæ inflexæ legantur. In promptu eſt decretorium exemplum: Si quis id ſibi probandum ſumeret *Virginem* & *Puellam* apud Latinos fœminam proprie ſonare jam nuptam, & prole fæcundam, quod aurei ſæculi Scriptores, Virgilius & Horatius, prior egloga ſexta Paſiphaen trium liberorum Matrem *Virginem*, & lib. 3. Georgicorum Euridicem Orphæi Uxorem *puellam*, alter vero l. 1. ode 29. viduas, quarum viri in bello obierant, *Virgines* vocent, quid argutatori huic reponerent Increduli? Darent utique, in eum ſenſum a memoratis Auctoribus nomina illa adhiberi: at jure contenderent, a ratione alienum eſſe, communem iccirco & naturalem eorum nominum ſenſum labefactare velle, aut evertere, quum non ex ſingulari & perraro alicujus dictionis uſu, ſed ex communi, & receptiſſima, quæ illi adjuncta eſt, idea, atque conſtanti, & perpetuo hominum ſenſu æſtimanda illa ſit, neq in cujuſquam voce aliqua abutentis poteſtate ſit, efficere, ut vocis, qua abutitur, ſignificatio arbitraria ſit, atque anceps: Recte illi quidem, quibus nos adderemus, ut propoſitionis ſenſus certo figatur, integram orationis ſeriem, Auctoris ſcopum, & circumſtantias ſcriptionis ſpectandas eſſe.

IX. Ad rem itaque: Quum hæc uſitata ſit atque conſtans vocis *Alma* in Sacris Hebræorum libris acceptio, ut pro Virgine, ſcilicet corpore intacta, ponatur, æquum ne fuerit, & ſanioris Criticæ legibus conſonum, in laudato Ieſaiæ oraculo aliam ei ſubſtituere a communi uſu remotam, quod in ea amplianda, atque in alienum ſenſum trahenda quiſpiam aliquando a receptiſſimo more receſſerit? Ut vero omne Incredulis præcludamus effugium, num Ieſaias eo loci a trita vocis hujus ſignificatione deſcivit? Imo declaravit ille apertiſſime, de Virgine prorſus Intemerata ſibi ſermonem eſſe, dum ait, *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum, Ecce Alma in utero habebit & pariet filium*, ſeu futurum Virginis conceptum & partum proponit ut ſignum, rem novam ſcilicet, inuſitatam, atque mirabilem. Quidpiam mehercule novum, inſolitum, ac mirificum Propheta prænuntiaſſet, ſi non aliud innuiſſet ſigni a Deo ipſo dandi nomine, quam illud quod maxime uſitatum eſt, & quotidianum, fore nimirum, ut Puella a viro cognita filium conciperet, atque pareret. Sentiunt argumenti hujus, quo veteres Eccleſiæ Patres Judæos & Ebionitas urgebant, efficacitatem Increduli; quare nonnulli cum Bodino regerunt, conceptum & partum illum divinitus fuiſſe promiſſum ut ſignum, non ut prodigium, alii cum recentioribus Hebræis effutiunt, unum id ſibi voluiſſe Prophetam, Virginem nempe concepturam & parituram, poſtquam viri conſcia Virgo eſſe deſierit, non autem permanſuram in concipiendo, & pariendo illibatam. Nihil tamen eſt utroque hoc commento futilius, etſi enim hebraica dictio, quam latinus Interpres reddidit *ſignum*, ad prodigium æque ac ad nudum ſignum frequenter in ſacris litteris referatur, prodigium tamen in eo Iſaiæ teſtimonio ſignificare, ſatis ſuperque indicant tum ea, quæ jam Pro-

pheta

pheta promiſerat, Achaz Regem Juda adhortans, ut peteret ſibi a Domino ſignum ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra, eidemque petere ejuſmodi ſignum nolenti reponens, Dominum ipſum domui David daturum ſignum, tum illa, quibus ad idem hoc ſignum Jeremias digitum intendens ejus novitatem ſingularem expreſſit ajens, *Novum creavit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum*. Quid porro novi creaſſet Dominus, ſi puella, delibata virginitate, Virum concepiſſet ac peperiſſet, matrum omnium more?

X. Urgent: Ejus infantuli ortum ex *Alma* Ieſaias proponit ut ſignum, ex quo domus David intelligeret, fore, ut brevi ſolveretur obſidio, qua tunc Hieruſalem a Regibus Syriæ & Samariæ premebatur; clariora namque ſunt Prophetæ verba, quam ut quiſquam in iis addubitet. De Meſſia ergo non loquitur, nam ſive Jeſus Chriſtiani nominis Auctor Meſſias fuerit, ſive prout Hebræi contendunt, ſit adhuc ille venturus, explorata res eſt, neutrum illum eſſe puerulum, quo nondum per annos ratione utente Hieroſolymorum liberatio certo futura promittitur.

XI. Mirum eſt, quantum hæc difficultas ſane graviſſima Interpretum noſtrorum ingenia torſerit, & in quam varias ſententias illos diſtraxerit. Eam nos eligemus, quæ pluribus iiſque clariſſimis placet, ac videtur propius ad Prophetæ mentem accedere. Negamus conſtanter, quod Hebræi & Increduli ut certum ſumunt, virgineum partum divinitus prænuntiatum ut ſignum proximæ Hieruſalem liberationis, imo hanc ut Meſſiæ ex Virgine prodituri ſignum exhibitam fuiſſe, ſentimus. Satis eſt, antecedentia ſpectare, ut interpretationis hujus veritas perſpecta fiat: Obſeſſa a memoratis Regibus Hieroſolyma, omnique populo metu percuſſo jubetur a Deo Iſaias Achaz Regi Juda occurrere, ejuſque animum confirmare, quod inita a duobus Regibus conſilia adverſus Hieruſalem futura ſint irrita: *Hæc dicit Dominus, non ſtabit, & non erit iſtud*. Hærentem Regem nec fidem verbis Prophetæ adhibentem Iſaias hortatur, ut veritatis dictorum ſignum aliquod a Deo petat ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra, cui utpote idololatræ procaciter reſpondenti, nolle ſe petere, Propheta e veſtigio reponit, Dominum Deum ipſum daturum domui Davidicæ ſignum, quidpiam videlicet omnino novum, ingens, & admirabile, Virginem nempe concepturam & parituram Emanuelem, Deum ſcilicet hominem factum e Virgine naſciturum, cum hominibus converſaturum, & butiro ac melle, quæ erant puerulorum apud Hebræos uſitata alimenta, paſcendum. Ut autem rei tam miræ & humano captu majori domus *David* fidem adjungat, ſubiicit, fore, ut ſatis diu, antequam Emanuel caro factus infantis membra, & conditionem præferat, Syriç & Samariç regna Judæis adeo infeſta funditus concidant. Hieroſolymitana itaque obſidio brevi laxanda, & ſecutura paulo poſt regnorum Syriæ & Samariæ clades propoſita a Deo fuit, ut ſignum, quo excitarentur Judæorum animi ad Emanuelis e Virgine prodituri fidem, a quo liberandum erat humanum genus a Diaboli tyrannide, ſicut ab impetu Regum Syriæ & Samariæ liberanda Hieruſalem, a quo etiam peccati regnum funditus evertendum, ſicut memorata duo regna paulo poſt exſcindenda. Suppetunt e Prophetis exempla multa, quibus docemur, id eis ſolemne fuiſſe, ut rebus a ſe prænuntiatis, nec niſi poſt longum tempus implendis fidem conciliarent, aliqua brevi eventura prædicere, ut populus hæc completa videns, alia quoque præfinito divinus tempore completum iri non dubitaret.

XII. Inſtat Bodinus & Grotius: Quid Meſſiam in laudatis Prophetæ verbis Chriſtiani obſtinate conquirunt, quum hiſtoriæ veritas aliud omnino eorum declaret objectum? Unum Prophetæ verba proprie reſpiciunt Ezechiam, & quidquid de Emanuele Propheta ait, ad illum immediate refertur: perperam itaque ad Jeſum Chriſtiani ea verba detorquent.

XIII. At tantum abeſt, ut Bodini & Grotii commentatio hiſtoriæ veritate nitatur, ut potius illam hiſtoriæ ſacræ veritas ipſa convellat. Quartum Regum librum evolvimus, ac Ezechiam octo vel novem annos jam numeraſſe intelligimus, quum Achaz Pater ejus Judaicum capeſſivit imperium; quum ergo veriſſimum ſit, Achaz jam tum regnaſſe, quum Iſaias Emanuelis ortum illi ſpopondit, falſum plane eſt, Ezechiam Emanuelem illum eſſe tam ſolemniter ab Iſaia prædictum. Quid! ajunt Incredulorum

rum

rum aliqui, qui Grótii mirantur ingenium: Grotius uſque eo deceptus, ut Ezechiæ ortum decennio poſteriorem excogitarit? Deceptus ille certiſſime, neque una hæc ejus eſt in re chronologica aberratio; quum enim nonniſi ſexdecim regni annos Achaz Scriptura tribuat, adnotetque, Ezechiam annos viginti quinque jam natum, quum Patri defuncto ſucceſſit, nonne evidens eſt, jam natum fuiſſe illum, quum Pater ejus regnum auſpicaretur? Hoc autem vaticinium primo, aut ſummum ſecundo Regni Achaz anno editum certo fuit; non poteſt ergo ad Ezechiam trahi, quin hiſtoriæ ſacræ veritas labefactetur.

XIV. Regerunt Grotii cultores: Credi ne poteſt, Virum eximie doctum in re tanti momenti hallucinatum fuiſſe, & quidquid de Emanuele Propheta prædixerat, de Ezechia interpretatum eſſe, niſi illum Principis hujus hiſtoria coegerit? At quid verbis opus eſt, quum res geſta ſe prodit? Fuit Grotius immenſæ eruditionis, & infiniti propemodum ſtudii homo, linguarum orientalium, veterum morum, hiſtoriæ & totius humanæ literaturæ conſultiſſimus, leviſſimi tamen & inconſtantis ingenii, quod ex perpetua ferme atque maxima doctrinæ ejus varietate, ac diſſenſione colligitur. Sub vitæ finem Socinianis addictus, atque adverſus divinum Evangeliſtarum afflatum male animatus, in eam ſententiam venit, vaticiniis Prophetarum, quibus ii utuntur, ut Jeſum Dominum Meſſiam fuiſſe probent, nihil quod Meſſiam reſpiciat, litterale ſubeſſe, ſed nudam allegoriam, ex qua firmum argumentum duci non poteſt. Quid mirum ergo, ſi falſis his ac erroneis ideis imbutus, maluit laudatum Jeſaiæ textum ad Ezechiam violentiſſime, & falſo torquere, quam cum Mathæo non ſolum, & univerſa Chriſtianorum ſocietate, ſed etiam cum doctioribus Synagogæ Magiſtris mirabilem Meſſiæ ortum eo prænuntiatum agnoſcere? Niſi ad alia properandum eſſet, facillime demonſtraremus, quantum & præconceptus Socini error, & nimia novandi libido in exponendis iis, quæ de eodem Emanuele ex Virgine naſcituro idem Propheta c. 9. habet, a nativo verborum ſenſu, & ab hiſtoriæ veritate, imo ab ipſa probabilitatis ſpecie illum procul abduxerint.

XV. Inſiſtunt: Quocunque demum ſpectarit ea Jeſaiæ prædictio, tam male illa quadravit in Jeſum, ut argumento Hebræis fuerit, illum non eſſe Meſſiam. Sane, ſi vaticinii verba perpendimus, Meſſias erat oriturus ex Virgine, & appellandus Emanuel; Judæi tamen probe norant, Jeſum mulieris Viro nuptæ filium eſſe, alioque nomine compellatum; Prophetæ itaque verba tenentes Hebræi, judicare legitime debuerunt filium Mariæ uxoris Joſephi illum non eſſe, ad quem Jeſaias intenderat digitum. Quod ſi Judæi tunc temporis id credere non debuerunt, nonne hominum fide hodie abutuntur, qui tam ſero iis perſuadere conantur, quod homines ea ætate viventes non cognoverunt? Si velint etiam Chriſtiani libris ſuis attendere, intelligent profecto Jeſum non natum ex Virgine; ea enim, quæ illum peperit, nunquam dicitur *Virgo, ſed Mulier*, quæ appellatio quid ſonet, norunt omnes, qui latine ſciunt.

XVI. Priuſquam difficultatem hanc expediamus, duo præmittenda ſunt cum D. Houteville, quæ in hujuſmodi quæſtionibus definiendis ſemper præ oculis ſunt habenda. Primo animadvertimus, quædam in ſacris literis vaticinia eſſe, quorum ſenſum Deo libet ab hominibus perfecte concipi, quum illa complentur, quorum ſexcenta exempla Scriptura ſuppeditat, alia vero quæ Deus ineffabili ſapientiæ ſuæ conſilio ſtatuit, nec tunc ab hominibus clare percipi, quum implentur, ſed tempore a ſe definito; ut enim ille ſolus eſt prophetici afflatus, ita & eorum, quæ a Prophetis dicuntur, interpretationis eſt Auctor, ideoque, ſicuti quando vult, Prophetas illuminat, ita nonniſi, quando vult, prophetiæ intelligentiam donat. Hinc iidem ii, in quibus vel quorum miniſterio vaticinia complentur, eorumdem myſterium frequenter ignorant, quodque Deus in ipſis vel per ipſos exequitur, ſæpe non vident. Ut unum e mille promamus exemplum, quid eo Zachariæ vaticinio clarius, *exulta ſatis filia Hieruſalem, ecce Rex tuus venit tibi juſtus, & Salvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam* &c.? Impletum illud fuit, quum Jeſus Dominus, comitantibus Diſcipulis, & veſtimenta in via ſternentibus, inſequente cum ramis palmarum turba, & clamante

te *Hoſanna filio David*, triumphantis more Hieruſalem ingreſſus eſt. *Diſcipuli tamen ejus*, ait Joannes, *hæc non cognoverunt primum, ſed quando glorificatus eſt Jeſus, tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei*. Eccur vero nec tunc Diſcipuli cognoverunt vaticinium impleri, quum ipſi in eo implendo divinæ providentiæ miniſtri erant? Quia Deus, ait præclare Illuſtriſſimus Meldenſium Antiſtes, nondum oculos eorum aperuerat, ut intelligerent, neque animum eorum excitaverat, ut attenderent, atque interim Diſcipulorum ignorantia, aut incogitantia ad illud implendum utens, manifeſte docebat, ſolo illo divino ſpiritu vaticinia perfici, quo afflante fuerant a Prophetis edita, neque opus eſſe hominum ſcientia, attentione, conſilio, ut ad exitum perducantur.

XVII. Animadvertendum ſecundo eſt, notas indicando Meſſiæ adventui a ſacris Vatibus præſignatas ita fuiſſe a divina ſapientia diſtributas, ut ſingulæ ſuo tempore cognoſcerentur, ſeu non debuiſſe illas omnes ſimul evolvi ac innoteſcere, ſed ſucceſſive, prout libuiſſet Deo, earumdem ordinem ac ſeriem manifeſtare; quare expectanda erant momenta ſingularum manifeſtationi divinitus præfiuita, atque interim ex iis, quæ ſeſe evidenter jam offerebant, certo tenendæ erant aliæ, quæ nondum illuxerant. Quid ſane, ut rem declaremus exemplo, quid frequentius ac nitidius in ſacro eloquio prænuntiatum, quam benedicendas in Meſſia omnes gentes? Vocatio itaque gentium ſplendidiſſima nota eſt, ex qua debebat ille dignoſci: Jeſus tamen, quum primum duodecim elegit Apoſtolos, eoſque ad prædicandum Evangelium miſit, ita illos affatus legitur: *In viam gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis, ſed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*. Judæis quoque ſignum ab eo petentibus, Jonæ Prophetæ ſignum reſurrectionis ſuæ figuram promiſit. Expectandus ne ergo erat harum prædictionum eventus, nec prius credendum in Jeſum, quam duæ iſtæ notæ in eo apparerent? Iis vaticiniis, quæ jam in eo impleta apparebant, inhærendum erat, & cogitandum, alia, quorum eventus nondum illuxerat, impletum iri tempore & modo divinitus conſtitutis. Voci ejus interim auſcultandum erat, quam innumera cujuſque generis prodigia confirmabant, & concludendum, eum, qui ventis imperabat & mari, qui claudis greſſum, cæcis viſum, incolumitatem languentibus ſolo verbo reddebat, ac defunctos revocabat ad vitam, liberatorem certo eſſe toties adpromiſſum, cujus etſi notæ omnes nondum ſe proderent, dubitandum non erat, quin illæ quoque ſuo tempore perficerentur, quum mentiri non poſſet Deus, qui per Prophetas prædixerat, fore, ut & illis, quæ jam patebant, & aliis, quæ adhuc obſcuræ erant, notis Meſſias eſſet inſignis.

XVIII. His præjactis, ad diſſolvendum argumentum accedimus. Judæos non potuiſſe, quum Maria Jeſum enixa eſt, certo noſſe, hoc, quod excutimus, vaticinium in eo fuiſſe perfectum, fatemur: inde tamen inferre, non debuiſſe illos icirco in eum credere, alienum omnino eſt a ratione. Nonne etenim præter clariora alia vaticinia, quæ in Jeſu impleta ei teſtimonium perhibebant, Judæorum oculis obverſabatur miraculorum ejus auctoritas, qua dignitatis miſſionis ac doctrinæ ſuæ veritatem ille luculentiſſime confirmabat? Si ratione ergo & lumine, quod eorum oculos percellebat, uti ii legitime, recteque volebant, auſcultare debebant Chriſto, neque ambigere, quin vaticiniorum, quæ de illo erant, ſeries ſuo tempore evolveretur. Inter ea porro vaticinia, quæ Deus ſtatuit nec tunc ab hominibus noſci, quum donantur eventu, virgineus partus eſt, qui ab Evangeliſtis fuerat aperiendus, ut homines eorum teſtificatione permoti animum ad illum adverterent. Sane quis poterat mirabilis illius ortus arcanum reſcire? Quo ſenſibili ſigno poterat ille dignoſci? Sola teſtificatione divina innoteſcere ille poterat. Ut autem nulla eſſet adverſus hanc teſtificationem exceptio, neceſſe fuit, præire illi longam miraculorum ſeriem, qua diſponerentur hominum animi ad illud ſuſcipiendum, quod nativa eorum incredulitas illico rejeciſſet, & de divina in operibus Chriſti elucente virtute certiores effecti, ſupernaturalem quoque ejus ortum agnoſcerent, & faterentur, inter alios Meſſiæ characteres hoc potiſſimum tabellæ ejus a Prophetis efformatæ ſupremam fuiſſe manum impoſitam. Decuiſſe divinam ſapientiam, mirificum Jeſu ortum

tum hoc ordine manifeſtare, hinc vel maxime intelligimus, quod iia egiſſe illam, Religionis noſtræ hiſtoria teſtatur.

XIX. Necdum tamen acquieſcunt Increduli, ſed argutantur. Jeſum ſciebant Hebræi ex fœmina nupta prognatum, cogitare debebant ergo illum eſſe conjugii fructum. At quid cogebat Hebræos præceps hoc judicium de Jeſu ferre? Nupſiſſe & virginitatem amiſiſſe, ſunt ne adeo ſuapte natura conjuncta, ut nihil inter ea ſit medium, atque uno poſito, alterum ſequi neceſſe ſit? Deo, qui Virginis partum decreverat & prædixerat, quidpiam ne obſtare poterat, quo minus myſterium hoc ſub ſacro matrimonii velo perficeret? Nonne potius, ut præclare animadvertit Boſſuetus, infinitam ejus ſapientiam, eumque, quo ordinem ille proſequitur, eximium amorem decebat id maxime? Dignum ne ſapientiſſimo Deo fuiſſet, puellam innuptam, eamque puerili matrem hominibus ſpectaculum exhibere, futuram certo omnibus ſcandalo, omnium deriſionibus, & calumniis obnoxiam? Etſi integritatis ſuæ teſtes advocaſſet illa cælum & terram, quis verbis ejus fidem voluiſſet adjungere, & ſingulari ejus teſtificatione ad prodigium hoc inauditum credendum adduci? Revocemus in mentem, quæ paulo ſuperius diximus, atque intelligemus, ut neceſſe fuit Chriſti & Apoſtolorum ejus miracula tanti myſterii revelationi præmitti, quorum auctoritate fieret illa evidenter credibilis, ita decuiſſe quam maxime, filium Virginis ex ea nupta prodire, ut hominibus ejus nativitas ſaltem appareret honeſta, donec opportunum arcani hujus manifeſtandi tempus adventaſſet; Deus enim, ait præclare Bernardus, *qui non ſolum potenter, ſed etiam ſapienter quæcunque voluit, fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis quaſdam rerum, vel temporum congruentias propter ordinis pulcritudinem ſervare conſuevit, ita in hoc quoque tam magnifico opere ſuo, non tantum potentiam, ſed & prudentiam oſtendere voluit, & Virgini tribuit fœcunditatem, & ſuum hoc opus matrimonii velamine obtendit.*

XX. Quid vero ſi filius hic Virginis non eſt appellatus *Emanuel*, ejuſque Mater perpetuo *Mulier* dicitur? Illo ipſo, quod ei dum circumciſus eſt, impoſitum fuit, nomine omnia vere complexus eſt, atque geſſit ſplendidiſſima nomina, quibus donandum eſſe Meſſiam, tum Iſaias, tum alii Prophetæ prædixerant; ex quo enim Jeſus, ſive Salvator dictus eſt, vere oſtenſus fuit *Emanuel*, ideſt nobiſcum Deus, ſeu Deus homo factus & cum hominibus habitans; humani ſiquidem generis non potuiſſet Salvator eſſe, niſi vere fuiſſet Emanuel, & tot iis prærogativis inſignis, quas Prophetæ quaſi futura Meſſiæ nomina præſignarunt. Neceſſe vero non fuiſſe, tot iis nominibus Meſſiam nuncupari, cogitur Synagoga concedere, quum omnes ferme Magiſtri ejus jamdudum definierint, Meſſiæ nomen futurum *Inon*, quod tamen neque in Scriptura legitur, neque alia ejus nomina a Prophetis prædicta complectitur. Qui tandem Jeſu Matrem Virginem negant, quod *mulier* perſæpe dicatur, ſtolidiſſimos ſeſe produnt; ignorant enim *mulieris* nomen non Scripturarum duntaxat uſu, ſed & communi apud homines loquendi modo ſexum duntaxat denotare, atque integris æque ac corruptis indifferenter aptari. Adeant Euſthatium in Oliſſæam Homeri, Plautum, Ciceronem, & Ulpianum juriſconſultum, atque intelligent, mulieres omnes dici, quæ fœminini ſunt ſexus.

PROPOSITIO XIII.

Vitam Jeſus duxit eandem, quam a Meſſia ducendam Prophetæ prædixerant.

I. Veteris Teſtamenti cum novo in iis, quæ ad Meſſiæ vitam pertinent, paralleliſmum inſtituentes, ut ea ſolum ex veteri teſtimonia promemus, quæ ad Meſſiam ſpectare, Synagoga ipſa conſentit, ita mirificam eorumdem cum iis, quæ de Jeſu Domino referunt Evangeliſtæ, conſpirationem atque concordiam, hoſtium etiam noſtrorum expreſſa teſtificatione firmabimus, ut omnem cavillandi anſam Incredulis præripiamus; neque tamen animus eſt omnia perſequi, quibus ducendam a Meſſia vitam Prophetæ præmonſtrarunt, alioqui vix eſſet ſcriptioni modus, ſed præcipua ſolum, eaque non multa, ſed omnium nitidiſſima. Salvatorem re atque nomine futurum Meſſiam, eximie juſtum, & *Sanctum Sanctorum*, ideſt excellentiſſime ſanctum, prophetica facultate, miraculorum gloria celebrem,

Ducem ac Præceptorem gentium, cujus doctrina credentibus in ſalutem, Incredulis vero in ruinam futura erat, *Regem Iſrael*, *& terræ Dominatorem*, quem adoraturi erant omnes Reges, cui ſervituræ omnes gentes, a Regio Pſalte, Jeſaia, Jeremia, & Zacharia prænuntiatum eſse non ſemel, Synagoga univerſa concedit, quæ & ad Meſſiam refert ea Moſis verba Deuteronomii 18. 10.: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies*. Tantis porro virtutibus Deique donis inſignis Meſſias, tamque coram Deo ſpectabilis, quis coram hominibus futurus erat? Pauper, abjectus, contemptus, odio habitus, rudium & ſimplicium conſuetudine uſurus, ſociosque & præcones doctrinæ ſuæ aſciturus pauperes & indoctos, quos hominum faceret piſcatores, in aſina denique ſedens Hieroſolymam ingreſsurus, ut legere eſt Iſaiæ 13. & 62., Jeremiæ 16., & Zachariæ 7. Etſi vero hodierna Synagoga perneget, prædictum fuiſse, novam a Meſſia ferendam legem, novum inſtituendum Sacrificii genus & Sacerdotum, tam perſpicue tamen utraque hæc veritas Pſ. 109., Jeſaiæ c. 66., Jeremiæ 31., & Malachiæ 1. prænuntiata eſt, ut celeberrimi veteris Synagogæ Magiſtri illam fateri coacti ſint.

II. An non hæc omnia vero in divinum Religionis noſtræ Auctorem perfectiſſime convenerunt? Dictum illum fuiſſe Jeſum, atque uno hoc ejus nomine ſerpentium morſus & veneni hauſtus fuiſſe ſanatos, Thalmudiſtæ tradunt in libro de Sabbato c. 14. & in Avoda Zara cap. 2. Eximiæ porro ſanctitatis atque juſtitiæ ejus etſi innumeri teſtes ſuppetant, iique nullo nomine ſuſpecti, unum advocare placet Porphirium, quo nullus inferior Chriſtiani nominis hoſtis, qui Hecatem Deam ſuam de Chriſto interrogantibus an ſit Deus, ſic reſpondiſſe commemorat, Chriſtum Dei immortali quidem anima poſt corpus incedere, & ſingularis ſapintiæ gratia honore affectum, interrogantibus vero cur ſuppliciis fuiſſet affectus, repoſuiſſe, corpus quidem tormentis fuiſſe objectum, animam vero in piorum cæleſti campo fuiſſe locatam, ipſumque ſumme religioſum & pium in cælum fuiſſe ſubvectum. Quid de excellentiſſima prophetandi vi, quid de miraculorum ejus ſplendore loquar, quæ in confeſſo ſunt apud Ethnicos, Muhamedanos, & Thalmudiſtas? Ducem illum fuiſſe ac Præceptorem gentium, ac Diſcipulorum ſuorum miniſterio a Polytheiſmo ad unius veri Dei fidem & cultum gentes innumeras traduxiſſe, quid opus eſt ut probemus, quum veritatem hanc facti evidentiſſimam omnia cujuſque ætatis & loci monumenta confirment? Negare ne vero Deiſtæ poſſunt, ſi velint ſibi conſtare, doctrinam hanc Chriſti, quæ idololatria ſublata, veram unius ſummi Dei notionem & Religionem invexit, in ſalutem fuiſſe iis, a quibus ſuſcepta eſt, in exitium autem aliis, qui illam ſunt averſati? Regem porro illum fuiſſe, non Iſraeli ſolum, ſed univerſæ terræ imperitantem, non ut carnales Judæi commenti ſunt, qui affectatæ tyrannidis reum coram Pilato illum egerunt, ſed cæleſti ac ſpirituali dominatione, hinc vel maxime intelligere poſſunt Increduli, quod jam a ſeptemdecim ſæculis ubique gentium in ejus nomine omne genuflectatur, illum potentiſſimi Reges adoraverint, ac adorent, illi omnes gentes ceu ſupremo Domino ſervierint atque ſerviant.

III. Fuiſſe vero illum pauperculum, humilem, contemptui habitum, popularium ſuorum odio, & invidia vexatum, infimæ ſortis hominum contubernio uſum, idiotas & rudes doctrinæ ſuę prædicatores elegiſſe, quorum opera factum eſt, ut plurimi Ethnicorum, Judæorumque Chriſtianam ſuſceperint Religionem, eo denique triumphali apparatu, quem prænoverat Zacharias, Hieroſolymam ſubiiſſe, quorſum multis conficere aggrederemur, quum explorata res ſit, inde potiſſimum arripuiſſe olim Judæos ac Ethnicos anſam, ut Religionem noſtram non contemnerent ipſi ſolum, ſed & apud alios in contemptum adducerent? Abrogatam denique a Jeſu Domino Moſaicam legem, obliteratum Aaronicum Sacerdotium, eiſque novum ab illo fædus, novumque Sacerdotium ſubſtitutum, tam certum eſt, ut ineptus ille fuerit, qui rem omnibus notam & teſtatiſſimam velit demonſtratione tranſigere; quare quum id præcipue a Meſſia factum iri, nitidiſſime fuerit in veteri Teſtamento divinitus præſignatum, ut in eo efficiendo Jeſus verum ſe Meſſiam eſſe maxime declaravit, ita in abjudicanda ei Meſſiæ dignitate, hoc præſertim nomine, quod id molitus fuerit, atque perfecerit, maxime

appa-

apparet recentis Synagogæ perfidia, & in meridiana divini eloquii luce cæcutiens intellectus.

Refelluntur objecta ab Incredulis.

IV. Opponunt Bodinus aliique: Auctores ii indigni ſunt fide, quos conſtat, partium ſtudio ita fuiſſe abreptos, ut ſimplicitati Lectorum imponerent. Evangeliſtas vero vitio hoc laboraſſe, quis eorum ſcripta cum Prophetarum oraculis conferens non deprehendet? Cupiditas immodica ſingulas vitæ Jeſu circumſtantias in Prophetarum vaticiniis digito veluti commonſtrandi eos ita in tranſverſum egit, ut aliqua veteris Teſtamenti loca truncarint, aliqua contra originarii textus fidem adduxerint, aliqua vero confinxerint, quæ nullibi extant, plura demum in alienum ſenſum violenter intorſerint. Quam ex. gr. textui Michææ vim aperte non inferunt, ut Meſſiam Bethleemi naſciturum fuiſſe concludant? Quid magis ea interpretatione diſtortum, quam Mathæus adhibet iis Oſeæ verbis, *Ex Ægypto vocavi Filium meum*? Non aliud iis ſignificari, quam liberationem Iſraelis ab Ægyptiaca ſervitute, perſpicuum eſt: quæ ergo Mathæi fides ea torquentis ad Jeſum ex Ægypto relatum! Meliori ne fide ea Jeremiæ verba, quibus Rachelem decem tribuum ab Aſſiriis ſubactarum captivitatem plorantem Propheta deſignat, ad infantium Herodis juſſu cæſorum cladem idem Mathæus inflectit? Ubinam vero legere eſt, dictum eſſe a Prophetis Meſſiam *Nazaræum* vocandum, quod Mathæus ipſe tam fidenter aſſumit, ut Jeſum hoc quoque nomine Meſſiam fuiſſe probet, quia Nazarethum incoluit? Pauca hæc aliaque, quæ addi poſſent, inſinceræ fidei exempla, nonne ut omnem Evangeliſtarum auctoritatem evertunt, ita ſummam Chriſtianorum ſtupiditatem coarguunt, qui omnes Meſſiæ notas ſibi videntur in Jeſu vita certo tenere?

V. Si totum Bodino daremus, num propoſitionis noſtræ veritas, ejuſque, qua illam firmavimus, demonſtrationis efficacia nutaret? Jeſum Dominum hoc quoque nomine verum fuiſſe Meſſiam probare aggreſſi, quod inſigniores vitæ a Meſſia ducendæ circumſtantiæ a Prophetis, Synagoga ipſa conſentiente, prædictæ, in illum perfecte convenerint, hiſtoriam vitæ ejus, qua prophetica implevit oracula, non ex Evangeliſtis excripſimus, non a domeſticis Auctoribus repetivimus, ſed ex hoſtium noſtrorum libris, & confeſſione depromſimus. Non fuerint ergo illa, quæ Bodinus in Mathæo carpit, de Meſſia literaliter prænuntiata, fuerint illa a Mathæo ad Jeſum minus apte relata: gratia diſputationis id mittimus. At Bodini ejuſque aſſeclarum intererat, vaticinia ad Meſſiæ vitam certo ſpectantia, quæ laudavimus, quæque in Jeſu noſtri vita fuiſſe abſolute completa, nec hoſtes ipſi repugnant, infringere aut labefacere; quum vero neque id effecerint hactenus, nec vero efficere poſſint, etſi daremus, quædam Prophetarum oracula ad rem non facientia fuiſſe ab Evangeliſtis Jeſu Domino accommodata, nihil demonſtrationi noſtræ roboris deperiret, quam non iis inſtruximus, ſed aliis & ad Meſſiam certo pertinentibus, & in Jeſu noſtro certiſſime impletis.

VI. Abſit tamen, ut Evangeliſtarum fidem ab Incredulis patiamur imminui, eoſque ceu inſinceros, & partium ſtudioſos ab impiis vapulare. Scimus, Bodinum & Grotium, celebre illud Michææ vaticinium, *& tu Bethleem &c.* non de Meſſia, ſed de Zorobabele editum eſſe, contendere, quod ille ex Davidis, qui Bethleemi natus eſt, familia eſſet oriundus. Recte ne vero? Imo ineptiſſime, & falſo, quum & integra propheticæ orationis ſeries abſonam hanc interpretationem explodat, & veteris Synagogæ & Thalmudicorum librorum auctoritas illam manifeſte reiiciat. Fac tamen, ambiguum eſſe Michææ textum (quod oppido falſum eſt) nec undequaque perſpectum eſſe, an ad Meſſiam certo pertineat: quid Mathæus & Joannes Evangeliſtæ peccarunt? Quam illi violentiam intulerunt? Prior memorat, omnes Sacerdotum Principes & Scribas de natali Meſſiæ loco ab Herode interrogatos, illico reſpondiſſe, *in Bethleem Juda*, quod ibi naſciturum illum fuiſſet a Michæa prædictum; alter vero ſcribit, diſſenſionem factam eſſe propter Jeſum in turba, quum alii, eum Chriſtum eſſe, ſeu Meſſiam aſſererent, alii contradicerent, *numquid a Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine David, & ex Bethleem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?* Hiſtoricorum ne culpa ſinceritas, quod aliorum ſenſa atque verba ſide-

fideliter referant? Apparet illa potius integerrima, hincque potiſſimum intelligimus, tralatitiam tunc fuiſſe & pervulgatam Judæorum ſententiam ex hoc Michææ loco deductam, proditurum videlicet Bethleemo Meſſiam. Quæ vero adverſus Bethleemiti eum Jeſu ortum Bodinus intorquet, propoſitione undecima jam ſatis eliſimus.

VII. Gravior eſt difficultas, quæ ex Jeremiæ & Oſeæ vaticiniis ad Jeſu hiſtoriam a Mathæo tranſlatis exurgit, cui, ut faciamus ſatis, prænotandum eſt, vaticiniorum, quæ Meſſiam indigitant, duplex genus eſſe, alia quæ unum illum reſpiciunt, nec alteri aptari poſſunt, ut tot illa, quæ ex Jeſaia, Daniele, Aggæo, Zacharia, & Malachia delibavimus: alia, quæ etſi ad Meſſiam referantur, duos tamen ſenſus involvunt, alterum hiſtoricum & literalem, qui in eos proprie cadit, qui typum Meſſiæ gerebant, quo hiſtorico ſenſu velut ſigillo myſteria ſub eo latentia obſignantur, alium propheticum ſive myſticum, qui nonniſi in Chriſtum quadrat, & quo veluti clavi abdita hiſtorico ſenſu myſteria reſerantur. Si Pſalmum ex. g. ſeptuageſimum primum oculis animoque luſtramus, procul dubio intelligimus, illum ad Salomonem magna ex parte referri: Num vero ad ſolum hunc Principem digitum Pſalmi Auctor intendit? Quum in eo plura legantur, quæ congruere Salomoni non poſſunt, nec niſi in Meſſiam cadunt, puta regni æternitas, dominatio a mari & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum &c. manifeſtum eſt, Salomonem a Spiritu ſancto ut Meſſiæ typum aſſumi, & futuram Meſſiæ gloriam ſub hujus typi velamine præſignari. Duos autem hos ſenſu non arbitratu noſtro diſtingui, nonne ex ipſo Prophetarum loquendi more colligitur, qui, vel tum, quum de rebus præſentibus, & ſub populi oculis poſitis agunt, ſermones ſuos obſcuros eſſe pronuntiant, libroſque ſuos velut ſigillo obſignatos, quorum intelligentia tempore divinitus præfinito patebit? Præter hiſtoricam ergo, & in omnium oculos incurrentem ſenſum alius verbis eorum ſuberat, propheticus nempe ſub literæ cortice deliteſcens, qui que præcipuus erat, & a Deo principaliter præſignatus, quum totum antiquum fœdus novi figura & typus eſſet, atque omnia Hebræis, ut ait Apoſtolus, *in figura contingerent*.

VIII. Quum ergo Judæorum Hiſtoria tota fuerit figuralis, quum Jeſus, ejuſque Eccleſia ſub literæ eortice laterent, quum præcipua antiqui fœderis geſta, ceremoniæ, ritus, inſigniores Perſonæ, nonniſi futurorum umbra eſſent & rudia quædam lineamenta, quibus Deus Filii ſui, & conſtituendæ ab eo Eccleſiæ myſteria præſignavit, Mathæus ſane lectorum ſimplicitate abuſus non eſt, ea Jeremiæ & Oſeæ teſtimonia Chriſto accommodans: Ut norant alii, norat & ille plane, laudatis Jeremiæ atque Oſeæ locis, de abſtractis in captivitatem decem tribubus, & de Iſraele, quem Deus *Filium ſuum* appellat, ex Ægypto deducto agi; verum quia clades ab Aſſiriis Iſraelitis illata, ejus qua inſantulos plurimos ex eadem gente Herodes affecit, figura erat, & Iſraelitica gens ex Ægypto redux, Jeſum præmonſtravit inde quoque reductum, Mathæus propheticum, & figuralem ſenſum arripiens, ad hiſtoriam Jeſu retulit memorata Prophetarum oracula, quibus præter literalem ſenſum, ſpiritualem eumque præcipuum ſubeſſe, probe ſeiebat. Quæ ergo Mathæi fraus, quæ impoſtura? Num etiam eonfinxit ille ſuo marte, ſcriptum eſſe in Prophetis, Meſſiam *Nazaræum* vocandum eſſe? Quum Prophetas tantum generatim ille appellarit, multa etiam Prophetarum oracula periiſſe, compertum ſit, an non æquum eſt, credere quopiam tot illorum vaticiniorum quæ temporis injuria tunc interciderant, quorum memoriam ſola tunc oralis traditio retinebat, prænuntiatum eſſe, eo quoque nomine vocatum iri Meſſiam? Quum veteris Teſtamenti libri a Mathæi ævo ad nos uſque abſque immutatione pervenerint, conſequens plane eſt, & tunc iis defuiſſe, quod nunc iiſdem deeſſe fatemur; quare dum Evangeliſtæ nullum ſpeciatim Prophetam appellant, eorumque generatim ſolum quodpiam oraculum laudant, illud inter ea certo referendum eſt, quæ Judæi Prophetarum ætati ptopiores memoriter retinebant, quæque de aure in aurem fideliter & abſque interruptione traduxerant.

IX. Neque id arbitratu noſtro reponimus; mox enim ut Evangelium editum fuit, nonne explorata res eſt, conſtitutas ubique gentium Hebræorum Synagogas ad illud excutiendum atque dijudicandum oculos animumque vertiſſe? Num vero Hebræorum quiſpiam Evangeliſtas vocavit

ir.

Google

in crimen, quod infideliter veteris inſtrumenti teſtimonia laudaverint, qnod ea ineptis & diſtortis allegoriis labefactarint, qnod faciendæ fraudis gratia qnædam falſa procuderint? Poſt tot ab edito Evangelio exacta ſæcula primi hoc eis vitio dant Increduli, quorum tamen ſera nimis, nimiaque arte conquiſita accuſatio ſatis ſuperque diſpellitur ſilentio Hebræorum omnium; quos tamen felix Chriſtianæ Religionis proceſſus plurimum irritabat. Nonne & ii hæc quæ Increduli excogitant, teſtimonia perpenderunt? Nonne Religionem noſtram eodem ac Deiſtæ odio proſequebantur? Nonne & fontibus propiores erant, & verum Scripturarum ſenſum melius perſpectum habebant, eorumque magis intererat, falſam, ſi qua fuiſſet Evangeliſtarum fidem detegere ac pervulgate? Siluiſſe illos tamen, nec ullam de his aut ſimilibus litem Apoſtolis intendiſſe, certum omnino eſt. Iniquiſſimæ ergo ſunt recentium Incredulorum criminationes, nec poſſunt quemquam ratione utentem vel minimum permovete.

X. Regerunt: Synagoga vel uno eo nomine Jeſum Meſſiæ loco habere non debuit, quod adverſus divina oracula ſibi ille ſumpſerit novæ legis lationem, novique Sacerdotii inſtitutionem. Præterquamquod enim nunquam prædictum eſt, Meſſiam quidpiam hujuſmodi moliturum, ſexcentis in locis legere eſt Moſaicam legem æternum duraturam, atque obſervandam religione perpetua. Quid iis luculentius, quibus abſoluta Aaronici Sacerdotii perennitas Hieremiæ 33. a Deo promiſſa fuit? *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & cum nocte, ut non ſit dies, & nox in tempore ſuo, & pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo, ut non ſit ex eo filius, qui regnet in throno ejus, & Levitæ & Sacerdotes miniſtri mei:* aut ergo mutatus eſt Deus, pactumque ſuum irritum fecit, quod concipi abſque impietate non poteſt, aut Jeſus æternum Dei pactum irritare auſus eſt, ideoque Meſſias non fuit, homo ſcilicet a Deo miſſus. Suum hoc facinus verbis ſaltem ipſe quoque tegere conatus eſt, dum palam ajebat: *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem aut Prophetas; non veni legem ſolvere ſed adimplere*, quæ quum ad avertendam a ſe immutationis invidiam ille protulerit, declaravit profecto, ſibi quoque perſpectam eſſe promiſſam divinitus Moſaicæ legis perennitatē.

XI. At hinc maxime debuit Synagoga in Jeſu Domino Meſſiam ſibi promiſſum agnoſcere, quod novam legem edicens, novumque Sacerdotium inſtituens perfectiſſime vaticinia Prophetarum impleverit. Quoties enim duo hæc capita ceu clariſſimas Meſſiæ notas in veteri Teſtamento Spiritus ſanctus nitide prænuntiavit? Quid iis diſertius, quæ, annuentibus Rabbinis ipſis, de Meſſia habet Jeſaias c. 2., cui gemina tradit Michæas c. 4. *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, venite & aſcendamus ad montem Domini & ad Domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas . . . . quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Hieruſalem?* Nonne cavillationes omnes elidit, quod Hieremias c. 31. & Baruch c. 2. prædicunt, *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda pactum novum non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, ſed hoc eſt pactum quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam illam, & ero eis in Deum & ipſi erunt mihi in populum?* Novum vero Meſſiæ Sacerdotium, novumque ab eo inſtituendum ſacrificii genus nonne præſignificarunt apertiſſime David pſal. 109., dum ait, *Iuravit Dominus & non penitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, & Malachias c. 1., *non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum?*

XII. Hinc intelligere Deiſtæ poſſunt, quam inſcite efferant, nihil ejuſmodi de Meſſia prædictum. Si etiam veteres Hebræorum libros evolverent, inde quoque noſſent, pervulgatum & conſtans in antiqua Synagoga fuiſſe, legem novam a Meſſia ferendam; quare in Talmudis libro *Avoda Zara* traditum ab Elia refertur, mundi durationem ſex annorum millibus definitam, quorum duo priora millia ſint ſine lege, duobus inſequentibus millibus Moſaica lex vigeat, quibus ſuccedet, aliiſ-

que

que poſtremis millibus Meſſiæ lex obtinebit; in Midraſch quoque Cohelet, ſeu in Gloſſa Eccleſiaſtæ habetur legem, quæ in hoc ſæculo diſcitur, vanitatem eſſe præ lege Meſſiæ, idemque traditur in Thalmude titulo *Nida*, & ab inſignioribus Synagogæ Magiſtris. Quod ſi poſteriores Hebræi id inficiari auſi ſunt, non Majorum ſuorum traditionem ſolum ſed ipſam divini eloquii auctoritatem impiiſſime proculcarunt; quid enim eo commento ſtultius, quo laudatum Jeſaiæ oraculum eludere conati ſunt, reponentes, id unum ſibi voluiſſe Propheram, prodituram nempe de Sion legem, quia Moſi in Sina primum a Deo data, poſtmodum Hieroſolymam perlata, inde velut e publica ſchola Scribarum Magiſterio propagata fuit? Non vacat figmentum iſtud ſuſe refellere: una hac animadverſione conſtabit, quam pugnet illud cum Prophetæ verbis. Legis egreſſionem e Sion prænuntiat ille futuram, non ergo illa eſt a Rabbinis conficta Moſaicæ legis propagatio, quæ jamdudum Ieſaiæ ævo peracta fuerat, quandoquidem etſi Prophetis familiare ſit ob immotam eventus certitudinem futura præſentis temporis verbo ſignare, numquam ii tamen quidpiam jam præteritum ut adhuc futurum enuntiant.

XIII. Quam immanem etiam Jeremiæ & Baruchi verbis vim inferunt nugantes, de novo quidem fædere a Meſſia ſanciendo utrumque loqui, non autem de nova lege, quod uterque Hebraicam vocem *Berith*, quæ fædus, non autem vocem *Tora*, quæ legem ſignificat, uſurparit! Negent ergo ullam ſibi umquam datam divinitus legem, quum ea ipſa, quam tantopere prædicant, Moſaica lex non *Tora* ſed *Berith* in Hebraicis Pentateuchi exemplaribus ſexcentis in locis dicta legatur. Lapideas illas tabulas, quibus Deus legem inſcripſerat, ullibi ne in Pentateucho Hebræi legent aliter hebraice dictas, quam *luchos Berith*? Nullam ergo Moſes e monte legem retulit, quod tabulæ, in quibus illam Deus digito ſuo deſcripſerat, *luchos Tora* dictæ non ſint. O cæcos homines, qui ipſam ſuarum vocum poteſtatem ignorant! Quotquot hebraice ſciunt, norunt utique idem plane ſonare *Tora* quod *Berith*, atque perpetuo Scripturarum uſu legem pro fædere ſeu pacto poni, quod data, receptaque lege Deus, & homines mutuo paciſcantur, Deus quidem remunerationem promittens, homines vero obedientiam pollicentes; quare in l. *Mechilta*, & in l. *Benedictionum*, qui ſunt paraphraſis Hieroſolymitanæ præcipui, hæc habentur: *Non eſt pactum niſi lex, ſicut dictum eſt Exodi 34. & ſcripſit ſuper tabulas verba pacti decem, & alibi pluries*. Quæ adverſum novum Meſſiæ Sacerdotium & Sacrificium a Davide & Malachia prædictum Judæi recentiores opponunt, frivola adeo ſunt, ut tempore abuteremur, ſi vellemus ea ſerio refellere.

XIV. Quod vero ex promiſſa divinitus Moſaicæ legis æternitate ab Hebræis mutuantur Increduli, argumentum una celeberrimi Hebræorum Magiſtri Davidis Kimchi doctrina convellimus: Ait ille in l. Seraſſim, „ In verbis Magiſtrorum „ noſtrorum traditio eſt, omnem locum, „ in quo ponitur *Sela, Nezach, Uahed* non „ habere intermiſſionem, & in ſæcula ſæ- „ culorum ſignificare, " quod ſexcentis Scripturæ teſtimoniis confirmatur, „ quoties „ vero *æternum*, ait ille in l. Radicum, „ voce *Ngolam* deſignatur, non ſemper „ durationem ſine carentem, ſed ſolam ſi- „ gnificat diuturnitatem, " ut innumera „ Scripturæ loca demonſtrant, in quibus quod hebraice poſitum *Ngolam* vulgatus Interpres *æternum* latine reddidit, Rabbini vertunt *ſæculum Jubilæi*, vel *ſæculum Levitarum*, quorum utrumque quinquaginta annorum ſpatio concludebatur. Quoties autem Moſaicæ legis in divino eloquio fit mentio, ubinam ejus duratio perpetua vocabulis iis affecta legitur, quæ, teſte David Kimchi, finem omnem excludunt? Ubique vocabulum *Ngolam* occurrit, quod, etſi veram quandoque denotet æternitatem, frequentiſſime tamen ſolam indicat diuturnitatem: Ad Moſaicæ vero legis durationem exprimendam adhibitum ſecunda tantum ſignificatione pollere, quis negare poſſit abſque manifeſto veritatis divinæ contemptu? Quoties ille ipſe, qui ceremonialia præcepta tulit, ſupremus rerum Arbiter Deus prædixit fore, ut arcæ fæderis, templi, & Paſchatis memoria aboleretur, deſinerent hoſtiæ, & ſacrificia, ſolemnitates & Neomeniæ, & omnia feſta ceſſarent, carnis circumciſio deficeret, abrogato denique veteri pacto novum, illudque perfectius ſubrogaretur? Prædictionis hujus jamdudum impletæ nonne argumentum invictum eſt funeſtum illud, jamque ſeptemdecim ſæculorum ſpatio firmatum a terra Chanaan Hebræorum exilium, extra quam præ-

præcipua Religionis ſuæ capita jam obſervare non poſſunt? Aut ergo iniquus eſt Deus, qui ſempiternam vult totius Moſaicæ legis obligationem, ſimulque homines in eo rerum ſtatu collocat, ut obedire illi non poſſint, aut certe vox *Ngolam* legi huic perpetuo addita ſolam indicat diuturnitatem, legemque tamdiu duraturam fuiſſe ſignificat, quamdiu terræ Chanaan, cui alligata erat, poſſeſſionem Hebræa gens habuiſſet; quare quum paucis a Jeſu obitu & Evangelii promulgatione evolutis annis inde tota extruſa fuerit, intelligere Synagoga debet, tempus ceremonialium durationi divinitus conſtitutum jam effluxiſſe.

XVI. Neque illos juvat Jeremiæ oraculum, quo videntur ſibi Levitici Sacerdotii æternitatem invicte probare; Eadem enim orationis ſerie duo æqualiter promittit Deus, regnum ſcilicet de domo David, & Sacerdotium de domo Levi numquam interiturum; quum ergo ablatum jam a ſæculis bene multis non e Davidica domo ſolum, ſed ex univerſa Hebræorum gente regnum, & quodlibet dominandi jus, argumento ſit, neque eo Jeremiæ, neque aliis Prophetarum teſtimoniis abſolutam vereque æternam Judaici ſceptri perennitatem fuiſſe promiſſam, ſed uſque ad certum tempus, donec Meſſias ſcilicet adveniret, juxta inſigne Jacobi oraculum Gen. 49. *Non auferetur &c.* ita non abſoluta & ſempiterna Moſaicæ legis & Aaronici Sacerdotii duratio prædicta fuit, ſed iiſdem terminis circumſcripta, donec Chriſtus videlicet illuceſceret, quos limites apertiſſime Danielis 9. legimus definitos, *Poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & in medio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium.* Cogitent Hebræi, quæſo, quænam penes ipſos ſacrificia jam ſint, quod ſacerdotium. Sacrificia nec offerunt, nec vero offerre poſſunt, templo carentes & tabernaculo, ubi ſolum ſecundum legem licebat offerre: Sacerdotes neque habent, neque habere poſſunt, quum ſint eorum uſque adeo confuſæ tribus, ut Levitica jam nequeat internoſci. Quum ergo vera lex ſine vera Religione non ſiet, nec abſque vero Sacerdotio vera Religio, quam jam legem habent ſine Religione, quam Religionem ſine Sacerdotio profitentur?

XVII. Hinc apparet, quam ſtulte Deiſtæ concluſerint, aut mutatum fuiſſe Deum, aut Jeſum non fuiſſe Meſſiam, qui Evangelium Moſaicæ legi ſubſtituit; Deus enim, qui, ut egregie ait Auguſtinus, *opera mutat, ſed non mutat conſilium*, uno illo æterno ac ſimpliciſſimo voluntatis ſuę decreto, quo ſtatuit, præfinito a ſe tempore Moſaicam legem edicere, ejus quoque durationi limites fixit, ſanxitque certo tempore deſituram illam, & in multo meliorem a Meſſia mutandam: Quando ergo venit definiti temporis plenitudo, perfecit æternum divinæ voluntatis ſuę propoſitum, ceremonialia legis præcepta oblitterans, novamque per Jeſum filium ſuum legem ſanciens, & ſicut mutavit Deus opus ſuum non mutato conſilio, ita Jeſus in hoc perficiendo opere, quod proprium Meſſiæ futurum eſſe, Prophetæ prædixerant, manifeſtiſſime ſe Meſſiam eſſe probavit. Neque quod Chriſtus ait, non veniſſe ſe legem ſolvere ſed adimplere, eo ſpectavit, quo illud Increduli, atque Judæi trahunt. „ In veteri lege, ait D. Th.
„ 1. 2. q. 107. ar. 2., duo conſiderari poſ-
„ ſunt, finis videlicet & præcepta. Finis
„ erat hominum juſtificatio, quam quia
„ non poterat lex vetus efficere, eam qui-
„ buſdam ceremoniis præfigurabat, & ver-
„ bis promittebat, & quo ad hoc lex no-
„ va veterem implet, ejus promiſſa exhi-
„ bens, atque figuras complens, homines
„ ſcilicet virtutę paſſionis Chriſti juſtifi-
„ cans. Ejus etiam præcepta implevit
„ Chriſtus opere, atque doctrina, opere
„ quidem, quia circumcidi voluit, aliaque
„ legalia obſervare, quæ adhuc erant tunc
„ temporis obſervanda, doctrina vero,
„ quia & verum Moſaicę legis ſenſum ex-
„ poſuit, & docuit, quomodo moralia e-
„ jus præcepta tutius obſervarentur, &
„ præceptis moralibus quædam addidit per-
„ fectionis conſilia; Neque ex quo cere-
„ monialia Chriſtus impleverit, adhuc il-
„ la durare dicenda ſunt; futurorum enim
„ figuræ hoc ipſo quod implentur, tollun-
„ tur, ſicut & promiſſio futuri doni lo-
„ cum non habet, impleta jam promiſſio-
„ ne, jamque exhibito dono." Hæc ex D. Thoma.

XVIII. Inſtant: Moſaicam legem divinam fuiſſe, Chriſtiani fatentur: qui ergo legem Moſaicæ contrariam tulit, homo certe non fuit a Deo miſſus. Verum qui tam inepte argutantur, ii ne controverſiam perſpectam habent, quam temere volunt ſuo judicio dirimere? Quum Moſaica lex moralia, ceremonialia ac judicia-

lia præcepta complecteretur, nulla nobis de præceptorum moralium abrogatione, vel duratione cum Hebræis eſt quæſtio; quum manifeſtent enim naturæ jus, ſunt illa immota & vere æterna, ſicut & ipſum naturæ jus. Sola ceremonialia & judicialia abroganda fuiſſe a Meſſia, contendimus, quod priora ad præfiguranda Chriſti myſteria fuerint principaliter inſtituta, alia vero ad figuralem populi ſtatum apte diſponendum, ut ſcite adnotat D. Th., ideo que ſicut adveniente veritate figuræ deſinunt, ac mutato populi ſtatu ac regimine vis priorum legum extinguitur, ita adveniente Meſſia fuerant ceremonialia quæque abolenda, inductoque novo per Meſſiam, non Hebræorum ſolum, ſed & omnium gentium in unius Eccleſiæ ſocietatem coeuntium ſtatu, & regimine, priſcis abrogatis, novæ fuerint ferendæ leges ad novi regiminis formam accommodatæ. Secundi quidem & tertii generis præcepta divinitus quoque data fuiſſe, concedimus; verum qui illa ſuſtulit, Jeſus nihil peccavit in Deum, qui ea certo tempore antiquanda prædixerat: ſe autem illum eſſe, a quo tantum opus perfectum iri, Deus æterno voluntatis ſuæ propoſito a Prophetis ſæpius prænuntiato decreverat, tot tantiſque argumentis luculentiſſime comprobavit, ut ſi de divina ejus miſſione dubitare velint Hebræi, multo potiori titulo legitimam Moſis auctoritatem atque miſſionem in dubium vocent, neceſſe ſit.

XIX. Etſi autem Jeſus tantum opus divina auctoritate perfecerit, legem tamen non tulit Moſaicæ contrariam, imo nec, ſi proprie loqui velimus, abſolute diverſam; dupliciter enim, ait præclare Angelicus 1. 2. q. 107. ar. 1., leges invicem diſtingui poſſunt, vel ut omnino diverſæ, ut pote quarum diverſi ſunt fines, ſicut Monarchiæ lex a lege Ariſtocratiæ differt, vel ut in unum eundemque finem conſpirantes, quem tamen una remotius, alia propius reſpicit & attingit, ſicut in uno ejuſdemque civitatis regimine alia lex eſt, quæ viros perfectos recte ordinat, alia quæ pueros. Si de prima legum diverſitate ſit ſermo, non uſque eo deſipimus, ut a Meſſia legem novam fine diverſam a veteri condendam fuiſſe putemus, quum unus idemque utriuſque ſit finis, nempe ut homines ſubdantur Deo, qui utriuſque principium & Auctor eſt: eo dumtaxat ſenſu Meſſiam novæ legis Auctorem futurum fuiſſe docemus, quæ differret a veteri, ſicut perfectum diſcrepat ab imperfecto, ita tamen ut unus idemque finis eſſet ambarum. Hanc utriuſque legis differentiam non ſacræ literæ ſolum, ſed inſigniores Synagogæ Magiſtri tradunt, qui non uno loco Moſaicam legem lacti, quo nutriuntur infantes, & pedagogo, a quo rudes puerorum animi informantur, aſſimilant, legem vero venturi ſæculi, ſive a Meſſia ferendam, cibo grandium & robuſtorum, quam & legem *ſpiritus* & *perfectionis* appellant, præ qua Moſaica Lex *vanitas* eſt.

PROPOSITIO XIV.

Jeſus iis omnibus pœnis, eaque morte affectus eſt, quibus Meſſias ſecundum Prophetarum oracula fuerat afficiendus.

I. QUum Jeſu Domini paſſionis & mortis hiſtoriam Ethnicorum, Judæorumque nullus hactenus vocarit in dubium, imo arripuerint inde illi potiſſimum argumentum, quo Religionem noſtram exagitarent, haberentque ludibrio, nemo unus recentium Incredulorum dubitat, quia vera ſint, quæ de pœnis ejus atque extremo ſupplicio memorant Evangeliſtæ. Dant itaque perlibenter, venditum illum triginta argenteis a Diſcipulo, ſuiſque hoſtibus traditum, comprehenſum illum ſunibuſque conſtrictum, accuſatum a pluribus, contumeliis affectum, ſputis conſpurcatum, flagellis conciſum, a Judæis & Ethnicis capitis damnatum, cruci inter latrones ſuffixum, a prætereuntibus ſubſannatum, veniam a Deo ſuis hoſtibus adprecatum, felle & aceto potatum, Patrem magna voce inclamaſſe, emiſſoque clamore valido ſpiritum tradidiſſe; Ejus demortui latus lancea fuiſſe perfoſſum, veſtimenta ſorte diviſa, corpus a Joſepho & Nicodemo tumulo datum, Deiſtæ non abnuunt; falſi quidem poſtulant, quod referunt Evangeliſtæ, moriente Jeſu defeciſſe ſolem, interruptum tenebris diem, & terram vehementi motu concuſſam, inique tamen, quum Evangeliſtarum narrationi probe conſentiant Phlegon, Thallus, aliique Scriptores Ethnici ferme ſuppares a Julio Aphricano & Euſebio memorati, Romana tabularia, in quibus mirabilem eventum hunc conſignatum eſſe, Tertullianus in Apologetico,

alit-

aliique Religionis noſtræ vindices palam, & fidentiſſime teſtabantur, Sinenſium denique annalium auctoritas.

II. Duo nunc Teſtamenta aperimus, e veteri Prophetarum vaticinia de Meſſiæ pœnis & nece, e novo, quæ de Jeſu noſtro ſuppliciis & morte in literas retulerunt Evangeliſtæ, depromimus, mirabilemque Prophetiæ & Hiſtoriæ concentum Deiſtis opponimus. Ea autem mittimus Prophetarum oracula, quæ ambigua videri poſſunt, quæ alteri, quam Meſſiæ apte poſſunt accommodari, de quibus etiam inter Eruditos ſolida eſt controverſia. Ea ſolum adſerimus, quæ in ſolum Meſſiam quadrare, vetus Synagoga conſentit, nobiſque ſumimus & fideliter exponenda, & pro viribus refutanda, quæ audaciores Critici ad ea infirmanda nuperrime commenti ſunt. Denique obteſtamur Incredulos, ut cogitare ſerio velint, conflatum iri a nobis pro Chriſtianæ Religionis veritate argumentum omnium validiſſimum, ſi perfectiſſimam Prophetiæ & Evangelii conſenſionem demonſtraverimus. Eccur vero? Quia nemo circumſtantiarum ſuæ mortis eſt Dominus; in hoc enim duo vitæ noſtræ extrema ſibi congruunt, quod circumſtantiæ, quæ ortum, & quæ obitum comitantur, nobis invitis, & abſque nobis uniantur. Poſſunt quidem ea, quibus vitæ noſtræ ſeries texitur, eventa conſiliis noſtris parari; naſcimur tamen & morimur, non prout volumus, ſed prout eſt altiori conſilio definitum; quare non eſt, cur Increduli blaterent, paraſſe ſibi ſtudioſe Jeſum mortis genus, quo Meſſiam obiturum eſſe, cognoverat, ut facilius & coævos & poſteros eo ſimilitudinis charactere deciperet; quæ enim dicturi mox ſumus, evidenter oſtendent, eventum hujuſmodi, tam multis tamque diverſis cauſis obnoxium, nullo humano conatu, arte, atque conſilio potuiſſe diſponi.

III. Ad rem itaque: Meſſiam a domeſtico ſuo prodendum David pſal. 40. Spiritu ſancto revelante prænovit, Meſſiam hac de re conquerentem inducens, *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, ampliavit in me ſupplantationem*: Pretium vero, quo erat ille vendendus, atque uſum, in quem inſumendum illud erat, Zacharias cap. xi. prænuntiavit, *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis, & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad ſtatuarium*. Legi ne hæc a quopiam poſſunt, quin ſtatim occurrat animo & Judas pretium Jeſu venditi, triginta ſcilicet argenteos, in templo projiciens, & Sacerdotum Principes agrum figuli iis ementes? Plurima de Pſalmis huc conferenda eſſent, ſi omnia quæ de capiendo, & falſis teſtificationibus obruendo Meſſia ſunt, vaticinia vellemus exſcribere: *Eripe me de inimicis meus Deus meus*, ita Deum Meſſias alloquitur, *& ab inſurgentibus in me libera me; quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Dixerunt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat ... Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me &c.* Graviſſimas porro contumelias illas, alapas, ſputa, flagella, quibus Jeſum noſtrum peſſime habitum fuiſſe ſcimus, nonne Jeſaias tam explicate prædixit, ut in Meſſiæ prænuntiandis opprobriis videatur Jeſu Domini hiſtoriam texuiſſe? Meſſiæ hæc verba ſunt c. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me*. Meſſiam animo verſat Propheta c. 53. de quo hæc habet: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum, percuſſum a Deo, & humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*.

IV. Quo ſpectant illa Davidis pſal. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*, niſi ad Meſſiam morte damnandum? In eum clavis inter ſceleſtos cruci ſuffixum digitum intendunt David ipſe p. 21. ejus ad Patrem clamores exponens, *foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia oſſa mea*, & Jeſaias c. 53. magnifica promiſſa referens, quibus a Deo Meſſias affectus eſt, *pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt*. Scommata atque convicia, quibus ille e cruce pendens ſubſannandus erat, David prænovit atque ibidem expreſſit aiens: *Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput, ſperavit in*

Digitized by Google

in Domino, eripiat eum, ſalvum faciat eum, quoniam vult eum. Quid vero Meſſias etſi hoſtibus ſuis opprobrium factus, etſi fel, & acetum ſibi propinatum p. 68. queratur? Moriens Patrem appellat verbis iis, quæ Pſ. 21. David a Meſſia edenda præſenſerat, *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti*, eumque rogat, ut hoſtibus ſuis velit propitius eſſe, quemadmodum c. 53. a Jeſaia prædictum fuerat: *Ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogavit*. Quam vero nitide Meſſias ipſe latus ſuum transfixum iri Zachariæ 12. prænotavit aiens: *Effundam ſuper Domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum &c.* Quam perſpicue veſtium ſuarum partitionem p. 21. præſignavit aiens, *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem!* Funus autem ejus ab homine divite curandum Jeſaias c. 29. nonne præſignificavit ajens, *Dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua*, vel ad Hebraicæ linguæ rigorem: *Poſuit cum impiis ſepulcrum ejus, & cum Divite monumentum ipſius*, ſeu ut alia verſio ſimplicius & clarius habet, *Dabit impiis cuſtodiam ſepulcri ejus & Diviti corpus ejus?*

V. Fore tandem, ut moriente Meſſia moveretur terra, ſolque deficeret, omnium apertiſſime præſignarunt Amos, & Zacharias, prior quidem c. 8. hæc habens: *Numquid ſuper iſto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus? .... Erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis, & convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum, & ponam eam quaſi luctum Unigeniti*: alter vero c. 14. ait. *Erit in die illa, non erit lux, ſed frigus & gelu, & erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies neque nox, & in tempore veſperi erit Lux &c.* Legitimam poſterioris hujus vaticinii intelligentiam fruſtra alibi conquirent Increduli, quam in Evangelio, quod prophanæ Hiſtoriæ conſenſione firmatur; inde enim haurimus, qua nocte captus eſt Jeſus, frigus & gelu fuiſſe, quo vero tempore in crucem ille ſublatus eſt, tantas obortas fuiſſe tenebras, ut neque dies eſſet, nec dici poſſet, neque etiam nox, quæ ſolis occaſu fit, quum ſol medium tunc orbem teneret, veſperi autem fuiſſe lucem, quia hora nona, mortuo Jeſu, abactis tenebris iterum lux affulſit. Alia quoque, quæ laudavimus, Prophetarum oracula conferant Increduli, quæſo, cum Evangelio, etſi perfectiſſimo hoc Prophetiæ & Hiſtoriæ concentu non permoventur, non veritatis amorem ſolum ſe abjeciſſe, ſed & rationem ipſam ejuraſſe, agnoſcant.

Eliduntur Incredulorum cavillationes.

VI. Opponunt. Negat Synagoga conſtanter, collecta ab Evangeliſtis, & a Chriſtianis excepta Prophetarum oracula ad Meſſiam ulla ratione referri, non negatura ſane, ſi in iis Meſſiam agnoſceret, quem in Scripturis ſemper ſcrutata eſt, & quotidie conquirit; operam ergo Chriſtiani ludunt, dum ex mirifico illo quem fingunt, Prophetiæ & Evangelii conſenſu, Jeſum ſuum erigunt in Meſſiam. Verum quid cauſæ fuerit, cur Synagoga in veteri Teſtamento Meſſiam non deprehenderit, & rejecerit Jeſum, in quem omnes Meſſiæ notæ perfectiſſime conveniebant, jam ſupra adnotatum eſt; Chimæricæ enim, Deique eloquio contrariæ ideæ illæ quas præformavit, Meſſiæ nimirum belliccſiſſimi, prædivitis, & immortalis impedimento fuerunt, ſuntque adhuc, ne promiſſum ſibi Liberatorem præſentem agnoverit, & jamdudum ortum agnoſcat. Deiſtæ tamen, qui Synagogæ cauſam infeliciter orant, negare ne poſſunt, Apoſtolos & Evangeliſtas verbo atque ſcripto palam aperteque vulgaſſe, memorata oracula ceu Meſſiam certo notantia in Jeſu Domini paſſione atque nece fuiſſe completa? Quantum vero Synagogæ tunc intererat, curare & eniti, ſi qua ratione poſſet, Apoſtolorum prædicationem, & ſcripta omni auctoritate deijcere? Quantum id ei in promptu fuiſſet, ſi falſa erat, & a recepta traditione abhorrebat, quam recitatis oraculis Apoſtoli adhibebant, interpretatio? Quem autem Scribarum aut Sacerdotum Increduli proferunt, qui Apoſtolis præpoſteram eorum textuum intelligentiam vitio dederit, eoſque violatæ traditionis reos egerit? De legitimo eorumdem intellectu inter diſcipulos Chriſti, & Synagogæ proceres perfectiſſime conveniebat, nulla inter eos erat de traditione eorum interprete concertatio.

tio. Cur vero eorum plurimi Jeſum Meſſiæ loco habere noluerint, quod in ſolo litteræ cortice hærentes, nec ſpiritum perſcrutantes, duos etiam Meſſiæ adventus non diſtinguentes aut neſcirent aut nollent, alia quæ de Meſſia ſunt, vaticinia cum prædictis apte componere, ſcandalum iccirco in eo paſſi, qui ſalutem eis allaturus advenerat, ſuperius adnotatum eſt.

VII. Inſtant: Ipſa rei evidentia Synagogam negare cogit, in tot iis, quæ Chriſtiani congerunt, vaticiniis de Meſſia ſermonem eſſe, utque a Pſ. 21. ordiamur, e quo in Jeſum ſuum ceu Meſſiam Chriſtiani tot teſtimonia derivant, nonne primus ejus verſiculus ſatis ſuperque indicat, abeſſe illum quam longiſſime a Meſſia? *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? Longe a ſalute mea verba deliſtorum meorum;* qui ergo ſic loquitur, Meſſias non eſt plane ſanctiſſimus, videantque Chriſtiani, num hæc ad Jeſum referre velint. Explicent etiam, quorſum hæc verba Jeſus uſurpavit in cruce: aut enim ſponte patiebatur, aut invitus: ſi invitus, Deus ergo non erat, ſi ſponte, nullam ergo ei injuriam intulit Hebræa gens, ob quam fuerit illa plectenda, non erat etiam cur quereretur, ſe a Deo derelictum nec exauditum. Recta ne etiam Chriſtianorum fides, qui ut ex ejuſdem pſalmi v. 17. vaticinium facerent, quo extremum Jeſu ſupplicium præſignatum fuiſſe videretur, unius literulæ immutatione integrum verſiculum corruperunt? Quum enim hebraice legatur *Caari* ſeu *quaſi Leo*, ſubdole ipſi ſubſtituerunt *Charu*, ut vertere in rem ſuam poſſent, *foderunt manus meas &c.* Quid porro eſt, cur 53. Iſaiæ caput tantopere urgeant? Nihil in eo eſt, quod Meſſiam reſpiciat, ſed totum vel ad Moſen, vel ad Joſiam Regem, vel ad Iſraeliticam gentem, ut Rabbinis placet, vel rectius ad Hieremiam Prophetam, ut opinatus eſt Grotius, eſt referendum. Valde poſtremo mirari ſubit eorumdem ſupinitatem, qui ex omni ligno telum efformant; illud enim Zachariæ 11. avidiſſime arripiunt, quo præſignificatum putant Magiſtri ſui venditi pretium, nec advertunt, vaticinium illud ceu Jeremiæ a Mathæo laudari, quod tamen eſt Zachariæ, aliis quoque a Mathæo verbis efferri, immo nec ſenſum ipſum retineri. Quam inepte etiam ejuſdem Prophetæ verba c. 12. *Videbunt in quem transfixerunt*, ad Jeſum cruci confixum atque perfoſſum torqueant, intelligere ex doctiſſimo Grotio poſſunt, qui ſcite adnotat, eos dici Deum configere, qui probris illum laceſſunt.

VIII. A Pſalmo 21. faciamus & nos reſpondendi initium; & rogemus Incredulos, an velint hebraico textui, an Vulgatæ noſtræ inhærere; ſi hebraicam eligant veritatem, norint, ſe ineptire, dum pſalmum hunc ob primi verſiculi verba a Meſſia alienum eſſe contendunt. Hebraice enim non *deliſtorum meorum*, *ſed clamoris*, *rugitus*, *gemitus mei* legunt Interpretes quique, *& eſt ſenſus*, ait Hieronymus, *juxta ceteros Interpretes*, *Gemitus mei atque conatus*, *quibus ſemper populum ſalvare quæſivi*, *longe facti ſunt a ſalute mea*, *quam ei tribuere cupiebam*, *quia ipſi noluerunt recipere ſanitatem*: ſi autem Vulgata noſtra pugnare velint, æquum eſt, ut interpretationi acquieſcant, quæ ab univerſa Chriſtianorum ſocietate adhibetur, verba nimirum illa Meſſiæ eſſe, qui etſi, teſte Jeſaia, peccatum non fecerit, neque dolus inventus fuerit in ore ejus, omnium tamen peccata portavit, verus humani generis fidejuſſor, atque Mediator, *factus pro nobis maledictum*, *ut nos de legis maledicto redimeret*, factus quoque *peccatum* ſeu hoſtia pro peccato, *ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*, ut ait Paulus. Quid vero ſi ſponte paſſus eſt, *& oblatus*, *quia ipſe voluit?* Minus ne ergo iniqui puniendique Judæi, qui odio atque livore acti hominem juſtum, nulliuſque culpæ convictum acerrime inſectati ſunt, & turpiſſima morte mulctarunt? Eodem autem ſenſu conqueſtus in cruce eſt, ſe derelictum nec exauditum a Deo, quo paulo ante Patrem in horto rogaverat, ut calicem a ſe transferret; quare, quę Calvino eam Chriſti orationem carpenti jam repoſuimus, huc revocanda ſunt, & Incredulis regerenda, Jeſum ſcilicet voluntate deliberata, quę *rationis* dicitur, Patris imperio obſequentiſſimum mortem ſponte oppetiviſſe, inferiori tamen, quę *naturæ* dicitur, voluntate, mortem refugiſſe, iiſque querelis inſitum nobis a natura doloris ſenſum, ac mortis horrorem humano more ſignificaſſe.

IX. Iniquiſſimam vero calumniam Chriſtianis Increduli ſtruunt, dum vitiati primum ab eis decimi ſeptimi verſiculi in eos conferunt culpam; nonne etenim

Septuaginta ſenes, omnium Scripturæ Interpretum antiquiſſimi, ita laudatum comma verterunt, quemadmodum poſt plura ſæcula Vulgata noſtra reddidit in eorum veſtigiis inſiſtens? Nonne Syriaca & Arabica verſiones Vulgatæ noſtræ conſentiunt? Nonne Maſoretharum omnium conſenſione in pluribus iiſque antiquiſſimis Hebraicis codicibus *Charu*, ſeu *foderunt*, legitur, non vero *Caari* ſeu *quaſi leo*? Quid quod parva Maſora fatetur, in idem recidere vocis utriuſque ſignificationem, quod nimirum ſive dentibus ſive unguibus leo prædam capiat atque voret, carnes certe pungit, atque perfodit? Quare ergo tantum vocamur in crimen, quum ratum certumque ſit, Interpretem noſtrum, unam Hebraicorum codicum, optimorumque, atque pervetuſtorum Interpretum fidem ſectatum eſſe, ac in eorum auctoritate conquieviſſe? Ob duas voculas, quarum æqualem eſſe ſignificationem in parva Maſora traditur, tantas ne excitare tragædias Deiſtæ debent, & Chriſtianos potius quam Hebræos reos agere hujus immutationis, quæ ab iis perinde ac a nobis induci potuit? Sit ita, Chriſtianorum interfuiſſe, legere *foderunt*: at unmquid non Hæbreorum maxime intererat, legere *quaſi leo*? Æquitas ergo poſtulat, ut, ſi Judæos abſolvunt, Chriſtianos non damnent, ſed imperitiæ potius aut oſcitantiæ Amanuenſium mendum adſcribant, quos duarum literularum ſimilitudo facile in errorem induxerit: immo, ſi ſua, qua tantum gloriantur, velint Critica uti, Judæos ſolos, fraudum ejuſmodi ſæpe revictos, hujus quoque Auctores agnoſcent, qui, ut præclari hujus oraculi vim alio converterent, *Caari* ſubrogarunt, non advertentes, orationem inde effici pendulam & imperfectam, quare ad illam explendam R. Selemoh Jarchi, Aben Ezra, aliique ſententiæ huic, *ſicut leo manus meas*, & *pedes meos*, omni ſenſu vacuæ addi volunt *momorderunt* aut *laceraverunt*, aut quidpiam ejuſmodi, quo oratio integrum ſenſum reddat.

X. Neque nos fraudis hujus poſſunt Deiſtæ revincere, ſi cum Lipmanno reponant, non potuiſſe a Davide crucis ſupplicium prævideri, quod a Judæorum moribus abhorrebat; præterquamquod enim a Lipmanni criminatione ſatis nos liberant Septuaginta Interpretes Chriſtiano nomine multo antiquiores, qui Vulgatæ noſtræ in reddendo hoc verſiculo præluxerunt, nonne veritas ipſa a R. Selemoh hanc confeſſionem extorſit, *pſal. 2. à Majoribus ſuis totum ad Regem Meſſiam referri*? En autem nonne diſerte prædicitur, damnatum iri Chriſtum a gentibus? Qui ergo illum ab alienigenis damnandum eſſe, prænovit, ſupplicio quoque juxta alienos mores afficiendum eſſe præſenſit, quo ut Jeſus Dominus afficeretur, Judæi magnis clamoribus & minis poſtularunt, & vi tantum non adhibita a Pilato impetrarunt. Immenſi porro eſſemus, ſi quod alii ſuſe fecerunt, recentioris Synagogæ veſaniam ad Moſen, vel Joſiam, vel Iſraeliticam gentem quinquageſimum tertium Jeſaiæ caput inepte torquentis vellemus pro meritis caſtigare. Pauca ſolum dabimus, quibus perſpectum fiat, nihil ab ea fingi potuiſſe ſtultius, ac a Prophetæ mente magis alienum. Componat, ſi potis eſt, cum Moſis hiſtoria Jeſaiæ verba, quæ hominem exhibent deſpectum, noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, propter ſcelera noſtra vulneratum atque attritum, ad occiſionem ductum & violenta morte de terra viventium abſciſſum. Alia mitto quæ tantum a Moſis hiſtoria diſtant, quantum ſuperi ab inferis: unum adnoto, Prophetam futuri temporis verbis utentem hominem præſignare occidendum, ſepulturæ mandandum, ſemine longævo donandum, portaturum iniquitates aliorum, & multos ſcientia ſua juſtificaturum, ideoque de Moſe non loqui, a cujus obitu ad Jeſaiam ſæcula multa jam fluxerant.

XI. Joſias ne ille fuit, quem Propheta eo loci deſcribit? Ille ne peccatum non fecit, qui mandato Dei non aſcultans prælium adverſus Nechao Regem Ægypti aggreſſus eſt? Oblatus ne ille, quia voluit, & non aperuit os ſuum, qui mortem effugere conatus eſt, & prælio ad curandum vulnus exceſſit? Ejus ne livore ſanati Judæi? Illi ne ob toleratam mortem ſpolia fortium a Deo tradita? Quam intoleranda vero opinio ab ipſo Origenis ævo plurium Judæorum animis penitus inſita ac vetuſta, eo Jeſaiæ vaticinio ſolam notari Iſraeliticam gentem? Cujuſnam dolores illa portavit? Quis ejus livore ſanatus eſt? An morti ob-

oblata illi eſt, quia voluit? an iniquitatem non fecit, nec dolus fuit in ore ejus? Num illa ad occiſionem ducta, quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, nec os ſuum aperuit? Num propter ſcelus populi ſui Deus illam percuſſit, quum eſſet illa Dei populus? Num denique de terra viventium abſciſſa eſt? Quis etiam ſolis oculis utens non deprehendit, non de hominum collectione, ſed de ſingulari Perſona Prophetæ ſermonem eſſe? Utinam denique ſibi Grotius conſtitiſſet, qui in præclaro ſuo opere *de veritate Religionis Chriſtianæ* hoc Judæorum commento ſtrenue refutato, totam Chriſto Prophetiam aſſeruit, nec illam alteri aut Regum aut Prophetarum congruere poſſe probavit! Verum ſpiritus vertiginis, qui juſto Dei judicio illi immiſſus fuerat, illum in ſui ipſius oblivionem induxit, effecitque, ut totum hoc caput ad Hieremiam torqueret. Mimius eſſem, ſi perſequens ſingula capitis commata, oſtenderem, nullum eorum in Jeremiam quadrare poſſe. Explicet duntaxat Grotius, quomodo verſus hic, *Oblatus eſt quia ipſe voluit & non aperuit os ſuum*, Jeremiæ aptari poſſit, quem non uno loco calamitates ſuas conquerentem legimus, natalem diem ſuum diris devoventem, ſupplicio proximum mortem deprecantem, petentem a Sedecia Rege, ut non iterum Jonathani Scribæ tradatur, ne in ejus domo moriatur, mortis denique metu nolentem eidem Regi futura annuntiare, eritque nobis magnus Apollo.

XII. Bene autem eſt, quod Grotius ipſe pleriſque Meſſiam ſpectantibus vaticiniis infeliciter detorquendis intentus, illud ex Zachariæ 11. ductum, quo certum Jeſu noſtri venditi pretium præmonſtrari ſtatuimus, rei evidentia permotus, in hiſtoriam Chriſti proprie quadrare confeſſus eſt: quare hominis, quem tanti faciunt Increduli, ſuffragio facillime poſſumus, eorumdem cavillationes adverſus illud eludere. Sola itaque librariorum oſcitantia factum eſſe, reponimus, ut pro Zacharia Jeremiæ nomen in Mathæi textum irrepſerit, vel quum Mathæus, ut illi in more eſt, Prophetam tantum, non deſignato nomine, laudaverit, imperitus quidam de ſuo Jeremiæ nomen addiderit, ut olim viſum eſt Origeni atque Euſebio, quum neque Syriaca, neque Perſica Mathæi interpretatio nomen præferant Jeremiæ vel Zachariæ, ſed tantum *Prophetam* exhibeant, quod & in nonnullis latinis codicibus animadvertit & Auguſtinus. Quum autem curæ fuerit Chriſti diſcipulis, ſcite ait Hieronymus, non verba aut ſyllabas aucupari, ſed dogmatum ſententias ponere, verba quidem Zachariæ Mathæus minus retinuit, ſed ad Prophetæ ſententiam maxime attendit. Queritur ibi Deus mercedem ſuam triginta argenteis appenſam eſſe, tamque vile ſui pretium indignatus, Prophetam jubet projicere illud ad figulum, quod ille præſtitit, argenteos in domum Domini projiciens ad ſtatuarium. Si ſententiam ſpectemus, eadem Prophetæ ac Mathæi plane eſt, etſi verba non nihil videantur abludere, atque alibi perperam vaticinii hujus intelligentia quæritur, quam in Jeſu Domini hiſtoria.

XIII. Quis vero patiatur, ſplendidam ſupplicii Jeſu Domini prædictionem obtundi ab eodem Grotio, legente quidem ea Zachariæ 12. verba, *& aſpicient ad me, quem confixerunt*, ut ea legit vulgatus Intepres, eorum tamen vim enervante perverſa interpretatione hac, *Configere Deum dicuntur, qui illum probris laceſſunt*? Sequentium connexio plane non patitur, ut in eum ſenſum Zachariæ oraculum trahi poſſit; quid enim ſibi volunt planctus ac lamenta, quibus Zacharias prænuntiat fore, ut eum qui confixus fuit, Judæorum familiæ proſequantur? *Et aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti: in die illa magnus erit planctus in Jeruſalem* &c. Quiſquis attendere velit, nonne ſtatim intelligit, luctum in defuncti funere habitum a Propheta deſcribi, nec alium ſane quam memoratum a Luca c. 23. ſcribente, *Omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur*? Neque Grotium puduit, tam inepta interpretatione vaticinium iſtud eludere, cujus evidentia Thalmudiſtæ ipſi ac Rabbini permoti ſunt, ut Meſſiæ Joſephi filii necem eo præſignificari docuerint, quem Meſſias alter Davidis filius revocabit ad vitam, quamquam Rabbi Moſes Haddarſan chimæricam gemini Meſſiæ diſtinctionem a populatibus ſuis inductam explodens ad Meſ-

Meſſiæ Davidis filii mortem ea Zachariæ verba retulerit ?

PROPOSITIO XV.

Jeſus deſcendit ad inferos, quo ſecundum Prophetarum oracula deſcenſurus erat Meſſias.

I. DEſcenſum Meſſiæ ad inferos pſal. 67. vaticinatus eſt David, ajens: *Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi . . . . Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulcris . . . Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus.* Vaticinium hoc & Meſſiam ſpectare, & finem in Jeſu noſtro habuiſſe teſtatur Paulus ad Epheſios ſcribens: *Propter quod dicit, aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus: Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.* Teſte ergo Paulo prædictum fuerat, deſcenſurum Meſſiam in inferiores partes terræ, quas inferos appellamus, eundem aſcenſurum in cælum, & Spiritus ſancti dona hominibus erogaturum. Nunquam porro vaticinio hoc in ſuam ſententiam auſus fuiſſet Paulus abuti (quod valde notandum eſt), niſi in Meſſia eventum ejus communi Judæorum conſenſione expectari noviſſet. Quam luculenta eſt deſcenſus Meſſiæ ad inferos prædictio Oſeæ 13., *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua o mors, morſus tuus ero inferne!* Tam perſpicua Synagogæ ipſi viſa eſt, ut in ea Meſſiæ accommodanda nobis plane conſentiat, ſicut videre eſt in Bereſith Rabba, quo loco doctrina de Meſſiæ ad inferos deſcenſu, & captivorum liberatione noſtræ ſimillima continetur, neque minus aperte veritatem hanc prænuntiavit Zacharias c. 9. ver. 11. & 12. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua: convertimini ad munitionem vincti ſpei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.* Duo hæc commata ad Meſſiam referri, negare Hebræi non poſſunt; ſunt enim duobus prioribus una eademque ſerie connexa, quæ Meſſiam præmonſtrare fatentur.

II. Hæc ne vero & alia quæ mittimus, vaticinia fuerunt in Jeſu noſtro completa, ut inde quoque nobis argumentum exiſtat, quo Meſſiam illum fuiſſe probemus? Vere quidem atque perfecte, hancque facti veritatem momento hoc adverſus Incredulos demonſtramus. Quinquageſimo a reſurrectione Chriſti die in celeberrimo tot illarum nationum, quas Lucas Act. 2. recenſet, conventu, Petrus hæc dixiſſe legitur: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulcrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem; Propheta igitur cum eſſet & ſciret, quia jurejurando juraſſet illi Deus, de fructu ventris ejus ſedere ſuper ſedem ejus, providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem: hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus;* quibus verbis Petrus tria complexus eſt, & fidentiſſime tot Judæorum millibus prædicavit, pſalmo ſcilicet 15. prædictum a Davide, corpus Meſſiæ tumulo datum non diſſolvendum, Meſſiam deſcenſurum quidem ad inferos, ſed inde divinitus revocandum, vitæque reddendum, hæc demum omnia in Jeſu Domino exitum, ut prædicta fuerant, habuiſſe; vere ergo David aliique Prophetæ deſcenſum Meſſiæ ad inferos prænuntiarunt, vere prænuntiatio hæc exitum in Jeſu habuerat; alioqui ſi alio ſpectabant Davidis verba, quam quo Petrus illa flectebat, ſi non certo conſtabat, Jeſum ad inferos deſcendiſſe, atque inde poſt brevem moram redivivum egreſſum, non Petrum ſolum ſummæ impudentiæ damnemus, neceſſe eſt, qui a re maxime dubia & facillime refellenda fecerit ſuæ prædicationis initium, ſed & ſummæ ſtupiditatis maximam illam Judæorum multitudinem, quæ paſſa fuerit, adverſus pervulgatam traditionem Davidis verba a Petro perverti, & ad Jeſum nuper crucifixum ceu Meſſiam tam indigne torqueri: explorata porro res eſt, tria hominum millia Petri prædicatione permota Chriſto ſe adjunxiſſe, nec quemquam illorum Petrum mendacii, aut erroris poſtulaſſe: in ea ergo perſuaſione tunc Hebræi erant, prænotatum a Davide Meſſiæ deſcenſum

ad

ad inferos, nec ulla ſuberat dubitandi ratio, quin Petrus vera de Jeſu vulgaret, quum Deus ipſe homini Galilæo atque rudi, omnium linguarum, & mirabilis ſapientiæ dono teſtimonium perhiberet.

Refelluntur Increduli.

III. Joannes Clericus ſub Pherepoui larva latens non in Auguſtinum ſolum invehitur, quem abſque neceſſariis linguarum præſidiis Scripturarum interpretationem aggreſſum perperam pſalmi quintidecimi, & Petri Actorum ſecundo verba expoſuiſſe, contendit, ſed & in univerſam Eccleſiam, quæ Chriſti deſcenſum ad inferos perpetuo credidit, atque a pluribus ſæculis in Symbolo profitetur; facile tamen erit, Criticum licentiſſimum caſtigare, ejuſque iniquas in Auguſtinum & Eccleſiam calumnias obterere, ſi incerta adcurate ſecernamus a certis; ſi etiam unice in rem noſtram intenti, ea, quæ aliorum ſunt, non verſemus. De Apoſtolici itaque Symboli Auctore nihil ad nos, neque de eo, quod idem Clericus confidentiſſime ſtatuit, a Symbolo ſcilicet, quo Aphricana, Romana, aliæque Eccleſiæ utebantur ante Auguſtinum, abſuiſſe caput de Chriſti deſcenſu ad inferos, quod poſtea, ut ille ait, temere adjunctum fuit. Quum etiam inferorum nomine quædam ſubterranea loca ſignificentur, in quæ omnes hominum animi carne ſoluti olim pro meritorum varietate trudebantur, quorum in uno, ut idem Auguſtinus ait, quieverant Juſtorum Chriſti redemptionem præſtolantium animæ, in altero impiorum animæ torquentur, & perpetuo torquebuntur, an ad hanc quoque impiorum ſedem, & ad reliqua inferorum ergaſtula, quæ a pluribus Theologis diſtinguuntur, deſcenderit Chriſtus, quidve ibi, vel ſolius virtutis, vel etiam ſubſtantiæ præſentia operatus ſit, noſtrum non eſt definire, quum de capitibus his neque inter Eccleſiæ Patres, neque inter Theologos plene conveniat. Deſcendiſſe illum in ſuperiorem infernum, atque inde veterum Patrum, Juſtorumque jampridem vita functorum animas eduxiſſe, fidei caput eſt, quod pſalmi præſertim xv. & Petri eo utentis auctoritate tuemur; his enim potiſſimum Pſalmi verbis, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, in unum Jeſum a Petro collatis innititur Eccleſiæ fides, quæ Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, tradit, atque inde etiam ſurrexiſſe.

IV. Quid adverſus hæc Clericus? „ Quum in hebraico codice, ait ille, „ Davidis verba hæc ſint, *non relinques* „ *animam meam ſepulcro*, *nec patieris* „ *ſanctum tuum videre corruptionem*, li„ quet, hoc velle Pſaltem ſenſu tralati„ tio, Deum non paſſurum, ut occidere„ tur; nam relinquere ſepulcro, aut pa„ ti videre corruptionem, eſt ſinere, „ quempiam vulneratum, aut male affe„ ctum mori. Hæc tamen verba ſenſu „ proprio melius in Chriſtum quadrant, „ quem Deus paſſus non eſt in ſepulcro „ diu jacere neque corrumpi. “ Verum quis tantam hominis impudentiam moderate patiatur? Petrum nobis exhibet, & linguæ ſuæ imperitum, & ſuis Auditoribus imponentem, & Judæos omnes adeo bardos, ut ſibi paterentur illudi; Si enim laudata Pſalmi verba ad hebraicæ linguæ rigorem exacta eum habent ſenſum, quem Clericus iis affingit, ignorabat ergo Petrus nativi idiomatis poteſtatem, & credulitate audientium abutebatur, quibus verborum ſenſum omnino a veritate remotum inaudita fidentia propinabat, immo erat ille omnium ineptiſſimus, qui Chriſto mille vulneribus confecto, interempto, & ſepulcro mandato verba accommodat, non aliud, interprete Clerico, ſignificantia, quam Deum non permiſſurum, ut David vulneratus, aut male affectus occumberet. Si etiam ea erat verborum Pſalmi poteſtas, & germana ſignificatio, putas, inter tot illos Petrum audientes Judæos incredulos, & pervicaces neminem unum fuiſſe, qui hebraice ſciret, qui legitimum verborum Pſalmi intellectum aſſequeretur, ac proinde Petrum quaſi in rem ſuam divinis literis abutentem, & verba neque fortuito, neque conſulto congruentia in ſuam ſententiam contorquentem argueret, & irrideret? Ter mille tamen rei evidentia convictos manus veritati dediſſe ſcimus: qui Petro quidpiam ejuſmodi objecerit, nullus occurrit, quod argumento eſt, apud omnes Judæos tunc in confeſſo fuiſſe, laudatis verbis unice ſignificari, quempiam vere jam mortuum revocandum ad vitam, nec carnem ejus in tumulo ſolvendam in tabem.

V. Re-

V. Regerit Clericus : fac ea verba ad Chriſtum mortuum & ſepultum unice referenda : quid illa ad jactatum a Romanenſibus Chriſti deſcenſum ad inferos ? Quum hæbraica vox *Scebol*, quam latinus Interpres *infernum* reddidit, ſepulcrum perpetuo linguæ ſanctæ uſu ſignificet, unum hoc a Davide prædictum fas eſt, intelligere, Meſſiam mortuum non permittendum a Deo in ſepulcro tabeſcere, ſed revocandum ad vitam. Verum aberrat inſigniter Clericus, imponitque Lectoribus, temere ſcriptitans, dictionem *Scebol* perpetuo hebraicæ linguæ uſu ſepulcrum aut foveam deſignare, quaſi vero poſt homines natos unus ille ſit, qui præ omnibus hebraice norit. Sepulcrum ne ex. g. ea Jacob verba Gen. 36. ſignificant : *deſcendam ad filium meum lugens in Scebol*, quod vocabulum poſt Septuaginta Interpres noſter *infernum* latine vertit ? Quum certo ille crederet, filium ſuum diſcerptum a feris, qui ſperare poterat, ad filium ſepultum ſe deſcenſurum, atque cum filii oſſibus oſſa ſua eodem in tumulo compoſiturum, quum filii oſſa nullo excepta fuiſſe tumulo arbitraretur ? Non ſepulcrum ergo ea dictione notavit Jacob, ſed locum illum, quo hominum animi carne expediti abeunt, & quo Jacob non dubitabat, quin Joſeph filius ſuus jam conceſſiſſet . . . . . Sonet ergo frequenter in ſacris litteris vox *Scebol* tumulum, non repugnamus : numquam tamen inferna quoque ea loca ſignificare, quibus defunctorum animæ Chriſti adventum, & noviſſimum mundi judicium expectaturæ concludebantur, negamus conſtanter, quod & petita ex ſacris litteris exempla oppoſitum doceant, & Rabbinorum præcipui, nec non qui inter Novatores hebraici idiomatis peritia claruerunt, diſerte tradant, tam ſepulcrum, quam inferos ea voce ſignificari.

VI. Indefinitæ porro, & ambiguę vocis hujus, quęnam certa eſt, atque rata tum pſ. 15. tum Act. 2. ſignificatio ? Inferos, ſeu paratas excipiendis defunctorum ſpiritibus ſubterraneas ſedes unice ſignificare, non ſepulcrum aut foveam, plura demonſtrant, tum quod anima, quam Pſaltes ait, non derelictum iri a Deo in *Scebol*, tumulo non addicatur, neque eo claudatur, tum quod ſepulcrum jam Propheta innuiſſet cum præmiſit, *Caro meo requieſcet in ſpe*, illud item memorarit adjiciens, *nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. Aliis tamen miſſis decretorium veritatis hujus momentum nobis ſuppeditat Lucas verba Pſalmi græce a Septuaginta Interpretibus reddita ita exhibens : *quoniam non derelinques animam meam in Hadu*, vel ut apud eoſdem Septuaginta Interpretes eſt, *in Haden*. Quid ſibi græcum hoc vocabulum velit, quæ nativa ac perpetua apud Homerum & Gręcos quoſque ſit ejus ſignificatio, norunt omnes, qui gręce ſciunt, eo ſcilicet denotari infernas ſedes, quo Ethnici Judęis ac Chriſtianis in ea ſententia concordes mortuorum animos illabi putabant, quarum aliquę nimirum *Eliſii*, quietis loca piis erant, alię, *Orcus*, *Tartarus*, *Erebus* communiter dictę, pœnarum carcer iniquis. Quid ergo, ſi alibi hebraicum *ſcebol* ponitur pro *ſepulcro*? Eo pſalmi loco pro inferis illud Lucas uſurpat ; ibi ergo certo inferos ſonat, niſi velimus Scriptorem adverſariorum etiam judicio canonicum & divinum, aut ignorantię, aut malitię accuſare, qui vel genuinam neſcierit hebraicę & gręcæ vocis notionem, vel utramque perſpectam habens, quod Clerico Judice perpetuo Hebręorum uſu nonniſi *ſepulcrum* ſignificat, ea gręca voce reddiderit, quę rem a ſepulcro diverſam communi gręcorum judicio ſignificat, falſamque hebraicę illius vocis interpretationem obtrudens in cauſa fuerit, ut poſt illum Patres ac Interpretes omnes errarint.

VII. Urget Clericus : Quæ Lucæ injuria, ſi hominem gręcum non ſatis hebręam linguam calluiſſe dicamus, nec vocabuli *Scebol* vim adſecutum? Verum quid hęc ad pręcipuum, de quo agimus, caput ? Fac, ſcriptorem Actorum (quod tamen numquam Clerico dabimus) minus fuiſſe hebraice peritum : Quiſpiam ne illi græcæ linguæ ignorationem adſcribet ? Unum id nobis eſt, & cuicumque ęquo Judici ſatis erit, Lucam gręce fuiſſe doctum ; Quum enim diſerte ſcribat, Chriſti animam non fuiſſe relictam in *Hadu*, quæ verba omnibus græce peritis ſonant, Chriſti animam ſolutam e corpore migraſſe ad inferos, ibique diu non hęſiſſe, evidens eſt, ſenſiſſe illum, ac tradidiſſe, quod Eccleſia hactenus ſenſit, & tradidit, & veritatem hanc, quam ab Apoſtolis acceperat, gręco ſermone, cujus certe peritiſſimus erat, iis vocabulis expreſſiſſe, quę

deſcen-

deſcenſum Chriſti ad infero aperte, atque ex ſuo inſtituto græcis Lectoribus perſuadebant: Si ergo controverſiæ ſumma in hoc eſt poſita, crediderit ne Lucas, atque docuerit, animam Chriſti ad inferna loca migraſſe, ſi Lucas id certe credidit, atque docuit, quorſum Clericus e via meditato divertens aliam quæſtionem inicit, an hebraicas voces ille probe intellexerit, & ſcite reddiderit? Etſi hallucinatus ille fuiſſet (quod tamen abſit a Chriſtiano homine vel ſuſpicari) in verborum Pſalmi intellectu, potiſſimum tamen rei caput, de quo eſt quæſtio, quod ipſe ab Apoſtolis certo hauſerat, & alte animo impreſſerat, ante, & poſt recitatum Pſalmi teſtimonium, iis græcis dictionibus declaravit, quę deſcenſum Chriſti ad inferos certiſſime denotant; Petri enim verba Chriſti reſurrectionem Judæis annuntiantis ſic exhibet: *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus Hade, juxta quod impoſſibile erat, teneri illum ab eo .... neque derelictus eſt in Hade, nec caro ejus vidit corruptionem*.

VIII. Pergit Clericus plura diſputans *de doloribus* inferni, quos impie Chriſto Calvinus tribuit, de Inferorum loco, & de vocabulo *Nepeſc* ſive *anima*, Auguſtinum carpens, quod Inferni Act. 2. memorati nomine carcerem impiorum intelligat; eos denique Patres accuſans, qui Chriſtum impiis & Incredulis Evangelium apud inferos prædicaſſe, & peccata remiſiſſe, ſcripſerunt. Fruſtra tamen hęc vaniſſimus homo congeſſit; non enim de hujus, vel alterius doctoris ſenſu ſolliciti ſumus, ſed Patrum omnium conſenſionem, & conſtantem Eccleſiæ doctrinam unice confectamur ac propugnamus. Chriſtum ad inferos, ſeu ad inviſibiles animarum ſedes deſcendiſſe Patrum nemo negavit, immo veritatem hanc, quum de ea ſermo illis incidit, omnes ferme affirmarunt. An vero ipſum impiorum domicilium adierit, quidve illic egerit, de his inter eos non conſtitit, neque inter Theologos conſtat, quamvis ab Eccleſiæ exordio conveniat, conveniatque, Chriſti animam in *Haden* ſeu *in inferna*, quibus veterum Patrum, Juſtorumque ſpiritus detinebantur, penetraſſe. Nihil etiam ad hujus dogmatis ſubſtantiam faciunt diverſę interpretationes illæ, quas antiqui Patres adhibuerunt iis Petri verbis ep. 1. c. 3. *Chriſtus his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando in diebus Noe &c.* Qui enim deſcenſum Chriſti ad impiorum, quos baptiſmate tinxerit, & liberaverit, penetralia iis ſignificari, minus recte ſenſerunt, in adſtruendo fidei capite, quod expoſuimus, cæteris mirifice conſenſerunt.

IX. Argutantur poſtremo Deiſtæ. Quorſum Chriſtus ad inferna deſcendit? Si Chriſtianos audimus, jam omnes homines a culpa & a pœna liberaverat ille paſſionis ſuæ virtute. Quid neceſſe ergo fuit illum eo venire, quo ejus adventus nullius jam erat utilitatis? Argumento tamen ex doctrina noſtra conflato genuinam opponimus ejuſdem doctrinæ expoſitionem. „ Fuit quidem, ait D. Thomas, „ paſſio Chriſti univerſalis cauſa ſalutis „ humanæ tam vivorum, quam mortuo„ rum; verum ſicut univerſales cauſas ad „ ſingulares effectus per aliquid ſpeciale „ applicari neceſſe eſt, ita & paſſionem „ Chriſti, ut ſive in viventibus ſive in „ defunctis ſuum ſortiatur effectum. " Sicut ergo paſſionis Chriſti efficacitas viventibus applicatur per Sacramenta, quæ nos paſſioni Dominicæ configurant, ita deſcenſu Chriſti ad inferos juſtis defunctis applicata, eos pleniſſime liberavit non quidem a culpa ſive originali ſive actuali, neque ab actualium culparum pœna, quum fide Chriſti venturi jam fuiſſent ab his liberati dum viverent, ſed ab originalis peccati pœna, excluſione ſcilicet a vita gloriæ, quam primi Parentis culpa omnibus intercluſerat.

PROPOSITIO XVI.

Jeſus reſurrexit ſecundum Scripturas, quæ Meſſiæ reſurrectionem præcinebant.

I. ETſi unico illo, quod ex Pſalmo 15. jam recitavimus, Davidis teſtimonio uteremur, confecta res eſſet, veteris inſtrumenti Scripturas Meſſiæ reſurrectionem præcinuiſſe; uno enim hoc teſtimonio & Petrum in prima illa, quam ad Hebræos habuit, concione, & Paulus in altera, quam Lucas Act. 13. refert ab eo habitam in Synagoga Antiochiæ Piſidiæ, demonſtrarunt, repromiſſionem antiquis Patribus factam de Chriſto reſurrecturo fuiſſe adimpletam in Jeſu, ea certe Pſal. verba minime adhibituri, niſi communi opinione receptum, ac vulgo cre-

creditum ſciviſſent, ſpectare illa ad Meſſiam. His tamen alia addimus, quibus eadem hæc veritas magis perſpecta fiat. Pertinere Pſal. 21. ad Chriſtum vetus Synagoga tradit in Midraſch Tehillim, & in lib. Thalmudico *Sanhedrim*: in eo autem quis futuram Meſſiæ reſurrectionem nitide prænuntiatam non deprehendit, quum poſt deſcriptam ibi paſſionem, cædemque ſuam Meſſias continenter adiiciat, *narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te?* Quomodo hæc potuiſſet Meſſias implere, ſi neci traditus, non fuiſſet revocatus ad vitam? Quomodo etiam abſque Meſſiæ reſurrectione veritas conſtabit iis, quæ Jeſaias c. 53., Synagoga conſentiente, de illo habet? *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur, pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & ſaturabitur, in ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus Servus meus multos . . . . . diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam* &c. Verum quid plura? quum veritatem hanc in veteri Teſtamento perſpicuam confeſſi ſint Rabbinorum bene multi, vetuſtiſſimus in primis, ac celeberrimus R. Jehuda Haccadoſch in l. R. Abrahami hæc tradens: *Poſt triduum anima Meſſiæ ad corpus ſuum revertetur, & exibit ex lapide illo, in quo erit ſepultus*.

II. Reſurrexiſſe vero Dominum Jeſum, quibus momentis adverſus Incredulos ſtatuemus? Una Apoſtolorum teſtificatio, ut Chriſtianis omnibus hactenus, ita & nobis proræ inſtar & puppis erit, quam tenentes capitale hoc Religionis noſtræ myſterium evidentiſſime confirmabimus, & a quibuſcumque Incredulorum cavillationibus expediemus. Ut rei geſtæ fides adhibeatur, eam primo eſſe oportet, ut momenta quibus cordatus, & prudens ad ei aſſentiendum inducitur, multo validiora iis ſint, quæ videntur aſſenſum cohibere, ſecundo ut qui ei diſſentit, ſe ſe in abſurda intoleranda coniiciat, tertio ut argumenta, quibus illa fulcitur, demonſtrentur evidenter invicta, ea vero quibus impetitur, plane inepta, & futilia; hujus generis eſt reſurrectio Jeſu Domini; eſt ergo illa certa & vera, atque omnino maxime fide digna; nititur enim Apoſtolorum teſtimonio, qui illam non ex incerto rumore, ſed ſuis ipſi oculis exceperunt, ideoque credere quis, niſi temere, nequit, eos fuiſſe in illa narranda deceptos. Suſpicari ne vero poſſumus, voluiſſe illos ea narratione alios decipere? Aut inito inter ſe conſilio in fraudem hanc Apoſtoli conſpirarunt, aut ſinguli privato non communi conſilio eam texuerunt, atque ſcripto & verbo vulgarunt. Si ſecundum, qui fieri potuit, ut in mendacio ſtruendo fuerint tam exacte concordes, ut in ejus non ſubſtantia *ſolum*, ſed & adjunctis omnibus ſinguli ſibi mirifice concinuerint? Mendacii enim abſque condicto vulgati ea natura eſt, ut varium ferme ſit pro varietate mentientium, atque aliqua ſemper auctorum ejus diſſenſione prodatur.

III. Si primum, neceſſe ergo eſt, Apoſtolos omnes collatis inter ſe conſiliis conveniſſe ad mendacium probe cognitum conſtanter, & concordiſſime ſua teſtificatione firmandum. Cui autem in mentem veniat fieri id potuiſſe? Communis ne ſenſus patitur, ut credamus, quempiam pro re quam certo norit falſam eſſe, meditato velle graviſſima quæque perpeti, & mortem ipſam oppetere? Fac tamen, unum aliquem eſſe ita ab humanitate alienum, ut ſic animo affectus ſit: Id ne vero in plures antea prudentes, cautos, meticuloſos, certiſſime conſcios, excluſum iri ab æterna ſalute falſiloquos & ſeductores, repente cadet, ut pro adſerendo quopiam explorate falſò ſcientes, prudenteſque velint bonorum omnium, vitæ, atque animæ æternam jacturam facere? Quot autem fuerint oportet, ea vecordia capti, ut illos a perhibendo reſurrectioni Chriſti teſtimonio nullus ſuppliciorum, mortis, ac gehennæ timor abſtraxerit! Præter duodecim enim Apoſtolos, Diſcipulos, & Mulieres in Evangelio memoratas, hoc furore arreptos fuiſſe, neceſſe eſt pluſquam quingentos fratres illos, qui, ut ſcribit Paulus, Chriſtum redivivum ſe vidiſſe affirmabant: quam eſſent ii antea pavidi, quam caute ſibi conſulerent, quo rerum ſuarum ſtudio tenerentur, Evangelica hiſtoria ſatis probat, noviſſe vero illos, nullum perjuris & falſis teſtibus patere aditum ad ſalutem, ipſa eorum Religio dubitare non ſinit; potuiſſe ergo tot & tales homines non conſilium inire ſolum de falſa Chriſti reſurrectione jactanda, ſed falſitatem hanc inter cruciatus ſæviſſimos, inter ipſas violentæ mortis anguſtias, abjecta omni præſentium, futurorumque bonorum ſpe, obfirmato animo

Digitized by Google

immo confirmare, tam eſt credibile, quam homines illius ævi alterius plane a nobis naturæ fuiſſe.

IV. Dum Jeſu in vivis eſſet, perſuaſum certo Apoſtolis erat, illum vere Meſſiam eſſe, ineratque ſpes firma, impletum iri tot magnifica promiſſa illa, quibus ab eo affecti fuerant; quare Magiſtri amore capti eaque ſpe ducti, illum in Judæam pergere meditantem comitari ſtatuerunt impavide dicentes, *eamus & nos, ut moriamur cum illo*, ac in mortis ejus pervigilio omnes cum Petro fidenter adfirmarunt, paratos ſe eſſe, in carcerem una cum illo, atque in mortem ire. Numquid vero commune hoc eorum propoſitum inſtante periculo ratum, conſtanſque fuit? Unius ancillulæ vox omnium fidentiſſimum repente fregit, & ad Magiſtrum ejurandum adduxit, alii vero *omnes relicto eo fugerunt*; Non potuit ergo tam ſplendida eorum de Magiſtro opinio, tanta in eum benevolentia, tot tantorumque bonorum expectatio fidelitatem eorum uſque adeo confirmare, ut in ipſo diſcriminis metu poſiti firmitatem in ſententia retinerent. Putas, abjecta jam omni ſpe, extincta jam priſtina erga Magiſtrum reverentia & charitate, tantum in eorum animis invaluiſſe perfidiam, ut eos non futurorum metus ſolum, ſed & duriſſimum gravium quorumlibet experimentum, & certiſſima extremorum expectatio a falſa Chriſti reſurrectione vulganda, & ſeductori fama concilianda numquam dimovere potuerint? Si enim Chriſtum certo non ſurrexiſſe ſciebant, ſibi probe erant conſcii, ſe non Meſſiam, ſed Meſſiæ phantaſma ſectatos eſſe, atque ab Impoſtore omnium nequiſſimo turpiter ludificatos, nihil jam ſibi ſperandum, ſed merito timenda omnia, ſeque popularibus ſuis odio, ac ludibrio futuros; quare ſi quidpiam humanitatis reliquum in eis erat, abſtrahere ſe ab hominum conſpectu debuerant, atque ignominiæ ſuæ latebras quæritare. Ita ne vero Apoſtoli? Reſurrectionem Chriſti in frequentiſſimo cujuſque generis hominum cœtu prædicant, atque in vincula dati, contumeliis adfecti, flagellis cæſi, gladio ipſo jam eis in jugulo hærente, a ferendo hoc teſtimonio non abſiſtunt. Quid jam per Deum, hominumque fidem verum erit, ſi verum non eſt hoc Chriſtianæ fidei caput a teſtibus ejuſmodi confirmatum?

V. Quod ſi omnia hæc fidem ab Incredulis obtinere non poſſunt, neque Chriſti Diſcipulos a fraudis ſuſpicione liberare, videant ii quæſo & quot non ſorbere ſolum, ſed & concoquere abſurda cogantur; Si enim falſa prædicarunt Apoſtoli, jam verum erit, & exploratum, duodecim piſcatores ineptos & rudes, contemptos, odio habitos, & ubique vexatos, nulla ad ſuadendum eloquentia, nullis ad convincendum argumentis inſtructos, non alio humano præſidio, quam inſana temeritate fretos, non alio momento nixos, quam fraude omnium peſſima, juratos doctrinæ ſuæ hoſtes, eoſque doctiſſimos & ſagaciſſimos expugnaſſe. Jam erit extra litem, abiectos hos homines, pervulgata ubique terrarum doctrina ridicula & male contexta, quæ cum omnium gentium religione pugnabat, quam cujuſque ſectæ Philoſophi averſabantur, quæ erat non ſimplicibus ſolum, ſed & ſapientiſſimis ipſis impervia, quæ denique cum univerſalibus, & vetuſtiſſimis præjudiciis nulla ratione poterat conciliari, avitas omnes Religiones evertiſſe, humanam ſapientiam ſubegiſſe, de anteceptis omnibus, etſi antiquiſſimis opinionibus, de toto humani ſpiritus reniſu triumphaſſe, neque aliter eos hæc peregiſſe, quam nude & ſimpliciter rem exponentes, qua nihil eſt ſpecie tenus magis fabuloſum, nihil magis certitudine deſtitutum.

VI. Nonne itidem jam ratum erit & certum, ab hominum humillimis, atque deſpicatiſſimis effectum, quod nemo ut ut potens, ſapiens, & fama apud homines florens, implere poteſt, immo nec tentare quidem auderet, ut nimirum innumeri cujuſque generis homines in firmam rei geſtæ perſuaſionem, reluctante licet, & oppoſitum ſuadente evidentia, coiverint, ut dies ubique gentium fixa fuerit, cujus univerſim recepta ſolemnitate rei geſtæ omnium maxime incredibilis memoria perpetuo recoleretur, ut denique toto ſeptemdecim ſeculorum ſpatio nemo unus ænigma illud evolvere, hocque iniquitatis myſterium, & ſeductionis prodigium ab Apoſtolis invectum aliqua veri vel tantillum ſimili ratione enodare potuerit? Quid etiam eo evidentius, quod ex Deiſtarum hypotheſi neceſſario conſequitur, Deum ſcilicet, aperte faviſſe mendacio, atque inevitabiles humanæ rationi laqueos inſtruxiſſe, quum ipſe fictæ Impoſtoris reſurrectioni ſpeciale totumque ſuum teſtimonium perhibuerit,

tot iis inſignibus, quæ apud Ethnicos, Thalmudiſtas, & Turcas in confeſſo ſunt, miraculis, quibus & Chriſtus ſe certo reſurrecturum eſſe probavit, & Apoſtoli reſurrectionem ejus confirmarunt? Quum incredulitas huc neceſſario redigatur, quis cordatus & recti amans non malit reſurrectioni Chriſti fidem adjungere, quam ad hæc abſurda concoquenda compelli, quibus & vera Dei idea, & communis hominum ſenſus omnino pelſumdatur? Numquid porro ea Incredulis momenta ſuppetunt, quę Apoſtolorum teſtificationem vel elevent, vel infringant? Quæcumque ab eis hactenus excogitata ſunt, frivola eſſe & vaniſſima demonſtrare aggredimur, ea tamen præterituri, quæ ex antilogiis petunt, quibus reſurrectionis Chriſti hiſtoria ab Evangeliſtis adornata ſcatere videtur, quod a ſpectatiſſimo divini eloquii Interprete ea jam plene diluta eſſe, ſciamus, neque in tot iis apud Ethnicos jactatis mortuorum ſuſcitationibus hæſuri, quod prudentiæ non ſit, in commentitiis rebus & ipſo graviorum inter Ethnicos, Plutarchi præſertim, judicio falſis, refellendis tempus inſumere.

VII. Opponunt Increduli. A Chriſti ęvo ad hoc noſtrum Synagoga conſtanter credidit, Chriſti corpus furtim a Diſcipulis ejus fuiſſe ſublatum e tumulo, & falſum poſtea reſurrectionis ejus rumorem effuſum in vulgus: conficta ergo illa eſt & chimærica. Itane vero ratiocinantur homines, omnium, ſi ſuperis placet, acutiſſimi, & prudentiſſimi? Quum Apoſtolos, eorumque Diſcipulos in nomine Jeſu Chriſti Nazaræni, quem Deus ſuſcitavit a mortuis, plurima, eaque clariſſima edidiſſe miracula, veritas facti ſit in Ethnicorum libris, in Thalmude, & Alcorano teſtata, uno hoc divinæ veritatis & potentiæ argumento nonne lis iſta dirimitur, nonne aperte conficitur, non Apoſtolos fallaces fuiſſe & ſeductores, ſed Hebræos mendaces eſſe, atque calumniatores, qui tantum eis crimen obiiciunt? Ecquod habet Synagoga hujus calumniæ fundamentum? Famam a Majoribus ſuis acceptam, milites cuſtodiendo ſepulcro appoſitos nuntiaſſe, Diſcipulos Jeſu, quum ipſi dormirent, veniſſe, & corpus ejus ſuffuratos eſſe. *Quid eſt, quod dixiſti*, ajebat feſtive Auguſtinus, *o infelix aſtutia? Dormientes teſtes adhibes. Vere tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando talia defeciſti.* Quomodo enim ſcire potuerunt ac teſtari Cuſtodes, quod ipſis inſciis, & incautis peractum eſt? Quis etiam credat, ut poſt Chryſoſtomum animadvertit Huetius, potuiſſe Diſcipulos non ad Chriſti monumentum ſolum accedere, ſed & ſigilla, quibus obſignatum erat, infringere, ingentemque ſepulcri oſtio appoſitum lapidem amovere, quin excitati milites prope cubantes rem deprehenderint, proque impoſito ſibi munere impedire conati ſint? Sed ut abutuntur ii ratione, qui talia jactant, abuteremur & nos tempore, ſi commentum in cujuſque oculos inſiliens fuſius refutaremus.

VIII. Neque melioris eſt commatis, quod alii addunt, Apoſtolorum dolum paulo poſt fuiſſe retectum, dum ſublatum ab eis Chriſti corpus, & in locis proximis abditum a Synagogæ Miniſtris ſubinde repertum fuerit; quum enim Chriſti prædictio de futuro ſuo ad vitam reditu, Judæorum ad præcavendas fraudes excitaverit diligentiam, quare & tumulum obſignarunt, & cuſtodes appoſuerunt, nonne eorum maxime intererat, fraudem ſibi ab Apoſtolis factam, & noviſſimum errorem, quem pejorem priore futurum eſſe, tantopere metuebant, palam retegere, & omnibus teſtatum facere? Id autem quam erat facile & expeditum! Uno Chriſti corpore omnibus ſpectando propoſito omnis de eo redivivo opinio confeſtim evanuiſſet, æternumque ſilentium doli hujus auctoribus fuiſſet impoſitum. Id ne vero a Synagogæ Proceribus factum? Ut etiam illud obiter perſtringamus, quod alii commenti ſunt, Apoſtolos nempe actis ad ſepulcrum cuniculis, ſuffoſaque humo Chriſti corpus ſubtraxiſſe, atque ea arte vigilias feſelliſſe, quin neceſſe ſit, ea perſequi, quæ adverſus Salmaſium Huetius diſputat, de ſepulcri Dominici ſtructura, deque natura adjacentis ſoli, quod niſi immenſo opere & tempore cuniculos duci non patiebatur, nonne in promptu fuiſſet Principibus Sacerdotum & Scribis, recentes hos cuniculos omnibus indigitare, & certis furti indiciis Apoſtolos invicte revincere? Potuiſſe illos vel ex hibito Chriſti cadavere, vel ductis ad tumulum ejus cuniculis patefactis omnem de reſurrectione ejus rumorem nullo negotio diſpellere, explorata res eſt. Debuiſſe illos ita ſe gerere, religionis, honoris & famæ zelus, quo tenebantur, certo perſuadet. Nihil ejuſmodi vel præſtitiſſe illos, vel auſos eſſe, tam certum eſt, quam

eſt

Digitized by Google

eſt inconcuſſum, prædictam ab Apoſtolis reſurrectionem Chriſti nullo unquam idoneo argumento fuiſſe rejectam, ejuſque firmiſſimam perſuaſionem non in Judæa ſolum, ſed ubique terrarum innumerabilium cujuſque ætatis, ſectæ & gradus hominum animos occupaſſe. Quid inde? Ex his apertiſſime conſtat hæc, quæ a recentioribus Hebræis excogitata Deiſtæ jactitant, ſomnia eſſe ex eburnea porta.

IX. Regerunt: Ipſa rei natura, quam teſtati ſunt Apoſtoli, evidentioribus ideis contraria eſt, atque contradictionem redundat, non poteſt ergo eorumdem teſtimonio, ut ut fontium ac ſincerum eſſe fingatur, firmari, atque fidem a prudentibus extorquere. Quid enim abſurdius quam hominem fingere, qui ſe ipſum ad vitam revocet? Quum mors ſit vitæ privatio, qui mortuus eſt, nihil in ſe vitæ habet; quomodo ergo poteſt ſibi vitam reddere, qua omnino caret? Sicut ergo rationem everteret, qui cogitaret, poſſe nihilum eſſe, quod eſt, & tenebras lucis cauſam effectricem eſſe, ita a ratione alienum eſt, commentari, poſſe quempiam e ſepulcri tenebris ſe ipſum ad lucem vitæ transferre, atque e nihilo vitæ ad vitam ſe revocare. Aerem tamen Deiſtæ verberant hoc argumento; quid enim ſi a ratione abhorret, concipere animo, purum hominem poſſe virtute ſua vitam ſibi reddere jam amiſſam? Quiſpiam ne Chriſtianorum uſque eo deſipuit, ut Chriſti reſurrectionem humana virtute peractam eſſe, & vel ejus animam naturaliter corpus iterum vivificaſſe, vel corpus ejus cum anima ſocietatem congenita ſibi vi iterato iniviſſe, commentus ſit? Nonne prodigium hoc uni Deitati omnes adſcribimus? Ad ſolam vero divinæ potentiæ virtutem id referentes quidpiam nec peccamus adverſus naturæ lumen, & manifeſtiſſimas ideas? Qui, Deiſtis ipſis fatentibus, omnia eduxit e nihilo, qui primus eſt totius vitæ fons, qui hominem condidit, & certos ei vitæ limites fixit, an non eos poteſt pro libito contrahere, aut protendere, hominem in nihilum vitæ mortiſque tenebras lapſum nova vita, eaque numquam defitura donare? Deus ſane non eſſet, ſi id non poſſet; nullam ergo rationi & clariſſimis ideis injuriam irrogamus, ſi id in Chriſto ſuſcitando præſtitiſſe Deum aſſerimus, quod præſtari ab eo poſſe, negare Incredulit nequeunt, niſi veram Dei ideam tollant.

X. Inſtant: Quum publica fuerit Chriſti mors, ejus tamen reſurrectio occulta fuit, quique, univerſo populo ſpectante, ſpiritum in cruce tradidit, nonniſi paucis ſeſe redivivum dicitur exhibuiſſe; merito ergo hæc ejus reſurrectio in ſuſpicionem falſi vocatur; nonne enim optimum, ſapientiſſimum, atque hominum amantiſſimum Deum iis uti mediis, æquum eſt, quæ directe magis, magiſque efficaciter nominis ſui gloriam, & hominum promoveant utilitatem? Si Chriſtus vitæ redditus erupiſſet e tumulo, coram multitudine illa, quæ illum paulo ante poſtularat ad crucem, coram iis ipſis Judicibus, qui mortis in eum ſententiam tulerant, atque tot iis, qui illum reſurrectionem ſuam prænuntiantem audierant, ſe vere ſuſcitatum obtuliſſet, nonne optime & certiſſime tunc fuiſſet & divinæ gloriæ, & hominum ſaluti conſultum? Nonne omnis repugnandi & cavillandi anſa Ethnicis & Judæis adempta? Nonne omnes evidentia rei perculſi veritati & Religioni Chriſtianæ ſtatim dediſſent manus? Chriſtus tamen clam prodit e tumulo, nec niſi affectis ſuis iiſque paucis, atque ignobilibus ſe manifeſtat: aut ergo eſt, cur Dei ſapientiam, & erga homines charitatem culpemus, aut certe non eſt, cur vituperentur ii, qui Apoſtolorum teſtificationem ſuſpectam habent.

XI. Quum argumento hoc a Deiſtis ſæpe jactato Chriſtianorum nonnulli, quorum eſt infirma fides, permoveantur, enitendum eſt, ut illud ſic diſſolvamus, ut inanis Deiſtarum gloriatio comprimatur, & Chriſtianorum imbecillitas confirmetur. Primo, quoniam hæc Deiſtarum objectio e libris noſtris petita eſt, ex iiſdem libris reſponſum haurimus, quod reſpuere Increduli nequeunt, ſi velint ratione uti. Fidenter itaque aſſerimus, non plus momenti & efficacitatis habituram fuiſſe ad flectendos Judæorum animos reſurrectionem Jeſu publicam, quam habeat illa, etſi occulta, & ſola Diſcipulorum ejus teſtificatione firmata ad commovendas mentes in veritatem intentas. Quum enim Diſcipulorum Chriſti candor, & probitas ne ab inimiciſſimis quidem vocentur in dubium, atque una eis objecta fuerit imperitia, quæ nata non eſt, ut Grotius advertit, mendacium parere, plures hi teſtes, hoſtium etiam judicio probi, nec unquam falſi revicti idonei plane ſunt ad ve-

veritatem hanc ſuis oculis viſam, ſuiſque manibus probatam, hominibus veri rectique amantibus perſuadendam: Hominibus vero captioſis, & adverſus evidentiſſima quæque veritatis argumenta obſirmato animo ſtantibus, quid publica Chriſti reſurrectio contuliſſet? Alii illum vere mortuum fuiſſe negaſſent, alii reſurrectionem ejus ſenſuum ludibrio deputaſſent, alii abſurda alia potius excogitaſſent, quam veritati ceſſiſſent. Quidpiam ne præter fas Judæis affingimus, quod non perpetua eorum agendi ratione luculentiſſime comprobetur? Præter innumera, quæ Jeſu noſtri Hiſtoria ſuppeditat, argumenta perfidiæ, qua veritatem probe cognitam oppugnarunt, nonne publica facta eſt Spiritus ſancti in Chriſti ſectatores effuſio? Nonne audientibus innumeris ex omni natione Judæis, expeditiſſime omnium gentium linguis utentes Apoſtoli reſurrectionem Chriſti vulgarunt? Quid porro? *Stupebant omnes, & mirabantur, dicentes, quidnam vult hoc eſſe? alii autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti;* & licet ter mille tunc Chriſto dederint nomen, pleriſque tamen apertiſſima illa veritatis manifeſtatio nihil contulit ad ſalutem. Non eſt ergo, cur Deiſtæ cauſentur, Chriſti reſurrectionem occultam; qui enim miraculis manifeſtiſſimis, quibus veritatem ejus Apoſtoli confirmabant, permoti non ſunt, nec illi fidem adhibuiſſent, etſi fuiſſet in omnium oculis facta.

XII. Secundo Deiſtas eodem illo reſponſo refellimus, quo ii ſolide refutant Atheos ſic argutantes: Si vere Deus eſſet, ea ederet exiſtentiæ ſuæ perſpicua, & communia argumenta, ut negari illa non poſſet, tamque certo quiſque Deum eſſe cognoſceret, quam noſcit quiſque ſe eſſe. Si vere exiſtit, & ſibi & nobis hanc exiſtentiæ ſuæ certitudinem deberet ac evidentiam; Ea enim adſtructa, melior rerum facies atque ordo appareret, rarius peccarent homines, purius ac communius virtutem colerent, feliciores eſſent, magiſque in religione concordes, majorique iccirco Deus ipſe ab hominibus honore exciperetur. Quid ad hæc Deiſtæ? Recte ii quidem reponunt, ea ſuppetere divinæ exiſtentiæ argumenta, quæ hominibus rationi auſcultantibus ſatis ſuperque ſunt, hominum non eſſe, curioſius inveſtigare, cur plura, & clariora non ſuppetant, ſed iis, quæ præſto ſunt, acquieſcere & recte uti, a ratione abhorrere, viam inire nolle, quæ ad terminum recta ducit, quod planiores aliæ non appareant, atque oculos luci conſulto claudere, quod poſſit illa ſplendidior eſſe. Qui ad tute dirigendos greſſus in tenebris facis lumen in promptu habet, eam ne prudenter extingueret, periculo ſe committens, unice quod ſol non eluceat? Athei ergo, qui ſe putant, eodem loco poſitos, ac qui nocte concubia graditur, inique petunt, ut ſuprema cauſa evidentioribus ſe argumentis oſtendat, quum eorum interſit, tot illa expendere, quæ undequaque in oculos eorum incurrunt, quæque veritati huic certo perſuadendæ abſque ullo erroris periculo plene ſufficiunt.

XIII. Ad rem itaque, quodque Deiſtæ in Atheos, nos in Deiſtas intorqueamus. Eam jam demonſtravimus reſurrectionis Chriſti argumenta eſſe, ut cordatus quilibet eorum evidentia convincatur, quin neceſſe ſit plura, atque locupletiora nobis divinitus exhiberi. Inexcuſabiles ergo ſunt, qui rem teſtatiſſimam præfracte negant, quod potuerit illa majorem ſui evidentiam præferre: inique Dei providentiam culpant, quod non fecerit ille, quod ipſi vellent, dum ipſi nullam ejus, quod ille fecit, rationem habent, adverſus omnes rationis & prudentiæ leges ei quod eſt, quod præpoſtere ipſi vellent, opponunt, remque geſtam perpetuo creditam, & momentis invictis fultam ſolis chimæris oppugnant. Neque audiendi ſunt, dum ajunt, fore ut reſurrectioni Chriſti fidem adjungerent, ſi ille ſe redivivum Judæis omnibus manifeſtaſſet; ſuis enim principiis mentiri illos, & verba ſimplicibus dare, apertiſſime demonſtramus. Cur reſurrectioni Chriſti fidem abrogant? Quod publica illa non fuerit, nec ſatis authentica. Ita ergo affecti animo ſunt, ut publica quæque & maxime authentica credant. Quare ergo tot iis Chriſti miraculis in Judæorum omnium oculis editis, tot iis quoque prodigiis, quæ Apoſtoli, eorumque diſcipuli non in Judæa ſolum, ſed ubique terrarum, non clam, ſed publice, cunctis ſpectantibus atque ſtupentibus, non a domeſticis ſolum, ſed & ab Ethnicis Scriptoribus patraſſe, traduntur, fidem abjudicant? Quoniam itaque alia Chriſti & Diſcipulorum

ejus miracula, etſi celeberrima & teſtatiſſima Deiſtæ negant, aut in dubium vocant; jure contendimus, nec reſurrectioni Chriſti illos fidem adhibituros, etiamſi omnes illius ævi homines teſtatum nobis reliquiſſent, viſum a ſe Chriſtum redivivum e tumulo.

XIV. Urgent: Quum potuerit Chriſti reſurrectio æque publica eſſe, ac ejus mors, quare non palam reſurrexit ille, ut omnes homines tam exploratam haberent ejus reſurrectionem, quam ejus interitum? Regerimus, nos id neſcire, venerari nos tamen Dei conſilia, etſi illa nos lateant; neque ridere reſponſum hoc Deiſtæ poſſunt, quod e principio ducitur, quod ipſis, nobiſque commune eſt; Cauſam etenim primam infinite ſapientem operari ſemper, quod ſapientius eſt, ipſi concedunt: Suprema hæc ſapientiſſima cauſa reſurrectionem Chriſti publicam æque eſſe noluit, ac ejus mortem: conſtat ergo, decuiſſe magis, ut illa occulta eſſet. At ſi fuiſſet illa patentiſſima, ajunt, non tot paſſa fuiſſet contradicentes & adverſarios. Eſto: Verum *quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Quum ſapientiſſima cauſa reſurrectionem hanc occultam eſſe voluerit, etſi probe noſſet, quot Increduli oppugnaturi illam eſſent, nec culpari Deus poteſt, neque ulla ſupereſt Incredulis excuſatio; Quum ſit etenim ille Sapientiſſimus, ſapientiſſime ſemper agit, nec vere Deus eſſet, ſi omnia ſapientiæ ejus conſilia hominibus comperta eſſent, atque humana ratione poſſent dijudicari; quare futuram hanc tot hominum incredulitatem non ab eo prædefinitam quidem, ſed ſapientiſſime permiſſam fuiſſe intelligimus, ut major divini operis ſui, Chriſtianæ ſcilicet Religionis, perfectio atque firmitas in ipſa contradicentium multitudine eluceſceret. A perfidiæ vero labe jam purgari non poſſe innumeros illos Adverſarios reſurrectionis Chriſti, quam Deus, etſi non omnibus, quæ curioſorum hominum temeritas expetit, idoneis tamen, quæque infinitæ ſapientiæ ſuæ viſa ſunt opportuna, argumentis conſtabilivit, intelligere Deiſtæ poſſunt, tum ex divinæ ſapientiæ notione, tum ex iis, quæ ipſi adverſus Atheos ſcite adhibent.

XV. Inſiſtunt: Si vere ſurrexit Chriſtus, qui factum eſt, ut ejus ævi Scriptorum nemo reſurrectionem hanc literis conſignarit? Prodigium ejuſmodi, eximium adeo & inauditum debuit præ cæteris poſterorum memoriæ a coævis Hiſtoricis commendari, & omnibus omnium gentium annalibus inſeri. Quem tamen reperire eſt, qui vel levem ejus mentionem injiciat? Si Evangeliſtas excipias, Hiſtoricos domeſticos, & ſtudio partium addictos, cæteri muti ſunt; quod argumento eſt, viſam iis eſſe rem hanc fide prorſus indignam. Cæterum qui ita arguunt, ii ne videntur, tritiſſimas ipſas Criticæ leges noſſe? Recte ne argumentis affirmantibus ſeu poſitivis ſola inficialia opponuntur? Quum de re hiſtorica quæſtio eſt, nonne monumentorum, quæ extant, non vero eorum, quæ nuſquam fuerunt, auctoritate ſolet apud homines tranſigi diſputatio? Quum reſurrectionis Chriſti fides Evangelio nitatur, Deiſtarum intereſt, ſi velint auctoritatem ejus infringere, aut illud falſi revincere, aut demonſtrare, perperam illud a nobis intelligi, & falſas ex eo conſecutiones educi. Id ne vero præſtare hactenus potuit quiſpiam Incredulorum? Unum eſt, quod perpetuo opponunt, Scriptores ejus fuiſſe domeſticos & Chriſti aſſeclas, ideoque jure ſuſpectos; ut tamen hæc eorum illatio legitima & recta ſit, iis demonſtrandum incumbit, Chriſti Diſcipulos partium ſtudio, atque Magiſtri famæ veritatem poſthabuiſſe, aut deceptos illos fuiſſe, aut deceptores; quum autem abfuiſſe illos a vitiis his quam longiſſime, omneſque ſinceri & veracis hiſtorici notas prætuliſſe, ſolide probatum ſit, ſunt plane a recta Critica imparati, immo a ratione ipſa deſerti Deiſtæ, qui conſtanti Diſcipulorum Chriſti teſtimonio ſilentium coævorum objiciunt.

XVI. Quamquam non eſt, cur Deiſtæ multitudinem expetant teſtium ejuſdem ævi, qui in prædicanda Chriſti reſurrectione Apoſtolis concinuerint; quum enim ſpondeant, ſe aſſenſuros, ſi viginti laudemus prophanos Auctores, qui idem, ac Apoſtoli, diſerte teſtati ſunt, innumeros nos proferimus Judæos, ac Ethnicos, quos prodigii hujus certitudo ad Chriſti fidem adduxit, quique veritatem hanc ſanguine ipſo ſuo obſignarunt. Quidpiam ne teſtimonio hoc locupletius ac validius optari poteſt? Si Scriptores ſynchronos proferremus, cauſarentur, ut illis in more eſt, Increduli, textus eorum non ſatis

eſſe

eſſe perſpicuos, vel imprudentem Auctorem, imperitos alios, aut nimis credulos exſcripſiſſe, vel Chriſtianorum fraude teſtimonium ad rem noſtram faciens veterum Scriptorum codicibus fuiſſe aſſutum. Ulla ne vero exceptio innumerabilium cujuſque conditionis hominum mortem pro firmanda veritate hac oppetentium teſtificationem poteſt excludere? Quid ergo abſurdum magis, magiſque æquitati ac rationi contrarium, quam veritatem rejicere ſanguinis flumine conſignatam, quod non ſit illa atramento deſcripta, atque ſplendidiſſimam immenſi Martyrum populi teſtificationem Hiſtorici prophani ſilentio poſtponere? Sed preſſius Incredulos urgeamus. Hiſtoricos exigunt Chriſtianis partibus non addictos, qui reſurrectionem Chriſti teſtentur: Volumus cum eis liberaliter agere, brevique hoc eos premimus argumento. Quum explorata res ſit, priſcos Martyres non alia de cauſa fuiſſe neci traditos, quam quod in aſſerenda Chriſti Deitate veræ ejus reſurrectioni ſuperſtructa perſiſterent, eandem hanc reſurrectionem expreſſe teſtantur, quotquot immotam referunt Martyrum pro aſtruenda ejus certitudine morti ſe devoventium firmitatem; ſed prohani Hiſtorici, Philoſophi, Oratores, ac Poetæ frequenter & nitide memorant, Chriſtianos pro aſtruenda Magiſtri & Auctoris ſui reſurrectione ſupplicia atque mortem incredibili conſtantia perpeſſos; Ethnicis ergo Scriptoribus hoc prodigium innotuit, fuitque eis de illo ſermo. Quid Hebræos addere neceſſe eſt? Mittimus centum Rabbinorum hoc idem tradentium teſtimonia, quæ fideliter Galatinus exſcripſit, in celeberrimo uno vindicando operam poſituri.

PROPOSITIO XVII.

Notiſſimum Flavii Joſephi de Chriſto teſtimonium genuinum eſt, & ſincerum.

I. HOc Doctorum contentionibus celebre Joſephi teſtimonium lib. 18. Antiquitatum c. 4. extat, quod ex codicibus Regiis a Viris eruditiſſimis emendatum exhibemus: „ Fuit autem hoc „ tempore Jeſus, Vir ſapiens, ſi tamen „ Virum illum oportet dicere, erat enim „ mirabilium effector, Magiſter hominum, qui vera libenter amplectuntur; „ & plurimos quidem ex Judæis, plurimos ex Gentibus ad ſe pertraxit: Hic „ erat Chriſtus; quumque eum a primoribus Gentis ſuæ accuſatum Pilatus „ ad crucem damnatus, ab eo diligendo „ non abſtinuerunt, qui primum cæperant; nam poſt tertium diem redivivus ipſis apparuit, quum divini Vates „ hæc, aliaque quamplurima admiranda „ de eo prædixiſſent, neque ad hanc „ diem defecit denominatum ab eo Chriſtianorum genus. “ Mirum, quam variam ad hunc diem fortunam teſtimonium iſtud expertum fuerit. Illud hactenus Synagoga contempſit, & præfracte rejecit, Chriſtiana vero ſocietas ad ſæculum ſextumdecimum uſque ceu legitimum Joſephi fœtum amplexa eſt, magnoque in pretio habuit. Memorato ſæculo jam adulto Hubertus Giſanius Juriſconſultus, & Lucas Oſiander e Lutheri ſchola theologus, omnium primi conſtantem hanc, & perpetuam Chriſtianorum perſuaſionem evertere aggreſſi ſunt, datoque veluti pugnæ ſigno Eruditos omnes adverſus teſtimonium hoc incitarunt. Vix efferri verbis poteſt, quam atrox ſubinde exarſerit inter doctos de illo contentio, quot Criticorum lucubrationibus fuerit illud aut exagitatum, aut vindicatum. Poſt multum temporis abs me poſitum in perlegendis iis, quæ de argumento hoc utrinque diſputata ſunt, quæque in ſecundo noviſſimæ Operum Joſephi editionis volumine ſunt collecta, deprehendi, ejus Vindices iiſdem momentis omnes illud conſtabilire, ejus vero Adverſarios iiſdem omnino argumentis illud impetere, atque arma, quibus vel tegunt vel provocant, poſteriores a prioribus mutuari; quare quum nihil novi proferri jam poſſit, curandum eſt, ut ſuſius ab aliis dicta contrahamus, & preſſius urgeamus.

II. Priuſquam momenta promamus, quibus adducimur, ut pro Flaviano teſtimonio pugnemus, breviter adnotamus, non tantum inter Joſephi obitum & Euſebii, qui omnium primus hoc Joſephi teſtimonium & in ſua demonſtratione Evangelica, & in Eccleſiaſtica hiſtoria laudavit, ætatem, interceſſiſſe temporis intervallum, quantum ab Adverſariis exaggeratur; ineunte enim ſæculo ſecundo Joſephus defunctus eſt, tertio vero labente

flo-

florere cœpit Euſebius. Genuinum ſubinde illud habuerunt Hieronymus, Sophronius, Rufinus, Sozomenus, Caſſiodorus, Iſidorus Peluſiota, Cedrenus, Nicephorus, Calixtus, Suidas, aliique, quo prænotato hoc inſtruimus argumentum. Quotquot a memoratis Auctoribus Archæologiæ Joſephi codices lecti ſunt, omnes hoc teſtimonium exhibebant, immo manuſcriptorum aut typis editorum, cujuſcunque notæ & vetuſtatis ii ſint, ne unum quidem reperire eſt, in quo illud deſideretur; ſi qua ergo codicum omnium conſenſioni fides, ſi qua veterum Scriptorum idem uno ore teſtantium auctoritas eſt, non poteſt hoc teſtimonium ceu illegitimum rejici abſque rationis injuria, quum non alia ſit, nec concipi poſſit, tutior, magiſque ab errore remota regula, qua ortæ de textuum ſinceritate, & rebus hiſtoricis quæſtiones dijudicari communiter ſolent & tranſigi, quam codicum omnium conſenſio, veterumque Scriptorum omnium teſtificatio. Sane, quemadmodum ſcite ajebat Socinus (utinam ſibi ille perpetuo conſtitiſſet) ſi in dubium vocare liceat textus veritatem, quam omnes manu exarati codices, omniaque exemplaria conſtanter exhibent, nullus jam erit, qui negari recte non poſſit, aut in dubitationem adduci, immo, ſi liceat hunc Joſephi textum ſuppoſitionis arguere; nec ſacri ipſi utriuſque fœderis libri a ſuſpicione ejuſmodi intacti erunt, nec ullus jam textus erit, utut gravis, atque, ut ajunt, fundamentale, quem ceu dubiæ fidei, aut certe intruſum quiſque pro libito repudiare non poſſit.

III. In iiſdem Antiquitatum libris Joannis Baptiſtæ, & Jacobi *fratris Jeſu, qui dicitur* Chriſtus, Joſephum cum laude meminiſſe, dant Adverſarii, negant itaque inique in eo, quem excutimus, loco, honorificam illam Jeſu Domini injectam ab eodem fuiſſe mentionem; Teſtimonium enim a Joſepho Chriſto perhibitum eadem fretum eſt codicum omnium auctoritate, qua Joannis Baptiſtæ, & Jacobi minoris elogia a Joſepho contexta: iiſdem ergo momentis fulta aut æqualiter ablegandæ, aut æqualiter excipienda. Rurſus quum Joſephus Baptiſtæ & Jacobi fratris Jeſu meminerit, quæ illi cauſa ſubeſſe potuit, ut nullam Chriſti mentionem injiceret? An non erat illa recentiſſima, & pervulgata adeo, ut Joſephus quadriennio poſt Chriſti obitum natus illam ignorare nequiverit? Si præteritum a Joſepho Chriſtum dixeris, quod communi popularium ſuorum vitio laborans Chriſtum averſaretur, eadem de cauſa prætermittendi ab eo fuerant Joannes & Jacobus, quorum priorem tam magnificum Chriſto teſtimonium præbuiſſe, alterum fuiſſe ejuſdem fidiſſimum aſſeclam, Joſephus non poterat non exploratum habere; quum ergo & eadem codicum omnium auctoritas poſterius hoc teſtimonium æque ac duo priora confirmet, & eædem omnino cauſæ occurrant, ob quas & Chriſtus a Joſepho fuerat memorandus, nec fingi aliæ poſſint, quæ ad reticendum Chriſtum Joſephum impulerint, quin torqueantur illæ adverſus adornatas ab eo Joannis & Jacobi laudes, non ratione, ſed arbitrio judicant, quotquot celeberrimum Joſephi textum ſpurium eſſe decernunt.

IV. Quid adverſus hæc intemperantes Critici? Impudentiores aliqui ſuppoſitionis & fraudis culpam conjiciunt in Euſebium, qui, quum omnium primus teſtimonium hoc allegaſſe legatur, merito in ſuſpicionem venit, immodico Religionis zelo actum illum fuiſſe, ut teſtimonii a ſe conficti Joſephum laudaret Auctorem. Qui tamen ſummo viro hoc crimen objiciunt, ii ne ſatis perſpectum habent, quod inconſulto pronuntiant? Si enim primus doli hujus artifex Euſebius eſſe credatur, perſpicaciſſimi ingenii, judicii acerrimi, & immenſæ lectionis homo, jam habendus erit Impoſtor, non ſagax ille quidem, & leviter prudens, ſed omnium ineptiſſimus, & maxime ſtupidus, qui omnem famæ ſuæ curam abjecerit, ſeque non ſolum, ſed & Evangelii cauſam hoſtium ludibriis objecerit; Cui enim Auctori teſtimonium imprudentiſſimus ille affinxiſſet? Hiſtorico ea ætate omnium celeberrimo, cujus libri, ut ait Hieronymus, in Romanam publicam Bibliothecam illati ſunt, qui ob ingenii gloriam ſtatuam quoque Romæ meruit, cujus librorum exemplaria Chriſtianorum omnium non ſolum manibus terebantur, ſed & etiam Græcis Ethnicis in deliciis. Si ergo Euſebio fraudis hujus conſilium incidiſſet, nonne vecors ille plane fuiſſet, honoris ſui immemor, & Chriſtianæ cauſæ proditor, ad quam confirmandam momentum

tum primus omnium contuliſſet, cujus a ſe conficti potuiſſet nullo negotio revinci ab Ethnicis ſola codicum fide, qui tunc omnibus ad manum erant, & nihil ejuſmodi habebant ? Nonne eam, quam editis jam aliis operibus ſibi pepererat, nominis claritatem æterna labe obſcuraſſet figmentum ſtruens in omnium oculos ſponte inſiliturum, ideoque facillime retegendum ?

V. Alii paulo prudentiores non doli, ſed errati Euſebium accuſant, quod hauſerit ille ex vetuſti cujuſpiam codicis lectione, quem incaute putarit Joſephi eſſe, qui vere alterius erat, quum Photius in ſua Bibliotheca Cajum Romanæ Eccleſię Presbyterum, & ſeculi tertii Scriptorem tradat, operis a quibuſdam Joſepho adſcripti Parentem eſſe, in quo honorificentiſſima Jeſu Domini mentio fit. Bona itaque fide adjudicare Joſepho Euſebius potuit, quod Romani Presbyteri opus erat. Verum hallucinatum reipſa fuiſſe Euſebium, ſatiſne conficitur, quod hallucinari ille potuerit ? Jam nullius etſi ſpectatiſſimi Auctoris fides in tuto erit, quum nullus fuerit, ſi Canonicos Scriptores excipias, non obnoxius errori. Ut hoc errore captum determinamus Euſebium, proferendus eſt liber, quem ille laudat, atque ex eo evincendum, quod inde excerpſit, teſtimonium, non in Joſephi, ſed in alterius Scriptoris opere extare. Id ne vero oſtendere hactenus quiſquam potuit? Quod ſi Veterum ac Recentium nullus Joſephi textum ab Euſebio recitatum apud alium quempiam, quam apud Joſephum hactenus deprehendit, nonne ſomnia conſectantur, qui Euſebium erroris inſimulant ? Quid vero ad quęſtionem hanc Cajus & Photius? Cajus non Archęologiam edidit, ſed librum *de Univerſo*, quem quod nomen non præferret Auctoris, Photius adnotat, a nonnullis Juſtino, ab aliis Ireneo fuiſſe tributum, a quibuſdam vero Joſepho, quod hujus & Anonymi ſtylus ferme geminus videatur. Ex hac Photii animadverſione colligitur quidem, librum *de Univerſo* nonnullis viſum eſſe Joſephi fętum : Conſequitur ne vero eundem non eſſe legitimum Archęologię Parentem ? Quum itaque Euſebius textum, de quo lis eſt, ex Joſephi Archęologia ſe excripſiſſe teſtetur, operam ludunt, qui ad revincendum erroris Euſebium vanis adeo conjecturis utuntur.

VI. Ajunt alii : Quum teſtimonium hoc adverſus Hebręos ſit decretorium, qui factum eſt, ut veteres Patres, Juſtinus, Tertullianus, Cyprianus illud in eoſdem aptiſſime non intorſerit, Photius ejus ne meminerit quidem, Joſephus Gorionides in ea, quam Judaicarum antiquitatum concinnavit, epitome illud ſilentio preſſerit, immo Origenes diſerte ſcripſerit, & poſt illum Theodoretus, Jeſum nunquam pro Chriſto agnitum fuiſſe a Joſepho? Primam ſilentii hujus cauſam habeant Adverſarii, vaſritiem ſcilicet Judæorum, qui paulo poſt Joſephi ętatem codices ejus, quos potuerunt, hoc teſtimonio mulctarunt ; quare quotquot teſtimonii hujus non meminerunt antiquiores Euſebio Patres, in Codices incidiſſe dicendi ſunt, qui ab Hebręis fuerant violati. Neque eſt, cur reſponſum hoc rideant Adverſarii ; non enim ad illud confirmandum opus eſt, veterum Patrum querelas accerſere Judęos ſceleris hujuſmodi reos agentium, quum præſto ſint Hebraica Joſephi exemplaria hanc Judęorum fraudem experta. Quum vetuſtum codicem Judaici hujus doli teſtem Baronius advocaſſet, illum in falſi ſuſpicionem adducere auſus eſt Caſaubonus. Sed producto e Vaticana Bibliotheca codice Judaici ſceleris veſtigia preferente, & preſtantiſſimis Viris exhibito, ut Fabricius l. 4. Bibliothęcę Gręcę teſtatur, temeraria Caſauboni ſuſpicio obtrita fuit. His addi poteſt, quod idem Fabricius & Villelmus Cave ex inedito Giraldi Cambrenſis libro referunt, ſeculo ſcilicet duodecimo in duobus Joſephi exemplaribus hebraice ſcriptis inventum fuiſſe teſtimonium de Chriſto in aliis nuper eraſum, quod & Hebręis Oxonię degentibus oſtenſum fuit.

VII. Alteram hanc ex Valeſio, aliiſque cauſam accipiant, noluiſſe nimirum Juſtinum, Tertullianum, & Cyprianum, in iis, quas cum Judæis habuerunt, concertationibus, hoc teſtimonio uti, licet ſibi probe perſpecto, quod Juſtinum inter, & Triphonem Judæum conveniſſet, ſolis Scripturarum teſtimoniis agere, idemque Tertulliano & Cypriano fuerit conſtitutum, quod ex prioris dialogo cum Triphone, & ex poſteriorum libris adverſus Judæos ſuis quiſque oculis haurire poteſt. Quorſum tamen ſilentii hujus cauſas inquirimus? Nonne ratione abutuntur, qui teſtimonii hujus ſinceritatem oppugnant unice, quod Juſtinus, aliique pauci Euſebio antiquiores illud non recitarunt? Cui unquam ſo-

brio

brio in mentem venit, teſtimonii cujuſpiam ab antiquo, gravi, & probato Scriptore laudati fidem vel concidere vel nutare, niſi alterius qui vetuſtior ſit, laudatione fulciatur? Quot negari jam innoxie poſſunt, quæ tamen adverſariis ipſis rata & fixa ſunt, ſi firmandæ teſtimonii hujus auctoritati non ſufficit tot illuſtrium Auctorum illud ſe ex Joſepho prompſiſſe ſcribentium conteſtatio, ſed addenda ei neceſſario ſit antiquiorum omnium, qui illo opportune uſi fuerint, conſpiratio? At Origenes & Theodoretus ſcribunt, Jeſum Meſſiæ loco & gradu non fuiſſe habitum a Joſepho: Perpendant vero Adverſarii græca Origenis verba, & cum Domino Mattino Calvinianorum Ultrajecti Paſtore intelligent, græcorum verborum, quæ Origenes adhibet, poteſtate proprie ſignificari interiorem atque ſinceram animi adhæſionem atque fidem in Chriſtum, quam certe Joſepho defuiſſe fatemur, neque illa indicari, quæ tam magnifice de Chriſto ſcripſit; in ejus enim texendo elogio adcurati Hiſtorici partes egit, aliorum de illo opinionem exponens, non quid ipſe ſentiret, aperiens: ſed de hoc infra.

VIII. Dent etiam integrum Theodoreti textum, quem conſulto mutilant, ne eorum prava fides appareat: *Joſephus Hebræus*, ait Theodoretus, *Chriſtianam capere noluit profeſſionem, & tamen veritatem occultare non potuit*. Quid ſibi poſteriora hæc verba volunt ſtudioſe ab Adverſariis prætermiſſa? Nonne perſpicue denotant, ipſam rei evidentiam a Joſepho licet invito veritatis teſtimonium extorſiſſe, quam tamen ille amplecti noluit, & ad Chriſtum, quem neſcire non poterat, ſe applicare? Photii ne vero ſilentium Euſebii, Hieronymi, aliorumque eo vetuſtiorum, graviorumque teſtificationi elidendæ ſat erit? Etſi Photius noni ſæculi ſcriptor diſerte negaret, hoc teſtimonium Joſephi eſſe, iniquus plane eſſet, qui neglectis Euſebio, Hieronymo, cæteriſque eo antiquioribus, & fide dignioribus, mallet ei auſcultare. Quid vero, quum Photius id non neget, ſed reticeat ſolum? Præſertim quum neminem lateat, Photium integram, & abſolutam non adornaſſe Archæologiæ Joſephi analyſim, quatuordecim priores ejus libros intactos prætermiſiſſe, nonnulla ſolum ex poſterioribus delibaſſe, & paucis his, quæ abſque delectu, & ordine excerpſerat, alia de penu ſuo addidiſſe, quæ Joſephi certe non ſunt. Denique poſt doctiſſimas Scaligeri, aliorumque animadverſiones, pudere Adverſarios debuiſſet inter vetuſtos Scriptores, qui hoc teſtimonium reticuerunt, Gorionidem quoque cenſere, ineptiſſimum ſæculi ſexti Rabbinum, & nugaciſſimum impoſtorem, qui ſeſe ceu inſignem illum Flavium Joſephum Judaicarum antiquitatum genuinum Auctorem obtruſit, ac venditavit.

IX. Urgent. Veri ne ſpeciem habet a Joſepho Judæo & Phariſæo prædicatum Jeſum homine majorem, & Chriſtum, Magiſtrum eorum, qui vera libenter audiunt, cujus geſta, miracula, & reditus præſertim ad vitam a Prophetis fuerint prænuntiata? Nonne ſubdititium hoc ejus teſtimonium probant, & nulla cum antecedentibus & ſubſequentibus colligatio, & ſtyli diverſitas, & falſa, quibus reſperſum eſt, puta: Jeſum plurimos ex Gentibus ad ſe pertraxiſſe &c.? Quum hæc præcipua ſint adverſus teſtimonium hoc Criticorum intemperantium argumenta ab ejus Patronis numero & doctrina multo præſtantioribus centies obtrita, futura non eſt eorumdem refutatio admodum operoſa. Ea Joſephi verba, *fuit hoc tempore Jeſus Vir ſapiens, ſi tamen virum oportet dicere*, nihil habent, quo merentur ab Adverſariis tam acerbe vexari. Quin neceſſe ſit, falſam Tanaquilli Fabri poſitionem evertere, numquam ſcilicet priſcis Judæis creditum, Meſſiam ſuum futurum homine majorem, ideoque non potuiſſe Joſephum ſecundum Religionis ſuæ dogmata ea de Jeſu ſcribere, magis expedite reponimus, nos iis plane non acquieſcere, qui ex his Joſephi verbis argumentum inſtruunt Deitatis Chriſti, quaſi vero ille Chriſtum Deum eſſe confeſſus ſit, ſed in ea Joſephi phraſi oratoriam figuram unice deprehendere eſt, qua Hiſtoricus ut ſincerus, ita eloquentiſſimus miram Jeſu excellentiam commendavit, quæ tanta erat, ut communem hominum conditionem ſupergreſſa quidpiam homine majus præferret, quod ſane indicat cauſa, quam e veſtigio ſubjecit, *Erat enim mirabilium effector, & Magiſter eorum &c.* Familiaris hæc loquendi formula fuit non Ethnicis Scriptoribus ſolum, ſed & Chriſtianis, eſtque etiam apud nos uſitata, qui excellentiſſimi ingenii aut virtutis homines quidpiam humano majoris, immo & divini habere dicimus.

O 2 X.

X. Quum aliis Joſephi verbis, *hic erat Chriſtus*, duplex hic ſenſus ſubeſſe poſſit, vel Jeſum ſcilicet vere fuiſſe Meſſiam, vel eam fuiſſe de illo hominum opinionem, eoque nomine illum communiter appellatum, damus Joſephum verbis ſuis priorem ſenſum non adjunxiſſe. Quid vero, ſi poſteriorem ſenſum, modumque aliorum opinioni conformem dicamus ab eo uſurpatum? Quum non alio quam Chriſti nomine Jeſum Dominum a Svetonio, Tacito, Plinio Juniore, Celſo, Lampridio, & Juliano compellari legamus, quid Adverſarii reponerent argutanti, hæc quæ Chriſti mentionem habent, iis Scriptoribus fuiſſe ſuppoſita, quos certum eſt alienos fuiſſe, quam maxime, ut Jeſum crederent eſſe Chriſtum? Quid etiam reſponderent, ſi quiſpiam, ex quo Pilatus cruci Jeſu inſcribi juſſit hunc titulum, *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, inferret, aut Jeſum vere Judæorum Regem habitum a Pilato, aut inſcriptionem illam falſo jactari? Riderent hominem ineptientem, qui ignoret, Scriptores Ethnicos ad deſignandum Jeſum eo nomine uſos, quod omnibus notiſſimum erat, atque perſamiliare, in iis quoque verbis Pilati juſſu titulo crucis inſcriptis ellypſim ſubintelligendam eſſe, eaque verba ſic explicanda, *Jeſus Nazarenus, qui ſe Regem Judæorum dixit*. Eodem itaque ſenſu, quo Jeſus a memoratis Scriptoribus Ethnicis *Chriſtus*, a Pilato *Rex Judæorum*, a Joſepho quoque dici potuit Chriſtus, quin proderet ille, quid de ipſo ſentiret, adhibita dumtaxat phraſi, quæ aliorum ideis melius reſponderet. Hinc D. Hieronymus quem ſane ineptum græci hujus textus nullus vocarit Interpretem, verum Joſephi ſenſum non verba conſectans, hæc ita reddidit: *& credebatur eſſe Chriſtus*.

XI. Inſtantibus Adverſariis, ſi non fuit Joſepho perſuaſum, Jeſum vere Meſſiam eſſe, debuiſſe illum ſeductorem habere, qui ſe Meſſiam falſo prædicarit, ideoque ab ejus laudibus abſtinere, reſpondet Huetius, Joſephum periti Hiſtorici munere præclare functum eſſe, cujus eſt, res, uti geſtæ ſunt, etſi partibus ſuis adverſas ſincere referre, uni veritati ſtudere, nec ſuum de iis judicium interponere. Quum ergo omnium, quæ de Chriſto retulit, pervulgata adeo, atque teſtata veritas eſſet, ut ſine livoris ſuſpicione ab Hiſtorico gentis ſuæ res memorabiles perſequente prætermitti non poſſent, omnia fideliter, licet ſummatim, complexus eſt, nec tamen appoſuit, quid ipſe, quid populares ſui, quid Ethnici de Chriſto ſentirent; quod enim ait, ab iis, qui veritatem amant, doctrinam Jeſu fuiſſe ſuſceptam, atque a divinis Vatibus hæc aliaque quamplurima admiranda de eo fuiſſe prædicta, non ita intelligendum eſt, quaſi ipſe ſe vera habere ſignificet, quæ Jeſus docuit, & in eum Prophetarum vaticinia conveniſſe. Id vero ſibi vult, Diſcipulos Jeſu veritatis ſtudium præſeferre, hancque præ ceteris laudem affectare, atque credere, Magiſtrum ſuum fuiſſe Prophetarum oraculis præſignatum. Mihi tamen magis probatur Joannis Erneſti Grabe reſponſum, quemadmodum, teſte Irenæo, Jeſu vivo ac præſenti teſtimonium perhibitum eſt *a Patre, a Spiritu, & ab Angelis, & ab hominibus, & ab apoſtaticis ſpiritibus, & ab erroneis, & ab inimico*, ita eo omnipotentis Dei ſapientiæ opere, quo fit, ſicut Chryſoſtomus adnotat, *ut inimici ipſi fiant teſtes veritatis*, effectum eſſe, ut Servatori noſtro jam defuncto & abſenti luculentiſſimum teſtimonium præbuerit præcipuus Gentis Judaicæ nobis infenſiſſimæ Scriptor, quod qui pertinaciter rejiciunt, nec niſi a Chriſtano publice profeſſo prodire potuiſſe, contendunt, verendum eſt, ne ratiociniis ſuis inducti inficias quoque eant, a Dæmonibus Chriſto dictum, *Quid nobis & Tibi Jeſu Fili Dei*, & a Centurione, & iis qui cum illo erant, exclamatum: *Vere Filius Dei erat iſte*.

XII. Quum Horatius ipſe ſcite ſcripſerit:

> .... *Ordinis hæc virtus erit, aut ego fallor,*
> *Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,*

hinc vel maxime hoc teſtimonium genuinum eſſe contendimus, quod eum ſpectato temporum ordine, vindicare ſibi locum apud Joſephum debuerit, quem vere habet; caput enim, in quo illud extat, Joſephus orditur a re Judæis permoleſta, quam Pilatus paulo poſt ſuſceptam Judææ procurationem aggreſſus eſt, quamque hic non vacat exſcribere. Aliud continenter addit, quod Pilatus idem molitus eſt, quodque Judæis pluribus exitio fuit. His memoratis, teſtimonium de Jeſu noſtro

ſeris

Digitized by Google

ſubjungit, quod ſpectata temporum Chronologia collocatum eſt aptiſſime loco ſuo; quum enim juxta Scaligeri & Valeſii ſupputationem, quod de Romanis vexillis, quæ Pilatus Hieroſolymam inferre conatus eſt, Joſephus primo memorat, vigeſimo octavo Chriſti Domini anno, quod vero adiicii de ſacro theſauro, quem Pilatus in prophanos ſumptus conferre meditabatur, trigeſimo primo circiter ejuſdem anno contigerit, rectiſſime Joſephus ſcripſit, fuiſſe hoc tempore Jeſum Virum ſapientem &c. quandoquidem tunc potiſſimum Jeſus miniſterium publicum auſpicatus prædicatione & miraculis diſcipulorum copia clarebat; quare habita temporum ratione, debuit hæc Chriſti mentio eventibus coævis ab Hiſtorico perito ſubnecti. Etſi autem tertia illa Judæorum calamitas, quam poſt perhibitum Chriſto teſtimonium Joſephus deſcribit, cum eo connexa non ſit, nequit tamen hoc titulo teſtimonium illud explodi, quin & tertiæ hujus calamitatis narratio Joſepho abjudicetur; cum iis enim, quæ, Pilato Judæam procurante, accidiſſe memorat, gentis ſuæ infortuniis tertium hoc, quod ad finem ejuſdem capitis refert, nulla ratione cohæret, quum illud Romæ acciderit, priuſquam Pilatus fuiſſet ad Judææ procurationem a Tiberio allegatus. Ut ergo omnibus genuina eſt poſterior hæc Joſephi narratio, quod in ea eidem capiti attexenda, & cum aliis Judæorum calamitatibus conjungenda, non temporis rationem quidem, ſed aliquam rerum ſimilitudinem ſectatus ſit, ita reiici ut ſpuria non poteſt ejus de Jeſu teſtificatio; etſi enim inter populi calamitates eo capite memoratas cenſeri illa non poſſit, rectus tamen temporis ordo (qui in Hiſtoria potiſſimum ſpectandus eſt) petebat, ut rebus eodem tempore, eodemque loco geſtis etſi infauſtis ſubiiceretur.

XIII. Quod vero ex ſtyli diverſitate petunt argumentum, quam eſt illud inane, & Criticis eruditis indignum! Prӕterquamquod nihil omnino eo effici adverſus codicum omnium fidem, & veterum Scriptorum auctoritatem, apud ſapientes omnes in confeſſo eſt, quæ amabo, hæc ſtyli diverſitas eſt? Quum nullam ejuſmodi differentiam ſe deprehendiſſe teſtentur Caſaubonus, Uſſerius, Pearſonius, uterque Voſſius, Spencerus, Grotius, Huetius aliique innumeri præſtantiſſimi Viri, græcique ſermonis omnium judicio peritiſſimi, immo Antonius Pagius, & Carolus Daubuz hoc etiam argumento autographiam teſtimonii hujus evicerint, quod plane conſentiat ſtylus, & dictionum color, talis nimirum qualis Helleniſtarum eſſe ſolet, locutiones in eo quædam occurrant Joſepho familiares, cordatos omnes appello, an auſcultandum Dallæo, Blondello, Salmaſio, Fabro, aliiſque diverſitatem ſtyli cauſantibus, qui cum memoratis ſummis Viris collati pumiliones ſunt, omnium conſenſione, præ Hercule. Nihil poſtremo ineptius eſt ea Blondelli argutiola, qua falſi poſtulat ea verba; *plurimos ex gentibus ad ſe pertraxit*. Mentitur ille primo, fidenter ſcriptitans, non niſi duas fӕminas ex Ethnicis Chriſto adhæſiſſe, & non uno Evangelii teſtimonio revinci poſſet. Breviter tamen regerimus, ſpectaſſe ea locutione Joſephum non Chriſti Perſonam unice, ſed & ejus doctrinam ab Apoſtolis propagatam, quæ quo tempore hæc Joſephus ſcribebat, plurimos ex Gentibus ad Chriſtum vere pertraxerat, ſicut novi Inſtrumenti paginæ, & prophana Hiſtoria teſtantur. Sicut ergo, ſi dicerem e. g. Carteſium pleroſque ad ſe Philoſophos pertraxiſſe, non id Perſonæ ſed doctrinæ ejus adſcribi, nemo prudens non intelligeret, ita quod de Chriſto Joſephus ait, iniquus fuerit, qui ad Perſonam Chriſti, dum viveret, non ad inſtitutam ab eo Religionem referre vellet.

PROPOSITIO XVIII.

Chriſtus verus eſt generis humani Redemptor.

I. Si germanam Summi, Liberrimi, & Omnipotentis Dei ideam teneamus, ſi veteres Patres audiamus, plane intelligimus, potuiſſe abſolute Deum humanum genus non reparare, illudque æternæ damnationi permittere, potuiſſe quoque illatam ſibi injuriam liberaliter condonare, noſque abſque Filii ſui morte ſibi reconciliare. Etſi tamen Deus utrumque abſolute poſſet, neutrum tamen voluit, ſicque *dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, atque condignam, quam nullus hominum exhibere illi poterat, ſatisfactionem ab eodem Unigenito ſuo ceu vade atque ſpon-

ſponſore noſtro repetens, *proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. In hunc porro finem traditum a Patre nobis proprium filium Catholica Eccleſia ſemper confeſſa eſt, ut Deo ſatis ille pro nobis faceret, ut pœnas peccatis noſtris debitas portans ab æterna morte nos liberaret, ut ſanguine ſuo veluti perſoluto pretio nos a peccati & Diaboli ſervitute redimeret, ideoque Chriſtum perpetuo venerata eſt ſuum veri nominis Redemptorem. Quid vero peſtilentiſſimi Sociniani? „ Ego cenſeo, ait „ eorum impiiſſimus Auctor, Chriſtum „ ideo Servatorem noſtrum eſſe, quia ſa- „ lutis æternæ viam nobis annuntiaverit, „ & in ſua ipſius Perſona tum vitæ exem- „ plo, tum ex mortuis reſurgendo mani- „ feſte oſtenderit, & vitam æternam no- „ bis ei fidem habentibus ipſe daturus ſit, „ divinæ autem juſtitiæ, per quam pec- „ catores damnari meremur, neque illum „ ſatisfeciſſe, neque, ut ſatisfieret, opus „ fuiſſe, affirmo. “ Eccur vero nec ſatisfeciſſe pro nobis Chriſtum, nec opus fuiſſe ſatisfactione ejus, cum Magiſtro ſuo Sociniani omnes affirmant? Quod Chriſtus purus homo eſſet, nec tantæ dignitatis, ut poſſet pro alienis peccatis ſatis Deo facere, nec ſatisfactionem aliquam ab hominibus exigat divina juſtitia, quæ beneficentiſſima condonatione peccata relaxat.

II. Chriſtus itaque, blaſphema Socinianorum omnium conſenſione, non niſi verbo & exemplo Servator noſter fuit, cumque nullum liberationis noſtræ pretium exolverit, nullam Deo Patri immolarit hoſtiam, nullam ei ſatisfactionem pro delictis humani generis exhibuerit, veri nominis Redemptor non eſt, cum non niſi metaphoricam operatus ſit Redemptionem. Impiiſſimum errorem hunc innumeris veteris Inſtrumenti teſtimoniis, quæ de Meſſia certo ſunt, & perficiendam ab eo, effuſo ſanguine, hominum redemptionem præſignificant, poſſemus obterere, & nequiſſimos Socinianos ipſa Judæorum teſtificatione revincere, qui Meſſiam hominum noxas laturum nobiſcum ſentiunt, quare & *Virum expiationis* illum appellant, atque in Thalmudicis libris non ſemel docent, neceſſe fore, illum pro Iſraelitica gente pœnas dare, quod ſolus ille Deo ſatisfacere poſſit, nonniſi effuſo ſanguine condonatum iri peccata, eum denique laboribus penitusque confectum felicitatem nobis promeriturum; ſed inſtante jam anni fine, excurrere tam late non poſſumus, ideoque ad ſelecta quædam novi fœderis teſtimonia contrahendus eſt ſermo, quæ demonſtrando præcipuo huic Religionis noſtræ dogmati ſatis ſuperque erunt, quæque eadem illa ſunt, quibus D. Thomas 3. p. q. 48. art. 2. 3. 4. & 5. veritatem hanc demonſtravit. Nihil eſt in divino eloquio frequentius, diſertiuſque teſtatum, quam Chriſtum Dominum verum Deo Patri redemptionis humanæ pretium ſolviſſe, obtuliſſe ſe Patri pro nobis in veri nominis Sacrificium, exhibitaque illi condigna ſatisfactione noſtra expiaſſe peccata, noſque illi pleniſſime reconciliaſſe; quid ergo eſt cur ſacrilegi Sociniani eximia hac, qua ille ſibi ſuo ſanguine acquiſivit, & qua tantopere delectatur, veri Redemptoris noſtri prærogativa Chriſtum iniquiſſime ſpolient?

III. Cum D. Thomas probet, nec Sociniani ipſi diſſentiant, ad veram redemptionem duo requiri, ſolutionis nimirum actum, pretiumque ſolutum, filius hominis, qui Mathæi 20. ſe veniſſe ait, *dare animam*, ſeu vitam *ſuam*, *redemptionem pro multis*, nonne hoc charitatis ſuæ, quam Paulus *nimiam* vocat, propoſitum implevit, animam in cruce pro nobis ponens? Clamat Apoſtolus ad Gal. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*: Gratis ne vero? *factus pro nobis maledictum*, ideſt maledicti ſeu peccati pœnas nobis debitas ipſe ſuſtinens, eaſque Patri offerens ceu dignum noſtræ redemptionis pretium. Dubitare ne Chriſtianus poteſt, Chriſtum vere ſoluto pretio homines redemiſſe, qui Paulum legat 1. ad Cor. 6. & 7. ingerentem, homines jam non ſuos eſſe, ſed Dei & Chriſti ſervos, quia *empti ſunt pretio magno*, & Petrum ep. 1. c. 1. ſcribentem non corruptibilibus auro, aut argento redemptos nos eſſe, *ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati?* De vero, quo Chriſtus in cruce functus eſt Sacerdotio, de vero, quod patiens & moriens Deo Patri pro nobis obtulit ſacrificio, quid luculentius iis, quæ Paulus ad Epheſ. 5. ait, *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis?* Nonne idem in epiſt. ad Heb. totus eſt in Sacerdotii & Sacrificii Chriſti excellentia commendanda? Poſtquam ſemel, iterumque ait, Chriſtum a Patre jurejurando interpoſito, conſtitutum Sacerdo-

Digitized by Google

dotem in æternum, ex quo omnis Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur, arguit, oportuiſſe, *ut & Chriſtus quod offerret, haberet*; quum autem *impoſſibile* eſſet, *ſanguine taurorum aut hircorum auferri peccata*, nec *holocautomata pro peccato* Deo placerent, novo huic Sacerdoti corpus, quod offerret, fuit a Deo aptatum, quo ille indutus ſemel *per hanc hoſtiam ſuam apparuit ad deſtitutionem peccati, & per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, aterna redemptione inventa, per Spiritum ſanctum ſemetipſum offerens Deo ad multorum exhaurienda peccata, atque una oblatione conſumavit in ſempiternum ſanctificatos*.

IV. Hujus vero hoſtiæ oblatione placatum Deum, divinæ juſtitiæ ſatis pro noxa humani generis factum, expiata peccata noſtra, æternæque pœnæ reatum expunctum, & ſexcentis in locis & Sciptura tradit, & ratio illa egregie conficit, qua paſſionem Chriſti per modum ſatisfactionis cauſam ſalutis noſtræ fuiſſe, probat Angelicus. Ille proprie alteri ſatisfacit pro offenſa, qui exhibet offenſo id, quod æque vel magis diligit, quam offenſam oderit: Chriſtus autem ex charitate, & obedientia patiens, majus quidpiam Deo exhibuit, quàm ad ſarciendam illatam Deo injuriam opus eſſet, multoque gratius, quam humani generis offenſa Deo exoſa eſſet, primo ob charitatis, ex qua paſſus eſt, magnitudinem, ſecundo ob vitæ ſuæ dignitatem, quam pro ſatisfactione ponebat, erat enim Dei & hominis vita, tertio ob aſſumpti doloris exceſſum, qui inter vitæ præſentis dolores maximus fuit; pleniſſimam ergo Deo Patri ſatisfactionem pro nobis rependit. Faceſſant itaque omnium non ſceleſtiſſimi ſolum, ſed & ingratiſſimi Sociniani, qui tantum in nobis a Chriſto poſitum beneficium ut imminuant, & obſcurent, nihil præter verba, & exempla ad ſalutem & redemptionem noſtram contuliſſe blaſphemant. Jam nunc potiora perſtringenda ſunt, quæ in exitiali ſuo libro de *Chriſto Servatore* Socinus complexus eſt, ut ex eorum refutatione catholici dogmatis veritas magis appareat.

V. Arguit primo Socinus: Chriſtum Scripturæ prædicant a Patre miſſum, ut teſtis veritatis eſſet, gentium Doctor, Evangelii præco, virtutis denique exemplar, quod imitantes fideles æternæ vitæ compotes eſſent; his ergo dumtaxat titulis noſter Redemptor eſt. At bene habet, quod Socinus Scripturas appellat, quandoquidem earumdem teſtimoniis homini perditiſſimo jugulum petimus. Quum veriſſima Scripturæ doceant, Chriſtum iis quoque titulis Redemptorem noſtrum eſſe fatemur, quos Socinus e Scriptura depromſit; quum autem eædem Scripturæ tradant, Chriſtum non doctrina, miraculis, exemplo, ac reſurrectione ſolum, redemptionem, ſalutemque noſtram operatum eſſe, ſed & paſſione & ſanguine ſuo, ceu perſoluto pretio, nos emiſſe, peccata noſtra ſuper lignum in corpore ſuo portaſſe, debitas eis pœnas luiſſe, atque ea omnia peregiſſe, quæ jam demonſtravimus, manifeſtam Scripturis injuriam Socinus infert, præfracte negans, Chriſtum veri nominis Redemptorem eſſe; Si enim eam, quæ perſoluto pretio fit, redemptionem veram eſſe, Socinus ipſe concedit, an non extremæ impietatis eſt denegare Chriſtum verum, ac proprium Redemptorem, cujus nos ſanguine, tamquam veri nominis pretio, redemptos fuiſſe Scriptura conceptis verbis affirmat?

VI. Pergit Socinus. Redimere quiſpiam dicitur & Redemptor, qui nullo ſoluto pretio captivum liberat, quare Deus, qui Ægyptiacæ captivitati ſubduxit Hebræos, abſque pretio certe, frequenter eos dicitur redemiſſe, & Moſes, quo Deus Miniſtro uſus eſt liberationis eorum, Redemptor Act. 7. vocitatur: quid ni ergo & Chriſtus noſtræ ab æterna morte liberationis ſolo verbo, & exemplo Auctor, Redemptor noſter pari jure dicetur? Præſertim quum hanc liberationem noſtram abſque pretio peragendam Iſaiæ 12. Deus ſpoponderit ajens, *Gratis venumdati eſtis, & ſine argento redimemini*, & vere abſque pretio peractam afferat Paulus ad Col. 1. & ad Eph. 1. Verum quid, ſi quandoque in Scripturis ampliori quadam minuſque propria ſignificatione redemptionis & Redemptoris vocabula pro captivorum liberatione ſine pretio uſurpantur, idem ne ergo de Chriſti redemptione cenſendum? Quin plura conferre neceſſe ſit, Socinum teneamus confitentem, veram redemptionem eſſe, qua captivi ſoluto pretio liberantur, pretium hoc pro humani generis liberatione vere impenſum a Chriſto Scriptura nitidiſſime non uno loco teſtatur, inſanit ergo Socinus, exempla e Scripturis petens minus propriæ redemptionis. Quod autem Deus per Jeſajam promiſerat, nonne Pe-

trus

Digitized by Google

trus diſerte affirmat impletum, ſine auro & argento, ſed Chriſti *quaſi Agni immaculati ſanguine* nos eſſe redemptos? Mentitur denique in caput ſuum Socinus blaſphemiæ ſuæ teſtem advocans Paulum, quem iiſdem iis in locis ille obterit validiſſime, ajens habere nos *Redemptionem per ſanguinem Chriſti, remiſſionem peccatorum*.

VII. Urget: Num meliori titulo Redemptor noſter dicendus eſt Chriſtus, redemptionis pretium perſolviſſe, atque pro peccatis hominum ſatisfeciſſe, quod ea in corpore ſuo ſuper lignum portaſſe legatur? Inepti ſunt, qui id volunt, quum Scripturæ uſu *ferre* idem ſit ac *auferre*, ſicut Matthæus, quod Jeſajas de Meſſia dixerat, *Vere languores noſtros ipſe tulit*, de corporis languoribus explicat, quos Chriſtus abſtulit ſeu ſanavit; nec quemquam movere debet, quod Propheta adiicit e veſtigio, *& dolores noſtros ipſe portavit*; inferri enim inde non poteſt, ſatisfeciſſe illum pro peccatis noſtris, quum & *caprum emiſſarium*, qui vivus in ſolutionem abigebatur, Levitici 16. legamus, *portaſſe iniquitates populi in terram ſolitariam*, & alibi ſæpe filios Patrum ſuorum iniquitates portare, quin tamen aut hircus ſacrificium eſſet propitiatorium pro peccato, aut filii paternorum ſcelerum pœnas dantes pro iis fecerint Deo ſatis. Vana tamen hæc & ab inſtituto aberrantia. Quorſum alia, quæ ad rem non ſunt, Socinus teſtimonia conquirit, ut eorum quæ rem plane decernunt, efficaciam eludat? Omnia brevitatis gratia prætermittimus, quæ de horum verborum *ferre* & portare non uno in Scripturis ſenſu ille diſputat: Rem preſſius urgentes, Chriſtum in cruce peccata noſtra ſuſtuliſſe contendimus, quod ea ideſt debita eis ſupplicia in corpore ſuo pertulerit, quod propter iniquitates noſtras vulneratus, & propter ſcelera noſtra attritus fuerit, quod nos de legis maledicto redemerit pro peccato, quod denique livore ejus ſanati ſuetimus, quia diſciplina pacis noſtræ ſuper eum fuit, atque ipſe propter ſcelus populi ſui a Deo percuſſus. Quum hæc & ſexcenta alia divini eloquii teſtimonia veri pretii ſolutionem, veri nominis ſatisfactionem, veram denique hoſtiæ immolationem certo ſignificent, ineptit plane Socinus, qui quum hæc labefactare non poſſit, alia congerit ad rem non facientia.

VIII. Inſtat: Etſi Chriſtus pro nobis paſſus & mortuus eſſe dicatur, perperam tamen infertur, vere portaſſe illum noſtra ſupplicia quorum eramus rei, quum particula *pro* utilitatem, vel finalem, cauſam deſignari, Grammatici doceant, neque pro redemptione noſtra ſe ipſum ceu fidejuſſorem ſubſtituiſſe; alioqui nobis redemptis manſiſſet ipſe captivus. Inepta tamen hæc ſunt; quamquam enim multiplex ſit particulæ *pro* in Scripturis & apud Prophanos Auctores acceptio, Chriſtus quoque utilitatis, & ſalutis noſtræ gratia paſſus ſit, ſubſtituiſſe illum tamen nobis ſeipſum, & pœnas, quarum reatu eramus obſtricti, pro nobis ideſt ſalutis quidem noſtræ ergo, ſed etiam loco noſtri portaſſe, veritas eſt in divinis litteris teſtatiſſima. Quid enim ſibi volunt, quæ de futura Meſſiæ paſſione Jeſaias habet c. 53.? *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum, diſciplina pacis noſtra ſuper eum &c.* Quid ea Pauli, *Chriſtus nos redemit de maledicto factus pro nobis maledictum . . . . Deus eum, qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit*, ideſt victimam pro peccato? Eccur vero debebat Chriſtus nobis redemptis detineri captivus? Sanguinem vere fudit, animam pro nobis poſuit, hocque perſoluto pretio nos in libertatem aſſeruit. Conſummato redemptionis noſtræ opere, qua pro nobis animam poſuerat poteſtate, iterum eam ſumpſit, quia ita erat præfinitum a Deo, cui jam ipſe pro nobis fecerat ſatis, cui integrum redemptionis noſtræ pretium jam perſolverat; neque enim diabolo pretium hoc exſolutum fuit, ait Angelicus, ſed ſoli Deo, qui nos a ſe averſos Diaboli ceu juſtitiæ ſuæ miniſtri atque tortoris ſervituti tradiderat.

IX. Quæ ex Epiſt. ad Hebræos Socinus excerpit, ut probet, Chriſtum Sacerdotio functum non eſſe, nec ſacrificium immolaſſe, priuſquam cælos penetraret, torquentur ab eo iniquiſſime adverſus perſpicuam Apoſtoli mentem; quod enim Apoſtolus ait, *habere nos Pontificem, qui penetravit cælos, Jeſum excelſiorem cælis factum, ſempiternum ſacerdotium habentem, ſemperque viventem ad interpellandum pro nobis*, ad fructum Sacerdotii Chriſti, ejuſque applicationem, non ad ipſam victimę immolationem ſpectare, ex Apoſtolo ipſo demonſtrat Angelicus ajens, in officio ſacerdotis duo ſpectari poſſe, ipſam ſacrifici-

cii

cii oblationem, ejuſque conſumationem, quæ in hoc eſt poſita, ut ii pro quibus ſacrificium offertur, finem ejus obtineant; quare quum finis ſacrificii Chriſti bona temporalia non fuerint ſed æterna, quæ per ejus mortem conſequimur, ut patet ex Apoſt. ad Hebr. 9., ſempiternum idcirco dicitur ſacerdotium habere. Hujus quidem ſacrificii conſumationem, pergit Angelicus, præfiguratam docet Apoſtolus, quod Pontifex legalis ſemel in anno cum ſanguine hirci & vituli intrabat in ſancta Sanctorum, quum tamen hircum & vitulum non intra ſed extra ſanctuarium immolaret; ita Chriſtus in ſancta Sanctorum, id eſt in cælum intravit, nobiſque viam paravit intrandi per virtutem ſanguinis ſui, quem pro nobis effudit in terra. Figura tamen in hoc deficiebat a veritate, quod legalis illa hoſtia ſempiternam non habebat virtutem, ideoque annuatim iterabatur, Chriſtus autem, ut ait ibidem c. x. Apoſtolus, *una oblatione conſumavit in æternum ſanctificatos*. Quum hæc D. Thomæ doctrina tota ex Epiſt. Pauli ad Heb. deprompta ſit, quid nugaciſſimus Socinus obganniit, Chriſtum ante ſuum in cælos aſcenſum Sacerdotis officio non perfunctum?

X. Ejuſdem furfuris ſunt, quibus exhibitam a Chriſto pro nobis ſatisfactionem oppugnat, nec vacat ſingula recenſere, ſed oppoſita catholica doctrina eorum futilitatem duntaxat, & falſitatem coarguamus, quumque eadem Socinus opponat, quæ jam ſibi D. Thomas objecerat & diluerat, non aliunde, quam ex D. Thoma, reſponſa petemus. Arguenti Socino, neceſſe non fuiſſe Chriſtum pro nobis pati ac ſatisfacere, ſive Dei miſericordia, quæ gratis peccata condonat, ſive juſtitia ſpectetur, ſecundum quam eramus damnationis æternæ rei, reponimus, quod Angelicus eidem argumento jam repoſuerat ajens, liberari hominem paſſione Chriſti Dei juſtitiam & miſericordiam decuiſſe, juſtitiam quidem, quia Chriſtus pro peccato totius humani generis ſatisfecit, ſicque Chriſti juſtitia liberatus eſt homo, miſericordiam vero, quia, quum pro peccato totius humanæ naturæ ſatisfacere non poſſet homo, Deus ei filium ſuum ſatisfactorem dedit ſecundum illud ad Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*, quod fuit abundantioris miſericordiæ, quam ſi peccata abſque ſatisfactione dimiſiſſet; quare ait Apoſtolus ad Eph. 2. *Deus qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, quum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto*. Præclare itaque in redemptionis noſtræ negotio *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt* neque inter hæc duo attributa ea colliſio eſt, quam Socinus effutit. Quum autem *unus* ſit, teſte Paulo, *mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui propitiatio eſt*, ut Joannes ait, *pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed & pro totius mundi*, fide in futurum hunc omnium mediatorem, & perficiendam ab eo peccatorum omnium expiationem, ſalutem conſecuti ſunt veteres juſti, & pænitentibus condonata peccata; *non enim eſt aliud nomen ſub Cælo*, ajebat Petrus, *datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Nihil etiam a nobis detrahi ſatisfactioni Chriſti pleniſſimæ, dum ſatisfactionem noſtram, etiam dimiſſa culpa, neceſſariam eſſe contendimus, ea demonſtrant, quæ in tract. de Pænitentia diſſeruimus.

XI. Quam inepta ſint, quæ ex Ethnicis mutuatus Socinus adverſus dogma hoc torquere pergit, impium, & crudele eſſe, innocentem pro reis plectere, nec potuiſſe Chriſtum ſatis pro delictis noſtris facere, quum conſtituta peccato pæna ſit æterna damnatio, quam ſubit ſolus ille, qui peccat, nitidiſſime demonſtrat Angelicus ajens, hominem innocentem paſſioni, & morti invitum tradere, impium eſſe, & crudele, ſic autem Deum Patrem Chriſtum non tradidiſſe, ſed inſpirando ei voluntatem patiendi pro nobis, in quo oſtenditur, & Dei ſeveritas, qui peccatum ſine pæna dimittere noluit, quod ſignat Apoſtolus dicens, *Proprio filio ſuo non pepercit*, & infinita ejus bonitas, quod, quum homo quacumque pæna, quam pateretur, ſatisfacere non poſſet, ei ſatisfactorem dedit, quod adnotavit Apoſtolus addens, *pro nobis omnibus tradidit illum*. Quid vero ſi peccato æterna damnatio reſpondet, cui non ſubjicitur, niſi qui peccat? Ergo ne Chriſtus innocens non potuit ſatisfactione ſua ab ejus reatu homines liberare? Quum Apoſtolus doceat, Chriſtum morte ſua *deſtruxiſſe eum, qui mortis habebat im-*

perium, ideſt Diabolum, & liberaſſe eos, qui *per totam vitam erant obnoxii ſervituti*, nobiſque aperuiſſe *ſanguine ſuo introitum ſanctorum*, ideſt cælorum, manifeſtum eſt, quemadmodum ratiocinatur Angelicus, & expunxiſſe illum peccata noſtra, in quibus reatus pœnæ fundatur, & pro iis Deo plene [illegible] ſatis, quum nonniſi ſatisfactione ſufficienti exhibita reatus pœnæ tollatur. Ideo autem temporaria, & corporea morte ſua potuit nos ab æterno interitu liberare, & in vitam ſempiternam inducere, quia, ut ait Angelicus, dignitas carnis Chriſti non eſt æſtimanda ſolum ex carnis natura, ſed ex Perſona aſſumente, quatenus ſcilicet caro Dei erat, ex quo dignitatem infinitam habebat.

XII. Poſtremo delirare Socinum, qui ſatisfeciſſe pro nobis Chriſtum præfracte negat, quod mortem aliaſque corporis infirmitates, quæ peccati ſunt pœna, paſſione ſua ab hominibus non removerit, cum eodem Angelico, perſpicue demonſtramus. „ Satisfactio Chriſti, ait ille, habet effe„ ctum in nobis, quatenus ei, ut mem„ bra capiti, unimur; membra autem „ capiti conformari oportet, ideoque ſicut „ Chriſtus primo quidem habuit gratiam „ in anima cum corporis paſſibilitate, & „ ad immortalitatis gloriam ſua paſſione „ pervenit, ita & nos, qui membra ejus „ ſumus, liberamur quidem per paſſio„ nem ejus a cujuslibet pœnæ reatu, ita „ tamen, quod primo in anima recipi„ mus ſpiritum adoptionis filiorum, quo „ ad hæreditatem gloriæ immortalis ad„ ſcribimur, corpus adhuc paſſibile, & „ mortale gerentes, poſtmodum vero con„ figurati paſſionibus, & morti Chriſti, „ in gloriam immortalem perducimur ſe„ cundum illud ad Rom. 8. *Si filii & „ hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes „ autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut „ & conglorificemur*. “ Hæc D. Thomas, ex cujus doctrina, quam tradit in quæſtionibus de paſſione & morte Chriſti, haurire quiſque poteſt, quo reliqua Socini objecta diſſolvat; Si enim frivolas ejus in nonnullis Scripturæ hebraicis aut græcis vocabulis cavillationes excipimus, nihil ab eo invenimus objectum, quod D. Thomas jamdudum ſolide non refutarit.

PROPOSITIO ULTIMA.

Satisfactio Chriſti redundans fuit, & ad ſtrictos juris apices exacta.

I. Diſputant hoc loco Theologi, an Chriſti ſatisfactio non æquivalens ſolum fuerit, ſed etiam ſuperabundans, an fuerit illa quoque ad ſtrictos apices juris exacta. Quum utrumque hoc caput intactum præterire non liceat, ita calamo temperabimus, ut in brevitatem intenti nihil prætermittamus, quod utile ſcitu, aut neceſſarium ſit. Satisfactionem a Chriſto exhibitam non æquam ſolum fuiſſe, ſed etiam excedentem ſacræ literæ non uno loco teſtantur; Redemptionem erenim noſtram *copioſam* David appellat ajens, *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*: *excedentem* Lucas, colloquium a Moſe & Elia cum Jeſu transfigurato habitum referens, *& dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Hieruſalem*; ſuperabundantem denique Paulus ad Rom. 5. ſcribens: *Sed non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit . . . ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*. Hæc aliaque, quæ præterimus, Scripturæ teſtimonia, & Patrum idem docentium traditionem expendens Clemens VI., in *Extravaganti Unigenitus de pœnitentiis & remiſſionibus* definivit, modicam guttam ſanguinis Chriſti propter unionem ad Verbum totius humani generis redemptioni ſuffeciſſe; quid ni ergo exuberaſſe credamus totius pretioſiſſimi ſanguinis copiam, quam ille propter nimiam charitatem ſuum voluit in redemptionem noſtram impendere? Hoc etiam facit ratio D. Thomæ, qua Chriſtum vere proprieque pro nobis ſatisfeciſſe adverſus Socinum jam demonſtravimus; ea enim probat Angelicus, ſatisfactionem Chriſti non perfectam ſolum fuiſſe, ſed etiam redundantem.

II. Sunt tamen, qui hanc ſatisfactionis Chriſti redundantiam inficiantes, infinitam peccati gravitatem exaggerant, perperam tamen; etſi enim infinitam letali culpæ, quatenus Dei offenſa eſt, gravitatem cum Angelico tribuamus, infini-

ta hæc tamen ejus malitia ex morali ſolum unione repetitur cum infinita majeſtate, quam lædit, contra vero infinita dignitas ſatisfactionis Chriſti ducitur ex phyſica, & ſubſtantiali divini Verbi unione cum humana natura, per quam ſatisfecit, & cujus actibus infinitum pretium communicavit; quare quum arctior ſit, & intimior operantem inter, ac operationem habitudo, quam inter peccatum, & eum, qui peccato læditur, & operatio magis intime principio ſuo, quam objecto jungatur, optime concluſit Angelicus, exuberantem fuiſſe Chriſti ſatisfactionem, quia vita, quam obtulit, charitas, & obedientia, qua obtulit, quum Dei hominis eſſent, quidpiam erant multo gratius Deo, quam illi offenſa humani generis diſpliceret. Nec quidquam obtinent ſubtiliſſimi argutatores, quum negant, plus Deo Chriſti ſatisfactionem acceptam eſſe, quam oderit ille peccatum, quod tanto odio proſequitur quanto amore ſuam complectitur bonitatem, quam certum eſt, plus Deo placere, quam Chriſti ſatisfactionem. Sit ita, bonitatem ſuam magis a Deo diligi præ Chriſti ſatisfactione: at illud falſum eſt, quod fidenter efferunt, odium, quo Deus iniquitatem habet, æquale eſſe amori, quo ſuam diligit bonitatem; quid enim, ſi peccatum in divinæ bonitatis deſtructionem totas vires intendit? Ergo ne tantum Deo diſpliceat, neceſſe eſt, quantum ei ſua bonitas placet, quum peccatum non phyſice, & reipſa, ſed affectu ſolum, & moraliter, ac juxta prudentum æſtimationem, extremam Dei perniciem moliatur, divina autem bonitas non moraliter ſolum, ſed vere & omnifariam infinita ſit, & amore infinito digniſſima? Etſi Deus peccatum quam maxime oderit, & averſetur, imperite tamen infinito huic ſui ipſius amori ejus in peccatum odium exæquatur.

III. Neque ſolidius argutantur, ſi Chriſti ſatisfactio offenſæ gravitate ſit major, Deum injuſte illam a Chriſto repetiviſſe, quum perſona offenſa parem irrogatæ injuriæ ſatisfactionem, non ampliorem juſte poſſit exigere; nam non niſi condignam, & parem Deus a Chriſto ſatisfactionem exegit, nec uberiorem ſummo jure potuit ab eo ceu Sponſore noſtro repetere: ſola ſatisfacientis Perſonæ infinita dignitas fuit hujus exuberantiæ cauſa; quum enim Patres plerique doceant, nonniſi a Deo in aſſumpta natura integram ac perfectam ſatisfactionem divinæ juſtitiæ eam repoſcenti potuiſſe rependi, neceſſe fuit, Deum hominem fieri, & victimam expiationis. Deus porro homo factus, & ſatisfaciens non poterat non ſatisfacere pro infinitate ſua ſuperfluenter, quum & peccati gravitate illa ſit multo major, & ejus actus divinæ majeſtati multo gratiores, quam oderit illa peccatum. Futile quoque eſt, quod adjiciunt, affluentem non fuiſſe & infinitam Chriſti ſatisfactionem; alioqui unico primo actu integrum ille humani generis debitum perſolviſſet, quod Patres & D. Thomas ipſe non probant, qui & paſſioni, quam pertulit, & morti, quam obiit, redemptionem noſtram adſcribunt. Diſtinguunt Viri ſubtiles in Chriſti ſatisfactione perſoluti pretii quantitatem a ſolventis deputatione, ac intelligent, vel unico primo actu, utpote dignitatis infinitæ, Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe pleniſſime, atque totum, immo uberius liberationis noſtræ pretium exſolviſſe; divinæ tamen gloriæ promovendæ ſtudio, majoriſque erga nos charitatis declarandæ zelo, non unicum primum actum, ſed omnes omnino ordinare voluiſſe, ac referre ad cumulatam humani generis redemptionem, quam D. Thomas cum Patribus paſſioni & morti ejus adſcribit, beneficentiſſimam Redimentis voluntatem ſpectans, non ſatisfactionis, quæ ad redemptionem eſſet neceſſaria, quantitatem.

IV. Chriſtum Dominum ſecundum ſtrictos juris apices ſatisfeciſſe, demonſtrare non poſſumus, niſi conditiones excutiamus, quas ad ſatisfactionem ejuſmodi Theologi bene multi requirunt, quas ſi oſtenderimus in ſatisfactionem a Chriſto exhibitam conveniſſe, confecta res erit, ſummo jure illum ſatisfeciſſe. 1. neceſſe eſt, ut ſatisfactio alteri fiat. 2. ut ex propriis bonis fiat, non creditoris. 3. ut gratiæ creditoris non innitatur; denique ut ex bonis fiat alias indebitis. Quod conditiones has ſatisfactioni Chriſti defuiſſe, opinentur, negant Scoti Diſcipuli, fuiſſe illam ad apices juris exactam, affirmant Thomiſtæ contra, quod memoratas conditiones illa prætulerit. Agite & ſingulas expendamus, & in ſatisfactionem Chriſti optime quadraſſe probemus: atque ut a prima ordiamur, an non ad

alterum illa fuit? Quum toti Trinitati peccatum injuriam intuliſſet, exhibenda profecto erat toti Trinitati ſatisfactio, ideoque & Chriſto ipſi, qui ſecunda Trinitatis Perſona eſt, Patri & Spiritui ſancto conſubſtantialis, quibus ſatisfaciens Chriſtus, ſibi ipſi quoque ſatisfeciſſe dicendus eſt. Quid porro? Ergone quia Chriſtus ſibi ipſi, qua Deus eſt, ſatisfecit, cenſeri non debet alteri ſatisfeciſſe? Sola naturarum diverſitas ſatis eſt, ut licet una in Chriſto ſit creditoris, & ſatisfacientis Perſona, alteri tamen exhibita ſatisfactio dici poſſit; nonne etenim juſtitia, quæ ad alterum eſt, exerceri recte poteſt, ubi diſtincta ſunt jura? Etſi una eademque Perſona ſit, quæ ſatisfacit, & cui ſatisfactio exhibetur, ea naturarum differentia, quæ voluntatum & jurium diſtinctionem infert, abunde ſufficiet, ut Chriſtus alteri ſatisfeciſse dicatur. Mirum ſane eſt, id a Scotiſtis negari, quos plane non latet, haud minus religionis, obedientiæ & ſervitutis actus alteri exhibendos eſſe, quam veram juſtitiam in alterum exercendam; ſi enim ſola diverſitate naturarum in unitate Perſonæ effectum certiſſime eſt, ut Chriſtus in forma ſervi ſe ipſum in forma Dei coluerit, & oraverit, ſibi ipſi obediverit, & ſacrificium obtulerit, & ſibi ipſi naturali ſervitute ſubjectus fuerit, & a ſe ipſo meritus fuerit, & pro meritis exaltatus, quid ni effici potuiſſe credamus, ut eadem Chriſti Perſona, qua homo, ſibi ipſi, qua Deus eſt, ſatisfaciens, juſtitiam, quæ ad alterum eſt, impleverit?

V. Fuiſſe illam vero ex propriis ſatisfacientis, non ex creditoris bonis exhibitam, facile intelligemus, ſi generale & ſupremum a peculiari & privato dominio internoſcamus, atque recte ſtatuamus, etſi poſterius priori ſubdatur, a priori tamen non tolli, ſed perfici, ſicut & univerſalis cauſa particularium virtutem atque efficientiam nec impedit, nec imminuit. Quid inde? Ex doctrina hac, quæ omnibus communis eſt, aperte conſequitur, ſatisfeciſſe Chriſtum ex propriis; etſi enim actiones quæque humanæ Chriſti ſupremo & generali Dei creditoris dominio ſubeſſent, erat ille tamen, qua homo, libero pollens arbitrio, earumdem peculiari, ac privato jure vere Dominus; quare quum explorata res ſit, ſubditum poſſe ſtricto jure Domino ſatisfacere ex bonis ipſis, quæ etſi *alto*, ut Juriſconſulti loquuntur, Principis dominio ſubduntur, privato tamen, & proprio jure ſunt ſubditi, non eſt cur negemus, Chriſtum Deo ex propriis ſatisfeciſſe. Sane ſi generale ac ſupremum Dei in Chriſti actiones dominium impedimento fuiſſe velint Scotiſtæ, ne Chriſtus ſecundum juſtitiæ leges ſatisfeciſſe dicatur, fateantur, neceſſe eſt, nec poſſe quemquam hoc titulo Deo proprie ſatisfacere; Quid enim habemus, quod Dei non ſit? Si ergo noſtra omnia generali, & ſupremo Dei dominio ſubjecta, ideoque aliena, non noſtra, obeſſe non poſſunt, quin alteri ſatisfaciamus ex propriis, quia alio titulo Dei ſunt, alio noſtra, & licet omnia Deo referamus accepta, donata ſunt illa tamen nobis a Deo, ut noſtra vere eſſent, ita generale Dei in Chriſti operationes dominium certe non obfuit, quin ille ex propriis ſatisfecerit.

VI. Ex quo etiam tota ſatisfaciendi efficacitas, quam actionibus Chriſti tribuimus, ex hypoſtatica unione petatur, ex qua earum dignitas infinita profluxit, minus ſcite negant Scoti aſſeclæ, ſatisfactionem Chriſti ſtricti juris fuiſſe, quia gratia creditoris innitebatur. Si duplicem creditoris gratiam diſtinguere nobiſcum velint, antecedentem unam, quæ recipientis propria jam facta eſt, conſequentem alteram, nullo negotio deprehendent, non priorem, ſed poſteriorem ſolum ſatisfactioni ſtricti juris officere; Si enim Princeps e. g. ſubdito mille aureos dono det, tum vero deinceps hic debita Principi vectigalia perſolvere, aut quidpiam regii juris emere ab eo velit, an non vere poterit eoſdem aureos etſi dono acceptos, ſuos tamen jam proprie factos eidem Principi rependere, eique, aut pro vectigalibus, aut alio quopiam contractu facere ſatis? Si quo tempore tamen aut vectigalia perſoluturus eſt ſubditus, aut quidpiam empturus a Principe, hic pecuniam numeraret, qua alterutrum horum præſtare poſſit, intelligimus plane veram & gratuitam largitionem obtegi tunc ſimulata ſpecie juſtitiæ. Ad rem itaque: Hypoſtatica unio, quæ ſupremi creditoris eſt gratia, ſatisfactionem Chriſti omnino antevertit, jamque propria Chriſti facta in jus ejus tranſierat, atque omnia, quæ inde fluebant, jam illi ceſſerant in ſolidam proprietatem; quare

ni!

nil vetat, quominus ſatisfactionem ejus etiam hoc titulo ſtricti juris fuiſſe credamus.

VII. Ut autem pateat, ſatisfactionem Chriſti poſtremam quoque conditionem prætuliſſe, factamque ex bonis alias indebitis, animadvertimus ſatisfacere ſtricto jure quempiam poſſe ex bonis etiam aliunde debitis, modo alii tituli, quibus ea bona obſtricta ſunt, ad alias virtutes ſpectent, eandemque materiam afficiant, ſecus vero, ſi alii tituli ad eandem juſtitiæ ſpeciem attineant, & debiti materiam augeant, puta ſi quis Cajo centum aureos debeat, primo titulo contractus legitimi, ſecundo titulo obedientiæ, quia jubetur a Principe debitum hoc exſolvere, tertio titulo miſericordiæ, quia Cajus neceſſitate premitur centum his aureis ſibi debitis carens, nonne una centum aureorum ſolutione faciet tribus his titulis ſatis, quod hi etſi numero plures, in eandem tamen materiam recidunt, faciuntque, non ut plura, ſed idem pluribus titulis debeatur? Ita plane humanæ Chriſti actiones religionis, charitatis, obedientiæ, & grati animi titulis Deo obſtrictæ erant, non tamen ſatisfactionis nomine; innocentiſſimus enim ipſe, & cujuſque peccati expers nihil Deo debuiſſet hoc titulo, niſi fidejuſſor noſter factus in ſe noſtra ſcelera ſuſcepiſſet, & exhibendæ pro iis ſatisfactioni ſponte ſe ſeciſſet obnoxium. Ex quo autem in vadimonium pro nobis venit, debitorem ſeſe divinæ juſtitiæ conſtituit, cui ſatisfacere optime potuit iiſdem iis actionibus, quæ Deo aliarum virtutum titulis jam debebantur, quum & juſtitiæ, & quarumcumque aliarum virtutum tituli, ex quibus debitum oriri poterat, in eaſdem Chriſti actiones caderent, neque ſponſor noſter effectus plura Deo debere cœperit, ſed eadem novo titulo, nempe juſtitiæ. Si hæc ita ſint, ajunt Adverſarii, fueritque ſtricti juris ſatisfactio a Chriſto exhibita, eodem itaque jure acceptare illam debuit Deus, quod plane abſurdum eſt, quum Deus nulli ſit debitor. Plura reponi poſſent, ſed breviter cum Angelico reſpondemus, Deum, etſi nulli quidquam debeat, ſibi ipſi tamen debitorem eſſe, ſeu debitum eſſe, ut quod decrevit, impleatur; quare quum Filium ſuum propoſuerit propitiatorem pro peccatis noſtris, ipſe ſibi neceſſitatem induxit acceptandi ſatisfactionem ejus, quæ non condigna ſolum, ſed etiam redundans erat. Plura de argumento hoc expetentibus præſto ſunt Scholaſtici quique uberrime de quæſtione hac, & ſuperiori agentes. Pauca hæc pro temporis anguſtia nobis viſa ſunt ſatis, quibus de Deo homine facto tractationem abſolvimus.

FINIS TOMI QUINTI.

R-E-

RERUM INDEX.

I. Tractatio hæc Geometrarum more digeritur. II. *Libri genuini*, nec non & *ſynchroni*, *hiſtoriæ*, *prophetiæ*, *miraculi*, & *Religionis Chriſtianæ* definitiones præmittuntur. III. Poſtulatur, amoveri pertinacem, obfirmatumque adverſus veritatem animum, eundemque adhiberi moderate docilem. 3

AXIOMATA.

AXIOMA I.

Omnis liber vere genuinus eſt, quem omnes ſemper, & continuata ſerie genuinum habuerunt. Confirmatur. 4

AXIOMA II.

Omnis hiſtoria verax eſt, cui in rerum geſtarum narratione plures alii vel coævi, vel ſuppares libri concinunt. Confirmatur. 5

AXIOMA III.

Propheticum lumen a Deo ſolo eſt. Confirmatur. 6

AXIOMA IV.

Veri nominis miraculorum ſolus Deus eſt auctor. Confirmatur. ibid.

PROPOSITIONES.

PROPOSITIO I.

Libri novi Teſtamenti ſinceri ſunt, non ſuppoſiti.

I. II. III. & IV. Argumentis firmiſſimis veritas hæc demonſtratur. V. VI. VII. & VIII. Quidquid opponere poteſt incredulitas, diſpellitur. 7

PROPOSITIO II.

Hiſtoriæ in novo Teſtamento deſcriptæ veraces ſunt.

I. II. III. IV. Propoſitionis hujus veritas invictis argumentis conſiabilitur. V. VI. VII. VIII. IX. X. Incredulorum objecta refutantur. 11

PROPOSITIO III.

Miracula Chriſti a novi T. Scriptoribus enarrata, verum illum eſſe Deum, probant.

I. II. III. Demonſtratur hæc veritas. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. Multiplex in eam impiorum impetus frangitur. 15

PROPOSITIO IV.

Quæ a Chriſto edita, & eventu donata vaticinia referunt Evangeliſtæ, veram ejus adſtruunt Deitatem.

I. Propoſitionis veritas in pleno lumine collocatur. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. Offuſæ ei ab Incredulis tenebræ diſpelluntur. 21

PROPOSITIO V.

Promiſſa Chriſti fideliſſime impleta invictum ſunt Deitatis ejus argumentum.

I. II. III. Veritas hæc ad liquidum plane deducitur. IV. V. VI. VII. Fruſtra eam ab Incredulis appeti, evincitur. 24

PROPOSITIO VI.

Quæ de Chriſto tradunt Evangeliſtæ, verum quoque illum fuiſſe hominem probant.

I. Adverſus Ethnicos præſertim ac noſtri ævi Incredulos veritatis hujus defenſio ſuſcipitur. II. Genuina Incarnationis notio profertur. III. Ejus veritas demonſtratione ex Evangelica hiſtoria petita conficitur. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. Quæ adverſus eam opponunt Increduli, futilitatis revincuntur. 27

Legitima propoſitionis hujus conſectaria.

CONSECTARIUM I.

Deus verum aſſumpſit humanum corpus.

I. Recenſentur Hæretici, qui verum a Chriſto humanum corpus ablegarunt. II. III. IV. Valide refutantur. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. Omnia eorumdem argumenta eliduntur. 32

CONSECTARIUM II.

Chriſtus veram adſumpſit animam, eamque mente præditam.

I. Apollinaris errores notantur. II. III. IV. Refelluntur. V. VI. VII. Errorum fundamenta reteguntur, & disjiciuntur. 37

CONSECTARIUM III.

Fuit in Chriſto ſcientia creata a divina, & increata diſtincta.

I. Confirmatur. II. Multiplex humanæ ſcientiæ Chriſti partitio. Varii, qui eam oppugnarunt, indicantur Increduli. III. IV. Qui & ſola Evangeliſtarum narratione refutantur. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Calvini præſertim adverſus ſcientiæ Chriſti perfectionem argumenta diluuntur. 39

CONSECTARIUM IV.

Fuit & in Chriſto humana voluntas & operatio.

I. Monotelitarum error exhibetur. II. III. Et Evangelica narratione obteritur. IV. V. VI. VII. VIII. IX. Quæ e naturali ratione, & ex Patrum teſtimoniis opponebant Monotelitæ, diſſolvuntur. 44

PROPOSITIO VII.

Evangeliſtarum narratio unam eandemque Dei & Hominis in Chriſto Perſonam fuiſſe probat.

I. II. Neſtorii error exponitur. III. IV. V. Evangelica narratio adverſus eum urgetur. VI. VII. VIII. IX. X. Neſtorii cavillationes omnes retunduntur. 48

PROPOSITIO VIII.

Evangelicæ narrationis ſeries quamlibet naturarum in Chriſto converſionem, & confuſionem excludit.

I. De Entychetis errore non una recentium Theologorum opinio. II. In figendo ejus errore coævis potius Scriptoribus auſcultandum. III. Magiſtri ſui errorem Gregales ejus non uno modo interpretati ſunt. IV. Pravas eorum interpretationes D. Thomas invicte refellit. V. Qui & argumento ex Evangelica narratione conflato Entychianorum errorem convellit. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Eorumdem tricæ omnes expediuntur. XII. XIII. XIV. XV. Quæ de Incarnationis myſterio propoſitiones veræ ſint, & tutæ, quæ falſæ & vitandæ, aperitur. 52

PROPOSITIO IX.

Jeſus verus Deus & verus homo ipſe eſt Meſſias ſacro veteris Inſtrumenti eloquio millies prænuntiatus.

I. II. Locupletiſſimo Jo. Evang. teſtimonio veritas hæc tranſigitur.

Reſpondetur Incredulis.

III. IV. V. VI. VII. Sinagogæ, quæ Chriſtum damnavit, & repulit, perfidiam veritatis hujus, quam tuemur, argumentum eſſe, demonſtratur. VIII. IX. X. XI. Quæ vera ſit Meſſiæ magnitudo a Prophetis prædicta, declaratur. XII. XIII. Hebræorum duos Meſſias ſomniantium deliratio redarguitur. XIV. XV. XVI. XVII. Eorumdem de Meſſia bellicoſiſſimo & Gentium domitore commentum obteritur. 58

PROPOSITIO X.

Circumſtantia temporis, quo Jeſus advenit, verum illum Meſſiam fuiſſe, probat luculentiſſime.

I. II. III. IV. V. VI. Veritas hæc demonſtratur, quod toto terrarum orbe pacato, florente Romanorum Imperio, & ſtante ſecundo templo ille advenerit.

Refutantur objecta.

VII. VIII. IX. Cur ſingulas Meſſiæ notas ſingillatim excutimus, & ex quo illæ in Jeſum noſtrum convenerint, Meſſiam illum vere fuiſſe, conficimus, explicatur. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. Quæ adverſus Auguſtæam pacem, qua vigente natus eſt Jeſus, & adverſus Danielis & Aggæi oracula opponi poſſunt, extricantur. 64

PROPOSITIO XI.

Jeſus a Davide genus ducens, & Bethleemi ortus alteram pratulit veri Meſſiæ notam.

I. II. Utrumque caput luculenter confirmatur.

Refelluntur objecta ab Incredulis.

III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. Quæ adverſus Chriſti genealogiam a Math. & Luca contextam Increduli torquent, retunduntur. X. Bodini adverſus Bethlee-

thleemiticum Chriſti ortum momenta disjiciuntur. 71

PROPOSITIO XII.

Jeſus e Virgine natus alterum exhibuit veri Meſſiæ characterem.

I. II. Demonſtratur.

Refutantur Increduli.

III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Quæ ad obſcurandum celeberrimum Jeſaiæ vaticinium congerunt, diſſipantur. XII. XIII. XIV. Bodini & Grotii commentationes vanitatis redarguuntur. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. Præcipuum denique Incredulorum telum obtunditur. 74

PROPOSITIO XIII.

Vitam Jeſus duxit eandem, quam a Meſſia ducendam Prophetæ prædixerant.

I. II. III. Prophetarum cum Evangeliſtis contentione veritas hæc evincitur.

Refelluntur objecta ab Incredulis.

IV. V. VI. VII. VIII. IX. Quæ ad infirmandam Evangeliſtarum fidem Bodinus præſertim opponit, vaniſſima, & inſulſa. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVII. & XIX. Petitæ ex nova, quam Jeſus tulit, lege, novoque, quod inſtituit, Sacerdotio difficultates enodantur. 81

PROPOSITIO XIV.

Jeſus iis omnibus pœnis, eaque morte affectus eſt, quibus Meſſias ſecundum Prophetarum oracula fuerat afficiendus.

I. II. III. IV. V. Miram Prophetarum & Evangeliſtarum conſenſio veritatem hanc ſub oculis ponit.

Eliduntur Incredulorum cavillationes.

VI. VII. VIII. IX. X. XI. Pſalmi vigeſimi primi auctoritas ab impiorum oppugnatione defenditur. XII. XIII. Ut & Zachariæ verborum c. XI. v. 13. & c. XII. v. 11. 88

PROPOSITIO XV.

Jeſus deſcendit ad inferos, quo ſecundum Prophetarum oracula Meſſias deſcenſurus erat.

I. II. Hæc Prophetarum oracula exitum in Jeſu noſtro habuiſſe, probatur. III. IV. V. VI. VII. VIII. Joannis Pherepoui multus adverſus hanc veritatem conatus enervatur. IX. Quod Deiſtæ adverſus eandem regerunt, ineptum. 94

PROPOSITIO XVI.

Jeſus reſurrexit ſecundum Scripturas, quæ Meſſiæ reſurrectionem præcinebant.

I. II. III. IV. V. VI. Apoſtolorum teſtificatione veritas hæc conficitur. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. Omnia Deiſtarum argumenta diſſolvuntur. 97

PROPOSITIO XVII.

Notiſſimum Flavii Joſephi de Chriſto teſtimonium genuinum eſt, & ſincerum.

I. Deſcribitur, & qui illud primo oppugnarunt, indicantur. II. III. Ejus ſinceritas confirmatur. IV. V. Suſcipitur Euſebii, qui illius primo meminit, defenſio. VI. VII. VIII. Argumentum ex veterum Patrum ſilentio conflatum diluitur. IX. X. XI. XII. XIII. Nihil in teſtimonio ipſo, quod ejus ſuppoſitionem probet, ineſſe oſtenditur. 104

PROPOSITIO XVIII.

Jeſus eſt verus humani generis Redemptor.

I. II. III. IV. Socinianorum impius error exponitur, & refutatur. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. Socinianorum ſophiſmata extricantur. 109

PROPOSITIO POSTREMA.

Satisfactio Chriſti redundans fuit, & ad ſtrictos apices juris exacta.

I. Prima propoſitionis pars demonſtratur. II. III. Secus opinantium momenta ſolvuntur. IV. V. VI. VII. Altera pars probatur, veræque ſatisfactionis conditiones expenduntur. 114

INDICIS RERUM FINIS.

PRÆLECTIONES
DE GRATIA

AD TUTISSIMAM SS. AUGUSTINI, ET THOMÆ DOCTRINAM DIRECTÆ.

PROOEMIUM.

QUoniam *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, eo intelligimus Divini Verbi hominis facti ſalutarem œconomiam ſpectaſſe, ut *per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt diabolum, liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti .... ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum ...* & fieret *omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ ... & multos filios in gloriam adduceret*. *Se ipſum itaque offerendo ſemel fecit, ut ſpiritum adoptionis reciperemus .... ut filii Dei nominemur, & ſimus ... ut repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis, atque una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, gratiam nobis commerens, quæ *emundat conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi, ex filiis iræ filios dilectionis, filios regni* facit, & *hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*. Quum ſit ergo gratia *æternæ* a Chriſto *per proprium ſanguinem inventæ redemptionis* ſaluberrimus fructus, a tractatione *de Deo homine facto* ad hanc, quæ *de gratia* erit, calamum traducimus, ordinate quidem; quam ægre tamen, quam trepidanter, quam diffidenter! Animo enim ſemper maxime alieno fuimus ab argumento hoc pertractando, quod viſum nobis fuerit ſemper & ſuapte perdifficile, & difficultatibus, quæ in Scholas ſub ſextidecimi ſæculi exitum invectæ ſunt, multo impeditius; fuerant nobis in hunc diem ſatis ſu-

perque, quæ de arcano hoc in ſcholis imberbes adhuc ex D. Th. didiceramus, poſitumque a nobis non leve in excitatis ſubin de gratia controverſiis ſtudium, quo in ea, quam primum animo imbiberamus, retinemuſque conſtanter, ſententia confirmaremur, quam uſqueadeo perſuaſam hactenus habuimus habemuſque, ut a concepta jamdudum ſpe dimoveri nunquam potuerimus, fore ſcilicet, ſi votis annuat pro ſumma ſua clementia *miſericordiarum Pater*, ut ea a nobis gratiæ indoles & efficacitas, multo quidem clarius, apertiuſque, videatur in patria, quam edocti ſumus in via. His propterea, quæ videbantur poſſe privatæ noſtræ eruditioni ſufficere, plane contenti, inducere animum nunquam potuimus ad tractationem hanc ſuſcipiendam; neque certe ad ſcribendum de argumento hoc manum admoviſſemus, niſi Virorum dignitate perinde ac doctrina maxime ſpectabilium, quorum ſunt nobis cohortationes in imperiis habendæ, hanc a nobis ſcriptionem veluti extorſiſſet auctoritas.

Quamquam percipere facillime quiſque poſſit, quæ nos a propoſito hoc hactenus abſterruerint, penituſque avocarint, fatemur tamen, abſterritos nos, avocatoſque potiſſimum, quod tanta jam ſit librorum de gratia ſeges, ut a duobus ferme ſæculis nulla copioſior; quare pudebat, propriæ tenuitatis ſibi intime conſcios, ad tot, tamque accuratas inſignium Virorum lucubrationes quidquam adiicere, quaſi vero hujuſmodi mercibus nondum ſatis oppletus eſſet mundus, nec haberent cujuſque Scholæ Theologi, quo apud ſuos hujus generis controverſiarum cumulatam notitiam haurirent. Aſt jam non licet proprio conſilio uti, ſed Majoribus gerendus eſt mos. Agendum itaque, idque laboris & operæ alacriter ſuſcipiamus, ſin ad aliorum commodum nihil momenti allaturum, futurum ſaltem noſtræ adverſus ejus ſuſcipiendi auctores, impulſoreſque obſervantiæ argumentum. Quo eam vero, in quam nos damus, conficiamus feliciter viam, ſumma nobis religio erit, a Sanctorum Auguſtini & Thomæ veſtigiis vel latum unguem diſcedere, quum perſuaſum nobis firmiſſime ſit, ad nullius poſſe nos, quam ad horum ductum fidentius tutiuſque applicare; quæ enim in Eccleſia ſit Auguſtini gratiam Chriſti exponentis auctoritas, neminem latet, poſt illum autem neminem de eadem copioſius D. Thoma, limatiuſque diſſeruiſſe, annuunt omnes, quorum non eſt præjudiciis imbutus animus. Erunt itaque Prælectiones hæ noſtræ ad horum *tutiſſima*, *& inconcuſſa dogmata* exactæ omnes, quibus modum quendam adhibentes & ordinem, a gratiæ notione, ut par eſt, dicendi initium faciemus: multiplicem exin, cum quæ in ſacris literis, tum quæ apud Patres & Theologos eſt, ejuſdem diviſionem perſequemur. Erunt ſubin memorandi adverſus Eccleſiæ de Chriſti gratia doctrinam errores, primique eorumdem artifices. Horum ſequetur ampla, & pro modo noſtro valida refutatio. Agendum poſtremo de præcipuis, de quibus tanta nobis jamdudum eſt cum Novatoribus colluctatio, gratiæ effectis, juſtificatione nimirum & merito.

PRÆLECTIONUM DE GRATIA

PARS I.

PRÆLECTIO I.

De notione gratiæ.

I. GRatiæ nomen & ab adverbio *gratis*, & a verbo *gratus* derivari, adnotat D. Thomas 3. c. G. c. 150. Ad priorem originem ſi attendimus, quidquid homini a Deo conceditur, quin ulla ejus merita præiverint, *convenienter gratiæ nomen accipit*; *gratis* enim dari alicui dicitur, quidquid *abſque ullis ejus præcedentibus meritis* datur; quare ajebat ad Rom. 11. Apoſtolus: *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia:* Poſteriorem etiam ſi excutimus, quidquid non homo ſolum, ſed & creata quælibet a ſummo omnium Auctore habent, *gratia* dici poteſt, quod & homo & creata quælibet Deo ſint *grata*. Cur enim homo alteri gratus, niſi quia ab eo diligitur? Nonne autem omnia a Deo dilecta, qui *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, Gen. 1., & Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti?* Quid diligere, niſi bonum ei velle, quem diligis? Quum ergo eſt cujuſque creatæ rei exiſtentia, ejuſque perfectio omnis a *Deo volente, & operante ſit*, ſunt omnia a Deo dilecta eique grata, quæcunque propterea

in

in creatis rebus a Deo ſunt bona, *gratia* & hoc nomine dici poſſunt; nam qui ab alio diligitur, *habere gratiam* ejus dici conſuevit. Hinc & Auguſtinus enarr. in Pſal. 144. ajebat: *Quædam eſt Dei gratia, qua fecit & creavit nos*; & in ep. quinque Epiſcoporum ad Innocentium: *Quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati ſumus, ut nonnihil eſſemus, nec ita eſſemus aliquid ut cadaver, quod non vivit, & arbor, quæ non ſentit, aut pecus, quod non intelligit, ſed homines, qui & eſſemus, & ſentiremus, & viveremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio gratias Creatori noſtro agere debemus; unde merito & iſta gratia dici poteſt, quia non præcedentium aliquorum operum meritis; ſed gratuita Dei bonitate donata eſt*.

II. Cæterum etſi naturalia etiam beneficia gratiæ nomenclaturam accipiant, non eſt nobis tamen de hujuſmodi gratia futurus ſermo, ſed de *altera, qua*, ut ibidem Auguſtinus ait, *Deus refecit, ſeu redemit nos, qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur*, quamque conſtantiſſime ſemper a Pelagio negatam, teſtis eſt ibidem Auguſtinus aiens: *Pelagius Deo quidem tribuit, quia eſt, & in hoc recte ſentit, ſibi vero, quod juſtus eſt, & in hoc ſua ipſum ſententia fallit*, & ep. 2. ad Syxtum: *Quum ab iſtis*, ſcilicet Pelagianis, *quæritur, quam gratiam cogitaret Pelagius, quando anathematizabat eos, qui dicunt, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, reſpondent, cogitaſſe ipſam humanam naturam, in qua conditi ſumus; Neque enim, antequam eſſemus, mereri aliquid poteramus, ut eſſemus: Sed abiiciatur a Chriſtianorum cordibus iſta fallacia; namomnino non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, ut homines eſſemus, ſed qua juſtificati ſumus, ut juſti eſſemus: Iſta eſt enim gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; etenim Chriſtus non pro nullis, ut homines conderentur, ſed pro impiis mortuus eſt, ut juſtificarentur*. Præclare itaque Soto l. 4. de nat. & gr. c. 2. „Si miſericordiam Dei ſpectes hanc rerum machinam cum ex nihilo effingentis, tum continenter ſuſtentantis, naturalia cuncta cognoſces opera eſſe gratiæ (ſive gratuitæ Dei voluntatis, cui nulla hominum præire merita potuerunt): At vero, ubicunque gratiam in ſacra pagina, in Paulo præſertim, legimus, tali nomine donum venit, naturæ ipſi præter ſuum debitum ſuperlatum cælitus ad agendum opus ſupernaturale; namque naturalia munera, licet non ſint debita perſonæ, quaſi ipſa meruerit, ſunt tamen modo quodam debita naturæ, ſupernaturalia vero nec perſonæ debita, nec naturæ, & ideo ſimpliciter dicuntur gratiæ," quam ille doctrinam ex D. Th. hauſit 1. 2. q. 111. ar. 1. ad 2., & ar. 4. ad 1.

III. Licet etiam creata omnia, quorum ſunt a Deo, quæcunque habent, bona, ſint a Deo dilecta, eique grata, quare & hoc nomine naturalia dona *gratiam* dici poſſe, concedit Angelicus loc. mox cit. ex 3. c. G. c. 150., ſapientiſſime tamen animadvertit, auxilia atque dona nobis divinitus ſuppeditata, ad ea officia, quibus ineundis ac perficiendis natura non ſufficit, gratiam vere magiſque proprie dici, quod hujuſmodi auxiliis ac beneficiis reddatur homo *ſpeciali quadam prærogativa* Deo gratus, quod ſignificavit Apoſtolus ad Eph. 1. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo, ideſt gratos fecit, ut eſſemus digni dilectione ſua*; Si enim, ut jam oſtenſum eſt, alter alteri gratus, quia ab eo diligitur, nonne ſingularis & eximia Dei eſt erga illos dilectio, quibus auxilium præbet ad obtinendum, quod naturæ ordinem ſuperat, bonum, ad perfectam ſcilicet non alicujus creati boni, ſed ſui ipſius poſſeſſionem? Eximie ergo ſunt ii Deo grati, quibus hoc ſuppeditatur auxilium, quod propterea maxime proprie dicitur gratia, *non ſolum quia gratis datur, ſed etiam quia hoc auxilio homo ſpeciali quadam prærogativa dicitur Deo gratus*.

IV. Quæ autem hæc gratia, quid hoc auxilium? Sola ne Dei hominem ſibi gratum habentis, hominemque ad æternam vitam ordinantis, adiuvantiſque dilectio? Ita quidem veterum Scholæ Magiſtrorum nonnullis viſum, quos ibidem memorat D. Thomas, opinatos, gratiam Dei *nihil in homine ponere*, ut nihil reipſa ponitur, ex quo aliquis Regi gratus, ejuſque *gratiam habere dicitur, ſed ſolum in Rege diligente*. Eos autem *deceptos* addit D. Th. quod non ſatis adverterint, quid divinam inter, & humanam dilectionem interſit; Divina enim fæcunda eſt, bonique effectrix, quod in aliquo diligit, *non ſem-*

per autem humana, quæ *provocatur* accenditurque *ex aliquo bono*, *quod in dilecto eſt*; quum ergo excitetur & alliciatur homo ad quempiam ſpecialiter diligendum, quod jam in eo ſit eximium aliquod bonum, ſolidum, aut æſtimatum, ſpecialis Dei dilectio, quæ bonum efficit, non ſupponit, ſingulare aliquod bonum homini conferat, oportet, quem ſingulariter diligit, ideoque gratia gratum faciens, quæ præcipuam Dei erga hominem dilectionem deſignat, ſpecialem homini bonitatem, perfectionemque afferre, intelligenda eſt. Præclare hanc D. Thomæ rationem illuſtrat Soto l. 2. de nat. & gr. c. 17. ajens: „ Homo amicum non diligit propter probitatem, quam in eo efficit, ſed propter eam, quam in ipſo apparentem videt, aut propter aliam quamlibet cogitatam cauſam; & ideo poteſt quis quempiam habere gratum & acceptum ſine aliqua bona qualitate, quæ in eo ſit. Deus autem neminem diligit, niſi propter bonitatem, quam ipſe diligendo ingenerat; quinimo id ipſum quod nos diligit, eſt dignos nos facere, & juſtos, atque adeo potentes juſta juſteque operandi: Et ideo licet, gratia, qua ſum amico gratus, nihil in me qualitatis addat, ea tamen, qua Deo ſum gratus, qualitas eſt mihi ab eo infuſa. “

V. Hinc propterea vix ullus Theologorum eſt, qui a Magiſtro ſententiarum non diſſentiat opinato l. 1. diſt. 18., charitatem & gratiam non eſſe quidpiam in nobis a Deo infuſum, neque ipſa in nobis manens, ſed Spiritum ipſum Sanctum, qui nobis illabitur. Abſit autem, ut uſque adeo deſipuiſſe illum quis putet, ut charitatis actus noſtros, qui ſunt quidpiam creatum & fluens, ipſam eſſe Spiritus S. ſubſtantiam cogitarit: „ Id tantum arbitratus eſt, ait Soto, quod Spiritus S. non excitet moveatque nos ad amorem Dei, & alia charitatis officia, per aliquem in nobis immanentem habitum, ſed per ſe ipſe proxime, “ quam ut ſibi in animum opinionem induceret, in cauſa fuit, quod l. 8. Auguſtinus illud Jo. exponens, *Deus charitas eſt*, ait: *Qui proximum diligit, conſequens eſt, ut dilectionem ipſam diligat, nam dilectio Deus ipſe eſt*, & infra: *Qui cognoſcit fratrem, quem diligit, cognoſcit & charitatem ipſam, quæ Deus eſt*, quod & l. 15. c. 17. repetit: *Ita Deus dicitur charitas noſtra, ſicut Deus eſt ſpiritus*, „ atque adeo manifeſtum eſt, inferebat Magiſter, non eſſe in nobis aliam charitatem & gratiam præter Perſonam ipſam Spiritus S. “ Præpoſteram hanc ejus opinationem nervoſe refutat D. Th. 22. q. 23. ar. 2., errandique illum, alioſque poſt eum anſam ex verbis Auguſtini cepiſſe, animadvertit, quod non attenderint, eſſe illa ad uſitatum Platonicis loquendi modum exacta; fuit enim, ut norunt omnes, Auguſtinus ab ineunte adoleſcentia Platonis diſciplinis imbutus, cujus ea notiſſima poſitio, ideas ſeparatas ſingularium rerum ſeu individuorum formas eſſe, quas ideas nec extra Dei mentem, nec aliud revera ab ipſa divina eſſentia eſſe, Auguſtinus agnoſcit, ut Theologi profitentur; quare, quum quidquid in nobis perfectionis ineſt, ut bonitas, ſapientia, charitas, juſtitia ec. quædam ſit ejuſmodi, quæ in Deo ſunt, perfectionum emanatio, ac tenuis participatio, Platonico loquendi more ut non ſemel ait, bonos ſapienteſque nos eſſe bonitate, ac ſapientia, quæ Deus eſt, ita & noſtram, qua Deum diligimus, charitatem Deum ipſum eſſe. Cæterum ut cordato nemini in mentem venerit, negaſſe Auguſtinum, ſuam cuique ineſſe bonitatem, ſapientiam &c. propriam ab infinita Dei bonitate ac ſapientia derivatam, & infinito intervallo diſtantem, quod in Prælectionibus *de Deo uno ejuſque attributis* oſtenſum eſt, ita infigniter ab iis erratum, qui cum Magiſtro putarunt, iis Auguſtini verbis excluſum charitatis donum creatum a Spiritus S. Perſona diſtinctum, in homine divinitus infuſum, ſeu, ut Apoſtolus loquitur, *diffuſum in cordibus noſtris per inhabitantem Spiritum Dei in nobis*. Expeditum eſſet, veritatem hanc & divini eloquii, Patrumque teſtimoniis, & theologicis momentis confirmare, niſi & hoc ab inſtituto noſtro alienum eſſet, & jam ſupervacuum, obſoletam & dudum antiquatam opinionem exagitare.

VI. Sunt autem hæc unice collata ad probandum, gratiam creatum *quid in anima ponere*, atque, ut ait D. Thomas, *per hoc*, *quod dicitur homo gratiam Dei habere*, *ſignificari ſupernaturale quiddam in homine a Deo proveniens*; nam, ut idem veriſſime diſſerit 1. 2. q. 110. ar. 1. ad 1., & in homine, qui alterius gratiam habere dicitur, intelligitur aliquid, quod alteri gratum eſt, perinde ac in eo, qui dicitur habe-

habere Dei gratiam, diſſimiliter tamen. Quod enim eſt in homine gratum alteri, non ab hujus dilectione proficiſcitur, ſed illam antevertit, eique *præſupponitur*: ex dilectione divina contra, ceu a cauſa effectus, profluit, *quod eſt in homine Deo gratum*. *Supernaturale* hoc autem *in homine a Deo proveniens* quidpiam ne ſit fluens ſeu tranſiens impreſſionis atque motionis inſtar, an permanens, & inhærens, nondum definimus, quod pro vario gratiæ genere, de quo infra, non una eademque poſſit quæſtio reſponſione diſſolvi. Neque etiam inſtituti noſtri eſt, diſputare, an *ſupernaturale* hoc, quod gratiam dicimus, *in homine a Deo proveniens*, qualecunque illud ſit, defluens ſcilicet, vel ſtabile, reipſa ab animæ, quæ illud recipit, ſubſtantia diſtinguatur. Quicumque perſpectum habent, quid accidentis nomine apud Philoſophos veniat, & quid de gratia Vienenſe, & Tridentinum Concilia ſentiendum edicant, vix hærere nobis poſſe videntur in quæſtione hac dirimenda. Si enim ex ſpeciali Dei dilectione *ſupernaturale* quidpiam a Deo reapſe diſtinctum in hominem derivatur, *diffunditur in corde ejus*, eique *inhæret*, quo fit *ſpeciali quadam prærogativa Deo gratus*, qui poteſt novum hoc externum, ſive extrinſecus proficiſcens, & advertitium, verum cæteroqui & ſolidum, ipſa animæ ſubſtantia eſſe, nec ab ea revera diſtingui?

Vix nobis temperare a riſu potuimus, quum Theologi, cujus magnum eſt, nec immerito, ætate noſtra nomen, libros de gratia legeremus. Quo ſe ab Ariſtotelicis documentis alienum, & Recentiorum Philoſophorum placitis plane addictum probet (multum enim de Theologi fama decedit, ſi quidpiam apud eum ex veteri, jamque rancido Peripati fermento remanſerit) negat, gratiam, quam inter & charitatem ſolam ſtatuit *diſtinctionem connotatorum*, *formam* eſſe, quæ *entitatem habeat realiter diſtinctam ab anima*. Quid ergo gratia? Mera eſt *ejuſdem animæ habitudo, mutabilis quidem, & capax incrementi, ſed ab ipſo Spiritu S. inhabitante producta . . . ſeu ipſa natura animæ tali habitudine affecta, & quaſi materies ſignata impreſſione ſigilli, ſignaculo Sancti Spiritus condecorata*. Ut gratiam juſtificantem ſignaculo cuidam æquiparari probet, nonnulla divini eloquii, Patrumque teſtimonia deſcribit, abſque neceſſitate tamen, nam a Catholicorum nemine in dubium vocatur hæc veritas. At, niſi hoc alterius temporis locique eſſet, libenter ab eximio Viro percuntaremur, nova hæc animæ habitudo, mutabilis, & incrementi capax, ab ipſo Spiritu S. inabitante producta quid ſit, ſolidum ne quidpiam, ſeu, ut ajunt, *reale*, an ſola ratione excogitatum; mutatio item, cui obnoxia eſt, &, cujus eſt capax, incrementum, rei ne veritate, an ſola intelligentiæ noſtræ commentatione nitantur? Nemo non intelligit, quo hæc percuntatio ſpectet, quidque ab homine tametſi non multum acuto reponi ſolide promteque poſſit, quamcunque adverſarii partem elegerint. Sed hæc leviter, & veluti per tranſennam: hanc ſibi controverſiam Philoſophi habeant diſceptandam. Graviora Theologi, & quæ ſui ſunt inſtituti, perſequantur, oportet.

VII. Intereſt quidem Theologi, qui præſertim D. Thoma Magiſtro utitur, quoddam ejus dictum exponere, quo videntur hactenus aſſerta convelli. Tractationi enim de gratia hunc Ille præfixit titulum: *De exteriori principio humanorum actuum, ſcilicet de gratia Dei*: ſi autem gratia exterius eſt humanorum actuum principium, nihil profecto intra hominem ponit, nec *ſupernaturale* quiddam ſignificare poteſt *in homine a Deo proveniens*. Viſa eſt nonnullis tam gravis hinc difficultas exiſtere, ut putarint, laudatum textum ſub mendo cubare, neque legendum, *de exteriori principio, ſcilicet gratia &c.* ſed *de Deo, qui nos movet per gratiam*, ita ut principium externum non ſit ipſa, quæ nobis infunditur, inhæretque, gratia, ſed Deus illam infundens. Huic eorum opinioni favent, quæ D. Thomas adiicit e veſtigio: *Conſequenter*, ajens, *conſiderandum eſt de exteriori principio humanorum actuum, ſcilicet Deo, prout ab ipſo per gratiam adiuvamur ad recte agendum*. Favent, & quæ tractatui *de legibus* præfatus fuerat, *conſequenter*, inquiens, *conſiderandum eſt de principiis exterioribus actuum: Principium autem exterius ad malum inclinans eſt diabolus, de cujus tentatione in primo dictum eſt* q. 111. ar. 2. & 3. *Principium autem exterius movens ad bonum eſt Deus, qui nos inſtruit per legem, & juvat per gratiam. Unde primo de lege, ſecundo de gratia dicendum eſt*.

VIII. Non eſſe tamen, cur admodum

de

de recitatis D. Th. verbis, etiamſi legitima, & retinenda ſint, laboremus, monet doctiſſimus Jo. a S. Th., congrue enim & gratia exterius dici poteſt humanorum actuum principium, quia tametſi aliquid in anima vere ponat, aut in ea permanens, eidemque inhærens, ut gratia ſanctificans, aut motionis & impreſſionis fluentis inſtar, ut gratia auxilians, quam *actualem* dicunt, hoc tamen in nos ab exteriori, quod Deus eſt, principio derivatur; quare, ut lapis ſurſum moveri extrinſecus dicitur, tametſi impetus, quo ſurſum propellitur agiturque, vere in eo ſit, quod hunc non a natura inſitum habeat, ſed ab exteriori principio impreſſum, ita & gratia exterius humanorum actuum principium dicta eſt ab Angelico, quod, animam licet vere afficiat, ab exteriori tamen principio, Deo videlicet, eidem communicatur. Brevius & clarius. Gratiam D. Thomas principium vocavit exterius, ut eam ab iis actuum noſtrorum principiis diſtingueret, quæ & in nobis & a nobis ſunt, cujuſmodi agendi vires, quas potentias dicimus, & habitus acquiſiti; de quibus ſuperius egerat. Priores enim ab ipſa natura manant, poſteriores noſtris actibus comparantur: gratia contra, ut & virtutes infuſæ, etſi in nobis, non tamen a nobis ſunt.

PRÆLECTIO II.

De gratiæ diviſione.

I. Conſtitutum Theologis omnibus, gratiam primo dividi in æternam increatamque, & creatam, quæ tempore confertur. Prioris nomine ipſa venit æterna Dei dilectio, quoſdam ſibi gratos habentis; nam, ut 1. 2. q. 110. ar. 1. in c. ſcite adnotat D. Thomas, communi loquendi modo dici conſuevit: *Miles iſte habet gratiam Regis, ideſt Rex habet eum gratum*: Poſterioris autem nomine deſignantur bona, quæ Deus iis, quos gratos habet, gratis impendit. De priore non attinet dicere; de ea namque ſatis in Prælectionibus *De Deo uno* &c. quum de voluntate, & amore Dei, ac prædeſtinatione ageremus: tota nobis de poſteriore futura eſt diſputatio, ſeu de gratia creata, non quidem ut & ipſa naturæ bona nobis a Deo gratis impertita, ſed ut ſola, quæ ſupra naturam ſunt, beneficia complectitur.

II. Hanc autem in *gratum facientem*, & *gratis datam* tribui, Theologis omnibus item ratum; Etſi enim donum quodcunque gratis nobis largiatur Deus, ideoque & quæ nos gratos facit, gratia ſit data gratis, quum tamen viciſſim, non quodcunque collatum homini donum eum Deo faciat gratum, hoc, ait egregie D. Thomas 1. 2. q. 111. art. 1. ad 3., commune ſibi retinet gratiæ *gratis datæ* nomen, eſtque hæc gratiæ diviſio in duo vere oppoſita membra, in gratiam ſcilicet, quæ & gratis data eſt, & gratum facit, & eam, quæ gratis quidem eſt data, ſed gratum non facit; quare utraque in quopiam communi convenit, quod ſint nimirum ambæ datæ gratis, non idem tamen ambarum effectus eſt, ac propterea differunt, & ſecernuntur. Hanc D. Th. doctrinam illuſtrat Soto l. 2. de nat. & gr. c. 3. ajens, gratiam univerſim (quod vox ipſa per ſe aperte ſonat) hoc a ſua cauſa mutuari nomen, quum donum ſit ſuſcipienti non debitum, ſed gratuita donantis voluntate tributum. Cæterum dum ſub aliquo generali nomine ſpecies quæpiam peculiare aliquid habet, unde propriam poſſit appellationem ſortiri, ipſum generale nomen fit aliorum, quæ ſub eodem continentur genere, quaſi proprium & ſpeciale. Quoniam D. Thomas ait, pluribus hoc exemplis declarari poſſe, exemplum ponit Soto in tribus Divinis Perſonis, quarum ſingulæ ſpiritus ſunt, & ſanctæ: verum quia Pater & Filius proprias habent notiones, quibus nuncupantur, Spiritus Sancti nomen tertiæ Perſonæ tribuitur. Similiter gratuitum cujuſque generis divinum donum gratia dicitur, quia gratis datum: at quum ſpecialis ſit gratia, qua Deus ſibi nos proprie, ac ut ajunt, *formaliter*, gratos facit, de qua Apoſtolus ad Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*, & ad Eph. 1. *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, hæc ab effectu gratum faciens proprie nominatur, adhærente ad reliquas communi nomine, ut dicantur *gratiæ gratis datæ*. Qua vero ratione poſteriores hæ gratiæ a gratum faciente diſcriminantur? Conferuntur illæ non in proprium ſuſcipientis bonum, ſed in communem utilitatem, de quibus Apoſtolus 1. ad Cor. 12. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus*

ad

ad utilitatem, nimirum aliorum, & *quia non dantur*, ait D. Thomas, *ut homo ipſe per eas juſtificetur, ſed potius, ut ad juſtificationem alterius cooperetur*, propterea *non vocantur gratum faciens*: Prior contra in ipſius ſuſcipientis bonum proprie, præcipueque tribuitur; per eam enim, ait D. Thomas, *homo ipſe Deo conjungitur*.

III. Quoniam de gratia gratum faciente totus ferme nobis infra futurus eſt ſermo, pauca dabimus de altero diviſionis membro, gratia ſcilicet gratis data, ut a gratum faciente diſtinguitur. Celebris eſt gratiæ hujus partitio apud Apoſtolum 1. ad Cor. c. 12. eam in novem veluti claſſes tribuentem: *Alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum*, cujus diviſionis etſi aptiſſimam, & plane mirabilem D. Thomas rationem reddat cum 1. 2. q. 111. ar. 4., tum c. G. c. 154., lubet tamen exſcribere, quæ in hunc Apoſtoli locum habet lect. 2., quibus ſane nihil illuſtrius, & ad Apoſtoli mentem accommodatius.

„ Ponit Apoſtolus diſtinctionem gratia-
„ rum, quæ quidem, ut dictum eſt,
„ dantur ad utilitatem communem, &
„ ideo oportet, earum diſtinctionem ac-
„ cipere, ſecundum quod per unum pot-
„ eſt aliorum ſalus procurari, quod qui-
„ dem homo nequit facere interius ope-
„ rando, hoc enim ſolius eſt Dei, ſed
„ ſolum exterius perſuadendo, ad quod
„ quidem tria requiruntur: Primo qui-
„ dem facultas perſuadendi, ſecundo per-
„ ſuaſionem confirmandi, tertio perſuaſio-
„ nem intelligibiliter proponendi. Ad fa-
„ cultatem autem perſuadendi requiritur,
„ ut homo peritiam habeat concluſionum
„ & principiorum circa ea, quæ debet
„ perſuadere: Concluſiones autem in his
„ quæ pertinent ad ſalutem, quædam
„ ſunt principales, ſcilicet res divinæ, &
„ ad hoc pertinet ſapientia, quæ eſt co-
„ gnitio divinorum; ut Auguſtinus ait l.
„ 13. de Trin., & quantum ad hoc dici-
„ tur: *alii datur ſermo ſapientiæ*, ut poſ-
„ ſit perſuadere ea, quæ pertinent ad co-
„ gnitionem divinorum: ſic Lucæ 11.:
„ *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui*
„ *non poterunt reſiſtere, & contradicere*
„ *omnes adverſarii veſtri*, & 1. ad Cor.
„ 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*.
„ Secundariæ concluſiones ſunt, quæ per-
„ tinent ad cognitionem creaturarum,
„ quarum cognitio dicitur *ſcientia* ſecun-
„ dum Auguſt. ibid.; Et quantum ad
„ hoc ſubdit: *Alii autem ſermo ſcientiæ*
„ *ſecundum eundem ſpiritum*, ut ſcilicet
„ per creaturas ea, quæ Dei ſunt, mani-
„ feſtare poſſit: Huic enim ſcientiæ at-
„ tribuitur, quo pia fides defenditur, &
„ roboratur, non autem quidquid curioſi-
„ tatis in humanis ſcientiis invenitur, ut
„ Auguſt. ibid. dicit: Sap. 10. *Dedit illi*
„ *ſcientiam Sanctorum*, & Jeſ. 33. *Divi-*
„ *tiæ ſalutis ſapientia, & ſcientia*....
„ Principia autem doctrinæ ſalutis ſunt
„ articuli fidei, & ideo quantum ad hoc
„ ſubdit: *alteri fides in eodem ſpiritu*. “

Cæterum quoniam ſapientia & ſcientia inter dona Spiritus S. cenſentur, fides etiam virtus eſt omnibus Chriſti membris communis, de qua Apoſtolus ad Heb. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, oſtendit Angelicus, aliam eſſe ſapientiam, & ſcientiam, de quibus heic Paulus, ab iis de quibus Jeſ. 11.; Neque enim Paulus in gratiis gratis datis *ſapientiam* & *ſcientiam* numerat, ſed *ſapientiæ & ſcientiæ ſermonem*, quo nimirum homo perſuadere aliis valeat, quæ divinæ ſapientiæ & ſcientiæ ſunt. Neque fides, quam gratiis gratis datis Paulus annumerat, eadem eſt cum virtute, quam alibi ſæpe commendat, ſed vel ſermonem fidei denotat, quo inſtructus homo poteſt, quæ fidei ſunt, recte proponere, vel fidei *certitudinem*, ſeu firmitatem, qua aliquis *excellenter* pollet, ſecundum illud Math. 15. *Mulier magna eſt fides tua*.

Exin de facultate perſuaſionem confirmandi ſermonem inſtituens animadvertit, quæ ad ſalutarem doctrinam pertinent, quum confirmari ſeu probari ratione non poſſint, quippe quæ humanam excedunt intelligentiam, de quibus Eccl. 3. *Plurima ſupra ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi*, oportere, ut *divino ſigno* probentur ſeu confirmentur; quare & Moſes ad populum Iſrael mittendus a Deo ſignum accepit, quo ea, quæ *ex parte Dei* dicturus erat, comprobaret, ut Exod. 4. legitur, ſicut & juſſa Regis ſigillo regio confirmantur. Unde autem divinum ſignum accipitur? Ex eo, quod ſolus facere, necnon ex eo, quod ſcire ſolus Deus poteſt.

Digitized by Google

eſt. Prioris generis ſunt miracula, „ quæ „ Apoſtolus hic in duo diſtinguit; nam „ primo dicit, *alii datur gratia ſanita-* „ *tum*, qua aliquis poſſit ſanare infirmi- „ tatem *in uno* ſcilicet, *& eodem ſpiri-* „ *tu*; Ex his enim perſuadetur aliquis „ non ſolum propter magnitudinem facti, „ ſed etiam propter beneficium: Secundo „ autem dicit, *alii datur operatio virtu-* „ *tum*, ex quibus aliquis perſuadetur ſo- „ lum propter magnitudinem facti, ut „ quum mare dividitur, ſicut legitur „ Exod. 14., vel ſol & luna ſtetit in „ medio cæli, Joſ. 10. " Poſterioris generis eſt futurorum cognitio, quæ fortuita ſeu contingentia dicimus, & arcanorum humani cordis, quam ſolius Dei propriam eſſe ex iis conſtat, quæ Jeſ. 4. legimus: *Annuntiate, quæ ventura ſunt, & ſciemus, quod Dii eſtis ſuos*, & Jer. 17. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile: Quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes.* „ Quantum ad pri- „ mum dicit: *Alii datur prophetia*, quæ „ eſt divina revelatio futuros eventus im- „ mobili veritate denuncians. Joe. 2. *Ef-* „ *fundam de ſpiritu meo ſuper omnem car-* „ *nem, & prophetabunt filii veſtri* &c... „ Quantum ad ſecundum ſubdit: *Alii* „ *diſcretio ſpirituum*, ut ſcilicet homo „ diſcernere poſſit, quo ſpiritu aliquis „ moveatur ad loquendum vel operan- „ dum, utrum ſpiritu charitatis, vel ſpi- „ ritu invidiæ &c. Jo. 4. *Nolite credere omni* „ *ſpiritui, ſed probate ſpiritus, utrum ex* „ *Deo ſint*.

Quia vero perſuaſionem pronuntiandi facultas, quæ in eo poſita eſt, *ut homo poſſit loqui intelligibiliter alii*, ſeu, ut quæ loquitur, alii capiant, impeditur vel *idiomatum diverſitate*, vel *obſcuritate Scripturæ inducendæ*, ſapienter monet, prius ab Apoſtolo impedimentum amoveri, quum dicit: *alii datur gratia linguarum*, ut ſcilicet loqui poſſit diverſis linguis, & ab omnibus intelligatur, ut Act. 2. de Apoſtolis ſcriptum eſt: *Loquebantur variis linguis*; poſterius autem, quum ait: *alii interpretatio ſermonum*, ideſt difficilium Scripturarum: ſic Gen. 40. *Numquid non Dei eſt interpretatio?*

IV. Nec prætermittenda præclara ejuſdem Angelici gloſſa in ea, quæ Paulus continenter adjungit ajens: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, prout vult.* Tres brevi hac oratione profligatos errores notat; Gentilium primo, qui diverſa dona diverſis Diis accepta referebant, ut *ſapientiam Minervæ, locutionem Mercurio* &c.; ſecundo eorum, qui Deo univerſalem duntaxat rerum providentiam tribuentes ſingularium diſtinctionem varietatemque a ſecundis cauſis repetebant; demum illorum, qui non ad ſolam Dei voluntatem, ſed vel ad fatum, vel ad humana merita gratiarum referebant diverſitatem. Primum notat exploſum a Paulo, quum ait: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus*: alterum quum adjecit, *dividens ſingulis*; tertium denique quum inquit: *prout vult*; *Spiritus* enim *ubi vult, ſpirat*: Jo. 3. Quia etiam ibidem Apoſtolus ſcribit, per gratias hujuſmodi fieri *manifeſtationem ſpiritus ad utilitatem*, manifeſtari Spiritum S. dupliciter, exponit Angelicus, primo, ut Eccleſiam inhabitat, eamque docet atque ſanctificat, puta ſi homo nequam, in quo Spiritus Sanctus certe non habitat, miracula edat, ad oſtendendum, veram eſſe fidem Eccleſiæ, quam ipſe prædicat, ſecundo, ut eum, cui gratiæ hujuſmodi conceduntur, inhabitat, ſicut Act. 6. legitur: *Stephanus*, quem Spiritu S. plenum elegerant Apoſtoli, *plenus gratia faciebat prodigia, & ſigna multa*. Poſteriori tamen hoc modo nonniſi Sanctis gratias hujuſmodi largitur Deus: cæterum utroque modo ad aliorum *utilitatem*; Dum enim Eccleſiæ doctrina vera probatur, *confirmantur fideles, & infideles convertuntur*; dum vero ſanctitati alicujus teſtimonium ſignis iſtis perhibetur, ſanctitas ſic teſtata *proponitur aliis in exemplum*.

V. Sunt inter Recentiores Theologos nonnulli, quibus inſtituta hæc a Paulo gratiarum diviſio non prorſus expleta videtur; fuerant enim a Paulo addenda & Sacerdotalis character, & eccleſiaſtica juriſdictio ad gratias gratis datas. Cæterum, qui gratias hujuſmodi *convenienter* ab Apoſtolo fuiſſe diviſas ſolide demonſtravit, D. Thomas nobis ſuppeditat, quo hanc eorum aberrationem coarguamus. Ea enim Pauli exponens, *diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*, ait: „ In his, quæ per gra- „ tiam Spiritus S. conferuntur, tria opor-

„ tet

Digitized by Google

„ tet conſiderare; primo quidem faculta„ tem hominum ad operandum, ſecundo „ auctoritatem, tertio executionem: fa„ cultas quidem habetur per donum gra„ tiæ, puta per prophetiam, per poteſta„ tem faciendi miracula, aut per aliquid „ hujuſmodi; auctoritas autem habetur „ per aliquod miniſterium, puta per Apo„ ſtolatum, vel aliquod hujuſmodi: exe„ cutio autem pertinet ad operationem. „ Primo ergo diſtinguit gratias (novem „ eas, quas hactenus expoſuimus,) ſecun„ do miniſteria (Apoſtolorum, Evangeli„ ſtarum, Paſtorum, Doctorum,) tertio „ operationes &c. “ Ex his patet, ad quam harum diſtinctarum a Paulo claſſium ſacerdotalis character, & eccleſiaſtica juriſdictio pertineant, ad ſecundam videlicet, ſeu ad *diviſiones miniſtrationum*, *ideſt ad diverſa miniſteria & officia*, *quæ requiruntur ad gubernationem Eccleſiæ*; quum enim character & juriſdictio omnium conſenſu in auctoritate conſiſtant, ad eam referenda ſunt claſſem, cujus eſt auctoritas *ad gubernationem Eccleſiæ*.

VI. Quum autem gratia gratum faciens, & gratis data hoc differant, quod prior nonnisi in privatum ſuſcipientis bonum, altera in communem Eccleſiæ utilitatem a Deo donetur, videri cuiquam poſſet poſterior hæc priori longe præſtare; extra litem enim eſt, commune bonum, quod hujus finis eſt, privato multo potius eſſe. Falleretur tamen, qui ſic putaret. Ut enim acute diſſerit D. Th. 1. 2. q. 111. ar. 5. in c., nemo dubitat, quin eo ſit excellentior virtus, quo ad bonum ſublimius ordinatur. Quo autem hominem ordinat gratia faciens, quo gratis data? Prior, ut cum ultimo fine, Deo ſcilicet, immediate jungatur, altera vero ad præparationem quandam, quæ ad conjunctionem ejuſmodi veluti via eſt; prophetia enim, miraculis, aliiſque ſignis excitantur, alliciunturque homines, ut ad finem ultimum ſe convertant; quum ergo finis his quæ ad finem ſunt, antecellat, gratia gratum faciens, quæ hominem cum Deo ipſo conjungit, multo excellentior eſt gratis data, cujus non eſt, niſi ad conjunctionem hanc hominem præparare.

Decretorium porro eſt, quod ex Paulo adjungit, qui omnia perſecutus gratiarum hujuſmodi genera, ſubdit: *Æmulamini autem chariſmata meliora*, quæ autem hæc ſint, continenter exponit ajens: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*, *ſcilicet charitatem*, *qua directius ad Deum itur*. Audiendus Angelicus hæc interpretans: „ Poſtquam Apoſtolus gratiarum gratis „ datarum diſtinctionem aſſignavit, & „ miniſtrationum, in quibus membra Ec„ cleſiæ diſtinguuntur, agit de charitate, „ quæ inſeparabiliter comitatur gratiam „ gratum facientem, & quia promiſerat, „ ſe eis demonſtraturum viam excellentio„ rem, oſtendit præeminentiam charitatis „ ad cætera gratuita dona, & primo „ quantum ad neceſſitatem, quia ſine „ charitate cætera gratuita dona non ſuf„ ficiunt, ſecundo quantum ad utilita„ tem, quia per charitatem omnia mala „ vitantur, & omnia bona aguntur, ter„ tio quantum ad permanentiam; *Sive* „ *enim prophetiæ evacuabuntur*, *ſive lin*„ *guæ ceſſabunt*, *ſive ſcientia deſtruetur*; „ *At charitas nunquam excidit*. “

Quia vero hinc errandi anſam ſumſerunt aliqui, charitatem ſemel habitam nunquam amitti poſſe, perverſe rati, eo etiam abuſi Jo. ep. 1. c. 3. *Omnis*, *qui natus eſt ex Deo*, *peccatum non facit*, *quoniam ſemen ipſius in ipſo manet*, oſtendit & erraſſe illos, & ab Apoſtoli ſcopo plurimum abluſiſſe. Poſſe enim quemquam a charitate peccando excidere, ex eo perſpicuum eſt Apoc. 2. *Charitatem tuam primam reliquiſti*. *Memor eſto itaque*, *unde excideris*, *& age pœnitentiam*. *Et hoc ideo eſt*, ait D. Th., *quia charitas in anima hominis recipitur ſecundum modum ipſius*, *ut ea ſcilicet uti poſſit*, *vel non uti*. Peccare quidem, dum charitate utitur, nequit, quum ipſe charitatis uſus dilectio Dei ſit ſuper omnia, *nihil* propterea *reſtat*, *propter quod homo Deum offendat*, hæcque legitima eſt verborum Jo. intelligentia; at quum poſſit homo charitate non uti, animumque a Deo ad commutabilia bona convertere, poſſe illum charitatis jacturam facere, extra controverſiam eſt. Abeſſe eos etiam a Pauli mente, oſtendit ſubdens: „ Non loqui„ tur hic Apoſtolus de ceſſatione bono„ rum ſpiritualium per peccatum, ſed „ potius de ceſſatione bonorum ſpiritua„ lium, quæ pertinent ad hanc vitam, „ per gloriam ſupervenientem; unde ſen„ ſus Apoſtoli eſt: *charitas nunquam ex*„ *cidit*, quia ſicut eſt in ſtatu viæ, ita „ permanebit in ſtatu patriæ, & cum

„ augmento ſecundum illud Jeſ. 31. : *Di-„ xit Dominus, cujus ignis eſt in Syon*, „ ideſt in Eccleſia militante, & *caminus* „ *ejus in Hieruſalem*, ideſt in pace cæle-„ ſtis patriæ. " Hæc in Calvinianos cadunt, qui antiquum hunc a D. Th. refutatum errorem inſtaurantes, hocque idem Pauli teſtimonium præpoſtere detorquentes, in Dordracena Synodo ceu fidei dogma ſanxerunt, juſtitiam ſemel acceptam deperdi nunquam poſſe, quod & Lutheranis omnibus, & Arminianis horrori fuit.

VII. Gratiam tamen gratis datam gratum faciente digniorem eſſe, nonnulla videntur evincere. Nonne etenim apud omnes conſtans, quod 1. Eth. c. 2. ait Ariſtoteles, bonum gentis bono unius melius eſſe? Quidni ergo gratiæ gratum facienti, quæ in ſuſcipientis duntaxat bonum cedit, longe præſtet gratia gratis data, quæ ad commune totius Eccleſiæ bonum ordinatur? Nonne item præſtantius poſſe alia perficere, quam in ſe ipſo duntaxat perfici? Quis negarit, lucidius eſſe corpus, quod & alia poteſt illuminare eo, quod, tametſi in ſe luceat, nequit tamen lucem aliis communicare? Quum ergo gratia gratum faciens hominem in ſe ipſo perficiat, gratis autem data aliorum perfectionem curet promoveatque, nullus videtur dubitandi locus, quin hæc illi antecellat. Ad hoc etiam confirmandum maxime facit, quod, quum ſit gratum faciens omnibus Eccleſiæ membris communis, gratis data nonniſi digniorum Eccleſiæ membrorum propria eſt; neque enim, ut ajebat Apoſtolus, *omnes Prophetæ*, *omnes gratiam habent curationum*, *omnes linguis loquuntur* &c. Quod autem meliorum eſt proprium, addubitare ne quis vel leviter poteſt, non eſſe eo, quod omnibus commune eſt, excellentius? Stipes ſit, oportet, qui hæſitet, an ratiocinari, quod eſt hominis proprium, potius ſit, quam ſentire, quod habet ille cum cæteris animantibus commune. Videtur itaque ab omni dubitatione remotum, gratiam gratis datam gratum facienti præcellere.

VIII. At nihil in his eſſe, quod poſitionem conſtitutam infirmet, demonſtrat evidentiſſime D. Thomas, ad primum reponens, duplex cum eodem Ariſtot. l. 12. Metaph. tex. 52. diſtinguendum multitudinis, puta exercitus, bonum; aliud, quod in ipſa multitudine eſt, ut exercitus ordo, aliud, quod eſt a multitudine ſeparatum, ut bonum Imperatoris, hoc autem illo potius eſſe; nam & illud ad hoc ceu ad finem ſuum refertur. Quoniam autem gratia gratis data ad commune Eccleſiæ bonum, *quod eſt Eccleſiaſticus ordo*, gratum faciens ad commune bonum ſeparatum, *quod eſt Deus ipſe*, ordinatur, hanc illa multo nobiliorem eſſe, conſequitur, quum ad hanc velut ad finem ſuum illa referatur.

In eo autem, quod ſecundo opponunt, hallucinari adverſarios, oſtendit, quod aliquid ſibi ſumant, quod nec res, nec veritas ipſa concedit. Si gratia gratis data poſſet in altero efficere, quod per gratum facientem homo conſequitur, eſſet profecto gratum faciente nobilior, ſicut claritatem ſolis illuminantis corporis illuminati claritati præſtare, extra dubitationem eſt. Atnumquid poteſt homo per gratiam gratis datam efficere eam in altero cum Deo conjunctionem, quam ex gratia gratum faciente ipſe habet? Quum ex dictis abunde conſtet ejus non eſſe, niſi hominem ad conjunctionem hujuſmodi præparare, & aliqua ratione diſponere, quæ diſpoſitio irrita perſæpe eſt, & effectu vacua, nam illum aliena malitia ac incredulitas impedit, falſo icirco concluditur, eam gratiæ gratum facienti præcellere.

Præpoſtere etiam adverſarios ex tertio concludere, probat apertiſſime D. Thomas, eodem ipſo, quod ponunt, illos exemplo refellens. Cur enim ratiocinandi vis ſentiendi facultate potior? Quod hæc, quæ eſt homini cum brutis animantibus communis, ad illam, quæ hominis propria eſt, ordinetur velut ad finem; quare quum finis iis, quæ ad finem ſunt, certe ſit dignior, ratiocinari propterea nobilius, quam ſentire. Quum ergo gratia gratis data, quæ digniorum Eccleſiæ membrorum eſt propria, ad id, quod omnibus Eccleſiæ membris commune eſt, ad gratiam gratum facientem ſcilicet, referatur ſicut ad finem, eodem ipſo exemplo conficitur, eam gratia gratis data excellentiorem.

IX. Multa jam de gratia gratis data: nunc eſſet de gratum faciente diſputandum; at viſum nobis opportunius, diſputationem hanc ad tractatum de juſtificatione rejicere, ibi enim erit gratiæ hujus natura accurate excutienda, ejuſque ſuſcipienda adverſus Novatores defenſio. Reli-

qua

qua ergo perſequamur membra, in quæ gratia tribui a Theologis ſolet.

PRÆLECTIO III.

De eodem argumento.

Seu de gratiæ in operantem, & cooperantem diviſione.

I. QUoniam, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 111. ar. 2., *gratia intelligi dupliciter poteſt, uno modo divinum auxilium, quo nos movet ad bene volendum, & agendum, alio modo habituale donum nobis divinitus inditum*, frequens apud Theologos gratiæ in *habitualem* & *actualem* diviſio, quarum utraque in *excitantem*, & *adjuvantem* tribui convenienter poteſt; excitantem enim indicant ea Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo: Si quis aperuerit mihi, intreibo, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*, & ad Eph. 5. *Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. Excitantem gratiam a Deo petit Eccleſia ajens: *Excita Domine corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias* &c. De adjuvante gratia non ſemel in Pſalmis, Pſal. 118. *Adjuva me, & ſalvus ero* &c. & ad Rom. 8. *Ipſe Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*. Utriuſque ſæpe meminit Auguſtinus, in l. 2. præſertim de Pecc. mer. & remiſ. c. 18. ajens: *Quod a Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala, quod vero nos ad Deum convertimus, niſi ipſo excitante & adjuvante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona*, & alibi ſæpe: Item D. Proſper, aut alius quilibet librorum de Vocat. Gentium auctor l. 2. c. 26. *Gratia Dei principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo*, (quæ omnia gratiæ excitantis ſunt); *Sed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc dictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi* (gratiæ adjuvantis ope.) Hinc Tridentinum ſeſ. 6. de Juſtifi. c. 5. ab utraque hac gratia juſtificationis adultorum initia petenda, docens, ait: *Declarat præterea, ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei, per Chriſtum Jeſum, præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando, diſponantur*: Et cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati, & adjuti divina gratia, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum*.

II. At apud D. Thomam, qui omnium accuratiſſime diviſiones gratiæ perſecutus eſt, hujus in *excitantem*, & *adjuvantem* nullam mentio in ſecunda theologicæ Summæ parte q. 111., quæ tota de gratiæ diviſione eſt in articulos quinque tributa. Reſpondere poſſumus cum doctiſſimo Alvarez l. 8. *de auxiliis divinæ gratiæ* Diſput. 70. concl. 2., non prætermiſſam ab Angelico hanc in *excitantem* & *adjuvantem* gratiæ diviſionem, ſed, quum ibidem ar. 3. gratiam in *prævenientem*, & *ſubſequentem* partitus eſt, comprehenſam; quum enim *operantem* & *cooperantem* gratiam cum *præveniente* & *ſubſequente* idem eſſe, putet, q. 27. de ver. ar. 6. ad 5. ajens: *Secundum hos modos idem videtur eſſe gratia præveniens & ſubſequens, quod operans & cooperans*, in 2. autem ſent. diſt. 26. ar. 5. in corp. *excitantem* & *adjuvantem* gratiam a *præveniente* & *ſubſequente* non differre, conſtituat, manifeſtum eſt, comprehendiſſe illum excitantem & adjuvantem gratiam in ea; quam ar. 3. inſtituit, ejuſdem in *prævenientem* & *ſubſequentem*, diviſione: vere enim gratia excitando prævenit, & adjuvando ſubſequitur, ut ex notiſſimis eis Eccleſiæ precibus patet: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra operatio a Te ſemper incipiat, & per Te cœpta finiatur.*

III. Notior alia in *operantem* & *cooperantem* gratiæ diviſio, quam Auguſtinus e divino eloquio ductam, cum alibi non ſemel, tum maxime l. de gr. & lib. arb. c. 17. ſic exponit: *Et quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat charitatem, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incœpit? Quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: Propter quod ait Apoſtolus* (ad Phil. 1.) *certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chri-*

ſti Jeſu. Ut ergo velimus, ſine nobis operatur, quum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: Tamen ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, quum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo, ut velimus, dictum eſt (ad Phil. 2.) *Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere: de cooperante illo, quum jam volumus, & facimus, ſcimus, inquit,* (ad Rom.) *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Quamquam ex his Auguſtini verbis utriuſque gratiæ notio ſatis pateat, audiendus tamen Angelicus, qui indicatam hanc ab Auguſtino gratiæ partitionem & convenientem eſſe, confirmat, & utriuſque notionem clarius explicat & evolvit.

IV. Etſi in 2. ſent. diſt. 26. ar. 5., quæſt. item 27. de ver. art. 5. ad 1. & 2., necnon lect. 1. in c. 6. ep. 2. ad Cor. hoc ille argumentum verſet, nuſquam tamen luculentius, quam 1. 2. q. 111. ar. 2. in c. Ponit primo, gratiæ nomine, ut jam animadverſum eſt, venire poſſe, & auxilium, quo nos ad bene volendum agendumque Deus movet, & *habituale* ſeu permanens divinitus nobis infuſum donum, utrumque autem in *operans*, & *cooperans* convenienter tribui. Sumit ut certum, cujuſpiam rei effectionem non moto attribui, ſed moventi. In eo itaque effectu, in quo ſolus Deus eſt movens, noſtra autem non movens, ſed mota mens, ſeu voluntas, tribuenda Deo actio, ejuſque gratia dicenda *operans*; *in illo autem effectu*, in quo mens noſtra & movetur & movet, non ſoli Deo, ſed & animæ tribuenda actio, & gratia dicenda *cooperans*. Quoniam autem duo ſunt voluntatis actus, interior, ſeu a voluntate elicitus, actu ſcilicet velle, & exterior a voluntate imperatus alias facultates ad implendum applicante, quod vult; prior, ad quem Deus mentem hominis movet, a gratia *operante* eſt; in eo enim voluntas ſe habet ut mota, Deus autem ut movens, præſertim quum, quæ prius malum volebat, voluntas incipit bonum velle: poſterior vero, quum a voluntate imperetur, & voluntati adſcribitur, & a gratia cooperante eſt; nam & nos ad actum hunc Deus adjuvat, tum voluntatem, *ut ad actum perveniat*, ſeu impleat & perficiat, quod pie vult, *interius confirmando*, *tum exterius facultatem operandi præbendo*, quod recitatis Auguſtini verbis confirmat.

Ab auxilio, quo ad bene volendum agendumque a Deo movemur, quodque gratiam dicimus *actualem*, ad collatum nobis divinitus *habituale* ſeu permanens, inhærenſque donum progreſſus, & in eo gratiæ *operantis* ac *cooperantis* munia recte diſtingui, perſpicue probat. Eſt enim *habitualis* hujus, ſeu permanentis doni, ut & cujuslibet alterius formæ effectus duplex, *eſſe* videlicet, & *operari*, quod non eſt, ut illuſtremus exemplis. Quatenus itaque *habitualis gratia animam ſanat, vel juſtificat, ſeu gratam Deo facit, dicitur gratia operans*; eſſe enim quod ſupra naturam eſt, animæ tribuit, faciens, ut ſana, juſta, & Deo ſit grata: *Cooperans* vero dicitur, quatenus meritorii operis, *quod ex libero arbitrio procedit*, ſeu ab homine gratia libere utente proficiſcitur, principium eſt.

V. Tradita ab Auguſtino & Thoma gratiæ *cooperantis* notio captu quidem facilis, perdifficilis tamen notio *operantis*, de qua multa propterea inter Theologos controverſia, opinionumque diſſidium, quas ait Alvarez tot eſſe ferme, quot capita. Varia Theologorum de gratia operante placita vitandæ confuſionis prolixitatiſque gratia redigi ad tria poſſunt cum doctiſſimo Jo. a S. Th. Quidam operantem gratiam in aliquo noſtro, ſeu a nobis elicito, actu conſtituunt, alii in motione Dei, nos ad agendum applicantis, alii demum in immediata, ut ajunt, Dei ceu moventis efficaciterque applicantis unione cum nobis, qua elevatur mens ad pios eliciendos motus, ſubitos tamen, neque deliberatos, quin tamen elevatio hujuſmodi novum aliquid ſit reipſa menti inhærens. Satis quidem communis eorum ſententia eſt, qui operantem gratiam in actibus noſtris ſitam volunt; at quum hi multiplices ſint, atque varii, multiplex item eorumdem & varia apud ſententiæ hujus Auctores explicatio. Noſtrum, in quo gratiam operantem collocant, actum quidam eum omnem intelligunt, qui juſtificationi noſtræ præit, tametſi fuerit ille deliberatus, ad gratiam contra cooperantem pertinere ſtatuunt eos omnes, qui juſtificationem noſtram ſequuntur. Aliis actus noſter, quem gratiam operantem ponunt, ſimplex voluntas eſt, qua primo bonum volumus, ac finis intentio: electio autem, aliique actus,

actus ad finem ordinati, in quibus voluntas ipſa ſe movet, & deliberate agit, ſunt gratia cooperans. Nonnulli gratiam operantem actum noſtrum *interiorem*, *exteriorem* autem gratiam cooperantem eſſe, decernunt. Verum interioris, & exterioris actus nomine quid ſibi volunt? Interiorem deſignant *imperantem voluntatis actum*, exteriorem autem *imperatum extra voluntatem*. Alii denique operantem gratiam non aliam volunt, quam indeliberatum mentis actum, piam ſcilicet ſanctamque cogitationem a Deo immiſſam, quæ lumen menti affert, afficitque & voluntatem, per quam Deus, quæ ad converſionem noſtram attinent, operatur, vocando, ſuadendo, & voluntatem alliciendo: immo *actualem* omnem gratiam ad ſanctam hujuſmodi cogitationem, quæ & voluntatem permovet, referunt, ac in ea concludunt.

VI. Qui in Auguſtini librorum lectione verſati ſunt, poſtremæ hujus opinionis falſitatem habebunt facillime denotatam; hanc enim fatebatur Pelagius gratiam, negabat autem Auguſtinus, ſufficere. *Operatur*, ita Pelagius apud Auguſt. in l. *de gr. Chriſti c.* 10., *operatur Deus in nobis velle, quod bonum eſt, velle, quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in Dei deſiderium ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne, quod bonum eſt.* En, quam operantem Dei gratiam Pelagius admitteret, revelationem ſapientiæ non exteriorem ſolum, ſed & interiorem, qua non ſolum illuſtraretur mens, ſed & in Dei deſiderium ſtupens voluntas ſuſcitaretur. Quid vero Auguſtinus? *Quid manifeſtius*; ſubdit, *nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle, quod bonum eſt, quam legem atque doctrinam? In lege namque atque doctrina ſanctarum Scripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo &c. Sed nos eam gratiam volumus, fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verum etiam creditur, & ſperatur, nec ſolum revelatur ſapientia, verum etiam & amatur, nec ſuadetur ſolum omne, quod bonum eſt, verum et perſuadetur; non enim omnium eſt fides* 2. *ad Theſ. c.* 3. .... *Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadetur, ut ad eum veniant,* ſatis demonſtravit, *ubi ait: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum .... Hanc debet Pelagius confiteri gratiam, ſi vult, non ſolum vocari, verum etiam eſſe Chriſtianus*. Hinc adverſus poſtremæ opinionis Auctores hoc argumentum exiſtit. Gratiam operantem in ſola illa ſancta cogitatione ipſi collocant, qua & illuſtratur mens, & ſuſcitatur voluntas a Deo vocante, ſuadente, alliciente &c. At, licet eadem hæc, aliaque luculentiora Pelagius aſſereret, negabat tamen Auguſtinus conſtantiſſime, hanc eſſe operantem illam Dei gratiam, quam Scripturæ perſæpe commendant, contendebatque, eam præterea a Pelagio, ſi vellet non dici ſolum, ſed & eſſe Chriſtianus, confitendam gratiam, qua *operatur Deus interius, occulta, mirabili atque ineffabili poteſtate in cordibus hominum non ſolum veras illuminationes, ſed etiam bonas voluntates*, qua fit, ut revelata credantur, & promiſſa ſperentur, atque amentur, qua non ſuadetur ſolum, ſed & perſuadetur omne, quod bonum eſt; qua demum voluntas non tantum allicitur, ſed & *trahitur per inſpirationem charitatis, & ſubminiſtrationem Spiritus Sancti*: falſo itaque operans Dei gratia in ſancta cogitatione locatur mentem illuſtrante, ac voluntatem, ſuadendo, vocando, alliciendo, excitante, & ſuccendente.

VII. Quid itaque gratia operans? Aliam cum eodem Jo. a S. Th. *externam* ponimus, aliam *internam*: priorem dicimus ſpecialem Dei protectionem, qua impedit, ne quidpiam inſurgat, quod hominem a gratia deficiat: ſicque intellectu facile eſt, quomodo gratia operans a ſolo Deo fit, nec etiam a nobis, Deuſque dicatur, *ſine nobis operari*; Exteriora enim, quæ Deus ſingulari providentia removet, ne nobis noceant, neve impedimento ad bonum ſint, poteſtati noſtræ ſæpe non ſubjacent, ſed Dei ſolius. In cujus poteſtate eſt efficere a. c., ne quidpiam occurrat, quod avertat a Deo, aut aliquid ſeſe offerat, quod *de Deo delectet*, ut l. 1. ad Simplic. quæſt. 2. finem verſus ajebat Auguſtinus. Perſpicuum itaque, gratiam hanc operantem ad Deum ſolum pertinere ceu eximium providentiæ protectioniſque ejus opus. *Internam* autem in duplici Dei motione locamus, qua ſolus ipſe duas animi vires movet & tangit ordine quodam, mentem pri-

Digitized by Google

primum ſubita illuſtratione, voluntatem exin ſubita erga bonum ab illuſtrata divinitus mente propoſitum affectione, ita tamen ut nec ſubita ipſa mentis illuſtratæ cognitio, nec ſubitus ille voluntatis erga propoſitum bonum amor & ſtudium ipſa proprie, atque, ut loquuntur, *formaliter*, operans ſint Dei gratia, ſed ejuſdem effecta; divina autem motio ſubitorum horumce motuum cauſa ipſa vere ſit gratia operan, *moraliter* quidem, qua mentem illuſtrat, nam qui rem objectam proponit, allicit, & metaphorice movet, *phyſice* vero, & re ipſa, quatenus facit, ut propoſitum bonum ſubito voluntas amet.

Ut hanc, quæ inter D. Thomæ diſcipulos communior eſt, gratiæ operantis explicationem probemus, cæteriique anteſeramus, hoc potiſſimum momento adducimur, quod interius Dei auxilium ipſa ſit Dei actio, non autem quidpiam, quod rei creatæ opus, effectumque ſit: Quum ergo indeliberati animi motus & actus, vere ſint mentis & voluntatis effectus; ſunt enim vitale quid a nobis elicitum, qui poſſunt ipſa Dei operans gratia, ſeu Dei operatio cenſeri? Præterea: Operantis gratiæ aliquis effectus ſit, oportet, quem in nobis edat, ſed ſine nobis, deliberate ſcilicet conſentientibus, non ſine nobis licet vere elicientibus. Quem autem hujuſmodi effectum habet? Non profecto deliberatos actus; Hi enim, quum voluntas tunc non ſit mota ſolum, ſed & ipſa ſe moveat, cooperanti gratiæ, non ſoli operanti, reſpondent: Relinquitur ergo, ſolos ſubitos actus ſine deliberato conſenſu a nobis elicitos operantis gratiæ effectus eſſe. Qui poſſunt autem ipſa *formaliter* eſſe operans gratia? Cauſa ne idem proprie ac revera cum ſuo effectu? Eadem ne utriuſque notio? Hinc prudentiſſime D. Thomas ſtatuit, *gratiam operantem dici, ſecundum quod Deus movet humanam mentem ad interiorem actum*, haud obſcure ſignificans, gratiam hanc non in ipſo interiori humanæ mentis actu conſiſtere, ſed in divina ad actum iſtum motione, quæ illum antevertit & efficit.

VIII. Jam explicanda legitima ejus ſententia, quod Auguſtinus loc. cit. ex l. de gr. & lib. arb. ait: *Ut ergo velimus, ſine nobis operatur: quum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur*, quod ferme exſcribens Gregorius M. l. 16. mor. c. 11. inquit: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis, ut ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum, quod jam appetimus, agat nobiſcum*. Tradita operantis gratiæ notio lumen præfert, quo aſſequamur Auguſtini & Gregorii mentem; Operantem enim gratiam intelligimus, *in nobis ſine nobis* eſſe, quod motio Dei ſit ad pios aliquos humanæ mentis voluntatiſque actus ſubitos, atque primos, ſeu quibus deliberatio nulla præivit, ejuſque proprius effectus ſit aliquis ejuſmodi actus primus, qui & ab illa elicitur, & a nobis, nondum tamen deliberate operantibus. Hæc ſi ita ſint, inquiet aliquis, jam gratia operans a cooperante non differet; & hæc enim motio Dei eſt ſine nobis. At non eo operantem a cooperante gratia differre, ſtatuimus, quod illa ſine nobis fiat, ſecus autem iſta; quis enim ignorat, gratiam omnem, qualiſcumque illa ſit, a ſolo Deo eſſe? In eo conſtituimus utriuſque diſcrimen, quod, ambæ licet a Deo ſolo ſine nobis ſint, operans tamen & ſine nobis agit, libere ſcilicet conſentientibus, noſque ipſos deliberate moventibus, cooperans contra non ſine nobis agit, quum ad hoc nobis ſuppeditetur, ut *ſubſequente quoque libero arbitrio noſtro, bonum, quod jam appetimus nobiſcum agat*, noſque ei cooperemur.

IX. Sed & illud declarandum, an gratia operans cum cooperante idem reipſa ſit, an ab ea ſolide diſtinguatur. Qui D. Thomæ doctrinam callent, non eſt, cur in hac finienda quæſtione impediantur; 1. enim 2. q. 111. ar. 2. ad 4. aperte ſcribit, utramque eandem gratiam eſſe, nec niſi penes diverſa effecta diſtingui, quod & ſeq. ar. 3. in c. repetit ajens, ut gratia in operantem & cooperantem *ſecundum diverſos effectus* tribuitur, ita & in *prævenientem* dividi, *ac ſubſequentem, qualitercumque gratia accipiatur*, nimirum ſive ſit permanens nobis divinitus infuſum inhærenſque donum, quod *habitualem* gratiam vocant, ſive ſit influens Dei motio, quam gratiam dicimus *actualem*. Qui autem ſint, & quo differant gratiæ operantis & cooperantis effectus, a quibus utriuſque partitio ducitur, mox explicatum. Operantis & excitantis gratiæ, ut ex Trid. ſeſſ. 6. c. 5. colligitur, opus eſt, converſionem noſtram inchoare, cooperantis autem & adjuvantis, cæptum converſione opus promovere, adjuvare, perficere, liberum cum ipſa hominis voluntate conſenſum eliciendo,

Digitized by Google

do, ſeu, ut ait Gregorius, *ſubſequente libero arbitrio noſtro, bonum*, cujus nobis inſpiravit appetitionem, *nobiſcum agere*.

Procul autem a vero abeunt, qui, etſi in explicanda utriuſque gratiæ notione diſſentiant, conveniunt tamen, quod nonnulli *in ratione moralis auxilii* utramque diſtinguunt; Deum enim tunc operantem gratiam largiri, ponunt, quum ſe ſolo *moraliter* movet, boni quidpiam menti proponens, ſicque voluntatem alliciens, & inclinans; cooperantem autem tum impartiri, quum ad ea præſtanda, ad quæ moraliter movet, viam veluti parat, facultatem vireſque addens. At quæ facultas illa, quæ vires? Phyſicus generalis Dei concurſus voluntatem jam ſe libere moventem comitans, adjuvanſque, & in actum, ad quem illa *moraliter* excitata deliberate ſe applicat, influens; quare, quum hujuſmodi concurſus idem cum actu reapſe ſit, nonnulli cooperantem gratiam in ipſo deliberato actu conſtituunt. In operantis gratiæ notione quantum errent, jam ſatis oſtenſum eſt: quantum autem in cooperante explicanda, a Sanctorum Auguſtini & Thomæ doctrina, nec non a recta ratione diſcedant, facile eſt demonſtrare; Si enim cooperans gratia ſit generalis ſolum phyſicus Dei cum voluntate ſe ipſam movente, & libere operante concurſus, quem *concomitantem* dicunt, ſolus Dei non in voluntatem, ſed in actum influxus, ſeu ut explicate ait Suarez l. 3. opuſculorum c. 5. n. 4. „ indicatur in illa voce quædam ſimultanea conjunctio voluntatis, „ & gratiæ adjuvantis ad eundem actum, „ vel actionem, ad quam mutuo cooperari dicuntur, ita ut ſub ea ratione neutra alteram antecedat vel impellat, ſed „ ſolum ſimul operentur, “ qui jam verum erit, quod Auguſtinus ſæpe alibi, ac præſertim l. de gr. & lib. arb. c. 16. divini eloquii auctoritate fretus ajebat: *Certum eſt nos velle, quum, volumus, ſed ille facit, ut velimus bonum, . . . de quo dictum eſt: Deus eſt, qui operatur in vobis & velle. Certum eſt, nos facere, quum facimus, ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis &c.?* Nemo non intelligit, hæc plane falſa eſſe, ſi ea ſit cooperantis gratiæ natura, quam Adverſarii confingunt. Si nobis libere aſſentientibus divina ſolum cooperatur gratia, non etiam conſentientes efficaciter facit, ſi aſſentientes operamque conferentes dumtaxat adjuvat, non autem aſſenſionem ipſam collationemque operæ virtute ſe ipſa victrici in nobis efficit, qui jam in nobis *operatur & velle, qui jam facit, ut faciamus?*

Qui hæc etiam cooperantis gratiæ notio cum iis componi poteſt, quæ idem Auguſtinus in Enchir. c. 12. tradit: *Si propterea dictum eſt, non currentis, neque volentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ex utroque fit, ideſt ex voluntate hominis, & miſericordia Dei, ut ſic dictum accipiamus, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, tanquam diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, niſi ſit etiam miſericordia Dei, non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non erit etiam voluntas hominis*, quam conſecutionem ceu Apoſtolo aperte contrariam reiicit Auguſtinus; nam ſi *non volentis eſt hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id voluntas hominis ſola non implet*, (opus enim habet Dei adjutorio), quidni & dicatur, *non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet*, ſi nihil in voluntatem ipſam vere agat, ſed phyſice ſolum cum ea ſe ipſam libere movente concurrat? *Porro*, pergit Auguſtinus, *ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſime contradicat, reſtat, ut propterea recte dictum intelligatur, non volentis hominis, ſed miſerentis Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*. Agant, & ſi tantum ingenio valent, cum hac, quæ tota e Scripturis prompta eſt, Auguſtini doctrina cohærere poſitionem ſuam oſtendant, in hoc ſcilicet poſitam gratiæ coopetantis indolem, quod voluntati ſancta cogitatione excitatæ *moraliter* & allectæ, ſeque ipſam ad libere conſentiendum determinanti operam ſuam tantum commodet Deus phyſico illo & generali concurſu, qui nihil voluntati confert, quo eam confirmet, moveat, applicetque, ſed totus unice ad actum eſt. Siccine *præparatur voluntas a Domino*? Siccine *facit* ille, ut *faciamus*? Siccine converſionis e. g. opus *neque volentis, neque currentis* eſt hominis, ſed ſolius *Dei miſerentis*?

Ex Bernardo diſcant, an cooperans gratia tota ad actum ſit, nec voluntatem niſi

mo-

moraliter, ſeu metaphorice afficiat, *Deus*, ait in l. de lib. arb. & gr., *immittendo bonam voluntatem nos prævenit, immutando etiam malam voluntatem ſibi per conſenſum conjungit, miniſtrando & conſenſui facultatem, foris internus Opifex innoteſcit... Cavendum ergo, ne, quum hæc inviſibiliter intra nos, & nobiſcum actitari ſentimus, aut noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt, aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt, ſed ſoli gratiæ, quæ plena eſt*. Ipſa liberum excitat arbitrium, quum ſeminat cogitatum: ſanat, quum immutat affectum, roborat, ut perducat ad actum... Cæterum qui fecit, quod *ſalvaret*, *etiam dat, unde ſalvet. Ipſe, inquam merita donat, qui fecit, quibus donaret.... Qui recte ſapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrii, ſed divinæ gratiæ in ipſo, ſive de ipſo... Coadjutorem Paulum fecit, quum fecit volentem, hoc eſt ſuæ voluntati conſentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum. Si ergo a Deo voluntas eſt, & meritum; Nec dubium, quin a Deo ſit, & velle, & perficere pro bona voluntate. Deus igitur auctor eſt meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.* Opus quidem explicat voluntati *revelatione ſapientiæ*, mentem ſcilicet interius illuſtrando, *liberum excitat arbitrium quum ſeminat cogitatum*, ſanctam ideſt cogitationem immittit. Hæc ne vero, Bernardo judice, ſatis, ut libera voluntatis aſſenſio conſequatur? Num aliud præterea nihil requiri, ſtatuit, quam generalem phyſicum Dei concurſum ad opus ſive actum, cujus portio quædam voluntati hominis libere ſe moventi, quædam gratiæ operam conferenti, conatumque voluntatis adjuvanti reſpondeat? Quam procul a paradoxo hoc ſub decimi ſexti ſæculi finem in Scholas invecto abeſt in Scripturarum, veterumque Patrum doctrina exercitatiſſimus Abbas! Quæ *intra nos & nobiſcum actitari ſentimus*, non partim libero arbitrio noſtro ſe ipſum determinanti, partim gratiæ determinationem noſtram ſubſequenti, ſed ſoli gratiæ, quæ plena eſt, tribuenda pronuntiat, quia ipſa non ſolam boni ac *meritorii* actus partem ſibi vendicat, partem libero arbitrio conanti relinquit, ſed totum ſibi jure depoſcit; Ab ea enim & voluntas ipſa bona eſt, & meritum, quæ operatur & velle, & perficere pro bona voluntate, quæ liberum arbitrium *ſanat*, affectum ejus immutans, *roborat, ut perducat ad actum*, quæ *coadjutorem* non aliter hominem facit, quam *volentem* faciens, *hoc eſt divinæ voluntati conſentientem*, quæ demum *voluntatem applicat operi*, non a voluntate hominis, quæ ipſa ſe ad opus jam determinarit, applicatur.

Paucis eadem hæc, quæ late Bernardus poſt Auguſtinum, D. Thomas perſtrinxit, cooperantis gratiæ indolem & virtutem exponens: *Deus nos adjuvat, & interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exterius facultatem operandi præbendo, & reſpectu hujuſmodi actus dicitur gratia cooperans*. Duo ergo, auctore D. Thoma, cooperantis gratiæ ſunt munera, voluntatem *confirmare, ut ad actum perveniat*, ſeu, ut ait Bernardus, *roborare, ut perducat ad actum, & facultatem exterius operandi præbere*. Poſterius hoc ad comitantem influxum, qui totus in actum eſt, referatur: non repugnamus; nam & Cl. Jo. a S. Thoma ita Angelici verba interpretatur. Prius ne vero referri ad eundem, quem *ſimultaneum* vocitant, poteſt? Si cooperante gratia *voluntatem confirmat Deus, ut ad actum perveniat*, ſive *roborat, ut ad actum perducat*, prius itaque in voluntatem agit, quam hæc actu operetur, illam enim eo confirmat & roborat, *ut ad actum perveniat*, ideſt *ut velit, ut faciat, ut fiat ex diſſentiente conſentiens*. Non eſt itaque gratiæ cooperantis natura atque vis tota in phyſico illo generali Dei concurſu poſita, qui unice ad actum eſt, nec voluntatem prorſus attingit: Conciliari ergo cum D. Thomæ ſententia Adverſariorum poſitio nequit. Nihili fortaſſe pendent, quod eum non habeant ſuffragatorem: at rogamus, ut velint paulisper animadvertere, hanc D. Thomæ eandem ac Auguſtini & Bernardi doctrinam eſſe, horum autem non ad arbitrium cuſam, ſed e Scripturis expreſſam. Sed & de eodem hoc argumento fuſius infra non ſemel.

Quo demum pateat, & a recta ratione hanc Adverſariorum opinionem abhorrere, petimus, quorum homini gratia adjuvans & cooperans detur? Si Apoſtolum conſulimus ad Rom. 8. ſcribentem, *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*, eam dari intelligimus ad confirmandam adjuvandamque voluntatis noſtræ inbecillitatem: Qui poteſt ergo gratia hæc in

ſolo

ſolo generali Dei in actum phyſice cum voluntate influentis concurſu conſiſtere? Nonne hunc unice ad actum eſſe, & ipſi concedunt? Nonne voluntatem jam ſe moventem applicantemque ad opus conſequitur vel comitatur? Nihil itaque in ea ponit, quo vere ejus confirmetur & roboretur infirmitas, ſed ſuam duntaxat operam confert ad perficiendum opus, quod ſolo perfici humanæ voluntatis conatu non poſſet. Non eſt ergo concurſus iſte gratia illa cooperans, quam ad confirmandam & roborandam infirmitatem noſtram Deus nobis impertit; nam neque eam tollit, nec ei medetur. Fatendum itaque cum D. Th. lect. 3. in c. 8. epiſt. ad Rom., & lect. 5. in Jo. 3., gratiam, qua *Deus nos trahit*, efficitque, *ut faciamus*, *non eſſe ſolum illuminationem interiorem*, *ſed motionem & inſtinctum Dei moventem & impellentem cor hominis*, ſeu voluntatem, actui iccirco præire, quum ad eum voluntatem *moveat*, *impellat*, *& applicet*. Moraliter ne vero ſolum, an phyſice? Phyſicam hanc motionem, quæ voluntatis determinationem antevertat, efficiatque, reiiciunt Adverſarii pugnaciſſime. Cur vero? Quod, ſi ea ponatur, de humana libertate actum putent, nec jam poſſe homini, qui illa caret, in culpa poni, quod non operetur &c. Hæc tamen, & hujus generis alia opportunius refellentur, quum de efficacis gratiæ natura.

PRÆLECTIO IV.

De eodem argumento,

Sed de gratiæ in prævenientem & ſubſequentem partitione.

I. ÆQue pervulgata eſt altera in prævenientem & ſubſequentem gratiæ diſtributio, cujus non ſemel in divinis litteris expreſſa mentio; legimus enim Pſal. 20. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, Pſal. 58. *Miſericordia ejus præveniet me*, & Pſal. 22. *Miſericordia ejus ſubſequetur me*. Hinc Auguſtinus prævenientem gratiam probat l. 2. cont. duas epiſt. Pelagianorum c. 9. ajens: *Avertat Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem Deum, quoniam miſericordia ejus præveniet me, & ipſe eſt, cui veraciter fideliterque cantatur: Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*: utramque vero ex divinis litteris declarat in Enchir. c. 12. *Præcedit bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia, quæ autem non præcedit ipſa miſericordia, in eis eſt & ipſa; Nam utrumque legitur in ſanctis eloquiis, &, miſericordia ejus præveniet me, &, miſericordia ejus ſubſequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit; Cur enim admonemur, orare pro inimicis noſtris, utique nolentibus pie vivere, niſi ut Deus in iis operetur & velle? Itemque cur admonemur, petere, ut accipiamus, niſi ut ab illo fiat, quod volumus, a quo factum eſt, ut velimus? Oramus ergo pro inimicis noſtris, ut miſericordia ejus præveniat eos, ſicut prævenit & nos, oramus autem pro nobis, ut miſericordia ejus ſubſequatur nos*. Hanc gratiæ diviſionem nobis inſinuant piæ illæ ad Deum Eccleſiæ preces: *Tua nos Domine gratia ſemper & præveniat, & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos*. hanc & Trident. Synodus complexa eſt ſeſſ. 6. de juſtif. c. 6. ajens: *Ipſe Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus opera eorum bona antecedit ſemper, & comitatur, & ſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent*; antecedentis, comitantis & ſubſequentis *virtutis* nomine prævenientem denotans & ſubſequentem gratiam, de qua c. 5. & 6. ibidem jam verba fecerat.

II. Omnes ne vero Dei gratia prævenit, an quidam illam bonis ſuis conatibus, petendo, quærendo, pulſando, totumque, quod in ſe eſt, ſolius naturæ viribus præſtando præveniunt? Abſit, ut hunc Semipelagianorum errorem a D. Proſpero in l. cont. Collatorem c. 38. vehementer exagitatum quiſquam adoptet: *Hac ergo diſcretione*, (quorumdam ſcilicet, quos Dei gratia prævenit, & aliorum, qui gratiam ſuis conatibus antevertunt) *præſcripta erit, ut definis, in una Eccleſia iſta diverſitas, ut D. N. J. X., de quo dictum eſt, & vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum, & de quo ſcriptum eſt: Nec enim eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oportet, nos ſalvos fieri, non omnium Chriſtianorum, ſed quorumdam Salvator, quorumdam vero Suſceptor ſit, ut hi tantum ſalvati, quos ad percipiendam*

gratiam Dei averſos reluctanteſque compulerit, hi autem ſuſcepti ſint, qui vocationem ſpontanei curſus ſervore prævenerint, & illis quidem conferatur gratuitum donum, iſtis vero debitum præmium rependatur: illi nullius ſint boni ac meriti, qui nihil boni habeant, niſi quod acceperint, iſti autem & gloria abundent, & remuneratione diteſcant, qui propria facultate devoti, quod non acceperant, obtulerunt, atque ita Jeſus X. alios liberos invenerit, alios liberarit, & non ad omnes pertineat, quod ait: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ſi ſunt, a quibus, quum eos non elegerit, electus eſt, non ad omnes pertineat, quod dictum eſt, Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, ſi ſunt, qui non dante, & non trahente Patre, ad Filium venire potuerunt: non ad omnes pertineat, quod ait Evangeliſta: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſi ſunt, qui, aut ita in hunc mundum venerunt, ut non eſſent tenebræ, aut lux eſſe cæperunt, ut illuminatione veri luminis non egerent; nec de omnibus adoptatis accipiendum ſit, quod ait Apoſtolus: Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ, ſiquidem ipſi rumpunt vincula ſua, & jugo captivitatis excuſſo, a dominatione diaboli in regnum Dei, libera alacritate, tranſcurrunt. Scripti Dei Verbi teſtimoniis, quæ Proſper indicat, quid luculentius, ac efficacius ad explodendam commenticiam illam a Collatore excogitatam hominum diſtinctionem, & evincendum, nihil eo verius, quod in ep. ad omnes Epiſc. Galliæ ſcripſit c. 12. Cæleſtinus 1. *Non dubitemus, ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem ſit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere?*

III. At periclitabitur liberum arbitrium, ſi illud Dei gratia prævenerit. Vetus hæc eſt cantilena hominum *timentium, ubi non eſt timor*, nec ſecum animo reputantium, quod adverſus Collatorem veriſſime repoſuit S. Proſper def. 6., multo verius dici poſſe, deſtrui nomen gratiæ, ſi a libero præveniatur arbitrio, nam, *ſi gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia*, ad Rom. 11., quam liberum deſtrui, aut minui arbitrium, ſi ipſum gratia præveniat; *Non enim eſt periculum liberi arbitrii gratia Chriſti, ſed ſalus, niſi quis velit dicere, naturam deſtrui, quum ſanatur.* Hinc Cæleſtinus loc. mox laud. quum docuiſſet, *a Dei gratia omnia hominis merita præveniri*, ſubiicit: *Quo utique auxilio & munere Dei non auſertur liberum arbitrium, ſed liberatur, ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum; Tanta enim eſt erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro his, quæ largitus eſt, æterna ſit præmia donaturus.* Quomodo autem cum præveniente, & *præoperante* Dei gratia voluntatis noſtræ libertas integra, ac illæſa conſiſtant, opportune inferius explicabitur.

IV. Præveniens autem gratia a ſubſequente num ſuapte natura, reque ipſa differt, an diſtinctione hac diverſi ſolum deſignantur gratiæ unius ejuſdemque effectus? Præclare poſitam quæſtionem dirimit D. Thomas 1.2. q. 111. ar. 3. in c. docens, ut gratia in operantem & cooperantem ſecundum varia effecta dividitur, ita ejuſdem, *qualitercunque accipiatur*, in prævenientem & ſubſequentem gratiæ diſtinctionem nonniſi a diverſis effectibus peti. Qui vero, & quot gratiæ, ſive *habitualis*, ſive *actualis* effectus in nobis? Quinque ille numerat, efficere primo, ut ſanetur anima, ſecundo, ut bonum velit, tertio, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur, quarto, ut in bono perſeveret, quinto, ut ad vitam perveniat æternam. Qua itaque primus in nobis a gratia effectus eſt, animæ nempe ſanatio, dicitur illa præveniens *reſpectu ſecundi effectus*, qua ſcilicet prævenit boni appetitionem, qua vero ſecundum, bonum ſcilicet velle, in nobis efficit, vocatur ſubſequens *reſpectu primi effectus*. Quia vero effectus idem uno poteſt poſterior eſſe, & alio prior, boni puta appetitio animæ ſanationem ſequitur, præitque boni appetiti executioni, hinc ab uno eodemque effectu poteſt gratia præveniens & ſubſequens dici *reſpectu diverſorum*, quatenus ſcilicet idem gratiæ effectus alium ſe priorem ſequitur, & alium antevertit ſe poſteriorem. Hoc ab Auguſtino traditum, cujus verba ex l. de nat. & gr. c. 32. D. Thomas ibidem recitat: *Prævenit, ut ſanemur, ſubſequitur, ut ſanati vegetemur: prævenit, ut vocemur, ſubſequitur, ut glorificemur.*

V. Hinc colligere quiſque poteſt, gratiam non eo *ſubſequentem* vocari, quod naturæ, ut Pelagiani ponebant, opera ſub-

ſequa-

ſequatur, aut quod eam pii quorumdam hominum conatus, ut Caſſianus præpoſtere ſenſit, antecedant, aut quod eam Deus hominibus certe lege, ſeu, ut ajunt, *regulariter loquendo*, non tribuat, niſi ipſi prius totum, quod eorum eſt, ſola naturæ facultate præſtiterint, ut arbitrati ſunt quidam, ſed quod illa priorem alium gratiæ effectum modo explicato ſequatur, ſicque primum gratiæ, & noſtræ ſalutis exordium ex Deo ſit, non homine; alioqui, ut adverſus Pelagianos ſæpe inferebat Auguſtinus, conſequens foret, gratiam ſecundum hominis merita dari, gratiæ propterea naturam & nomen amitteret: *Ei* enim, ut ad Rom. 4. ſcribit Apoſtolus, *qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*, & ib. c. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia*. Patebunt hæc infra apertius, quum de gratiæ efficacis indole, & de præparatione ad gratiam dicendum erit.

VI. Hujus autem prævenientis gratiæ, quam literæ ſacræ nobis inſinuant, quæ natura, quæ virtus? Flexibilis ne illa & ſuapte tam mollis, ut facile ſequatur, quocumque illam liberum hominis arbitrium duxerit, ſive determinarit? Ita quidem Semipelagiani, qui fidei & ſalutis initium ſic naturæ viribus adſcribebant, ut tamen ad illud verſatilis & voluntatis arbitrio ſubditæ gratiæ neceſſitatem non negarent; neque enim certum & conſtans eſt, refugiſſe illos interiorem *prævenientem* gratiam, a qua fidei & bonæ voluntatis in homine initia eſſent. Quot etiam poſt damnatam ab Eccleſia Janſenii doctrinam magni nominis Theologi ſenſerunt, ſentiuntque etiamnum hodie, Semipelagianos, aut omnes, aut multos prævenientis gratiæ ad bonorum, ac ipſius etiam fidei initium ſtatuiſſe neceſſitatem, ſuæque ſententiæ momenta promunt, cum ex Caſſiani, Fauſti, Gennadii ſcriptis, tum ex Proſperi & Hilarii ad Auguſtinum epiſtolis? Nonne & Auguſtinus ipſe, quem nemo ignorat, uſque ad ſuſceptum Epiſcopatum idem, quod Semipelagiani poſtea, de fidei & ſalutis initio ſenſiſſe, in l. 83. quæſtionum, quem, quum eo detineretur errore, conſcripſit, ita ad naturæ vires fidei ſalutiſque initia referebat, ut ſuas in eodem negotio partes prævenienti Dei gratiæ deferret, fatereturque, Deum ſuo quoque modo operari interiori gratia in nobis velle? *Parum eſt velle*, ajebat quæſt. 68. *niſi Deus miſereatur, ſed Deus non miſeretur, qui ad pacem vocat, niſi voluntas præceſſerit, quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Et quoniam nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus, & vocatus, ſive intrinſecus, ubi nullus hominum videt, ſive extrinſecus per ſonantem ſermonem, aut per aliqua viſibilia ſigna, efficitur ut ipſum velle Deus operetur in nobis*. Qui vero? An innata ac omnipotenti gratiæ ſuæ virtute? An interiori, quæ bonum monſtraret ſolum, & voluntatem allueret, invitaretque, vocatione? Priorem nondum ſibi tunc fuiſſe perſpectam, alibi non ſemel fatetur ingenue, quod ex iis maxime patet, quæ continenter adjungit: *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dedit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent, ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi, qui venire noluerunt, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi, quoniam, ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur*. Cæcus, oportet, ſit, qui non videat, monitionem vocationemque Dei bonam hominis voluntatem, interprete Auguſtino, præcedere, ſeu prævenire, non eam tamen eſſe, qua fieret, ut omnes vocati venirent, & vocatorum nullus venire renueret, ſed *in libera* hominis *voluntate* poſitam, quam, qui venire vellent, ſequerentur, repudiarent autem, qui nollent. Ejus ergo, quod ait: *efficitur, ut ipſum velle Deus operetur in nobis*, & infra: *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur*, quæ ſententia? Næ ille argumenti, quod verſamus, plane jejunus, qui ex his Auguſtini vobis extundat, aliter monentem & vocantem Deum operari in hominibus admonitis & vocatis *velle*, & *voluntatem*, niſi *moraliter*, ut loquuntur, ac *metaphorice*. Patet itaque & ex iis, quæ ante Epiſcopatum Auguſtinus ſcripſit, a Semipelagianis, in quorum tunc ille errore erat, non denegatam ad fidei bonorumque operum initium prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, quæ tamen ea indole eſſet, ut libero ſubderetur arbitrio, & ab ejus determinatione penderet.

VII. Hanc ne vero poſt initum Epiſcopatum prævenientis gratiæ naturam tradidit Auguſtinus in iis præſertim libris, quibus Pelagia-

lagianos & Semipelagianos eſt inſtituto refellit? Sat eſt, expendere, quod ex Ench. c. 12. jam deſcripſimus; neque enim præripienda ſunt, quæ opportunius infra verſabimus. *Divina miſericordia*, inquit, *nolentem prævenit, ut velit*. Qui vero? Molliterne, & pro ejus, quem prævenit, nutu? Ait, *moneri nos, orare pro inimicis noſtris, ut miſericordia ejus præveniat eos, ſicut prævenit & nos*: Quorſum autem? *Ut in iis utique nolentibus pie vivere operetur & velle*: ſeu, ut alibi ſæpe idem ait, *faciat ex nolentibus volentes*. Gratiam hujuſmodi prævenientem quis recte ſciteque dixerit flexibilem, & in quamcunque ducere illam libertas humana voluerit partem cerei vaſi inſtar ſuapte teneat atque tractabilem, ac non potius eandem illam, quam Auguſtinus in ſuis adverſus Pelagianos, & Semipel. operibus perpetuo inculcat, *quæ a nullo duro corde reſpuitur*, quæ *aufert cor lapideum, datque cor carneum*, cujus adjutorio fit, *ut invictiſſime, quod bonum eſt, homines velint, & illud deſerere invictiſſime nolint?* Annon prævenientem Dei gratiam non verſatilem, & a liberi arbitrii nutu pendentem, ejuſque veluti pediſſequam, ſed natura ſua efficacem, quæ liberum ſibi arbitrium ſubigat etiam reluctans, volenſque faciat ex nolente, Arauſicana II. Synodus, cujus ex Auguſtini doctrina contexti canones omnes, & ab Eccleſia probati, apertiſſime commendavit can. 14., quum ait: *Si quis, ut a peccato purgemur, Deum voluntatem noſtram expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per S. Spiritus infuſionem, & operationem in nobis fieri, confitetur, reſiſtit Spiritui S. per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate?* Jam ſi ea fuerit prævenientis gratiæ natura, quam nonnulli conſtituunt, atque ut *in Concordia* quæſt. 14. art. 13. diſp. 32. §. *Nonum eſt* ſcribit Molina „ Deus ope„ra noſtra moralia, quæ a cooperatione „ libera arbitrii noſtri, & non a ſolo con„curſu Dei generali pendent, ut exiſtant, „ vult in primis voluntate conditionata, „ ſi & nos pro voluntate noſtra velimus, „ eo pacto, quo vult, omnes homines ſal„vos fieri, & ipſi velint; Prævidens ve„ro (per ſcientiam mediam) quæ eorum „ pro noſtra libertate ſint futura, compla„cet in illis, vultque abſoluta voluntate, „ ut ſint, “ ſi non alia, inquam, prævenientis gratiæ ſit indoles, annon evidens, *expectare Deum voluntatem noſtram, ut a peccato purgemur?* ante enim veluti exploratam, in quam ſe partem voluntas noſtra datura ſit, & qui prævenientis gratiæ per eam futurus uſus, nec *abſoluta voluntate* gratiam largiri *vult*, niſi ut prævidit, quid *pro noſtra libertate* certo futurum ſit? Si gratiam, *ut a peccato purgemur*, impertiri Deus non ſtatuit, niſi poſtquam prænovit, nos *pro noſtra libertate velle purgari*, ab eo itaque non *præparatur voluntas*, ſed præparata prænoſcitur, non ipſe *operatur in nobis velle & perficere pro bona* (*ſcilicet ſua*, ut interpretatur Angelicus) *voluntate*, ſed pro bona noſtra voluntate diſpoſitos nos prævidens ad volendum, conferre decrevit gratiam, qua adjuvante ſuamque ex parte conferente, & ad bonam voluntatem noſtram adjungente operam, perficiamus, quod ipſe ex æternitate præſciebat fore, ut in certa rerum ſerie vellemus, non ipſe demum *per S. Spiritum infuſionem, & operationem facit in nobis, ut etiam purgari velimus*: non eſt ergo hæc, quam nonnulli penitus in animo conſignatam habent, gratiæ prævenientis notio, ad Arauſic. Synodi definitionem exacta.

VIII. Nihil horum tamen ſibi negotium faceſſere, ajunt Adverſarii; eſt enim laudatus Concilii canon adverſus Semipelagianos, ratos, expectare Deum hominis voluntatem libere conſentientis, ſeque abſque divino adjutorio diſponentis, ut a peccato purgetur, cujus adjutorii neceſſitatem quum ipſi adſtruant, non eſt, cur ſententiæ ſuæ a memorato canone timeant. Excutere nolumus, quod de Semipelagianis affirmant; urgemus ſolum cum Alvarez diſp. 69. *de auxiliis*: Divinum hoc adjutorium, quod neceſſarium homini ſtatuunt ad aſſentiendum, ut a peccato purgetur, aut concomitans duntaxat eſt, ſimulque cum voluntate pro innata ſua libertate ſe ipſam determinante pium in actum influens, aut præveniens eſt, & volentem faciens ex nolente: Si primum, (quod revera ipſis placet) qui poteſt eorum poſitio cum canone recitato congruere, quo definitur, a Deo *per infuſionem S. Spiritus & operationem fieri, ut etiam purgari velimus?* Si et ipſum velle purgari infuſionis & operationis Spiritus S. opus ſive effectus eſt, divinum ergo hoc adjutorium non in actum ſolum, ſed & in volunta-

luntatem ipſam influit, eam movens, applicans, efficienſque, ut purgari velit: non eſt itaque voluntatis *pro ſua libertate* conſentientis duntaxat comes, ſed eam naturæ & efficienriæ ordine prævenit, ut cauſa præit effectui: *Non expectat itaque Deus* voluntatem noſtram libere conſentientem *cum adjutorio divino*, quum eo vere efficiat ipſe, ut libere conſentiamus. Jam vero, ſi adjutorium hoc eſt præveniens, ejuſque virtutis fiat, *ut etiam purgari velimus*, quemadmodum ex laudato cani patet, extra litem profecto eſt, non expectare, ſed prævenire Deum voluntatem noſtram, neque hanc ejus gratiam *humilitati ac obedientiæ*, ſive conſenſioni, *humanæ ſubjungi*, ſed, *ut humiles & obedientes ſimus*, ſeu liberum præbeamus aſſenſum, *ipſius gratiæ donum eſſe*, ut eadem Synodus can. *6.* conſtituit. Erunt autem hæc eadem infra multo latius, & nervoſius urgenda.

PRÆLECTIO V.

De eodem argumento,

Seu de trita gratiæ in ſufficientem, & efficacem *ſectione*.

I. INter gratiæ diviſiones ut nulla celebrior ac pervulgatior, ita nulla majoribus impedita difficultatibus, & vehementiori animorum æſtu in Scholis diſputata. Diviſionem hanc gratiæ vident multi, rejiciuntque ceu ſupervacuam, inutilem, & a divino eloquio, Conciliis, Patribus, rectaque ratione prorſus alienam; imo nonnullorum eo proceſſit audacia, ut de ſufficiente, quæ diviſionis hujus primum eſt membrum, gratia pronuntiarint: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis eſt quam perniciosa, ſic ut proinde merito poſſimus dicere: A gratia ſufficiente libera nos Domine*, quam propoſitionem una cum aliis triginta Alexander VIII. an. 1690. ſolemni decreto confixit. Hujus autem apud Theologos receptiſſimæ diviſionis defenſionem pro viribus ſuſcepturi, breviter prænotamus, quod erit infra uberius explicandum, ſufficientis gratiæ nomine adjutorium venire, quod præbet, *poſſe*, efficacis autem, quod & *dat*, *agere*; quare, etſi hæc gratiæ diſtinctio, quemadmodum Joanni a S. Thoma ſapienter animadverſum, in efficacem, atque inefficacem vere ſit, auxilium tamen inefficax Catholici Doctores *ſufficiens* vocare, malunt, quo ejus naturam denotent & poteſtatem. Duplicis porro hujus adjutorii quis negarit, in litteris ſacris, in Eccleſiæ monumentis, & in Patrum ſcriptis ullum eſſe veſtigium?

II. De gratia efficaci commodius infra: Sufficientem interim, & ſuapte inefficacem gratiam nonne aperte commendant ea divini eloquii teſtimonia, quæ ſolent a Theologis in hunc finem verſari? Illud primo Stephani Judæos palam objurgantis Act. 7. *Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis.* Nonne hinc patet, Judæis, ut converti poſſent, præſto fuiſſe Spiritus S. ſubſidia, quibus tamen ſua malitia reſtiterunt? Num fuiſſent a Stephano reprehenſi, quod ſemper Spiritui S. reſiſterent, ſi omni caruiſſent Spiritus Sancti adjutorio, quo vere potuiſſent animum ad meliora traducere? Illud ſecundo Dei Iſ. 5. *Habitatores Jeruſalem, & Viri Juda judicate inter me, & vineam meam. Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Judæorum gentem vineæ nomine denotatam nemo non intelligit, efficaci non donatam fuiſſe gratia; bonum enim alioqui fructum certo tuliſſet. At ullus ne fuiſſet juſtæ Dei de illa expoſtulationi locus, ſi nec fuiſſet ſufficiente adjutorio prædita, quo & converti vere potuiſſet, & dignos pœnitentiæ fructus edere?

Ex iis etiam Apoſtoli 2. ad Cor. 3., *non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ſufficientiam gratiam colligunt Arauſicanum can. 7. & D. Thomas lect. 1. in hunc Apoſtoli locum ajens: *Licet autem ſufficientes non ſimus, cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis, habemus tamen aliquam ſufficientiam, qua ſcilicet poſſumus bonum velle, & credere incipiamus, & hoc a Deo eſt* 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* Accedit, quod ibidem Apoſtolus c. 12. ſcribit: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet: Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*: Si ad vincendas tentationes ſatis eſt Dei gratia, eſt itaque divinum aliquod adjutorium vere ſufficiens, quo & tentationes vincere, & pietatis edere valemus opera: Non eſt ergo a Scriptu-

ratum

rarum doctrina aliena ſufficientis gratiæ notio.

III. Multo falſius effertur, fuiſſe illam Eccleſiæ Conciliis ignotam. Quid ſibi ea volunt Arauſicani II. cap. 17.: *Quum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit homo cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Vires itaque gratia homini tribuit, quibus & damna, quæ peccando fecit, ſarcire, & perſiſtere in bono, acceptamque poſſit ſalutem cuſtodire: eſt itaque divinum quoddam auxilium ad pœnitendum, & ad perſtandum in bono vere ſufficiens. Ex iis etiam, quæ can. 25. idem Concilium tradit: *Hoc etiam ſecundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*, nonne evincitur, poſſe juſtos omnes per Dei auxilium perſeverare, & ea, quæ ad ſalutem pertinent, implere, ſi velint? Ponit itaque Synodus divinum quoddam auxilium, a quo eſt *poſſe*, ab eo plane diſtinctum, a quo præterea eſt *agere*. Idem & ex iis efficitur, quæ ſeſ. 6. de juſtif. cap. 11. Tridentinum habet, notiſſimum illud Auguſtini uſurpans: *Deus impoſſibilia non præcipit, ſed præcipiendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*, ſubdenſque, eos, *qui Chriſtum diligunt, ſervare ſermones ejus, quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt*. Hæc autem, cujus eſt, vires homini addere, quibus ſermones Chriſti, ſeu divina poſſit ſervare mandata, quæ gratia, niſi quam ſufficientem Theologi dicunt?

IV. Illud tamen intolerandum, quod fidenter nonnulli dictitant, hanc, quam perſequimur, gratiæ diviſionem Sanctos Auguſtinum & Thomam penitus latuiſſe, & ab horum mente procul abire, qui hanc conſectantur. Uno contenti erimus Auguſtini teſtimonio, quod ſit illud locupletiſſimum, & ad illuſtrandam hanc gratiæ diviſionem opportuniſſimum: *Item ipſa adjutoria*, ait l. 2. de correpr. & gr. cap. 12., *diſtinguenda ſunt: aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit; nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen, quum fuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit: Ergo adjutorium alimentum eſt, ſine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At vero beatitudine, quam habet homo, quum data fuerit, continuo fit beatus; adjutorium eſt enim non ſolum, ſine quo non fit, verum etiam, quo fit id, propter quod datur: Quapropter hoc adjutorium eſt, & quo fit, & ſine quo non fit, quia &, ſi data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit: alimenta vero non conſequenter faciunt, ut homo vivat, ſed tamen ſine illis vivere non poteſt. Primo itaque homini; qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe, ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* Quoties aliis in ſuorum operum locis Auguſtinus auxilii meminit, quo datur homini poſſe, quod velit, non velle; quod poſſit, auxilii poſſibilitatis, non actionis, quo ſuadetur pietatis opus, non perſuadetur, invitatur hominis voluntas, non trahitur, quo demum inſpiratur velle, non datur?

V. At ſunt, qui ad laudatum Auguſtini teſtimonium hanc adhibent interpretatione, adjutorium nempe *ſine quo non fit*, quod *ſufficiens* appellamus, & adjutorium, *quo etiam fit id, propter* quod datur, non ſuapte ſeu *intrinſece*, ut loquuntur, & *phiſice*, ſed ſolo reſpectu ſive ab eventu diſtingui, ſeu idem plane adjutorium a voluntate hominis aſſentientis habere, ut ſit efficax, ab eadem reluctante, ut inefficax ſit, & mere ſufficiens. Cæterum nova non eſt, ſed admodum vetus hæc interpretatio; in hunc enim Maſſilienſes declinaſſe ſenſum, ſcribit Hilarius in epiſt. ad Auguſtinum, quæ ejuſdem libro de Prædeſt. Sanct. præfixa eſt: *Moleſte ferunt, ait, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret, ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc vero Sanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ detur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* His verbis

San-

Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant, deſperationem quandam hominibus exhiberi. Probe ergo ſentiebant Maſſilienſes, ab Auguſtino efficacitatem gratiæ in volnntatis humanæ conſenſu non poſitam, alioqui quæ iniiceretur hominibus deſperatio? quare, quæ eorum eſſet de gratiæ natura ſententia, Hilarius idem exponit: *Cæterum quidquid donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe amittere, & retinere propria voluntate, contendunt, quod tunc falſum eſſet, ſi verum putarent, eam quoſdam perſeverantiam accepiſſe, ut niſi perſeverantes eſſe non poſſent*. Nonne hinc patet, ita Semipelagianos hanc gratiæ diviſionem interpretatos, ut eadem plane gratia ſufficiens eſſet aut efficax pro noſtra eidem conſentiente, vel eam repudiante voluntate, nec gratiam ejus eſſe naturæ, quæ faceret, ut reſpui licet poſſet, a nullo tamen duro corde reſpueretur, falſo propterea ſtatuiſſe Auguſtinum, per hoc perſeverantiæ donum, quod prædeſtitatis datur, nonniſi perſeverantes effici; putabant namque, non perſeverare aliquos etiam hoc dono inſtructos, quod illud *a perſiſtendi & deſiſtendi libera* pendeat *poteſtate*? Ab Auguſtini itaque mente alienum eſt, ponere, omne prædeſtinatis collatum donum, efficacem propterea gratiam, *amitti, vel retineri propria voluntate poſſe*, ſeu, quod in idem redit, totam cujuſcumque divini adiutorii efficacitatem in voluntaris humanæ conſenſione ſitam eſſe; hoc enim, quod Semipelagianorum commentum erat, falſum ſit, oportet, ajebat Hilarius, ſi verum eſt, quod ſæpe docuit Auguſtinus, quibuſdam ita collatam divinitus perſeverantiam, *ut niſi perſeverantes eſſe non poſſint*. Interpretationem hanc itaque deſcripta Auguſtini verba non ferunt, ſed duo hæc adiutoria reapſe diſtinguenda ita ſunt, ut aliud revera ſit adjutorium *poſſibilitatis*, quo datur homini *poſſe*, quod *ſufficiens* dicimus, aliud adiutorium *actionis*, ſive efficax, quo homini non ſolum *poſſe*, ſed & *velle* datur, & *facere*.

VI. Ad eandem hanc gratiæ partitionem confirmandam proferre lubet & inſigne Cyrilli Alex. Auguſtino coævi teſtimonium in l. *de adoratione in ſpiritu & veritate*; qui ex eo, quod Gen. 19. refertur, Angelos ſcilicet a Loth Sodomis exceptos hoſpitio ejuſdem & uxoris ac filiarum manum apprehendiſſe &c. gemini hujus adiutorii diſtinguendi ac explicandi anſam perbelle captans ait: *Indicium tibi ſit, Palladi, valde manifeſtum, dum non ſolis verbis nos ſtimulat, & adhortationibus menti immiſſis, ut diſcedamus a peccato, ſed tantam benignitatem nobis etiam exhibet univerſorum ſalvator Deus, ut efficaci ſubſidio adiuvet, ſecundum quod ſcriptum eſt: Apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me*: Pſal. 72. *Nam quoniam hominis natura non valde generoſa eſt, neque ſatis idonea, ut malum effugere queat, ſimul quodammodo vobiſcum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, perſuadens admonitionibus, ut ſubſidium inveniamus, & fortius illud præſtans, quam ut malum præſens & violentum prævalere poſſit*. En duplex a Cyrillo diſtinctum Dei beneficium, & ſubſidium, ſeu auxilium, alterum, quo verbis & immiſſis menti adhortationibus nos ſtimulat Deus, ut a peccato diſcedamus, perſuadetque admonitionibus, ut ſubſidium inveniamus, alterum efficax, atque fortius, cui nullum prævalere præſens & violentum malum poteſt, quo noſtram veluti manum apprehendit, quoque voluerit, nos deducit. Aliud ne prius, quam quod Auguſtinus *poſſibilitatis* vocat, & Scholæ ſufficiens dicunt? Poſterius autem annon illud idem, quod ſuapte efficax appellamus, quod Auguſtinus *invictiſſimum* dicit, quodque, eo Auctore, *facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne dominetur peccatum*?

VII. Hanc etiam in ſufficientem & efficacem gratiæ diviſionem D.Thomæ non cognitam ſolum, ſed & uſitatam fuiſſe, probat doctiſſimus Alvarez iis, quæ Angelicus de paſſionis Chriſti virtute non ſemel, nec uno loco docet, in 3. ſent. primum diſt. 3. q. 2. ar. 2. quæſtiunc. 2. ad 5. ajens: *Chriſtus ſatisfecit pro tota natura humana ſufficienter, non tamen efficienter, quia non omnes ſatisfactionis illius participes fiunt, quod ex eorum impedimento eſt, non ex inſufficientia ſatisfactionis*: & ibid. diſt. 19. q. 1. ar. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. Chriſti paſſionem cum medicamine confert, quod, priuſquam præbeatur ægroto, *ſufficiens eſt ad ſanandum*, ſed *efficientiam*, ſeu efficacitatem, *non habet, niſi applicetur infirmo*: Gemina habet 3. p. q. 79. ar. 7. ad 4. ſcribens: *Sicut paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus quantum ad ſufficientiam, & ad remiſſionem culpæ, & ad adeptionem gratiæ & glo-*

Digitized by Google

gloriæ, ſed effectum non habet niſi in illis, qui paſſioni Chriſti conjunguntur per fidem & charitatem, ita & ſacrificium Miſſæ, quod eſt memoriale Dominicæ paſſionis, non habet effectum, niſi in illis, qui conjunguntur huic Sacramento per fidem & charitatem. In Comment. demum in Math. illud exponens Math. 26. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*, ſcribit: *Et pro multis & pro omnibus, quia ſi conſideretur ſufficientia, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantum, ſed & pro totius mundi: Sed ſi conſideremus effectum, non habet effectum, niſi in his, qui ſalvantur, & hoc ex culpa hominum*. Hinc nemo non perſpicit, hoc argumentum exiſtere: Chriſti paſſio *quantum ad efficientiam* ſatis pro cunctis hominibus fecit, pro aliquibus autem *quantum ad ſufficientiam*. Gratia itaque, quam ſua nobis ille paſſione commeruit, quæ & paſſionis ejus fructus eſt, alia eſt, D. Th. auctore, ſufficiens, qua pie agere, ſalutemque conſequi homo poteſt, efficax alia, per quam reipſa pie agit, aut ſalutem obtinet. Ridicula porro, ut idem Alvarez animadvertit, eorum exceptio, qui, ut hanc gratiæ diſtinctionem Angelico ignotam probent, ajunt, nuſquam docuiſſe illum, paſſionem Chriſti in aliquibus eſſe *efficacem*, ſed *efficientem* &c. Annon enim hæc duo & Ciceroni ſynonima ſunt, efficax & efficiens? Quid efficiens, niſi quod efficit? Efficacis autem gratiæ nomen nonne in coadiutorio ponimus, quod effectum habet, quodque efficit, ut faciamus? Ludunt itaque in re maxime ſeria, qui hæc reponunt. Quin & falſo ajunt, D. Thomam efficacis gratiæ, ut a ſufficiente diſtinguitur, expreſſe non meminiſſe. Quid eo diſertius, quod in comment. in Jo. illud Chriſti exponens Jo. 6. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*, ait: *Attractio Patris eſt efficaciſſima, quia omnis, qui audivit a Patre & didicit, venit ad Chriſtum*? Sed piget, de leviculis his laborare.

VIII. Jam vero diſtinctionem hanc repudiari ſine rationis injuria non poſſe, effici hoc momento poteſt. Niſi ponatur gratia vere ſufficiens ab efficaci reapſe diſtincta, jam quotquot ad meliorem ſe non recipiunt frugem, aut ſalutem non obtinent, dicendi forent, non potuiſſe revera converti, fierive ſalutis compotes; extra litem enim eſt, efficaci eos eſſe adjutorio deſtitutos, quo ſi pollerent, certiſſime ad ſanctitatem traducerent animum, obtinerentve ſalutem: Si eo ergo adiutorio careant, quod tribuit poſſe, quodque ſufficiens appellamus, revocare ab iniquitate animum ad pietatem non poſſent, vel adipiſci ſalutem: non poſſet itaque eis in culpa poni, quod non reſipiſcerent, quod pie non viverent, nec divinam legem implerent &c. *peccati* enim reum teneri, ait veriſſime Auguſtinus in l. de duabus animabus c. 12. *quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt*. Cui autem in mentem veniat tam abſonum paradoxum, qui in impietate hærent, aut ſalutis æternæ jacturam faciunt, ab impietate reſilire & emergere non poſſe, æternæve ſalutis compendium facere? Relinquitur ergo, præſto eis eſſe adiutorium vere ſufficiens, quo præſtare hæc omnia vere poſſint: A recta itaque ratione non abhorret, ſed maxime cum ea congruit communis hæc apud Catholicos gratiæ in ſufficientem & efficacem diviſio. Alvareſii eſt hæc ratio.

IX. Ex his Thomiſtæ ad Auguſtini & Thomæ mentem hanc ſufficientis gratiæ definitionem cudunt, ut eſt apud Magiſtrum Jo. a S. Th.: Gratia ſufficiens eſt auxilium, quo accipimus, poſſe bonum facere, non item, bonum ipſum revera facere, & actu operari. Cæterum, quibus hæc gratiæ in ſufficientem & efficacem diſtinctio diſplicet, plura habent, quibus eam ſibi videntur, penitus e Scholarum finibus exterminare; ac primo quum tanta ſit Theologos inter de ſufficientis & efficacis gratiæ notione ac intelligentia diſſenſio, annon ſatius eſt, ad veterem & conſtantiſſime in Eccleſia retentam gratiæ in excitantem & adiuvantem diviſionem adhæreſcere, quam novam hanc conſectari, cujus & maxime controverſa notio, & maximis impedita difficultatibus? 2. Diviſionis hujus membra ſeſe mutuo deſtruunt, excluduntque: qui poteſt ergo gratiæ diviſio hæc recta eſſe: quomodolibet enim efficax explicare adiutorium velis, nonne de vero auxilio ſufficiente actum eſt? Si cum Auguſtini & Thomæ diſcipulis auxilium efficax ad agendum neceſſario prærequiri contendas, annon, quod ſufficiens dicis, ſolo nomine ſufficiens eſt? Qui enim ſerio & reipſa poteſt ad agendum

ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiens poni, quod non eſt revera ſufficiens, quum alio præterea adiutorio opus habeas, ut reapſe opereris? Si autem, ut aliis placet, efficax auxilium dixeris a Deo ibi & tunc homini collatum, ubi & quando bene illo uſurus prævíſus eſt, ſufficiens vero, quod impertit Deus homini tempore & loco non congruis, prænoſcens, fore, ut tunc & ibi homo tributo ſibi adiutorio non conſentiat, nonne, quod ſufficiens vocas, ſufficiens reipſa non eſt? Medicum ne diceres pharmacum ſanando ægro ſufficiens adhibuiſſe, ſi illud novit non eſſe ad ejus temperationem, morbique indolem accommodatum, vel ſi illud adhibeat alieno & inopportuno tempore, quo præſcit, non fore illud laboranti ſalutare? Non eſt ergo cenſendus Deus adiutorium ſanando a culpa homini vere ſufficiens tribuere, ſi non ſit illud ad infirmi ingenium attemperatum, vel tempore &c. conferatur non opportuno, quo nullus ejus futurus prænoſcitur ſalubris uſus. 3. Quum Dialectici ediſcant, non debere, extremorum, quæ dividuntur, aliud in alio includi, quum diviſio per oppoſita fiat, quis negarit ſufficientem in efficaci gratiam includi, ſeu eandem, quæ efficax eſt, gratiam multo potius ſufficientem eſſe? Nam ſi per eam actu operatur homo, poteſt profecto per eandem operari. 4. Pone, Divini verbi præconem ad plures de gehennæ pœnis, aut de cæleſti gloria verba habere, interius autem æquali Spiritus S. gratia illuſtrari audientium mentes, & excitari corda. Num negaris, fieri poſſe, ut eadem divini verbi prædicatio ſit audientium nonnullis fructuoſa, non item aliis? Cujus autem adjutorii ope? Non ſufficientis; nullus quippe tuliſſet fructum, quum ab adiutorio hujuſmodi ſit duntaxat poſſe, non agere: Neque efficacis; alioqui audientium nemo non morem Spiritui S. æqualiter illuſtranti ac excitanti geſſiſſet: Vana itaque hæc in ſufficientem & efficacem gratiæ partitio, ſed illud potius ſtatuendum gratiæ genus, quod indifferens dicitur, cui nimirum *pro innata libertate ſua* reniti homo poteſt, vel aſſentiri. 5. Qui contritionis imperfectæ actum edunt, aliquo, quod ſupra naturam eſt, Dei auxilio roborari, quis dubitet, quum actum illum *domum Dei* eſſe, *& Spiritus S. impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed moventis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad juſtificationem parat*, ſit a Trid. definitum ſeſſ. 14. c. 4. de Sacr. Pœnit.? Neque tamen auxilium illud ſufficiens eſt, quod poſſe ſolum tribuit, non operari, neque efficax; alioqui certiſſime impius converteretur, fieretque juſtificantis gratiæ compos: Eſt itaque auxilium neque efficax, neque ſufficiens. 6. Cui bono hæc gratia, qua ſola nemo nequam bene uſus, nec unquam uſurus? Imo eſt illa homini pernicioſa, quum fiat ex ea hominis conditio deterior, ſiquidem ea ſola inſtructus legem non implet, eſtque peccati reus, quo vacaret, ſi gratia iſta careret. Demum quum ſit gratia hæc ſufficiens novitium Alvarezii inventum, cujus nulla apud priſcos D. Th. aſſeclas mentio, efficacis etiam gratiæ nomen l. 2. inſtit. c. 3. n. 11. primus omnium Calvinus invexerit, improbanda videtur hæc gratiæ diviſio.

X. Etſi tamen hæc luceant vanitate, franguntur tamen facillime veritate. Quid, ſi multos affert hæc gratiæ partitio difficultates? Num minoribus obſeſſa eſt, quæ in operantem & cooperantem, in excitantem & adiuvantem fit? Num Theologi magis in harum intelligentia, & explicatione concordes? Reiicienda ne propterea utraque hæc gratiæ diſtinctio? Ut retinentur itaque poſteriores hæ gratiæ claſſes, quod ſint illæ in divino eloquio, in Conciliis, Patrumque ſcriptis commendatæ, nec tanta de earum notione inter Theologos controverſia, ſatis eſt, ut recte a quoquam explodi poſſint, ita nequit hæc gratiæ in ſufficientem ac efficacem diſtinctio repelli; ſacrarum enim literarum, Eccleſiæ Patrumque auctoritate nititur, nec ulla appetitur difficultate, quam germani Auguſtini & Thomæ Diſcipuli valide non diſpellant. Fac tamen, multis eam impediri, quæ plene non poſſint a nobis percipi aut explicari. Quid tum inde? *Numquid propterea dicturi ſumus*, uſurpare poſſumus, quod Auguſtinus l. de don. perſev. c. 14., *quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quoniam, cur ita ſit, non poſſumus invenire? Numquid ideo negandum, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt?* & l. 3. de pecc. mer. & remiſ. c. 3. & 4. *Ego autem, etiamſi refellere iſtorum argumenta non valeam, video tamen, inhærendum eſſe iis, quæ in Scripturis ſunt aperiſſima, ut ex iis revelemur obſcura, aut ſi mens non-dum*

Digitized by Google

dum eſt idonea, quæ poſſit, ea vel demonſtrata cernere, vel abſtruſa inveſtigare, ſi-ne ulla dubitatione credantur. Quid autem eſt, quod tam fidenter ajunt, duo hujus diviſionis membra mutuo ſe deſtruere? Auxilium ſe ipſo efficax ponimus, nec ejus efficacitatem repetimus a libero hominis conſenſu, aut ejus, cui præbetur, indole &c. aut ab exterioribus temporis, loci &c. quibus conſertur, adiunctis, ſed a Dei omnipotentia, ejuſque certo propoſito: illud item neceſſario requiri, ſtatuimus, ut homo operetur; ſolum enim *facit, ut indeclinabiliter, & inſuperabiliter faciamus*. Num propterea ſufficiens auxilium evertimus, unamque ei relinquimus magni nominis umbram? Quid, ſi, ut Montaltius in 2. ad Provinc. ep. opponit, illud vulgo, & uſitato loquendi modo vere ſufficiens dicitur, præterquod alio opus non eſt? Num iccirco nobiſcum ipſi pugnamus, qui præter ſufficiens auxilium & efficacis ad agendum neceſſitatem adſtruimus? Optime nobis ipſi conſtamus, quippe quibus firmiſſime perſuaſum, ita per ſufficientem gratiam voluntati creatæ interiorem, plenam, proximam, expeditamque agendi pollentiam tribui, ut alio auxilio opus non habeat, quo, proxime, expedite, & vere *poſſit*. At opus ei certe eſt, ajunt, alio adiutorio, quod efficax dicunt, ut *agat*. Scilicet: Eo tamen voluntas eget, non ut poſſit; hoc enim a ſufficiente gratia plene habet, ſed, ut quod poteſt, reipſa velit, atque perficiat; quare illud *poſſibilitatis*; hoc vocatur *actionis*, quia primum agendi pollentiam dat, hoc eandem hanc ad agendum movet, & applicat, efficitque, ut voluntas idoneis per gratiam ſufficientem inſtructa viribus in actum erumpat.

At delirare, aut jocari adverſariis videmur, aut profecto a communi hominum ſenſu, & loquendi more procul abire; abſurdum ſiquidem, ſufficiens quidquam dici, nec tamen vere ſufficere. Qui tamen hæc regerunt, aut ignorant, aut ignorare, ut calumniandi anſam habeant, ſcienter volunt, quid ſufficientis gratiæ nomine apud nos veniat. Hanc *poſſibilitatis* gratiam dicimus, quod voluntati vere det, poſſe, *ſufficientem* autem, quod ea voluntas inſtructa non alio egeat adiutorio, ut proxime expediteque agere poſſit, tametſi alio opus habeat, quo moveatur & applicetur, ut actu agat. Eſt itaque prius adiutorium proprie vereque ſufficiens in genere, ut ajunt, ac ordine ſuo, *poſſibilitatis* videlicet, totumque voluntati vere confert, *propter quod datur*, proximas nimirum expeditaſque vires, ut poſſit. Quid ergo, ſi his duntaxat aucta viribus, nunquam re ipſa aget, niſi eo confirmetur adiutorio, quod appellamus *actionis*? Num propterea ludimus, aut inſanimus, aut a communi hominum loquendi more recedimus? Quot a Noſtratibus ad hoc illuſtrandum proferri exempla ſolent in quotidiano uſu poſita! Panem nonne dicimus conſervandæ vitæ ſufficere? Nullone alio tamen ad vitæ conſervationem egemus? At eſt, & vulgo dicitur ille ſufficiens *in genere cibi*, quod abſolute non ſit homini ad tranſigendam vitam alio alimento opus. Lumen item ſatis eſſe ad videndum, paſſim dicimus, tametſi præterea, & niſi fuerit oculus ſanus ac valens, & obiecta viſui res definite diſtans &c. nunquam erit videndi actus. Quis negarit, ſatis ſuperque in igne virtutis eſſe ad comburendum? At niſi aptam ad concipiendum ignem materiem admoveris, num reapſe comburet? Sed eſt illud omnium locupletiſſimum, & ad rem noſtram maxime accommodatum, quod ex doctrina D. Th. apud Theologos communi, & a Trid. ipſo probata depromitur. Chriſtum Dominum pro toto humano genere ſatis Deo Patri feciſſe, *propitiationem* eſſe *pro peccatis noſtris, ſed non pro noſtris tantum, ſed & pro totius mundi &c. ſufficienter, quantum ad ſufficientiam* &c., nonne ſanctiſſime confitemur? Nonne ratum perinde & conſtans, Chriſti paſſionem & merita iis duntaxat fructuoſa actu & ſalutaria eſſe, quibus per Sacramenta, fidem, ſanctificantem gratiam &c. reipſa applicantur? Quidni ergo recte dicatur adiutorium illud vere ſufficiens, a quo habet voluntas, ut proxime & expedite operari bonum poſſit, quin aliud ei ad vere *poſſe* adminiculum neceſſe ſit, quamquam nonniſi ab eo, quo ad agendum applicatur, quod propterea *actionis* dicitur, adiutorio habeat, ut reipſa operetur?

Tertium, quod ex Dialecticæ regulis, quæ de recta diviſione ſunt, petitur, facile enodatur. Quin neceſſe ſit, accuratius excutere, quod eſt inter Noſtrates controverſum, an adiutorium *actionis*, ſive efficax vires voluntati addat, ſeu largiatur & *poſſe*, an voluntatem ſufficientis au-

auxilii ope viribus ſatis inſtructam duntaxat ad actum applicet, faciatque ſolum, ut *faciat*, illud interim ſumimus, de quo inter omnes convenit, adiutorium ſufficiens meræ *poſſibilitatis* eſſe, efficax autem *actionis*, nec prius a poſteriori diſtingui, quam quod det *poſſe*, non item *agere*; poſterius, ſive *poſſe* tribuat, ſive non, ſuapte natura det agere. Hinc neceſſario conſequitur, unum ab alio diſtingui, quod unum efficax ſit, non item alind, quemadmodum n. 1. cum Jo. a S.Th. animadvertimus, recteque etiam utrumque diſtingui, licet ab efficaci haberet voluntas non ſolum agere, ſed & poſſe, quemadmodum ab animante bruto nemo dubitat, differre hominem, quod etſi utrique ſit commune ſentire, quidpiam tamen peculiare propriumque habet homo, nempe intelligere.

Quartum ineptum eſt; ſibi enim ſumit ad concludendum, quod concedi nulla ratione poteſt, contingere nimirum poſſe, ut duorum, quos Deus æquali prorſus, ſive exteriori, ſive interiori auxilio præveniat, excitetque, alter convertatur, non item alius; hoc enim quam longiſſime falſum eſſe, & a Scripturarum, Eccleſiæ Patrumque doctrina abhorrere, confidimus, fore, ut infra pateat evidentiſſime.

Ad diſſolvendum quintum præmittendum eſt, quod in D.Th. Schola communiter eſt receptum, omne videlicet auxilium, quod actui perfecto ſufficiens eſt, imperfecti, ad quem certo divinæ voluntatis propoſito deſtinatur, actus efficiens eſſe, e. g., adiutorium, quod ad fidei aſſenſum ſatis eſt, pias in homine cogitationes, alioſque hujuſmodi imperfectos motus efficaciter excitare, qui antevertere aſſenſum fidei ſolent, quod non firmis rationum momentis ſolum, ſed & Scripturarum teſtimoniis, & Patrum auctoritate Noſtrates probant, idem ſcilicet auxilium, ut diverſa reſpicit, ſufficiens ſimul & efficax eſſe. Quo itaque attritionis actus editur, Dei adiutorium; ſi ad plenam impii converſionem, juſtificationemque referatur, ſufficiens eſt, ſimul autem efficax, attritionem, imperfectoſque alios, qui præire contritioni perfectæ, & impii juſtificationi ſolent, actus efficiendi vim habens.

In ſexto autem, quod exaggerare Adverſarii impotenter ſolent, refellendo paulo plus operæ ponendum eſt. Quæ vere dat homini, proxime expediteque poſſe vitare crimina, legem implere, pieque operari, gratia num eſt, dicique poteſt ſuopte inutilis? Eſt illa quidem plerumque inutilis, at non ſuo, ſed hominis vitio, qui ei reſiſtit, ſuaque malitia impedimentum apponit efficaci, a qua bonus ſufficientis gratiæ uſus pendet, quamque Deus, quum ſufficientem largitur gratiam, homini afferet, neque ipſa tribueret, niſi prava hominis voluntas obſtaret. Inutilem ne quis dixerit, quæ in plantis ineſt, germinandi, ferendique fructus vim, quod radicis, aut ſoli vitium, aut alia quæpiam cauſa ſuo illam effectu non ſemel fraudet? Præclare Alvarez de auxiliis diſp. 80. „ toto illo tempore, (ait) quo auxilium ſufficiens potentiam afficit, ſimul producit efficaciter actus illos imperfectos, de quibus ſupra, & eſt principium ſufficiens in ſuo genere, comparatione actus perfecti, ad quem ordinatur. Quod ſi de facto liberum hominis arbitrium per illud auxilium actum perfectum non producit, id ex ejus culpa procedit, quia noluit bene uti illo auxilio, ſed ei reſiſtendo impedimentum poſuit, ne Deus ſua gratia progrederetur alterius hominem adiuvando, ut perfectum actum produceret; *Deus enim*, ait S. Th. 3. c. G. c. 159. *quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, 1. ad Tim. 2. *Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant, ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis præveniatur.* "

At efficax hoc, quod bonum ſufficientis uſum homini præbet, adiutorium (ajunt) in hominis poteſtate non eſt: „ Eſt tamen (reſpondet poſt D. Th. perdoctus idem Scriptor diſp. 18.) in facultate noſtræ voluntatis, ſe ipſam impedire, ne habeat illud. Unde, ſi non operetur actum, qui eſt in præcepto, imputabitur illi ad culpam, eo quod ſua culpa ſe impedivit, ne daretur auxilium efficax, quod neceſſarium erat, ut actualiter operaretur actum virtutis, qui eſt in præcepto: Sicut ſi Deus imponeret homini præceptum volandi, &, quantum ex parte ſua eſt, offerret illi alas, & adiutorium neceſſarium, ut

„ volaret, ipſe autem libertate ſua reſponderet Deo, nec volo alas recipere, nec „ volare, merito reputaretur reus, & „ præcepti tranſgreſſor, etiamſi non poſ- „ ſet abſque alis volare, quia ſua culpa „ impedivit, ne illi donarentur a Deo. “ Hæc quæ & Thomæ de Lemos, & inſigniorum Scholæ noſtræ Magiſtrorum doctrina eſt, cum ea plane congruit, quam Tridentinum ſeſ. 6. c. 13. tradit, ajens: *Deus, niſi homines illius gratiæ de fuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere*. Annon hinc perſpicuum eſt, Deum, Tridentino auctore, quod per ſufficiens auxilium bonum opus inchoavit in homine, paratum eſſe, efficaci adjutorio perficere, & conſumare, *niſi homines illius gratiæ defuerint*? Soli itaque homini vitio vertendum, quod validiori auxilio non perficiat Deus in illo, quod cæpit.

Quid eſt autem, quod ajunt, ſufficientem gratiam pernicioſam homini eſſe, eaque hominem fieri deteriorem? Qui id pronuntiare poſſunt de adjutorio, quod pias in mente cogitationes, ſanctaque, imperfecta licet, boni deſideria in corde excitat, veraque voluntatem inſtruit non peccandi, legemque implendi pollentia? Hæc adjutorii, quod ſufficiens dicimus, quum germana natura ſit, hominem eo meliorem fieri, quis non potius fateatur? At ſi homo eo careret, non ei poneretur in culpa, quod legem violando peccaret: Eſto. Adſcribendum ne vero adjutorio ſufficienti, quod eo præditus homo efficaci careat, quo ſolo fieret, ut legem reipſa impleret, & non peccaret? „ Auxilium „ ſufficiens (ait Lemos, cui cæteri Tho- „ miſtæ ſubſcribunt, Tom. 4. Panop. l. „ 4. Par. 2. Tract. 3. c. 2.) ita ſufficien- „ tiam tribuit ad operandum, quod de- „ fectus operationis nullo modo provenit „ ex inſufficientia talis auxilii, ſed tan- „ tum ex defectu liberi arbitrii, quod ei „ reſiſtit, & impedimentum ponit: “ Et cap. 6. „ Deus (inquit) tribuens auxi- „ lium ſufficiens in eo offert efficax; Sed „ quia homo reſiſtit ſufficienti, privatur „ efficaci, quod ſibi offerebatur. “

At videmur D. Tournely nobis ipſi non conſtare, ſed pugnantia ſtatuere. Ponimus enim, hominem efficaci auxilio ſua ſe culpa privare, quia non bene utitur, ſed renititur ſufficienti, rectum tamen hujus uſum ab efficaci, quod non in hominis, ſed in ſolius Dei poteſtate eſt, adjutorio repetimus, ſeu inde neceſſario pendere, decernimus. Si velimus iccirco nobiſcum ipſi cohærere, non doceamus, oportet, denegare homini Deum efficax adjutorium, quod non bene ſufficiente uſus ſit, ſed hunc potius efficaci deſtitui, quod efficaci alio caruerit, quo ſufficiente bene uteretur. Acute ſane. Cæterum, quod efficaci, cujus ad rectum & ſalutarem ſufficientis gratiæ uſum neceſſitatem adſtruimus, auxilio homo careat, unde eſt [illegible] Latiſſime & ſolidiſſime quæſtionem hanc verſat, dirimitque Alvarez *l. 9. de auxiliis diſp.* 101., cujus titulus: *Utrum hæc cauſalis ſit vera: Quia homo non adjuvatur a Deo, ideo non convertitur*, & diſp. 102.: *Utrum hæc cauſalis ſit vera: Quia homo excitatus a Deo non vult uti gratia ſufficiente, ideo non adjuvatur a Deo, nec convertitur*. Quæ ibi habet graviſſimus Auctor, ſi Pariſienſis Doctor paulo diligentius expendiſſet, non fuiſſet in nos tam facile inofficioſus, nec tam fidenter nos inconſtantiæ redarguiſſet. Quibus novitiæ, quas a conſtanti Pariſienſis Academiæ doctrina alienas, ut Molinæ aſſeclis gratificaretur, Tornely adoptavit, ſententiæ de gratia perplacent, non eſt, cur hanc ejus argutiolam admirentur. Jampridem enim eandem ſibi ibidem objecit Alvarez, diſſolvitque pleniſſime. Non vacat, ea perſequi, quibus ibi celeberrimus Scriptor invicte probat, ex hominis culpa eſſe, quod efficaci adjutorio careat, quo ſufficiente gratia recte uteretur. Nonnulla ſolum Auguſtini teſtimonia promemus, quibus ejus, quod 1. 2. q. 112. ar. 3. ad 2. tradit D. Thomas, retinentque omnes ejus Diſcipuli conſtantiſſime, veritas perſpecta fiat, *defectus* ſcilicet *gratiæ primam cauſam ex nobis, ſed collationis gratiæ primam cauſam a Deo eſſe, ſecundum illud Oſeæ 13. Perditio tua ex te, Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum*. Illud plane decretorium, quod l. 2. *de peccat. mer. & remiſ.* c. 17. habet Auguſtinus: *Quum voluntate humana, gratia adjuvante divina, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem faciliime ac veraciſſime reſpondere, quia homines nolunt: Sed ſi ex me quæritur, cur homines nolint, imus in longum. Verumtamen etiam hoc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam: Nolunt homines facere, quod juſtum eſt, quia latet, an juſtum*

ſtum

ſſum ſit, ſive, quia non delectat . . . Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, qua, ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi, & erudiendi; ſi filii ſint miſericordiæ. Illud etiam locupletiſſimum, quod ex l. de correp. & gr. c. 5. & 6. recitat D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. : *Auxilium gratiæ quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis*.

Quomodo autem in Noſtratium doctrina nulla diſſenſio ſit, explicare lubet ipſis ejuſdem Alvarez verbis diſp. 102. *ad primum:* „ Homo poteſt quidem, abſolute „ loquendo, recte uti gratia ſufficiente : „ nunquam tamen ea de facto utetur, „ niſi adjuvetur a Deo; Nam, ut ſupra „ dictum eſt, auxilium gratiæ adjuvantis „ non eſt neceſſarium, ut cum gratia ſuf„ficiente poſſit revera quis pie operari, „ ſi velit, ſed ut de facto velit. Unde, „ quamvis prius ſit in ſigno rationis (ſeu „ intelligentia noſtra) quod homo juve„tur a Deo, quam quod bene utatur „ gratia ſufficiente, non tamen eſt prius, „ quod adjuvetur a Deo, quam poſſe be„ne uti eadem gratia ſufficiente. Quum „ ergo ante gratiam adjuvantem, poſſit „ quis bene uti gratia ſufficiente, ſi ve„lit, ideo bene dicitur, illum propterea „ non bene uti eadem gratia ſufficiente, „ quia non vult, ac per conſequens recte „ etiam dicitur, impedimentum ponere „ gratiæ adjuvanti, quam Deus paratus „ eſt, omnibus conferre, ut ex præmiſſis „ conſtat, & ex his, quæ dicentur infra. „ Quapropter illa cauſalis eſt veriſſima : „ Quia homo non vult bene uti auxilio „ ſufficiente, ideo non adjuvatur a Deo, „ nec convertitur. "

Videntur poſtremo in veterum Scholæ noſtræ Magiſtrorum lectione minus, quam par eſſet, verſati, qui gratiam ſufficientem Alvarez inventum putant, noſque propterea *Alvariſtas* per ludibrium vocant, Antonius Arnaldus in primis in libro, quem inſcripſit : *Defenſe de la conſtitution d. Innocent. X.* Annon Cajetanus multum ætate ſuperior Alvarez? Suis ille in comment. in Epiſt. Pauli illud ejuſdem exponens 1. ad Cor. 12., *fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*, ait „ Dixit Apoſtolus, *ut poſſitis ſuſtinere*, & „ non dixit, ut ſufferatis. Sat enim eſt, „ fidelitati divinæ, ut tribuat poſſe ſuffer„re. Velle autem ſufferre, & ipſum „ ſufferre, alterius gratiæ eſt, quæ electis „ confertur, & non eſt omnibus commu„nis. " Sufficientis gratiæ nomen nonne in adjutorio ponimus, quod *tribuit poſſe*? Quorſum Ferrarienſis, Medina, Navarrete, Bannes, Ledeſma, aliorumque vetuſtiorum Alvareſio Scholæ noſtræ Theologorum teſtimonia deſcribamus, quum ad hoc idem demonſtrandum multa, eaque locupletiſſima collegerit, ſuiſque in Prælect. *de Gratia Chriſti* exhibeat Tournely, qui nullo nomine poteſt Adverſariis ſuſpectus eſſe? Sed & illud quam frivolum, non uſurpandum *efficacis* auxilii nomen, quod eo uſus ſit Calvinus omnium primus! Repudiandum itaque & nomen *Omouſion*, nam illud in Eccleſiam primus intuliſſe perhibetur peſtilentiſſimus Paulus Samoſatænus. Reponi multa ſolidiſſime poſſent; ſed non eſt de ineptiis, quarum pudere Adverſarios debuiſſet, admodum laborandum. Quantum excogitatæ a Calvino efficacis gratiæ notio ab ea diſter, quam germani Sanctorum Auguſtini & Thomæ Diſcipuli penitus in animis conſignatam habent, erit ſuo loco oſtendendum.

PRÆLECTIO VI.

De gratiæ ſufficientis notione a Molinæ Diſcipulis, & a Janſenii gregalibus excogitata.

I. Quam hucuſque evolvimus & explicavimus, ſufficientis gratiæ notio in D. Thomæ Schola univerſim & conſtanter obtinet: longe aliam tamen cudit Molina, cuderunt poſt illum Diſcipulorum ejus aliqui, quam reliqui inbiberunt animo, retinentque etiamnum hodie; diverſam commeditatus eſt Janſenius, quæ in gregalium ejus animis penirus hæret. Operæ pretium eſt, breviter quidem, ſed diligenter exponere, quid de capite hoc alii ſentiant, quo & pateat, quantum ſententiam noſtram inter, & aliorum opiniones interſit, & quæ cum ve-

veritate cohæreat, quæ vero procul ab illa abſit. Capto a Molina, ceu reliquis antiquiore, dicendi principio, pervagatum eſt, nihil internoviſſe illum revera, ſeu, ut ajunt, *realiter*, ſufficiens inter & efficax adjutorium, ſed unum poſuiſſe gratiæ ſuapte flexibilis, indifferentis, & libero hominis arbitrio plane ſubjectæ genus, quæ efficax diceretur, ſi ad illam voluntatis conſenſus accederet, ſufficiens vero & inefficax, ſi eandem *pro innata ſua libertate* homo reſpueret. Quorſum in opinionis hujus falſitate demonſtranda laboremus, quum & a ſuis exploſa ſit? Notius eſt atque certius, quam ut illud confirmare opus ſit, an. 1613. Claudii Aquavivæ Generalis Soc. Jeſu Præpoſiti decreto juſſos ejuſdem Inſtituti homines exin *docere, inter eam gratiam, quæ reipſa effectum habet, atque efficax dicitur, & eam quam ſufficientem nominant, non tantum diſcrimen eſſe in actu ſecundo, qui ex uſu liberi arbitrii, etiam gratiam cooperantem habentis effectum ſortiatur, altera non item, ſed in ipſo actu primo* &c. Idem hoc Aquaquivæ decretum ſubin confirmarunt, novoque auxerunt robore an. 1615. Mutius Viteleſchi, & an. 1651. Picolomineus Generales ejuſdem Inſtituti Præpoſiti.

II. Quodnam hoc tamen ſufficiens inter & efficax auxilium diſcrimen *in actu primo*, quod docere eo decreto juſſi ſunt *omnes*? An, quod Thomiſtæ communiter, perpetuoque fixerunt? *Noſtri in poſterum doceant, inter eam gratiam* &c. *non tantum diſcrimen eſſe in actu ſecundo . . . ſed in ipſo actu primo, quod poſita ſcientia conditionalium* (ſeu media) *ex efficaci Dei propoſito atque intentione efficiendi certiſſime in nobis boni, de induſtria ipſe ea media ſeligit, atque eo modo & tempore confert, quo videt, infallibiliter effectum habitura, aliis uſurus, ſi hæc inefficacia prævidiſſet. Quare ſemper moraliter, & in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in ſufficienti gratia contineri, atque hac ratione efficere Deum, ut faciamus reipſa, non tantum, quia dat gratiam, qua facere poſſimus*. Repudiata itaque ſufficientis gratiæ notio Moliniana: adoptata, ac ſolemni decreto veluti conſecrata Suareſiana; Suarez enim, ut invidiam, quam ſua ſibi commentatione Molina conſciverat, declinaret, ne videretur, nullam in divino adjutorio efficacitatem agnoſcere, totamque a voluntatis humanæ conſenſu repetere cum Molina, eam ſufficientem ac inefficacem gratiam ſtatuit, quam Deus largitur homini in iis temporis, locique adjunctis, in quibus prænovit, fore, ut ea recte non utatur, neque ſuo illam reddat conſenſu efficacem. Tametſi autem gratia hæc ſufficiens ab efficaci ſive congrua, re, & natura non differat, *moraliter* tamen, ſeu *in ratione doni ac beneficii* potior eſt efficax ſive *congrua*, longeque præſtat ſufficienti, quod a Deo *de induſtria* electa ſit, quia eam ſcit, cum hominis indole ac temperamento congruere, & opportune conferatur, ubi ſcilicet, & quando prænovit Deus, hominem illi certiſſime conſenſurum. Qui non fuerit plane ſtipes, facile intelligit, Suareſianam gratiæ ſufficientis notionem a Moliniana verbis differre; non re; utraque enim ſcientia media ceu fundamento nititur, utraque verum ac ſolidum, quod ab utriuſque natura ſit, ſufficientem inter ac efficacem gratiam diſcrimen non interponit, utraque demum efficacitatem gratiæ eo redigit, ut a bono ejus, cui tribuitur, uſu ſive conſenſu, a loci & temporis adjunctis, ab hominis ingenio ac naturali temperatione pendeat, quod, quantum a Sanctorum Auguſtini & Thomæ doctrina abhorreat, demonſtraturi infra ſumus, quum de gratia *congrua*.

III. Mirum autem nemini accidat, hanc, quam Suarez poſuit, ſufficientem gratiam *moraliter* ab efficaci diſtinctam, tametſi effectu vacuam, id omne tamen habere, eodem Auctore, quod ad effectum ſuum edendum neceſſe eſt, ſeu ad actum bonum exerendum, ad quem hominem movet, tametſi ipſum revera non edat; quum enim non alio opus ſit homini divinitus collato, neque diſtincto adjutorio ad ſalutarem ſufficientis uſum, ſed totum jam ſit in voluntate ſeſe libere determinante, & opportunis loci, ac temporis adjunctis poſitum negotium, hinc ſponte fluit, ſufficiens auxilium complecti omnia, quæ ſunt ad edendum pietatis actum neceſſaria. Mirum quidem, Gabrielem Danielem hoc Scholæ ſuæ placito tam delectatum, ut in tract. Theolog. *adverſus gratiam ſeipſa efficacem* p. 9. & 10. illud idem inter fidei capita referat, ſcribens: „ Gratiæ ſufficientis nomine ea „ intelligitur, quæ ſufficiat, quæque id

„ ha-

„ habeat omne, quod ad effectum ſuum „ edendum neceſſe eſt . . . Id ergo quæ- „ ritur in præſentia, quid nos de iis me- „ re ſufficientibus, & inefficacibus gratis „ fides doceat, quibuſcum id habetur „ omne, quod neceſſe eſt, ut actus, „ quem nobis inſpirant, exeratur, qui- „ buſcum tamen ex renitentis voluntatis „ defectu non editur. “ Si hanc fides nos doces ſufficientis auxilii notionem, procul a fidei regula aberrare, conſequens eſt, quotquot id conſtantiſſime negant. Hi autem quot, & quam inſignes! Præter innumeros, qui laudari poſſent, extra D. Th. Scholam, ullus ne Thomiſtarum non illud probat, ac confitetur, quod Tom. 2. controv. c. 19. §. 1. ſcribit Navarrete, *quod Suarez dicit, auxilium ſufficiens includere in ſe omnia, quæ ſunt neceſſaria ad operationem, falſum eſt, & contra D. Auguſtinum*, & Lemos Tract. 8. *de aux. ſuff.* c. 1. *Non eſt hoc verum auxilium ſufficiens, quod a Theologis recipitur, & uſurpatur, ſed eſt illud, quod contra veram Chriſti Domini gratiam, Julianus, Caſſianus, Fauſtus, & alii Maſſilienſes introduxerunt.* Iſti ne omnes a fidei doctrina alieni? Quid ergo fide certum? Non omne, quod nobis Chriſtus ſua morte commeruit, auxilium abſolute efficax eſſe, ſed præter auxilium actionis, quo *velle* reipſa *datur* & *agere*, ſtatuendum auxilium *poſſibilitatis*, ſine quo recte agere quidem non poſſumus, eo tamen fit, ut agamus, cui non reſiſti ſolum poteſt, ſed & perſæpe reſiſtitur, a quo demum voluntas plenam habet proximam, expeditamque operandi pollentiam, non item operationem. An vero ita omnia ad actu agendum neceſſaria contineat, ut alio præterea opus non ſit, quam libero voluntatis humanæ conſenſu, & generali, quem *concomitantem* dicunt, Dei concurſu, dudum acerrime diſputatur in Scholis. Affirmant Molinæ aſſeclæ, negant pugnaciſſime Auguſtini & Thomæ Diſcipuli; Necdum enim ſuum, ut pervulgatum eſt, Eccleſia judicium voluit ſolemniter interponere; quare nimiæ videtur fidentiæ eſſe, caput maximopere controverſum in fidei articulis numerare, & velut præjudicatæ ac ab Eccleſia definitæ rei loco conſtituere, mere ſufficientes & inefficaces gratias eas eſſe, *quibuſcum id habetur omne, quod neceſſe eſt, ut actus, quem nobis inſpirant, exeratur* &c.

IV. Neque minus abludit a vero, Gabriel abluduntque cum illo Sorbonici Doctores Moynius, & Tournely, qui gratiam orandi inter, ac operandi internoſcentes, hanc videntur efficacem agnoſcere, illam vero ſufficientem decernunt, ſed ita flexibilem, ac in voluntatis humanæ poteſtate poſitam, ut ea, quæ ſemper, quemadmodum ipſis placet, præſto adeſt, inſtructus homo non orare ſolum poſſit, & uberius, efficaxque implendi præcepti, pieque vivendi adjutorium e cælo advocare, ſed alio, ſi voluerit, opus auxilio non habeat ad orandum, obtinendaſque validiores e cælo vires. A multis pridem latine & gallice novum hoc commentum exagitatum valideque diſpulſum, quod abeſſe illud non parum a Scripturarum, Patrumque doctrina videatur, ad quam qui animum paullſper adverterit, ſtatim intelliget, orandi perinde ac agendi bonum ab efficaci Dei adjutorio eſſe. Qui illud Apoſtoli ad Phil. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle* & *perficere*, ſæpe urget Auguſtinus, ut a Deo eſſe demonſtret, quod volumus, recteque operamur, illud ejuſdem ad Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, nervoſe non ſemel verſat ad tranſigendum, ab eadem efficaci Dei gratia eſſe, ut, ſicut oportet, oremus. *Verumtamen*, ait ep. 2. ad Sixtum, c. 4., *ne ſaltem orationis putarentur præcedere merita . . . . . etiam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur: Quid enim oremus, ait Doctor Gentium, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis . . . . Quid eſt autem, interpellat, niſi interpellare nos facit? . . . Ita dictum eſt interpellat, quia interpellare nos facit, nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum, ſicut illud Matth. 10. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Neque etiam & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus Sancti expreſſum eſt, ut ipſe facere diceretur, quod, ut faciamus, facit. Nam non eſſe intelligendum Spiritum noſtrum, de quo dictum eſt, interpellat gemitibus inenarrabilibus, ſed Spiritum S., quo noſtra adjuvatur infirmitas, ſatis ipſe demonſtrat Apoſtolus. Inde enim capit: Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: deinde ita ſubjunxit:*

Digitized by Google

xit : quid enim oremus, ſicut oportet, neſcimus &c. *De hoc quippe Spiritu apertius alibi dicit ad Rom.* 15. *Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater : Ecce hic non dixit, quod ipſe Spiritus clamet orando, ſed, in quo clamamus* &c. *alio tamen loco, ad Gal.* 4., *ait : Quoniam filii Dei eſtis, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater, Non hic ait, in quo clamamus, ſed ipſum Spiritum clamantem dicere maluit, quo efficitur, ut clamemus . . . Sicut ergo nemo recte ſapit, nemo recte intelligit, nemo recte conſilio ac fortitudine prævalet, nemo ſcienter pius eſt, aut pie ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit Spiritum ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris Dei, nec habet quiſquam virtutem veram, ſinceram, continentiam religioſam, niſi per Spiritum virtutis, & caritatis, & continentiæ, ita . . non eſt quiſquam ſine Spiritu orationis ſalubriter oraturus, non quia tot ſunt Spiritus, ſed quia omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus dividens propria unicuique prout vult.*

Eadem hæc Pauli teſtimonia perpendens in l. de dono Perſev. c. 23. ſcribit : *Ubi intelligimus, & hoc ipſum eſſe donum Dei, ut veraci corde & ſpiritaliter clamemus ad Deum : Attendant ergo, quomodo falluntur, qui putant eſſe a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus . . . nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus : Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, quod vidit B. Ambroſius ; ait enim* (in commenr. ſuper Iſaiam) *Et orare Deum gratia ſpiritalis eſt, ſicut ſcriptum eſt, nemo dicit, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu S.* Quid luculentius & firmius, quo efficiatur, falli eos inſigniter, qui arbitrantur, ſufficiente gratia verſatili conferri homini non ſolum, ut orare poſſit, ſed ut etiam re ipſa, ſi velit, oret ? Scripturarum auctoritate demonſtrat Auguſtinus, *a nobis non eſſe*, ſed *dari nobis*, ut *petamus* &c. *divini muneris eſſe, ut oremus.* At ſi orandi gratia, quam Recentiores hi Theologi commenti ſunt, ita in hominis poteſtate ſit poſita, ut ea, ſi voluerit, non orare ſolum ſalubriter poſſit, ſed & oret, ſedatque eam innata ſua libertate efficacem, nonne in cujuſque, quem ſua tamen præjudicia non excæcent, oculos ſtatim inſilit, jam *non dari nobis, ut petamus*, nec *divini muneris eſſe, ut oremus*, ſed orare jam noſtrum eſſe, qui orandi gratiam mollem atque flexibilem in eam, quam volumus, partem ducimus, efficimuſque aſſenſu noſtro, ut fructum noſtra induſtria ferat, cæteroqui futura ſuapte ſterilis ac inutilis ? Aut ergo falſus Auguſtinus, qui & hoc ipſum, non ſolertiam hominis, ſed *donum Dei* eſſe, docuit, *ut veraci corde, & ſpiritaliter clamemus ad Deum :* Aut falluntur, qui ſecus, ac ille tradidit, opinantur. At non ſalli, ſed plane ad veritatem ſcripſiſſe Auguſtinum, Catholica teſtatur Eccleſia, ejuſdem, quam ex Paulo hauſerat, doctrinam ſolemniter probans conſecranſque in iis, quas ad Deum mittit, publicis precibus : *Pateant aures miſericordiæ tuæ, Domine, precibus ſupplicantium, & ut petentibus deſiderata concedas, fac, eos, quæ Tibi ſunt placita, poſtulare.* Hæc Eccleſiæ precatio annon ad laudatum, quo Auguſtinus uſus eſt, Pauli teſtimonium tota directa eſt, & exacta ? Cur enim a Deo poſtulat, ut faciat, nos, quæ ſibi ſunt placita poſtulare, niſi quia perſuaſum firmiſſime habet, neſcire nos *quid oremus, ſicut oportet* ? Quo ergo noſtræ dignæ ſint preces, quæ exaudiantur, rogat, ut per ſuum ipſe Spiritum faciat, (melius ne poterat innata adjutorii, quod petitur, efficacitas exprimi ?) nos poſtulare ſibi placita, ideſt, ſicut oportet, orare.

Hoc idem Pauli teſtimonium accurate verſans D. Thomas lec. V. in hunc locum animadvertit, tria nobis ab Apoſtolo ibi commendata, *neceſſitatem auxilii Spiritus, nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*; *modum auxilii*, quum ait, adjuvari a Spiritu infirmitatem noſtram, nam *ipſe Spiritus pro nobis poſtulat* &c. & *efficaciam auxilii*, quum ſubdit : *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret Spiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis*; *Ideo* enim deſideria *Spiritus, quæ in Sanctis facit Spiritus Sanctus, ſunt Deo accepta, quia, poſtulat pro Sanctis, ideſt poſtulare eos facit, ſecundum Deum, ideſt quod convenit divino beneplacito.* Hinc & 2. 2. q. 83. ar. 1. hæc habet, quæ negare nemo poteſt, eſſe veriſſima : *Efficaciam autem impetrandi habet oratio ex gra-*

tia

tia Dei, *quem oramus*, *qui etiam nos inducit ad orandum*. Quin plura addere neceſſe ſit, non dubitamus, quin pauca hæc cordato verique amanti perſuadeant, perperam a Recentioribus aliquot excogitatum novum hoc gratiæ ſufficientis genus, Eccleſiæ ignotum, antiquiſque Patribus ac Theologis inauditum.

V. Vix quiſquam ignorat, quantum a gratia ſufficiente alieno fuerit animo Janſenius. Eam non exploſit ſolum, ſed & maledictis proſcidit. Hanc l. 3. *de Gratia* non *inutilem* ſolum & *perniciosam* aſſeruit, ſed & nihil *homini miſero pernicioſius* pronuntiavit, *quam hujuſmodi gratia abundare*, quam ibid. c. 3. *monſtrum quoddam ſingulare gratiæ* vocat, *ſolummodo peccatis faciendis*, *majorique damnationi accerſendæ ſerviens*, *ideoque lapſis hominibus*, *citra Dei injuriam*, *damnandis excogitatum*. Cur vero ſufficiens adjutorium, quod *poſſibilitatis* eſt, non *actionis*, quod dat *poſſe*, non *agere*, tam hoſtiliter inſectatus? Quod poſt Adæ lapſum non aliud agnoverit, admiſeritque Dei adjutorium, quam ſuapte efficax, & cum effectu conjunctum; *Poſt lapſum Adami*, ait ibid. c. 1., *nullum datur adjutorium vere ſufficiens*, *quin ſimul ſit efficax* . . . . . . *Vocamus ſufficientem gratiam*, *ſeu ſufficiens adjutorium*, *præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii neceſſarium eſt*, *ut homo velit*, *aut operetur*. Errorem hunc a Janſenio hauſtum ex Calvino l. 2. Inſtit. c. 13., præcipuiſque ejus Diſcipulis Chamiero, Petro Martyre, Paræo, aliiſque, jam ab inſignis notæ Scriptoribus demonſtratum, nec alio, quam oculis, opus eſt ad perſpiciendum, falſam hanc Janſenii poſitionem ex Dordracenæ Calvinianorum PſeudoSynodi definitione manare: *Diſtinctio illa gratiæ in ſufficientem*, *& efficacem minime nobis probatur*. *Retineant illam ſibi Bellarminus*, *& Arminius*; *Quoſcumque enim Spiritus Sanctus trahit*, *illis non tantum dat*, *poſſe currere*, *ſed etiam ut re ipſa currant*. Præpoſteri hujus principii legitima confectaria duæ illæ Janſenii propoſitiones ab Eccleſia confixæ: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus*, *ſecundum præſentes*, *quas habent*, *vires*, *ſunt impoſſibilia*: *Deeſt quoque gratia*, *qua illis poſſibilia fiant*: Et, *Gratia interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*.

VI. Cæterum quum interiori gratiæ ab hominibus non ſemel reſiſti, quotidiano experimento compertum ſit, quid Janſenius refragari experientiæ huic non auſus? Præter efficacem & victricem gratiam, aliam, quam *parvam* vocat, adſtruxit, efficacem quidem, ſed non victricem. At quod novum gratiæ monſtrum gratia parva, efficax, ſed non victrix? Audiendus ipſe ejus parens, qui, quum non aliam agnoſcat efficacem victricem gratiam, quam cæleſtem indeliberatam delectationem victricem relate ad terrenæ concupiſcentiæ gradus, quibus ſuperior eſt, l. 8. de Gratia Chriſti c. 2. ſcribit: *Delectatio victrix relativa eſt*; *Tunc enim eſt victrix*, *quando alteram ſuperat*: *Quod ſi contingat*, *alteram ardentiorem eſſe*, *in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus*; & l. 4. c. 10.: *Cur Auguſtinus omnem omnino gratiam pure ſufficientem auferat*, *ratio perſpicua eſt*, *quia*, *quum Ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei*, *niſi iſta tanta fuerit*, *ut ei rerum creatarum delectationes ceſſerint*, *vel peccabitur*, *vel alternante delectationum fluctu*, *in medio remanebitur*; *Quod enim amplius nos delectat*, *ſecundum id operemur*, *neceſſe eſt*. *Sed utrumlibet fiat*, *non erit ſufficiens gratia*, *ſed vel efficax*, *vel ita inefficax*, *ex qua operatio ſequi ne quidem poſſit*, *niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur*. Hinc manifeſtum eſt, Janſenii *parvam* gratiam vere ſufficientem non eſſe, ſeu voluntati non tribuere, ut proxime, plene, ac expedite poſſit, quæ omnibus Auguſtini & Thomæ Diſcipulis germana eſt ſufficientis adjutorii notio; nam ex gratia parva expreſſe docet, *ne ſequi quidem operationem poſſe*, & alibi ſcribit, *ſine gratia efficaci nihil poſſe nos in ordine ad ſalutem*. Qui ergo eſt efficax ſed non victrix? Efficax, quia & ipſa eſt *Dei ſuavitas*, præter quam *nulla alia* Janſenio eſt *gratia operandi*, efficax tamen abſolute, non comparate, ideoque non victrix, quia *tanta* non eſt, *ut ei delectationes rerum creatarum cedant*; Eſt enim gradu inferior oppoſita terrena cupiditate, quam ſuperare, relative non poteſt.

VII. Quoniam autem nonnulli e Janſenii grege, qui tamen palam Janſeniani audire nolunt, ne, quam dudum hæc profeſſio adjunctam habet, invidiæ & damnationi pateant, eandem, quam Thomiſtæ, vere ſufficientem gratiam, reque ab efficaci diſtinctam ſe tueri dictitant, nec hanc

Digitized by Google

hanc negare juſto præſto eſſe, quum implendum præceptum urget, oſtendendum eſt, verba illos dare, & fucum imperitis facere, quum ejus, quam *ſufficientem* falſaciter ponunt, gratiæ notio ab ea omnino diverſa ſit, quam veteres omnes D. Thomæ Diſcipuli, atque hodierni habuerunt in animis penitus inſitam, habentque conſtanter. Quæ nobis genuina gratiæ vere ſufficientis notio? Non ſemel illam ſuperius evolvimus & explicavimus, iterumque cum eximio Antonino Maſſoulie tom. 2. præclari operis, cujus titulus: *D. Thomas ſui Interpres*, Differt. 3. qu. 1. art. 1., *uſum obtinuiſſe* dicimus, *poſt exortas hæreſes, & varias in ſcholis ſententias, ut ſufficientis auxilii nomine illud intelligatur, quod confert equidem voluntati vires ſupernaturales, etſi aliud auxilium*, ſuapte nimirum efficax, *ad actu agendum requiratur*, nullique illud juſto, urgente præcepto, unquam deeſſe, ſtatuimus. Itane vero, qui ad Janſenii principia mordicus adhæreſcunt, nec niſi ad vitandam invidiam ſufficientis gratiæ nomen uſurpant? Quæ illis gratia ſufficiens? Eadem, quæ Janſenio gratia *parva*, cæleſtis ſcilicet indeliberata quædam delectatio terreſtris concupiſcentiæ delectatione minor, cui ceu fervidiori vehementiorique cedat, neceſſe eſt, quod viribus careat, quibus eam ſubigere poſſit, ac ſuperare. Quem autem ſive Recentium ſeu Veterum Thomiſtarum reperire eſt, apud quem ſimile quidpiam occurrat? Nonne una omnium rata ſententia, quam Prælect. ſuper. n. 2. ex Lemoſio recitavimus, *auxilium ſufficiens ita ſufficientiam tribuere ad operandum, quod defectus operationis non provenit ex inſufficientia auxilii, ſed ex defectu tantum liberi arbitrii, quod ei reſiſtit, & impedimentum ponit?*

Si autem hos Janſenii gregales premas, ut nitide efferant, quam tentationes vincendi, implendique præcepti pollentiam ſeu vires voluntati conferat gratia hæc, quam ſufficientem appellant, quid reponere poſſunt, ſi ipſi ſibi, & Magiſtro ſuo conſtare velint, quam pollentiam hanc *abſolutam* eſſe, non *relativam*, ſeu inſtructam hac gratia voluntatem abſolute implere poſſe præcepta, niſi oppoſita terrenæ concupiſcentiæ delectatio ardentior in homine ſit, & gradu ſuperior? tunc enim abſoluta illa pollentia, quam a gratia ſufficiente voluntas habet, non impeditur ſolum, & a vehementiori terrena delectatione vinculo quodam quaſi conſtringitur, ſed & fieri *relative* nequit, ut homo tunc bene operetur, imo peccet, neceſſe eſt, neceſſitate quidem non abſoluta, naturali, & immutabili, ſed relativa, tranſeunte, & mutabili. *Vigente delectatione carnali*, ita Janſenius l. 4. de Gratia c. 9., *impoſſibile eſt, ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat*, & l. 7. c. 5.: *Juſtitiæ vel peccati delectatio eſt iſtud vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia vel peccato ita firmiter ligetur, & retinetur, ut quamdiu iſto ſtabiliter conſtringitur, & poſſidetur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem*, non *abſolutam* quidem, quam l. 8. c. 20. explicatiſſime aſſeruit, ſed *relativam*, quæ niſi a delectatione cæleſti ſuperiore & victrice expediatur, & quo conſtringitur, vinculo liberetur, *tam impoſſibile eſt voluntati*, ait idem l. 2. c. 1., *ut bene velit aut operetur, quam homini cæco, ut videat, aut ſurdo, ut audiat, aut tibiis fracto, ut recte gradiatur, vel avi, ut volet ſine alis*. Hæcne vero pollentia, quam voluntati per ſufficiens Dei adjutorium tribui, Thomiſtæ communiter, & concordiſſime docent? Annon eſt illa non *abſoluta* ſolum, ſed & *relativa*, tamque plena, proxima & expedita, ut, quod homo recte non agat, aut peccet, *non ex inſufficientia talis auxilii* ſit, ſed tantum ex defectu liberi arbitrii, quod ei reſiſtit, & impedimentum ponit?

VIII. Eſt & aliud gratiam hanc *parvam* inter, quam nonnullis Janſenii aſſeclis ſufficientem vocare fallaciter placet, & eam, quam D. Th. Diſcipuli vere ſufficientem conſtituunt, diſcrimen inſigne. Quam enim ſufficientem gratiam dicimus, ita ab ea, quæ ſuapte efficax eſt, diſtinctam ſtatuimus, ut nunquam eſſe poſſit ſeipſa efficax, ſeu perfectum reipſa effectum habere ſine adjutorio, quod vocamus *actionis*: Quæ autem a Janſenio *parva*, a nonnullis ejus Diſcipulis *ſufficiens* falſo vocatur, in eodem eſſe poteſt & ſufficiens & efficax pro majori vel minori terrenæ, quæ in homine viget, concupiſcentiæ delectatione; Nam ſi cæleſtis gratiæ ſuavitate fervidior fuerit, & ardentior, tum erit gratia mere ſufficiens & inefficax; ſi autem deferveſcat, fiatque cæleſtis gratiæ delectatione remiſſior, eadem tunc, quæ *parva*, ſufficiens, & inefficax duntaxat erat, efficax evadet & victrix.

ctrix. Audiendus Wendrochius, ſive Nicolè in Dial. in ep. 18. ad Provinc., ubi ſuam ſuorumque hoc de capite doctrinam ſic exponit: „ Gratia, quæ nunc victrix eſt, dum cum levi cupiditate pugnat, aucta & acrius inflammata cupiditate, poteſt etiam actu ſuperari, . . . & quemadmodum cupiditas, quæ victrix erat, dum cum alia minore certabat, ſi hæc invaluerit, & admotis propius incitamentis exarſerit, deſinit eſſe victrix, deſinit plenam elicere voluntatem, ſic item eadem illa gratia, quæ cum minore cupiditate pugnans victrix dicebatur, ſi novus ingruat cupiditatis fluctus, actu ſuperatur. Ita fieri poteſt, ut qui levem tentationem ſuperat, a majore ſuperetur, etſi eadem utrobique gratia polleat. "

Haud minus explicate Antonius Arnaldus in Diſſertat. *de Gratia efficaci*: „ Quam volent igitur, Thomiſtæ Recentiores gratiam ſufficientem appellent, nos omnino repugnantes non habebunt, dummodo, ut faciant, eo tantum ſenſu ſufficientem dicant, quod in nobis bonæ voluntatis initia producat, atque adeo *quandam* bene agendi potentiam & virtutem largiatur, quod talis ſit, ut niſi validior ei concupiſcentia reſiſteret, non modo boni operis deſiderium fructu vacuum, ſed ipſum bonum opus reipſa, & quidem ſola produceret. " In hac ejus ingenua confeſſione nonne quiſque habet, eandem *parvam*, quam ſufficientem Arnaldus ſubdole vocat, gratiam talem eſſe, ut, niſi validior ei concupiſcentia reſiſtat, non modo boni operis deſiderium fructu vacuum, ſeu imperfectum actum, ſed ipſum bonum opus, ſive perfectam actionem reipſa edat, eandemque propterea, quæ prævalente viribus concupiſcentia, ſufficiens & parva eſt, ea decreſcente, efficacem evadere, atque victricem? Quidpiam ne hujuſmodi Thomiſtarum ulli unquam in mentem venit? Quorſum hæc tamen ſtudioſe perſequimur, quum nihil Thomiſtis cum Janſenianis commune eſſe, nullam utrorumque doctrinam inter affinitatem intercedere, dudum demonſtrarint Scriptores inſignes, quos nemo vel ſuſpicari poteſt, nobis favendi ſtudium veritati antetuliſſe, Jo. Martinez de Ripalda l. 2. op. *adverſus errores Baii* Diſp. 14. ſect. 5., Jo. Martinonus *in Anti-Janſenio*, Franciſcus Annatus in l., cujus titulus: *Janſenius a Thomiſtis gratiæ per ſe ipſam efficacis Defenſoribus condemnatus*, & Stephanus Dechamps l. 2. *de Hær. Janſen.* diſp. 3. c. 3., qui & diſp. 6. c. 9. ſcribit, Janſenii doctrinam a nemine vehementius exagitatam, quam a Dominicani inſtituti Theologis, *qui poſt natam Calvini hæreſim . . . majoris eruditionis, & ingenii laude floruerunt*?

IX. Demum quo magis pateat, quanto intervallo ſufficientis gratiæ notione, quæ in Thomiſtarum omnium mentibus hæret, ea diſtet, quam vel Molinæ aſſeclæ, vel Janſenii gregales animis imbiberunt, operæ pretium viſum eſt, ex Doctiſſimi Card. Brancatii de Lauræa opuſc. 3. *de gratiis actualibus*, nonnulla deſcribere, quæ ad illuſtrandam hanc, quam perſequimur, in ſufficientem, & efficacem gratiæ diſtinctionem, notionemque utriuſque evolvendam multum momenti afferre poſſunt. „ Inter Theologos, (ait) adhuc æquivocum eſt vocabulum hoc *Gratia ſufficiens*; Quidam enim appellant gratiam ſufficientem, per quam, nullo alio ex parte Dei requiſito auxilio, operamur, & ſic in ſenſu grammaticali ſufficientem accipientes (ut Gabriel Daniel, ejuſque Socii) ſolam gratiam efficacem appellant ſufficientem, quia ipſa ſola in genere ſuo ac ordine comprincipii, nullo alio requiſito ex parte Dei auxilio, ſufficit ad ponendum effectum in eſſe . . . . Alii autem docuerunt, nullam dari gratiam ſufficientem, ſed omnem eſſe efficacem. At hi diviſi ſunt. Quidam ſic ſuam declarant ſententiam: Omnis gratia facit ſuum effectum v. g. dum Deus intellectum alicujus illuminat, & inſpirat voluntati affectum credendi &c. gratia illa facit ſuum effectum, quia illuminat, ac inſpirat, licet illuminatus, ac inſpiratus non faciat actum credendi &c., & in hoc ſenſu poteſt admitti, quod omnis gratia eſt efficax: Sed cum bona venia eorum exiſtimo, non poſſe ſic abſolute pronuntiari, *Omnis gratia eſt efficax*, ſed cum aliqua limitatione, ſcilicet in aliquo ſenſu vel ordine, non vero abſolute, quia talis illuminatio & inſpiratio non habent ſemper conjunctum effectum *principalem*, quem reſpiciunt, nempe actum *credendi* &c. Alii vero (Janſeniani videlicet) dicunt, non dari aliam gra-

„ tiam, quam nobis meruit Chriſtus, niſi
„ efficacem, quæ ſcilicet ſemper habet
„ conjunctum effectum, & cui voluntas
„ nunquam reſiſtit, & hæc ſententia da-
„ mnata eſt. Alii (Molina nimirum,
„ aliique ante Suarezium) dicunt, quod
„ omnis gratia ad operandum neceſſaria
„ eſt indifferens ad ponendum vel non
„ ponendum principalem effectum, ad
„ quem a Deo confertur, ita quod, ſi
„ voluntas conſentiat, fiat efficax, ſi non
„ conſentiat, maneat ſufficiens. Alii ve-
„ ro (Thomiſtæ nempe) qui ſe S. Au-
„ guſtini ſequaces magis profitentur, qui-
„ bus ſubſcribo, docent, gratiam effica-
„ cem & ſufficientem eſſe duas ſpecies ex
„ ſui natura diverſas, nec poſſe hanc eva-
„ dere illam, quia dicunt, gratiam effica-
„ cem eſſe illam, quæ ex ſua natura, vel
„ ex divino decreto talis eſt, quæ infalli-
„ biliter ſemper annexum habet effectum
„ principalem, ad quem faciendum a Deo
„ datur, ſufficientem vero eam eſſe, quæ
„ effectum principalem annexum non ha-
„ bet, undecumque proveniat, ſed tan-
„ tum poſſe potentiæ. "
Exin ad Theologos illos, qui omni re-
jecta vere ſufficiente gratia, non aliam
ſtatuebant, quam ſuapte efficacem, quam
ſua nobis Chriſtus morte meruerit, refel-
lendos aggreſſus pergit: „ Omni carent
„ fundamento Doctores quidam, qui pau-
„ cis abhinc annis negarunt, dari gratiam
„ ſufficientem, cui voluntas reſiſtere pot-
„ eſt, & ſæpe reſiſtit, ut in toto opuſcu-
„ lo hoc probatum eſt, aſſerentes, omnem
„ gratiam eſſe efficacem, & hanc tantum,
„ non illam, nobis meruiſſe Chriſtum.
„ Elapſis annis, antequam eorum opera
„ exacte perlegiſſem, excuſabam eos, pu-
„ tans, eorum ſenſum eſſe, ſicut alias cum
„ doctis Thomiſtis notavi, quod omnis
„ gratia in hoc ſenſu eſt efficax, quia ali-
„ quem & proprium effectum habet ....
„ V. G. Peccator vocatur & inſpiratur
„ ad pœnitentiam: reiicit vocationem ac
„ inſpirationem, a ſua concupiſcentia ab-
„ ſtractus & illectus: Item omnes ſive
„ juſti ſive peccatores vocantur & inſpi-
„ rantur ad divina exequenda præcepta:
„ Si diſtracti ab aliis paſſionibus abiiciunt
„ inſpirationes, iſtæ jam ſuum effectum
„ formalem inſpirandi habuerunt . . . At
„ iſti Doctores non ſiſtunt in hoc ſenſu,
„ ſed dicunt, nullam dari gratiam inter-
„ nam, cui reſiſtatur, aut reſiſti poſſit,
„ & ideo dico, eos carere omni fundamen-
„ to, tum quia hoc in ſenſu accepta ſen-
„ tentia jam damnata eſt in ſecunda Propoſ.
„ Janſ., tum quia ex Scripturis jam patuit,
„ dari iſtas gratias, quibus reſiſtitur. "

X. Hallucinari ergo jam nemo poteſt,
nec falſo putare, convenire cum Janſenia-
nis Thomiſtas, quod eorum plerique &
celeberrimi doceant, nullum eſſe vere ſuf-
ficiens Dei adjutorium, quod non & ali-
qua ratione ſit efficax, ſeu aliquem effe-
ctum edat. Quæ horum germana ſenten-
tia, & a proſcripta Janſenii doctrina quam
procul abſit, nemo luculentius expoſuit
Antonino Reginaldo præclaro in opere,
quod *de mente Tridentini Concilii* inſcri-
pſit, qui Par. I. c. 42. validiſſime probat,
ſufficienti adjutorio & ſuam eſſe efficaci-
tatem, & aliquem reſpondere effectum,
neque tamen confundendum cum adjutorio
natura ſua efficaci: „ Ex quo tandem ſe-
„ quitur, (ait), quod, quum liberum
„ arbitrium non conſtituatur motum, ſeu
„ non moveatur, quin & ipſum una ſe
„ moveat, (non enim mere paſſive ſe
„ habet, ſed motum movet ſe) neceſſe
„ omnino ſit, ut quotieſcumque per gra-
„ tiam ſufficientem movetur, etiam ipſum
„ aliquid agat, ſicque ſemper & infallibi-
„ liter cum gratia ſufficienti conjungitur
„ aliquis actus liberi arbitrii, ratione cu-
„ jus gratia omnis ſufficiens poteſt ali-
„ quo modo efficax dici; Omnis enim
„ motio, qua cum infallibiliter conjunctus
„ eſt actus, efficax eſt. Hinc oritur diffi-
„ cultas non levis, quomodo ſcilicet gra-
„ tia ſufficiens & efficax ſint membra di-
„ videntia gratiam actualem? Quum enim
„ membra dividentia debeant ſe mutuo
„ excludere, quia diviſio tradi debet per
„ oppoſitas differentias, ut gratia actualis
„ recte dividatur in ſufficientem & effi-
„ cacem, neque ſufficiens debet eſſe effi-
„ cax, neque hæc debet eſſe ſufficiens:
„ Et ſic alio modo explicanda eſt ratio
„ gratiæ efficacis, quam per hoc, quod
„ eſt habere ſemper conjunctum actum
„ hominis, ſi hoc ipſum habeat, ut reve-
„ ra habet, gratia ſufficiens. Et ſane ra-
„ tio convincit hoc poſtremum, gratiam
„ ſcilicet non debere dici efficacem ex eo
„ præciſe, quod habeat adjunctum aliquem
„ actum, quum hoc etiam debeat habere
„ omnis gratia actualis ex generali ratio-
„ ne motionis, ſed dici debet efficax ex
„ eo, quod habeat ſemper conjunctum
„ actum

Digitized by Google

„ actum perfectum, ad quem per ſe ordinatur; Sed gratia ſufficiens aliquem „ tantum imperfectum actum conjunctum „ habet, puta quandam velleitatem, & „ imperfectum boni deſiderium. Quare „ utriuſque gratiæ adinvicem differentia „ in hoc conſiſtit, quod ſufficiens ex parte intellectus importat ſanctam cogitationem, & ex parte voluntatis imperfectam boni cupiditatem: efficax vero „ infert perfectam voluntatem, perfectam, „ inquam, in genere voluntatis, quia non „ eſt velleitas, ſed vera, & abſoluta voluntas. “ Sed de primo hujus diviſionis membro jam ſatis.

PRÆLECTIO VII.

De gratia efficaci.

I. QUi in Auguſtini operum lectione verſati ſunt, probe norunt, hanc, de qua diſputationem inſtituimus, gratiam variis ab eo nominibus deſignari, appellarique non ſemel *vocationem congruam bonæ voluntatis effectricem*, *gratiam ſecundum propoſitum datam*, *delectationem victricem*, *vires efficaciſſimas*, *aliam vocationem*, *& ſecretam gratiam*, *qua tollitur duritia cordis*, *quæ a nullo duro corde reſpuitur*, *gratiam* denique, *qua indeclinabiliter*, *& inſuperabiliter homo agit*, *qua fit*, *ut inviſtiſſime*, *quod bonum eſt*, *homines velint*, *& illud deſerere inviſtiſſime nolint*. In libro præſertim *de Corrept. & Gratia*, quem Card. Noriſius *clavem* vocat, qua ad univerſam S. Auguſtini *de gratia* doctrinam aditus aperitur, hanc a gratia *poſſibilitatis*, quam *ſufficientem* dicimus, aperte diſtinguens *adjutorium* nominat *non ſolum*, *ſine quo aliquid non fit*, *verum etiam quo aliquid fit*: quare & efficacem perſeverantiam *tale donum* appellat, *quo nonniſi* perſevetantes ſint: quantum antem in hoc libro ad figendam efficacis gratiæ notionem, auctoritatis & momenti ſit, declarat ipſe Auguſtinus in l. *de Perſever.* c. 21. ajens: *In illo libro*, *cujus titulus eſt de Corrept. & Gratia*, *qui ſufficere non potuit omnibus Dilectoribus noſtris*, *puto*, *me ita poſuiſſe*, *donum Dei eſſe etiam perſeverare uſque in finem*, *ut hoc antea*, *ſi non fallit oblivio*, *tam expreſſe atque evidenter*, *vel nuſquam vel pene nuſquam ſcripſerim*. Efficacis itaque gratiæ nomine venit adjutorium *actionis*, *quo reipſa fit opus*, *ad quod datur*, præcipuum ſcilicet & perfectum, ut ad ſuperioris prælectionis calcem explicatum eſt.

II. Adjutorium hoc a ſufficiente *moraliter* ſaltem, ſeu, ut ajunt in *ratione gratiæ & beneficii* diſtingui, Theologorum nemo unus abnuit; quis enim dubitat, quin majoris beneficii loco habenda ſit gratia, qua homo reipſa actu operatur, aut perſeverat præ illa, quæ ſolum tribuit, ut operari poſſit, vel perſeverare? Controverſum jamdudum tamen & maxime, an non *moraliter* ſolum, ſed & *phyſice* duo hæc adjutoria diſtinguantur, ſitque in adjutorio *quo*, ſeu *actionis*, intrinſecum & ſolidum quidpiam, a quo vere habeat, ut efficax ſit, & a ſufficiente longe diverſum; patet enim, & ab exteriori aliquo novi & ſigularis beneficii rationem poſſe, non ſemel exiſtere, ut ſi panem homini prope fame confecto tribuas, nonne inſignius & opportunius in eo beneficium ponis, quam ſi aureum largireris, quo ſibi poſſet ad depellendam famem panem procul comparare? Cujus autem momenti donum, ſi eundem panem nec egenti, nec fame laboranti impertias? Item ſi homini inermi, quem imparatum hoſtis adortus eſt, gladium ſuppedites ad ſe tuendum, nonne præclarius de eo mereris, quam ſi gladium tum illi in manum des, quum nulla ejus neceſſitas, nullus uſus? Ab adjuncto ergo aliquo duntaxat extrinſeco habere poteſt beneficii, & doni ratio, ut creſcat vel inſigniter minuatur. Hinc præcipuæ eæque directo contrariæ ſententiæ duæ feruntur, Molinæ ſcilicet, & Thomiſtarum. Prior intrinſecam nullam gratiæ efficacitatem adſcribit, ſed ab exteriori aliquo totam petit, a voluntatis ſcilicet humanæ conſenſu; quare, eo Auctore, phyſica & intrinſeca nulla ſufficiens inter, & efficax adjutorium diſtinctio intereſt. Duriorem aliis hanc ejus ſententiam viſam, qui propterea emollire ac temperare illam conati ſunt, verbis tamen ſere, non re, Prælect. ſuper. n. 1. & 11. jam adnotatum eſt, de qua temperatione infra ex inſtituto, quum *de gratia congrua*.

III. Thomiſtarum ex adverſo concors ſententia, adjutorium hoc ſuapte natura efficax eſſe, nec a voluntatis humanæ conſenſu pendere, imo hunc illius certiſſimum effectum eſſe. At ne hallucinari aliquem in hujus adjutorii notione contingat, & quidquam Thomiſtis affingere, quod nec eorum ulli in mentem venit, evolvenda pau-

Digitized by Google

paulo diligentius eſt *intrinſeca*, & congenita, quam tuemur, adjutorii hujus efficacitas; neque enim eam ponimus, ut Gabriel Daniel videtur pro certo ſumere gratiam efficacem, *quæ a ſe ipſa ac ſuapte natura, quacumque ad alterum relatione poſthabita, certam, ac falli neſciam cum voluntatis aſſenſu connexionem habet*. Quid ſi pollere illam intrinſecus ſua vi conſtantiſſime aſſerimus, ſepoſita quavis ad bonum libertatis uſum, voluntatiſque aſſenſionem, vel ad opportuna & congruentia indolis &c. loci, temporis &c. adjuncta, vel ad præcurrens ſcientiæ mediæ lumen, relatione? Num & reſpectum ejus excludimus ad divinam, unde vires habet, omnipotentiam, & ad æternum ac ratum conſequentis, cujus inſtrumentum eſt, voluntatis divinæ propoſitum? Imo inde ſolum manare, quidquid hæc gratia virtutis habet, ac efficientiæ, ſcripto traditoque Dei verbo nixi docuimus hactenus concordiſſime, hodieque docemus. *Divina motio*, ſcribit celeberrimus ille gratiæ efficacis atque victricis Aſſertor Lemos Tom. 4. Panop. l. 4. par. 2. tract. 4. c.13., *nihil ex ſe, ſeu ex natura ſua habet, niſi quod a Deo movente participat; Unde idem eſt, quod divina motio ex ſe, ſeu ex natura ſua ſit efficax, & quod, ut venit a Deo, & efficaci ejus voluntate, efficax ſit*. Ad divinam omnipotentiam, certumque voluntatis divinæ propoſitum, ſeu decretum, unde adjutorii hujus originem ducimus, ſi reſpectum excluſum velis, negamus conſtanter, vocandum illud *ex ſe*, ſuaque natura efficax; *Aliud enim*, pergit ſapientiſſimus Scriptor, *quod in ſe efficaciam habeat, quod negari nequit, aliud valde diverſum, quod ex ſe illam habeat .... Omnis in univerſum actio & motio cujuſcunque agentis, & ſimiliter inſtrumentum omne in ſe habet virtutem datam ab agenta, qua proinde ipſum agens agit: At virtutem illam inſtrumentum, motio, vel actio ex ſe non habet, ſed illam ex agente vel movente participat, quia quidquid inſtrumentum habet in ratione formali inſtrumenti, ex cauſa principali habet, ut eſt ſatis notum, ſimiliter, quidquid habet virtutis actio ſeu motio, non ex ſe habet, ſed ex agente vel movente: Ac proinda quidquid virtutis, energiæ, ac efficaciæ habet gratiæ auxilium efficax, non ex ſe habet, ſed ex Deo ipſo, & divinæ voluntatis efficacia*.

IV. Rem tamen omnium ſubtiliſſime concidit, tamque luculenter expoſuit præclariſſimus alter ejuſdem hujus veritatis vindex Didacus Alvarez ut nullus jam ſit hallucinationi locus. Thomiſtas omnes, alioſque cum eis plures ſentire, ait l. 1x. *de Div. gratiæ auxiliis* Diſput. XC. n. IV., *præoperantis* gratiæ efficaciam non *moralem* ſolum ſed & *phyſicam* eſſe, ac intrinſecam, noſtramque ad libere conſentiendum voluntatem phyſicæ cauſæ inſtar prædeterminare ac applicare, nec tamen omnes in loquendi modo convenire. Alii enim hoc adjutorium actionis efficax *ex ſe* vocant, alii *natura ſua* efficax. Alii, quibus hic loquendi modus, quod duriuſcule ſonare videatur, minus placet, ſtatuunt, dicendum illud efficax ante liberum voluntatis aſſenſum, quin ab eo pendeat: alii demum, quibus nullus horum loquendi modorum probatur, non aliter vocandum efficax hoc adjutorium decernunt, quam quod abſoluti, quo Deus efficaciter vult, voluntatem hominis ſibi moventi conſentire atque cooperari, propoſiti ſeu decreti inſtrumentum ſit, ſcientia media prorſus excluſa.

Hinc & de re, & de loquendi modis prius quam ſuum Alvarez judicium ferat, animadvertit, propoſitionis hujus, *Auxilium gratiæ efficax ex ſe eſt*, duplicem poſſe ſenſum eſſe, videlicet efficax *ex ſe*, nullo etiam poſito abſoluto Dei volentis efficaciter, converti hic & nunc hominem, vel pie operari, propoſito, ſeu decreto. Quis autem Catholicorum ſenſum hunc animo complectatur, quum ipſo naturæ lumine compertum ſit, nihil omnino fieri, niſi Deo, qui prima & ſumma omnium cauſa eſt, volente, aut permittente? Alter memoratæ propoſitionis ſenſus eſt, *Auxilium eſt ex ſe efficax*, ſeu a libero arbitrio ſuam non mutuatur efficacitatem, quam *antecedenter & independenter* ab ejus *cooperatione* aliunde habet, huncque ſolum, quem veriſſimum eſſe, infra demonſtrandum eſt, complexi ſunt animo, quotquot prædictam propoſitionem uſurpant. Item quum auxilium *natura ſua* efficax dicitur, dupliciter intelligi poteſt, primo ut τὸ *natura ſua* idem ſonet ac *naturaliter*, denotetque, auxilio efficaci Deum efficere, ut homo *naturaliter* operetur, quod plane falſum eſt, & a Catholicorum ſententia alienum, quorum nemo unus eſt, qui adverſus Novatores expreſſe non doceat, libere hominem, non naturaliter, excitanti, ac moventi Deo cooperari. Etſi tamen

men propoſitionem hanc, *divinum auxilium ſuapte natura ſeu naturaliter efficax eſt*, tueri nonnulli velint, quod hunc ei ſenſum ſubeſſe putent, *auxilium* nimirum *efficax natura ſua, ſeu naturaliter habet*, ut inſtrumentum Dei ſit facientis, ut homo libere & certo agat, monet tamen prudentiſſime ibidem Alvarez, ab ea ſatius eſſe abſtinere, quod ſit hic loquendi modus ambiguus valde, & in catholicum perinde, ac hæreticum ſenſum flexibilis, poſſintque anſam inde errandi capere incauti vel imperiti; præſertim quum nitidiſſima alia, maximeque apta verba non deſint, quibus germana adjutorii hujus efficacitas explicetur, quin ullum habere erroris ſuſpicio locum poſſit. „ Secundo (ait) poteſt accipi verbum il„ lud *ex natura ſua*, ut ſignificat idem, „ quod ex reali & intrinſeca virtute, „ quam habet a ſolo Deo antecedenter „ ad liberam cooperationem arbitrii, etiam „ præcognitam per ſcientiam, quam vocant „ *mediam*, & in hoc ſenſu intelligitur pro„ poſitio illa a Catholicis, qui eam pro„ ferunt, qui ſenſus catholicus eſt; “ pro quo pugnat ille ibidem acerrime, pugnantque Thomiſtæ omnes, quibus firmiſſime conſtitutum, eſſe gratiam hanc ſeipſa ac natura ſua efficacem, quod ſummæ Dei in voluntates hominum poteſtatis, divinique decreti abſoluti inſtrumentum ſit. Doctrinam hanc ex D. Thoma hauſimus, qui non aliunde gratiæ hujus energiam, certamque cum effectu connexionem petit, quam ex divina omnipotentia, & abſoluto voluntatis divinæ propoſito ſeu decreto. Scribit enim 1. 2. q. 112. ar. 3. *Si præparatio ad gratiam conſideretur, ſecundum quod eſt a Deo movente, tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis . . . . Unde, ſi ex intentione Dei moventis eſt, quod homo, cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur*: Et quæſt. 6. *de malo* ar. 2. ad 3. *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt*; quare Clemens VIII. in Sanctorum Auguſtini & Thomæ lectione diu multumque verſatus, in celeberrimo, quod pro gratiæ ſe ipſa efficacis defenſione adornavit ſcripto, hoc ſibi ar. 5. demonſtrandum ſumſit: *Hæc gratia habet efficaciam ab omnipotentia Dei, & a dominio, quod ſumma divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cætera omnia, quæ ſub cælo ſunt*.

V. Hæc autem ad nos doctrina unde venit? E ſcripto & tradito Dei Verbo, ex Eccleſiæ definitionibus, ex Veterum Patrum, Auguſtini præſertim, auctoritate. Quoniam autem immenſum ferme eſſet, omnia, quæ ex his fontibus derivata urgeri a noſtris ſolent, perſtringere, nonnulla ſolum in hac Prælect. divini eloquii teſtimonia, quibus potiſſimum cauſam hanc oravit Auguſtinus, proferemus, &, quæ ſponte ac neceſſario fluunt, animadverſionibus illuſtrabimus. Hæc frequentius validiuſque verſavit ille, verſantque poſt eum noſtrarum partium Theologi, illud Jeſ. 26.: *Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera noſtra operatus es nobis*: ad Rom. 9.: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ibid. c. 12.: *Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus*: Ad Phil. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere*. Jac. demum 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum*, quibus ex teſtimoniis Romani Pontifices, Eccleſiæ Concilia, vetereſque Patres efficiunt, totum Deo tribuendum, in eo ſolo gloriandum, quandoquidem ei ſoli, quidquid boni in homine eſt, acceptum referendum. *Omnia bona*, ſcribit in epiſt. ad totius orbis Epiſc. Zozimus Papa, *ad ſuum Auctorem referenda ſunt, unde naſcuntur*: *Adeo totum*, ait Cæleſtinus I. capit. 8., *divini operis eſſe, ſentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio, pro illuminatione talium, vel correctione referatur*. Africani Epiſcopi in ep. Zozimo Papæ inſcripta, *in bonis*, ajunt, *quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis Illius*, (Dei nempe) *valere, non dubitemus auxilium*: Synodus Arauſ. II. adverſus Semipelagianorum errores habita hæc can. 16. habet: *Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tamquam non acceperit . . . Inde* (a Deo ſcilicet) *habet, quicumque habet. Quiſquis autem ſe inde habere negat, aut vere non habet, aut id, quod videtur habere, auferetur ab eo*. Patrum teſtimonia alibi dabimus: unum proferre ſat fuerit Cypriani, quo ad præcludendum omne Pelagianis & Maſſilienſibus ad Veterum do-

Digitized by Google

doctrinam provocantibus effugium, ſæpe uritur Auguſtinus: *In nullo*, ait l. 3. Teſtimoniorum ad Quirinum c. 4., *gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*.

VI. Qui perceptam habeat & denotatam cum noſtram, tum Adverſariorum ſententiam, ſi velit non ad praticum ſtudium, ſed ad veritatem judicium dirigere, num hærebit in pronuntiando, nihil horum, quæ deſcripſimus, verum eſſe, ſi non ſit Dei gratia *per ſe* efficax, ſed tota flexibilis, & quocunque voluntati humanæ libuerit, ſuapte ductilis, nec aliunde efficax, quam vel ex libera hominis conſenſione, vel ex certa (quam tamen non facit illa, ſed invenit) *congruitate* cum hominis indole atque temperatione, vel cum temporis, loci, aliiſque hujuſmodi exterioribus adjunctis? Repugnare num poterit, quin ſuis in *annotationibus* in 1. 2. qu. 109. art. 1. Joannes Nicolai veriſſime ſcripſerit: „ *Deus eſt*, inquit Apoſtolus ad Phil. 2., *qui operatur in nobis velle & perficere*: *Hoc eſt pium*, *hoc verum*, *ut ſit humilis*, *& ſubmiſſa confeſſio*, *& totum detur Deo*, ait S. Auguſtinus l. de dono Perſev. cap. 13.: An porro velle operatur Deus, & non præmovet voluntatem? An operatur ipſum operari, ſi tantummodo operatur, vel concurrit cum operante, ſeu parato ad operandum? An totum Deo datur, ſi primus ipſe motus, vel initium operationis a Deo non eſt, ſed ſe applicat homo ex ſe ipſo? “

VII. Quo tamen evidentius pateat, laudatis teſtimoniis invicte effici, quod propoſuimus, ſingula ſunt veluti punctim, & breviter perſtringenda. Si vere non facit Deus adiutorio natura ſua efficaci, *ut faciamus*, *num omnia nobis opera noſtra operatur*, *velle* etiam, *& perficere*, quum voluntatis aſſenſus bonuſque liberi arbitrii uſus non ejus ſit opus, ſed voluntatis humanæ ſe ipſam pro innata ſua libertate determinantis, nec aliæ Dei ſint partes, quam generali ſuo concurſu liberam voluntatis determinationem comitantis, & adiuvantis? Qui homini jam volenti, & ad perficiendum connitenti generalem duntaxat ſuam commodat operam, vere ne *operatur* in homine *velle*, & *perficere*? Unius ne etiam *Dei miſerentis* erunt pieratis opera, *non volentis nec currentis* hominis, ſi non ipſe voluntatem donet, & curſum, ſeu omnipotenti gratiæ ſuæ virtute non faciat, ut homo velit, & currat, ſed Deus & homo, ut Adverſariis ratum eſt, duæ ſint, quas *partiales* Schola vocat, cauſæ quarum ſingulæ ſuas ad effectum, vires conferunt, neutra alteram movet, applicatque ad agendum? Ejuſdem hujus teſtimonii erit infra vis latius exerenda: interim brevem, ſed nitidiſſimam ſubdimus Auguſtini notam ex ep. ad Vitalem c. 4. *Ut in Deum credamus, & pie vivamus, non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, non quia velle non debemus, & currere, ſed quia ipſe in nobis & velle operatur & currere; Unde ipſe Dominus Jeſus credentes a non credentibus ſeu ab iræ vaſis vaſa miſericordiæ diſcernens, nemo, inquit, venit ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo*. Hinc Cæleſtinus 1. cap. 9. ſcribit: *His ergo Eccleſiaſticis regulis, & ex divina ſumptis auctoritate documentis, ita, adiuvante Domino, conformati ſumus, ut omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorem, & non dubitemus, ab ipſius gratia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere*.

Multis ne etiam opus, ad perſuadendum, ſi ea non ſit divini hujus adiutorii vis, ut & ipſum voluntatis aſſenſum, bonumque liberi arbitrii uſum efficiat, *omne datum optimum*, *& omne donum perfectum deſurſum* non eſſe, nec *a luminum Patre deſcendere*, jam non *totum ita divini operis* eſſe, quemadmodum ajebat Cœleſtinus Papa, *ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio laudiſque confeſſio referatur*? Quomodo totum tribuendum Deo, *deſurſum* eſſe, *totum divini operis* confitendum, *totum ad ſuum*, *unde naſcitur*, ut ait Zozimus, *referendum Auctorem*, ſi aſſentiri *gratiæ*, beneque ea uti, *totum* non eſt ejuſdem gratiæ *opus*, ſed voluntatis humanæ, quæ ſibi, quod in hoc negotio optimum atque perfectum eſt, imo ſine quo totum irritum, ſumit, conſentire ſcilicet, oblataque gratia recte uti? Jamne vero, ut idem Cœleſtinus inquit, *divino operi*, *ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum*, *nihil* hominis erit, ideoque ei *in nullo gloriandum*, Cypriano auctore, ſi quod præcipuum eſt, bonus nempe gratiæ uſus, gratiæ *ejuſdem operi ac dignationi ſubtrahitur*, nec bonus hic uſus Dei eſt facientis, ut *faciamus*, ſed *noſter*, humanæ ſcilicet voluntatis gratiam ſuapte indifferentem determinantis, & quo libet, innata ſua libertate du-

ducentis? Siccine *in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus*, ut ad Zozimum ſcribebant Afticani Patres, *divinum magis valere auxilium*, *non dubitandum*, ſi omnium maxime inſignis maximique momenti motus, conſenſus nimirum, & bonus gratiæ uſus voluntatis humanæ non gratiæ effectus & opus eſt? Annon contra dicendum, liberum *valere magis* arbitrium, quam *divinum auxilium*, ſi hoc non ſit natura ſua, atque ſe ipſo ita efficax, *ut etiam ex nolentibus volentes faciat*, *& ex repugnantibus conſentientes*, ſed tota ejus ſit vel a ſolo voluntatis aſſenſu, vel ab exterioribus quibuſdam adiunctis efficacitas & energia?

VIII. Addendum postremo argumentum, quod cum ex variis divini eloquii locis, tum ex perpetuo Catholicæ Eccleſiæ more inſtruit, ac validiſſime premit Auguſtinus in ep. ad Vitalem. Duodecim ibi ſententias, quas ad Catholicam fidem pertinere omnes ſcribit, Pelagianorum erroribus opponit, exin eaſdem explicans, quomodo perverſæ doctrinæ adverſentur, exponit. *Quoniam ergo*, ait cap. 5. initio, *propitio Chriſto, Chriſtiani catholici ſumus*, 1. *ſcimus*, *nondum natos* . . . 11. *Scimus*, *pro eis*, *qui nolunt credere*, *nos*, *qui jam credimus*, *recta fide agere*, *quum Deum oramus*, *ut velint*. 12. *Scimus*, *pro eis*, *qui ex illis crediderunt*, *tamquam de beneficiis recte atque veraciter debere nos Deo agere gratias & ſolere*. *Recognoſcis*, *me*, *ut puti*, *in iis*, *quæ nos ſcire dixi*, *non omnia*, *quæ ad fidem catholicam pertinent*, *commemorare voluiſſe*, *ſed ea tantum*, *quæ inter nos agitur*, *de Dei gratia quæſtionem*, *utrum præcedat hæc gratia*, *an ſubſequatur hominis voluntatem*, *hoc eſt*, *ut planius id eloquar*, *utrum nobis detur*, *quia volumus*, *an per ipſam Deus hoc etiam efficiat*, *ut velimus*. Quæ adverſarios inter, & nos agitur, *de Dei gratia quæſtio* annon eadem quæ tunc Vitalem inter, & Auguſtinum? Nonne concordiſſime nos docemus, præire Dei gratiam voluntati, ceu ſuo cauſam effectui, ſiquidem & voluntas, & bonus gratiæ uſus a gratia eſt; eam contra voluntatem, quæ ipſa ſe ad conſentiendum, utendumque opportune gratia determinat, ſubſequi, Adverſariorum conſtans poſitio eſt? Nonne *dari* illam, *quia volumus*, ſcilicet, quia ſcientiæ mediæ præeunte lumine prænovit Deus, fore, ut velimus, contendunt ipſi pugnaciter; nos contra *Deum per ipſam hoc etiam*, *ut velimus*, *efficere*? Tam aperta ipſorum teſtimonia infra dabimus, ut dubitare nemo poſſit, quin ipſos inter & nos eadem hodie *de gratia Dei* ſit quæſtio, quæ olim Auguſtinum inter atque Vitalem.

Sed redeamus ad Auguſtinum, qui cap. 6. laudatorum duodecim Chriſtianæ doctrinæ capitum expoſitionem inſtituens, in undecimi, & duodecimi explicatione quæſtionem *de gratia Dei*, cujus mox meminimus, Scripturarum auctoritate ſic tranſigit: *Quomodo dicitur*, *quod per legem atque doctrinam Scripturarum* (quarum non eſt niſi *moralis* & metaphorica movendi vis, cujuſmodi ſolam gratiæ ab Adverſariis adſcribi, patebit infra) *fiat*, *quod eadem Scriptura dixit Prov. 8. Præparatur voluntas a Domino*, *ac non potius per occultam inſpirationem gratia Dei*, *quandoquidem pro eis*, *qui eidem doctrinæ contradicentes nolunt credere*, *ipſum Deum recta fide rogamus*, *ut velint*? *Quomodo Deus expectat voluntates hominum*, *ut præveniant eum*, *quibus det gratiam*, *quum gratias ei non immerito agamus de iis*, *quibus non ei credentibus*, *& ejus doctrinam voluntate impia perſequentibus miſericordiam prærogavit*, *eoſque ad ſe ipſum omnipotentiſſima facilitate convertit*, *ac volentes ex nolentibus fecit*? *Ut quid ei inde gratias agimus*, *ſi hoc ipſe non fecit*? *Ut quid tanto magis eum magnificamus*, *quanto magis nolebant credere*, *quos crediſſe gaudemus*, *ſi gratia divina voluntas in melius non mutatur humana*? *Paulus*, *eram*, *inquit* ad Gal. 1., *ignotus facie Eccleſiis Judeæ*, *quæ ſunt in Chriſto*: *tantum autem audiebant*, *quia qui aliquando nos perſequebatur*, *nunc evangelizat fidem*, *quam ante vaſtabat*, *& in me magnificabant Deum*. *Ut quid magnificabant Deum*, *ſi non Deus ad ſeipſum cor illius viri ſuæ gratiæ bonitate converterat*, *quando*, *ut ipſe confitetur* 1. ad Cor. 7., *miſericordiam conſecutus eſt*, *ut fidelis eſſet ex fide quam ante vaſtabat*? *Ipſum etiam verbum*, *quod poſuit*, *quem niſi Deum*, *hoc tam magnum bonum feciſſe declarat*? *Quid eſt enim*, *in me magnificabant Deum niſi in me Deum magnificum prædicabant*? *Quomodo autem Deum tam magnificum prædicabant*, *ſi magnum illud factum de Pauli converſione ipſe non fecerat*, *& quo pacto ipſe fecerat*, *ſi volentem credere ex nolente ipſe non fecerat*?

C. demum 7. eodemque ultimo ex Eccleſiæ precibus, ex S. Cypriani doctrina,

necnon ex divini eloquii auctoritate iterum iterumque demonſtrat, ita Deum gratia ſua prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ut bona ipſa hominum voluntas divinæ gratiæ effectus, opus, & donum ſit, quo dici poteſt nihil diſertius ad confirmandam phyſicam & intrinſecam divini hujus, de quo agimus, adjutorii virtutem. Sic igitur Vitalem premit: *Sed inter hæc duodecim reperies fortaſſe aliquid, quod negandum aut dubitandum putes, & unde nos operoſius diſputare compellas. Numquid & orare prohibebis Eccleſiam pro infidelibus, ut ſint fideles, pro iis qui nolunt credere, ut velint credere, pro, iis, qui ab ejus lege doctrinaque diſſentiunt, ut .... conſentiant, ut det illis Deus, quod per Prophetam* (Baruch 2.) *promiſit, cor cognoſcendi eum, & aures audiendi ..? Numquid ubi audieris Sacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipſum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem ſuam venire compellat, non reſpondebis, Amen? An etiam hujus fidei ſanitati contraria diſputabis? Numquid Beatiſſimum Cyprianum in hoc erraſſe, clamabis, ubi pro inimicis fidei chriſtianæ, ut etiam ipſi ad eam convertantur, orare nos docet? Numquid poſtremo Paulum pro Judæis infidelibus habentem talia vota culpabis? de quibus ait* ad Rom. 10. *Bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum fit pro illis in ſalutem: Qui etiam Theſalon. 2. cap. 3. dicit: Fratres orate pro nobis, ut verbum Domini currat, & glorificetur, ſicut etiam apud vos, & ut eruamur ab iniquis & malis hominibus; non enim eſt omnium fides. Quomodo curreret & glorificaretur verbum Dei, niſi ad fidem converſis eis, quibus prædicaretur? .. Ideo Deus per orationes credentium nondum credentes credere facit, ut oſtendat, quia ipſe facit; Nemo enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat, Deum facere, quod rogari ſe præcepit, ut faciat. Hæc & alia teſtimonia divina, quæ commemorare longum eſt, oſtendunt, Deum gratia ſua auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonorum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. Hoc & gratiarum actio indicat, quod oratio: oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus; qui enim eſt orandus, ut faciat, illi eſt gratiarum actio reddenda, quum fecerit. Quamobrem, ut hunc ad te ſermonem aliquando concludam .... Si ſentis atque conſentis, orare nos Deum debere ac ſolere pro nolentibus credere, ut velint credere .... ſi ſentis atque conſentis debere nos etiam Deo gratias agere ac ſolere pro talibus, quum ad fidem ejus doctrinamque converſi volentes ex nolentibus fiunt, oportet, ſine dubitatione fatearis, voluntates hominum Dei gratia præveniri, &, ut velint bonum homines, quod nolebant, Deum facere, qui rogatur, ut faciat, & cui nos novimus, agere gratias dignum & juſtum eſſe, quum fecerit.*

IX. Etiam tam nitidis ſacrorum literarum teſtimoniis, quæ Auguſtinus expendit, & validiſſimis, quæ ex Eccleſiæ ad Deum precibus, gratiarumque actione inſtruit, argumentis necdum effectum erit, quod propoſuimus? Cum his, quæ Auguſtinus tam nervoſe perſequitur, ſua Adverſarii principia, horumque legitima conſectaria component? Quorſum omnia, quæ deſcripſimus, tenuius ad vivum reſecemus, & ſingulorum vim exeramus, quum præjudiciis non imbutus, verique amans animus ſatis habeat, utriuſque Scholæ doctrinam habere omni ex parte perceptam, ad decernendum, nihil horum, quæ Auguſtinus tam preſſe urget, verum eſſe, ſi non ea ſit, quam ab ipſo traditam ceu e divinis literis, Eccleſiæque documentis expreſſam ejuſdem Diſcipuli retinent, gratiæ indoles, ſeu natura, ſed quam ei tribuunt Adverſarii? *Nempe manifeſtum eſt* (videmur nobis uſurpare merito poſſe, quæ ſub capitis ſexti finem Auguſtinus ad Vitalem) *ex illis duodecim ſententiis, quas ad fidem pertinere catholicam negare non ſineris, non ſolum omnibus, verum etiam ſingulis id confici, ut confiteamur, gratia Dei præveniri hominum voluntates, & per hanc eas potius præparari, quam propter earum merita* (prævifum aſſenſum, diſpoſitionem, conatum facientium, quod in ſe eſt, ex inito a Patre cum Chriſto pacto) *dari. Aut ſi aliquid earum duodecim verum eſſe negas ..... non te pigeat reſcribere, ut ſciam, & ea, quam mihi Dominus dederit, facultate reſpondeam, ego enim hæreticum quidem Pelagianum te eſſe, non credo; ſed ita te eſſe volo, ut nihil illius ad te tranſeat, vel in te relinquatur erroris.*

X. Abſit, ut quidquam horum verum eſſe, Adverſarii negent; negant ſolum, opor-

Digitized by Google

oportere, quod Auguſtini Diſcipuli inde confectum volunt, hæc falſa eſſe, niſi Dei adjutorium ſeipſo efficax adſtruatur, quid enim ſi legimus, *præparari voluntatem a Domino*, ita *cor Regis in manu Domini eſſe, ut ad quodcunque voluerit inclinet illud*, *transferre Deum corda potentum*, *auferre cor lapideum*, & *dare cor carneum*, *facere, ut in præceptis ejus ambulemus*, & *operemur*, ita demum *aperte autem, ut nemo contradicat?* Statuendum ne propterea adjutorium natura ſua efficax? An non ad horum omnium veritatem ſatis ſuperque ſcientiæ mediæ lumen, & opportunum gratiæ congruæ adminiculum? Semoto prorſus adjutorio quovis ſuapte efficaci, ait Gabriel Daniel, eſt horum omnium Deus vere auctor & cauſa, quod prælucente ſcientia media certiſſime novit, quid facturus quiſque eſſet hac vel illa gratia excitatus, eaque exploratione præmiſſa, congruentem cuique gratiam largiatur, ut abſolute certoque fiat, quod futurum ſub conditione per ſcientiam mediam deprehenderat.

XI. Lepide vero: At ſcientiam mediam in Prælect. *De Deo uno* pro virili rejecimus, rejiciemuſque infra gratiam congruam, quod videatur utraque nobis, cum divini eloquii conciliari auctoritate non poſſe, atque, ne longius excurramus, hæc ipſa, quæ ſuo Daniel reſponſo perſtrinxit, Scripturarum teſtimonia cohærere ne cum Adverſariorum ſententia poſſunt? Audiendus primo Molina, a quo ſociorum ejus nemo diſcedit, quæſt. 23. ar. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. concl. 6. §. *Illud addendum*, hæc habens: „ Quamvis Deus „ alligatus non fuerit uſui liberi arbitrii „ præviſo, (per ſcientiam mediam, cujus hactenus ignotæ ille ſibi palam inventum adſcribit), aliiſve circumſtantiis ex parte adulti prædeſtinandi, ut hoc, vel illo modo illi providere ac opitulari conſtitueret, potuiſſe tamen, ad circumſtantias, & ad uſum reſpicere, decenſque ac rationi valde conſentaneum fuiſſe, ut id ita faceret, in multiſque re ipſa ad multa reſpexiſſe, conſtituendo aliqua propter circumſtantias, & uſum præviſum, quæ alioquin non conſtituiſſet. “ Ædipo num opus eſt ad hoc ænigma evolvendum, Molina ſcilicet auctore, in bono liberi arbitrii uſu ex æternitate ſcientia media præcognito tametſi meriti de condigno, cauſæ vere proprieque dictæ, aut etiam rigidæ conditionis ratio non ſit, qua ſtricto veluti jure adigatur Deus ad conferendam ei gratiam, quem prænovit eadem bene uſurum, decentiæ tamen æquitatiſque Dei fuiſſe, ut *id ita faceret*, ac revera Deum, quod *valde* æquum decenſque erat, conſectantem in *providendo ac opitulando multis hoc vel illo modo*, præviſi boni libertatis uſus, aliorumque adjunctorum rationem habuiſſe, ſuamque ad horum præſcientiam providendi ac opitulandi voluntatem ſeu decretum accommodaſſe, *alioquin* non ita *conſtituturum?*

Sed nec prætermittenda, quibus tractationem ſuam abſolvit. „ Ut univerſim, „ (ait) quoad hactenus dicta quaſi minorem quandam propoſitionem ſubſumamus, unde noſtrum inſtitutum concludamus, quæ auxilia & dona confert „ Deus in tempore propter aliquem bonum uſum liberi arbitrii antecedentem „ . . . eadem ex æternitate conferre ſtatuit propter eumdem bonum uſum præciſum futurum ex hypotheſi, quod hunc vel illum verum ordinem condere vellet. Illud etiam, quod ad exaltationem, laudem, & honorem Chriſti, Sanctiſſimæque illius Matris ſpectat, mihi videtur admodum veriſimile, ſacratiſſimis eorum duorum animabus non ſolum excellentiora dona Deum conferre decreviſſe, ſed etiam eaſdem prævidiſſe, melius, quam cæteras, pro innata ſua libertate uſuras ſuo arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius quam cæteras electas fuiſſe. “ Niſi quis velit & ipſe ſibi, & rectæ rationi, & communi hominum ſenſui vim inferre, qui efferre confidenter cum Daniele poterit, hæc, quæ Molinæ, ejuſque univerſim aſſeclis rata & fixa ſunt, ad eorum, quæ e divino eloquio laudavimus, teſtimoniorum veritatem directa, & plane exacta eſſe? *Si quæ dona & auxilia confert Deus in tempore propter aliquem bonum uſum liberi arbitrii antecedentem, eadem ex æternitate conferre ſtatuit propter eumdem bonum uſum præviſum futurum ex hypotheſi*, &c. annon evidens eſt, non *præparari a Domino voluntatem*, quæ præparata ex æternitate prænoſcitur, certoque tempore præparata jam invenitur, non *inclinare*, & *transferre* Deum corda hominum, *quocumque voluerit*, ſed auxilio ſuo comitari illa atque ſequi, quo

 ipſa

ipſa ſua ſponte ſe dare, inclinare, & propendere prænoſcit, non dare illum *cor carneum*, ſubmoto *lapideo*, nec ita *aperire aures*, ut nemo repugnet, ſed non molle ſolum &, quocumque duxeris, ſequens, verum etiam in bonam partem a ſe propenſum cor, nec ſolum a contradicendo alienas, ſed & ad audiendum ultro faciles patenteſque aures deprehendere & invenire? Quum ſit etiam gratia quæcunque congrua, omnium Molinæ Sociorum decreto, natura ſua indifferens, flexibilis, & *libero hominis arbitrio ſubdita* (quod poſtremum, etſi Daniel neget, a ſuis aſſeri, fiet tamen apertis eorumdem teſtimoniis infra exploratiſſimum) qui jam verum erit, *facere Deum, ut in præceptis ejus ambulemus, & judicia ejus cuſtodiamus, & operemur?* Aut ſtupidi uſque adeo ſumus, ut germanas ipſas rerum ideas & nativam vocum poteſtatem penitus ignoremus, aut non a vero rectoque aberramus, in paradoxis habentes, ſcientiæ mediæ ac hujus generis gratiæ ope hæc aliaque Scripturarum oracula explicari per belle & ſancte poſſe: at de his ſæpius infra.

XII. Nec tamen deſpondet animum Daniel, ſed omnes ingenii nervos intendens ad perſuadendum, nihil eſſe in Scholæ ſuæ doctrina, quod cum divinis literis optime non cohæreat, exhibet quid ipſe ſuique doceant, quamque facile probent, placita ſua quibuſque Scripturarum teſtimoniis conſonare. „ Docent, (ait) Deum
„ *operari in nobis velle*, quia bonam vo-
„ luntatem producit in nobis per gratiam
„ prævenientem, qua nobis bonum inſpi-
„ rat, atque, ut illud agamus, certo o-
„ peratur, dum illud a nobis fieri, effi-
„ caciter vult. Docent. . . operari Deum
„ in nobis boni operis perfectionem, quia
„ nedum nobis bonum inſpirat, faciendi-
„ que voluntatem in nobis, atque nobiſ-
„ cum operatur, verum etiam ut perfi-
„ ciamus, adjuvat gratia ſua. Docent,
„ Dei opus eſſe, ut credamus in eum;
„ quia juxta ipſos Deus ipſe eſt, qui fi-
„ dem inſpirat, ac etiam deſiderium fi-
„ dei, idque plane gratuito, nobiſque ad
„ id miſericordia ſua gratiam præparat,
„ qua nos certo credere facit, dum effi-
„ caciter vult, ut credamus. Inquiunt
„ cum D. Paulo, neminem poſſe dicere
„ *Dominus Jeſus* niſi in Spiritu S., ac
„ quemadmodum cum Tridentina Syno-
„ do profitentur, neminem ſive fidei pro-
„ feſſione, ſive peccati deteſtatione in
„ Deum poſſe converti, niſi eum divina
„ gratia prævenerit, ita illud Chriſti Do-
„ mini ingeminant, *Nemo poteſt venire*
„ *ad me niſi Pater, qui miſit me, traxe-*
„ *rit eum*. Ex his Scripturarum oraculis
„ colligunt, gloriam omnem in Deum
„ converſionis Auctorem referendam eſſe;
„ Ac licet eidem, ut fides docet, liber-
„ tate noſtra cooperemur, huic tamen u-
„ ni adſcribunt, quod ſuſceptæ gratiæ vir-
„ tute, libero bene utamur arbitrio.

XIII. Quibus incompertum eſt Adverſariorum ſyſtema, faciliime fucus fiet; nihil enim eſt his ad veritatis ſpeciem magis compoſitum, nihil ad fallendum accommodatius: Qui tamen illud plane perceptum habent & comprehenſum, mirari ſatis non poſſunt, hæc a Daniele tam confidenter efferri. Si non alia Danieli, ejuſque Sociis gratia, quam natura ſua verſatilis, indifferens, liberi arbitrii comes, atque pediſſequa, non aliunde efficacitatem habens, quam vel a libero voluntatis aſſenſu, vel a quibuſdam, quæ tota naturalia, & exteriora ſunt, adjunctis, cujus *tota cauſalitas moralis eſt, & reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica eſt*, quemadmodum Suarez l. 3. opuſc. c. 5. n. 10., Bellarminus l. 1. de lib. arb. c. 14., Vaſquez 1. p. q. 23. diſp. 88. n. 20. §. *Docent igitur &c.*, & Greg. de Valentia t. 2. diſp. q. 3. *de diviſione gratiæ* Puncto 3. tradunt, qui *operatur Deus vere in nobis velle & perficere, bonamque voluntatem producit in nobis?* Annon ſatis Prælect. III. n. VI. & IX., quum de gratia operante, & cooperante ageremus, evictum eſt, & Pelagium, teſte Auguſt. l. de Grat. Chriſti c. x., magnificentiſſimis verbis confeſſum eſſe, *operari Deum in nobis velle, quod bonum eſt, velle, quod ſanctum eſt &c.* nec tamen Auguſtino ſatisfeciſſe conſtanter ſcribenti, *hanc* debuiſſe Pelagium gratiam confiteri, *ſi vellet non ſolum vocari, verum etiam eſſe Chriſtianus*, qua ſcilicet non promitteretur ſolum magnitudo gloriæ, ſed & crederetur & ſperaretur, nec ſolum revelaretur ſapientia, verum etiam & amaretur, nec ſuaderetur ſolum omne, quod bonum eſt, verum & perſuaderetur? Gratia autem, *cujus tota cauſalitas moralis eſt, & reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica eſt*, annon in eam recidit *legis ac*

do-

doctrinæ gratiam, allicientem, incitantem, ſuadentem, qua, ut Apoſtoli teſtimonium *veluti ſolveret*, ajebat Pelagius, *operari in nobis* Deum *velle omne*, *quod bonum eſt* . . . . *dum nos* . . . *præmiorum pollicitatione ſuccendit*, *dum revelatione ſapientiæ in Dei deſiderium ſtupentem ſuſcitat voluntatem?* Nonne gemina, quæ loc. mox cit. habet Suarez? „ Auxilia excitantia maxime habent vim cauſæ moralis... Declaratur a ſimili: Nam homo inducens alterum ad malum, vel Dæmon tentans ad peccandum, eſt cauſa moralis peccati, quia ad illud excitat & movet: Sic ergo Deus multoque magis ac perfectius eſt cauſa moralis boni actus ſupernaturalis, ad quem eliciendum nos excitat, noſtramque præparat voluntatem. Denique tota hæc cauſalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica eſt; nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum, quod amandum proponitur, honeſtius, & amore dignius appareat, quod timendum, horribilius, quod odio habendum, turpius, & ſic de cæteris. Hoc autem fit, vel magis illuminando intellectum, vel aliquo modo diſponendo, & inclinando affectum, ex quo judicium practicum intellectus plurimum pendet. “ Quum ergo, quam ponebat Pelagius, gratiam conſtanter doceat Auguſtinus, ineptam eſſe ad legitimam ejus quod ait Apoſtolus, *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere*, explicationem, num ad id apta erit Molinianorum gratia, verbis ſolum a memorata differens, at non re? Recolenda, quæ loc. ſup. indicato jam dicta ſunt.

At reponit acute Daniel, illuſtrationem mentis, ac voluntatis excitationem, in quibus ipſe ſuique prævenientem gratiam ſtatuunt, ſolidum quid, ſeu ut ajunt, *reale* eſſe ac phyſicum, quo mens ac voluntas afficitur. Scilicet: Phyſice ne autem, ac vere voluntatem movet applicatque ad agendum? Proprie ne facit, ut homo velit & faciat? Satis eſt, quæ mox ex Suareſio deſcripſimus, oculis iterum animoque luſtrare, ut cuique perſpectum ſit, non aliam gratiæ congruæ motionem rationemque eſſe, quam *moralem* & *metaphoricam*, haud ſecus ac hominis alium inducentis ad malum, ac diaboli ad peccandum tentantis, eſſeque Deum perinde ſupernaturalis boni actus *moralem cauſam*, ac homo & dæmon mali; nam *tota gratiæ congruæ cauſalitas ad motionem finis quæ metaphorica eſt*, *reducitur*, ſeu tota in ſuaſionibus, hortationibus, incitamentis ad bonum ſita eſt, haud aliter ac hominis ad malum. *Moraliter* itaque ſolum, non phyſice, non vere, ſed *metaphorice operatur* Deus *in nobis velle*, *quod bonum eſt*, perinde ac homo & dæmon velle, quod malum: Non *producit* itaque *Deus bonam*, ut ait Daniel, *voluntatem*, ut nec homo & dæmon malam, nec vere eam *immutat*, quod Auguſtino non ſolum, ſed & Eccleſiæ conſtitutum firmiſſime eſt, nec proprie *facit de nolentibus volentes*, *& de repugnantibus credentes*.

Quid eſt autem, quod Daniel ſubdit: *certo operari Deum in nobis bonum*, *quod nobis inſpirat*, *dum illud a nobis fieri*, *efficaciter vult?* Quid eſt, verba dare, & incautos minuſque peritos fallere, ſi hoc non eſt? Qui perſuaſum habet, *prævenientem gratiam*, *qua nobis Deus bonum inſpirat*, flexibilem ſuapte ac indifferentem eſſe, & a liberi arbitrii nutu pendere, necnon *moraliter* ſolum movere & operari, non phyſice, *metaphorice* icirco, non vere, qui ſcribere tam aperte poteſt, operari Deum certo in nobis bonum, quod nobis inſpirat, dum illud a nobis fieri efficaciter vult, niſi flexiloqui, & inſinceri? Quæ iſthæc divinæ operationis certitudo, quæ voluntatis divinæ efficacitas? An non tota ſcientiæ mediæ ſubnixa, & tota inde profluens? Audiendus novi ſyſtematis architectus Molina *in Concordia* q. 14. ar. 13. diſp. 32.: „ Deus opera noſtra bona moralia, quæ a cooperatione libera arbitrii noſtri, & non a ſolo concurſu Dei generali pendent, ut exiſtant, vult in primis voluntate conditionata, ſi & nos pro noſtra libertate ea velimus, eo pacto quo vult, omnes homines ſalvos fieri, ſi & ipſi velint: Prævidens vero, quæ eorum pro noſtra libertate ſint futura, complacet in illis, vultque abſoluta voluntate, ut ſint. “ Gemina habet Suarez l. 2. Opuſc. c. 13. „ Non oportet, ut Deus abſoluta, & efficaci voluntate velit, noſtram voluntatem agere, ad hoc quod ipſa agat, ſed ſatis eſt, quod eam agere permittat, aut ſinat, atque adeo, ut velit, eam agere, non ſimpliciter, ſed ſubintellecta conditione, ſi ipſa velit. “ Quum autem, eodem Mo-

Molina auctore 1. p. quæſt. 23. ar. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11., omniumque gregalium ejus conſenſu, opera hominum bona non ideo futura ſint, quia a Deo præcognita atque prædefinita, ſed *ideo Deus altitudine ſui intellectus ea futura prævidit, quia pro hominum libertate ita erant futura, hincque fiat*, quemadmodum idem ſcribit, annuuntque ei cæteri, *ut decreta rationeſque providendi . . . . dependeant, tanquam a conditione ſine qua non, ex eo, quod Deus unumquemque eorum pro innata ſua libertate facturum eſſe, prævidit*, qui jam Deus *bonum certo operatur in nobis*, quod jam *pro innata* noſtra *libertate futurum* eſſe præcepit, qui *efficaciter vult, illud a nobis fieri*, ad quod faciendum voluntatem hominis ſponte determinatam quum præſciat, generalem dumtaxat concurſum ſuum, ſeu auxilium ſuopte molle, totumque in voluntatis arbitrio poſitum conferre ſtatuit, cujus nullus ſit in voluntatem ipſam influxus, nulla actio, ſed unice in opus partim gratiæ propterea, partim humanæ libertati reſpondens? Molinæ aſſeclis an non illud penitus ratum, quod ſcribit Suarez l. 3. opuſc. c. 5. n. 4. „ Gratiæ adiuvantis,
„ & cooperantis voce indicatur quædam
„ ſimultanea conjunctio voluntatis ad eumdem
„ actum, vel actionem, ad quam
„ mutuo cooperari dicuntur, ita ut ſub
„ ea ratione neutra alteram antecedat,
„ vel impellat, ſed ſolum ſimul operen-
„ tur? “

Hinc etiam patet, quam falſo Daniel ſubdat, docere ſuos, *operari Deum in nobis boni operis perfectionem*, ſeu quod ait Apoſtolus, operari Deum *in nobis velle, & perficere, quia nedum nobis bonum inſpirat, faciendique voluntatem in nobis & nobiſcum operatur, verum etiam ut perficiamus, adiuvat gratia ſua*. Siccine minus cautis imponitur? *Faciendi voluntatem* ſeu bonum liberi arbitrii uſum *operatur in nobis* Deus, quem *pro innata noſtra libertate jam futurum eſſe, prævidit*, nec adiuvare *gratia ſua* verſatili, ſeu generali concurſu, quem *ſimultaneum* dicunt, abſolute decrevit, niſi quia *alitudine ſui intellectus*, ſcientiæ nimirum mediæ ope, *ita* futurum eſſe *pro hominum libertate* præsnovit, ut abſolutum tribuendæ hujuſmodi gratiæ propoſitum ſeu decretum a boni hujus jam futuri uſus præſcientia pendeat *tanquam ex conditione ſine qua non*? Qui ipſum liberi arbitrii bonum uſum a gratia eſſe, conſtanter pernegant, nonne palam illudunt, dum ajunt, operari in nobis Deum boni operis perfectionem? Quæ iſthæc boni operis perfectio? Nonne voluntatis aſſenſus, bonuſque gratiæ adiuvantis flexibilis, & quaquaverſus ductilis, uſus? At ſi eſt hic non a gratia, ſed ab innata hominis libertate, qui *operatur in nobis Deus boni operis perfectionem*? Aut ergo bonum ipſum liberi arbitrii uſum divinæ gratiæ effectum ponant, aut ſe landatum Pauli teſtimonium eludere, non explicare, intelligant. Invictum eſt enim, quod ad probandum, non conſumationem ſolum (quod Maſſilienſes ultro dabant) verum etiam ipſam boni operis inchoationem Dei opus eſſe, ex c. 1. Ep. ad Eph. promebat, urgebatque in l. de Prædeſt. Sanct. c. 19. Auguſt., argumentum: *Audiant & ipſi in hoc teſtimonio, ubi dicit: Sortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui univerſa operatur: Ipſe ergo, ut credere incipiamus, operatur, qui univerſa operatur.* Ipſe ergo, ut perficiamus, ſeu aſſentiamur, & bene adiutorio ejus utamur, vere operatur, qui univerſa operatur. Alioqui ſi & voluntatis aſſenſum, & bonum gratiæ uſum non operatur, adiutorio natura ſua efficaci *faciens*, ut *operemur*, nec *univerſa operatur*, nec *operatur in nobis velle, & perficere*.

In iis etiam, quæ addit Daniel, docere ſuos, *opus Dei eſſe, ut credamus in eum &c.* quantum tergiverſarionis, & fuci! Cui cordato perſuadere ſe poſſe putat, Dei, qui, ſcientia media prænoſcens, fore, ut, quemadmodum ait Molina in Concordia Diſp. 7. „ propoſitis & expli-
„ catis iis, quæ credenda ſunt, adhibitis
„ inſuper argumentis, quæ afferri ſolent,
„ ut homines ſibi perſuadeant, ea revela-
„ ta a Deo eſſe, & juſſa credi, & de-
„ nique accedente externa vocatione per
„ Eccleſiæ miniſtros, ... ex ſolis ſuis
„ naturalibus optet, ita credere, etiam co-
„ netur aſſentiri ex dono & auxilio Dei
„ ſupernaturali, auxilium illud ſibi dona-
„ ri petat, ad illud recipiendum ſatagat
„ ſe diſponere, “ abſolute decrevit, huic auxilium, verſatile tamen, indifferens, ejuſque ſubditum voluntati ſuppeditare (*eſt* enim, ut idem ait diſp. 11., *ſuo auxilio, & gratia præſto, ad præveniendum in eodem inſtanti, quoſcunque prævideret*,

ex

ex ſuis naturalibus ad aſſenſum conaturos), Dei, inquam, ad hujuſmodi præſcientiam decreta ſua dirigentis, atque attemperantis *opus eſſe*, *ut credamus in eum?* Si præſcit Deus, non quid ipſe in homine efficaci adiutorio ſuo, ſed quid homo innata ſua libertate auxilio molli atque flexibili bene utens facturus ſit, jam non opus ſuum, ſed opus hominis prævidet: Dei itaque opus non eſt, ut credat in eum homo; ſiquidem, non *facit ex non credente*, *imo ex repugnante*, *& oppugnante credentem*, ſed auxilio & gratia ſua non prævenit, niſi quem liberi arbitrii viribus prænovit, hos *prævenientis* gratiæ *motus deſiderare & petere*, *& quodammodo ſe ipſum aptare & diſponere . . . & ex ſuis naturalibus ad aſſenſum conari*, quæ Molinæ doctrina eſt in Concordia diſp. 11., & 43. apud ſuos communis. Itane vero Auguſtinus ſuam ad publicas Eccleſiæ preces doctrinam exigens? Videnda, quæ Prælect. IV. *de gratia præveniente & ſubſequente* n. VII. & VIII.

Quam belle etiam cum magiſtro ſuo, ſuæque Scholæ doctrina Danieli convenit ſcribenti, *Deum ipſum eſſe*, *qui fidem inſpirat*, *ac etiam deſiderium fidei*, *idque plane gratuito!* Nonne ſunt hæc ad minuendam Scholæ invidiam, fallendoſque imperitos elata? *Deus ipſe* ne eſt, qui fidem ac fidei etiam deſiderium inſpirat, quod *ex ſolis* hominis *naturalibus* proficiſcitur, Molina auctore? Num *plane*, ſeu abſolute, *gratuito* a Deo *inſpiratur*, quod nonniſi *quodammodo ſe ipſum aptanti*, *& diſponenti*, *& ex ſuis naturalibus ad aſſenſum conanti juxta communem curſum & ordinem divinæ providentiæ confertur?* Quanta & in iis, quæ adiicit Gabriel, ambiguitas! *Nobiſque ad id miſericordia ſua gratiam præparat*, *qua nos certo credere facit*, *dum efficaciter vult*, *ut credamus*. Simpliciterne fideliterque ſcribitur, præparare nobis Deum miſericordia ſua gratiam ad fidem, cui, etſi nullum veri nominis meritum, deſideria tamen, preces, diſpoſitiones, conatus ex naturæ viribus profecta præire perſuaſum ipſe habet cum Molina, ſuiſque communiter? Qui excogitatam a Molina in Conc. diſp. 10. n. 1. Dei legem ceu *rationi maxime conſentaneam* pugnaciter tuetur, *ut*, *quotieſcunque ex noſtris naturalibus viribus conamur facere*, *quod in nobis eſt*, *praſto nobis eſſent auxilia gratiæ*, *quibus ea*, *ut oportet ad ſalutem*, *efficeremus*, iſne ſincere ponit, gratiam *hanc ſua nobis a Deo miſericordia præparari*, quæ naturæ conatibus ac diſpoſitionibus certa lege rependitur? Quum ſit etiam hæc gratia indifferens, ac verſatilis, hominiſque voluntati ſubiecta, hacne *certo* nos credere facit Deus? Sed jam ſatis hanc certitudinem, ejuſque radicem paulo ſuperius excuſſimus, & reiecimus.

Quid ſi confitetur cum ſuis Daniel, neminem *dicere poſſe Dominus Jeſus*, *niſi in Spiritu S.* converti neminem poſſe, niſi divina eum gratia prævenerit, neminem venire ad Chriſtum poſſe, niſi eum traxerit Pater? Num, quod his teſtimoniis efficitur, & quotidianis ſuis precibus Eccleſia, & ſuis in libris Auguſtinus aperte docent, reipſa concedunt? Illum ne Pater vere trahit, quem indifferenti ac flexibili auxilio adiuvare ex æternitate propoſuit, quod eum tunc prænorit, *ex ſuis naturalibus conaturum*, ut veniat? Hujus indolis prævenientis gratiæ, *cujus tota cauſalitas reducitur ad motionem finis*, *& metaphorica eſt*, opus effectumque quis proprie recteque dixerit, aut ſalutarem nominis *Domini Jeſu* invocationem, aut *hominis*, *ſive fidei profeſſione*, *ſive peccati deteſtatione converſionem in Deum?* Quæ demum Danielis confidentia concludentis, *ex his Scripturarum oraculis ſuos colligere*, *gloriam omnem in Deum converſionis Auctorem referendam*. *. eique uni adſcribere*, *quod ſuſceptæ gratiæ virtute libero bene utamur arbitrio?* Hæc ſi vere ita ſint, *totum* itaque *Deo*, in quo ſolo *gloriandum*, tradit Apoſtolus, *dandum*: & ipſe ergo voluntatis aſſenſus, bonuſque liberi arbitrii uſus a gratia eſt: non ſunt itaque Deus, & humana voluntas cauſæ duæ, quas *partiales* dicunt, *quarum neutra alteram antecedit & impellit*, ſed ita ſingulæ ex æquo in opus influunt, ut, quamvis *& ante receptionem gratiæ*, quemadmodum in Concordia diſp. 9. §. *Ut quæ*, ſcribit Molina, *& in ipſa gratiæ receptione*, *ac poſtea in augmento illius*, *Deus ſit author bonorum omnium*, *omniaque ei accepta referantur*, *nihilominus propria induſtria & laus libero arbitrio ſervetur*: non *poteſt* ergo *ab inæquali conatu & influxu provenire*, quemadmodum idem ſentit 1. p. q. 14. ar. 13. diſp. 37. §. *Illud*, *ut conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium adiuvantis gratiæ*, *unus eorum intentius ope-*

retur, meliuſque ſe diſponat ad gratiam juſtificantem, quam alius, & ut conferente eiſdem inæqualia auxilia, æque operentur, aut is interdum plus, qui minori eſt ſuffultus auxilio. Hæc ſincere fateatur, oportet, qui in Domino ſolo gloriari velit: Sed erunt hæc eadem infra non ſemel inculcanda.

PRÆLECTIO VIII.

De eodem argumento.

I. EAndem hanc veritatem Patrum auctoritate confirmaturi actum ageremus, ſi omia vellemus deſcribere locupletiſſima, quæ ad rem faciunt, eorumdem teſtimonia. Provinciam hanc ſuſcepit, ſuſtinuitque egregie Hyacinthus Sery Patavinus Anteceſſor in opuſc., cui titulum fecit *Auguſtinus Vindicatus* adverſus infauſtum Jo. Launoii opus inſcritum *Veritable tradition de l. Egliſe ſur la Predeſtination, & la grace &c.* ab Apoſtolica Sede confixum. Præclarus enim Auguſtinianæ defenſionis Auctor ſingula Eccleſiæ ſæcula ad nos uſque evoluta percurrens luculentiſſima inde teſtimonia promit, quibus perſpectum ſit, Patres Auguſtino ſive priores, ſive coævos, ſive ſuppares, ſive poſteriores in eandem cum Auguſtino de prædeſtinatione gratuita, & gratia Dei ſeipſa efficaci atque victrici conſpiraſſe ſententiam, & ſi quæ ſunt nonnullorum paulo obſcuriora dicta, & ab Auguſtini doctrina ſpecie tenus aliena, ſcite interpretatur, & cum Auguſtino belle conciliat; nam & idem non uno in ſuorum operum loco jam præſtiterat Auguſtinus. Quoniam autem Auguſtinus ipſe ad demonſtrandum, ſuam de utroque hoc capite doctrinam novam non eſſe, ſed a majoribus acceptam, operæ pretium duxit, aliquos præ cæteris appellare, eorumque teſtimonia deſcribere, &, quid iis efficiatur, evincere, facturi & nobis operæ pretium videmur, ſi ejuſdem verba dederimus.

Puto, ait in l. de dono Perſev. c. 19.; *eis, qui de hac re ſententias Tractatorum requirunt, Sanctos, & in fide atque doctrina Chriſtiana laudabiliter uſquequaque diffamatos viros Cyprianum & Ambroſium, quorum tam clara teſtimonia poſuimus, debere ſufficere, & debere ad utrumque, ideſt, ut & gratiam Dei gratuitam ſicut credenda & prædicanda eſt, per omnia credant, & per omnia prædicent... quia & iſti Viri, quum ſic prædicarent Dei gratiam, ut unus eorum diceret* l. 3. ad Quirinum c. 4., *in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt, alter autem* in l. de fuga ſæculi c. 1., *non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & cogitationes noſtræ, non tamen hortari & corripere deſtiterunt, ut fierent præcepta divina... Unde ſupradicti Tractatores excellentiſſimi divinorum eloquiorum, & gratiam Dei veram, ſicut prædicanda eſt, prædicarunt... & ad facienda divina præcepta inſtanter hortati ſunt... Si enim gratiam Dei merita noſtra ulla bona præcedunt;* (quis non videt, idem pronunciandum de precibus, deſideriis, diſpoſitione, conatu ex naturæ virtute ortis, ex quorum præſcientia gratiæ congruæ tribuendæ propoſitum pendeat tanquam ex conditione ſine qua non!) *profecto aut dicti, aut cogitationis alicujus eſt meritum, ubi & ipſa intelligitur voluntas bona: Sed breviſſime complexus eſt omnia genera meritorum* (diſpoſitionum, conatuum &c.) *qui dicit, in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. Qui vero ait, non eſt in noſtra poteſtate cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, nec ipſe facta & dicta præteriit; non enim eſt dictum factumve hominis, quod non ex cordis cogitatione procedat. Quid autem amplius de hac re agere Cyprianus Martir glorioſiſſimus, & Doctor lucidiſſimus potuit, quam ubi nos in oratione dominica etiam pro inimicis fidei chriſtianæ orare oportere commonuit, ubi & de initio fidei quod etiam hoc donum Dei ſit, quid ſentiret, oſtendit, & pro perſeverantia uſque ad finem, quia ipſam Deus nonniſi eis, qui perſeveraverint, donat, Eccleſiam Chriſti quotidie orare monſtravit?*

Beatus quoque Ambroſius quum exponeret, quod ait Lucas Evangeliſta c. 1. v. 3., *viſum eſt & mihi, poteſt, inquit, non ſoli viſum eſſe, quod ſibi viſum eſſe, declarat; non enim voluntate tantum humana viſum eſt, ſed ſicut placuit ei, qui in me loquitur Chriſtus, qui, ut id quod bonum eſt, nobis quoque bonum videri poſſit, operatur; quem enim miſeretur, & vocat. Et ideo qui Chriſtum ſequitur, poteſt interrogatus, cur eſſe voluerit chriſtianus, reſpondere, viſum eſt & mihi, quod quum dicit, non negat, Deo viſum: A Deo enim præparatur voluntas hominis; ut enim Deus honorificetur a Sancto, Dei gratia eſt. Itemque*

in

in eodem opere, hoc eſt in expoſitione ejuſdem Evangelii, quum ad illum veniſſet locum, ubi Dominum Hieruſalem pergentem Samaritani recipere noluerunt, ſimul diſce, inquit, quia recipi noluit ab iis, quos ſciebat, non ſimplici mente converſos. Nam ſi voluiſſet, ex indevotis feciſſet devotos. Cur autem non receperint eum, Evangeliſta ipſe monſtrat dicens, quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem, Diſcipuli autem recipi intra Samariam geſtiebant. Sed Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religioſum facit. Quid illuſtrius, quid evidentius a verbi Dei Tractatoribus quærimus, ſi & ab ipſis, quod in Scripturis clarum eſt, audire delectat? Sed his duobus, qui ſufficere debuerunt, Sanctum Gregorium (Nazianzænum *) addamus & tertium, qui & credere in Deum, &, quod credimus, confiteri, Dei donum eſſe, teſtatur dicens* Orat. 44. in Pentecoſten: *Unius Deitatis, quæſo vos, confitemini Trinitatem. Si vero aliter vultis, dicite, unius eſſe naturæ, & Deus vocem dari vobis a Spiritu S., deprecabitur, ideſt rogabitur Deus, ut permittat, vobis dari vocem, qua, quod creditis, confiteri poſſitis. Dabit enim, certus ſum, qui dedit, quod primum eſt, dabit & quod ſecundum eſt, qui dedit credere, dabit & confiteri.*

Iſti tales tantique Doctores dicentes, non eſſe aliquid, de quo tanquam de noſtro, quod Deus non dederit, gloriemur, nec ipſum cor noſtrum, nec cogitationes noſtras in noſtra eſſe poteſtate, & totum dantes Deo, atque ab ipſo nos accipere confitentes, ut permanſuri convertamur ad Eum, ut id, quod bonum eſt, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud, ut honoremus Deum, & recipiamus Chriſtum, ut ex indevotis devoti efficiamur & religioſi, ut in ipſam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce, quod credimus, hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoſcunt, ab ipſo nobis, non a nobis eſſe, teſtantur. Numquid autem aliquis eos dicturus eſt, ita confeſſos iſtam Dei gratiam, ut auderent, negare ejus præſcientiam, quam non ſolum docti, ſed indocti etiam confitentur? Porro ſi hæc ita Deum noverant dare, ut non ignorarent, eum daturum ſe eſſe, preſciſſe, & quibus daturus eſſet, non potuiſſe neſcire, procuidubio noverant prædeſtinationem, quam per Apoſtolos prædicatam contra novos Hæreticos operoſius diligentiuſque defendimus.

II. Jam nunc, quotquot veritatis amor, non partium ſtudium tenet, amice rogamus, ut hæc primum velint, remotis præjudiciis, expendere, exin pronunciare, an horum quidquam cum adverſæ Scholæ placitis cohæreſcat. *Si ex ſuis naturalibus petit, optat, ſe aliquo modo diſponit, & aptat* homo, *conaturque ad prævenientis gratiæ motus*, ſi bonus liberi arbitrii uſus non homini a Deo, ſed ab homine eſt, falſo itaque a Cypriano & Ambroſio ſcriptum, *nihil noſtrum* eſſe, nobiſque propterea *in nullo gloriandum*, nec *in poteſtate noſtra cor noſtrum, noſtraſque cogitationes* eſſe, nonne enim, ait Molina, *propria libero arbitrio induſtria*, ſuaque *ſervanda laus*? Deus ne vere ex *inimicis fidei credentes, ex indevotis devotos & religioſos facit*, vere ne operatur, ut, *quod bonum eſt*, probemus atque *velimus, Deum honoremus, recipiamus Chriſtum, in Trinitatem credamus*, &, quod corde credimus, ore quoque confiteamur, ſi nonniſi eos, quos ad hujuſmodi ſalutaria opera *ex ſolis ſuis naturalibus conaturos* ex æternitate prænovit, naturalium horum conatuum ceu *conditionis ſine qua non* præſcientia ductus, auxilio adjuvare propoſuit, ſeu decrevit, indifferenti plane ac flexibili, cujus *tota* ſit non phyſica, ſed *moralis cauſalitas, & metaphorica*, ideoque non vera? Communem ipſum hominum ſenſum appellamus, an ad legitimam laudatorum Patrum mentem quidquam horum dirigi, aptarique poſſit, an non potius dicendum ſit, quam longiſſime inde abeſſe. Rem etiam facti ponimus teſtatiſſimam atque certiſſimam, quam qui negant, humanam omnem fidem evertunt, Auguſtinum nempe, ut prædeſtinationis omnino gratuitæ, ita & gratiæ natura ſua efficacis atque victricis in editis præſertim ſuſcepto Epiſcopatu libris defenſorem fuiſſe acerrimum, nihilque non egiſſe, eum, ut Patres nonnullos, quos aliter ſenſiſſe, Adverſarii jactabant, in eadem ſecum ſententia fuiſſe, iis potiſſimum, quas frequentarunt, ad Deum precibus comprobaret, tum ut alios utriuſque hujus capitis ſuffragatores apertiſſimos adhiberet. Eorum ergo aut mentem probe aſſecutus eſt, eorum propterea auctoritate effecit ille, quod moliebatur. Aut ab eorum legitima intelligentia aberravit. Poſtetius hoc quis complecti animo poſſit ſine graviſſima Viri ſummi, poſt homines natos acutiſſimi, quem maxime ſem-

per Eccleſia ſuſpexit, ſemperque in oculis & ore habuit, injuria?

III. Nimii eſſemus, ſi, quæ Auguſtinus ex ejuſdem Cypriani libro *de Dominica oratione* ad hoc idem probandum argumenta inſtruit, omnia huc conferremus; ſecundum enim, tertium, quartum, quintum, ſextum libri *de dono Perſever.* capita, nec non & ſeptimi pars deſcribenda eſſent. Satis ea nobis ſuperque erunt, quæ ex nonnullis laudati libri ſententiis promta validiſſime torquet l. 4. ad Bonifacium c. 9. Illud primo recitat, quod Chriſti verba, *fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*, exponens Cyprianus habet: *Poteſt & ſic intelligi, ut quoniam mandat & monet Dominus, etiam inimicos diligere, & pro his quoque, qui nos perſequentur, orare, petamus, & pro illis, qui adhuc terra ſunt, & nondum cæleſtes eſſe cœperunt, ut & circa illos voluntas Dei fiat, quam Chriſtus hominem conſervando & redintegrando perfecit*. Hinc ratiocinatur Auguſt.: *Reſpondeant... quid bonorum meritorum præcedat in hominibus inimicis nomini Chriſtiano. Non ſolum enim non habent bonum, ſed etiam habent peſſimum meritum: Et tamen etiam ſic Cyprianus intelligit, quod in oratione dicimus, fiat voluntas tua in cælo, & in terra, ut & pro ipſis, qui propter hoc terra intelliguntur, oremus. Oramus ergo non ſolum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas a Domino?* Nihil ne pertinere hæc ad ſe, Adverſarii reponent, quod procul ab eorum errore abſint, quibus fixum erat, *gratiam ſecundum merita dari*, eique bona præire hominis merita? At Cypriani verbis & Auguſtini argumentatione conficitur, non dari illam non ſolum *ſecundum merita*, ſed neque ſecundum preces, diſpoſitionem, deſideria, conatus *ex ſolis naturalibus* exiſtentia, eamque, quidquid e naturæ fundo extare fingitur, non antevertere, quocunque illud nomine appellare volueris. Quid enim in homine non a fide ſolum averſo, ſed & illam hoſtiliter inſectante, quid propenſionis, quid deſiderii, quid diſpoſitionis, & niſus ad fidem? Etiamne hunc auxilio ſuo adiuvare ſtatuit Deus, quod *ex ſolis ſuis naturalibus conaturum*, liberoque bene uſurum arbitrio ex æternitate prænovit? Etiamne conferendæ huic gratiæ propoſitum ex præſcientia hujuſmodi pendet *tanquam ex conditione ſine qua non?* Et pro hitamen docta a Chriſto Eccleſia, Cypriano interprete, orat, *ut circa illos voluntas Dei fiat*, ſeu *ex terrenis cæleſtes, volentes ex nolentibus, conſentientes ex repugnantibus, amantes fiant ex oppugnantibus*: Cujus auxilii ope? flexibilis, mollis, voluntatem non præparantis, ſed jam ſua ſponte præparatam blande comitantis, atque ſequentis, cujus tota ſit in alliciendo, invitando, ſuadendo vis & motio poſita, tota moralis & metaphorica, ideoque non vera efficientia? Communem ipſum hominum ſenſum exuerit, oportet, qui præſtari hæc adiutorio hujuſmodi putet, & non potius gratia ſe ipſa efficaci atque victrici, quæ terram convertat in cælum, & quamcunque perduellis & obnitentis voluntatis pervicaciam frangat, & ſubigat.

IV. Ex iis quoque, quæ idem Cyprianus ſextam orationis dominicæ petitionem interpretans tradit, argumentatur ibidem Auguſtinus invicte. Recitat primo S. Martyris verba prope laudati libelli finem: *Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbe, atque arroganter aliquid aſſumat... quum Dominus ipſe humilitatem docens dixerit, vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem... ut dum præcedit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & datur totum Deo, quidquid ſuppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur*. Illud ex in ejuſdem l. 3. teſtim. ad Quirinum c. 4. *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit, quid enim habes*, 1. *ad Cor.* 4. *ait Apoſtolus, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Illud demum ipſius in l. *de Patientia*: *Eſt enim nobis cum Deo virtus iſta communis. Inde patientia incipit, inde claritas ejus, & dignitas caput ſumit. Origo & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit*. Hæc preſſe & nervoſe perſequens Adverſarios premit, Cypriani auctoritate retundens, atque comminuens, quibus hanc de gratia ſeipſa efficaci doctrinam appetebant ii, appetuntque & hodie, quibus hæc ſententia non placet: *Numquid iſte Sanctus, tam memorabilis in verbo veritatis*

Ec-

Eccleſiarum inſtructor, liberum arbitrium negat eſſe in hominibus, quia Deo totum tribuit, quod recte vivimus? Numquid legem Dei culpat, quia non ex ipſa juſtificari hominem ſignificat, quandoquidem quod illa jubet, a Domino Deo precibus impetrandum eſſe, declarat? Numquid ſub nomine gratiæ fatum aſſerit, quamvis dicat, in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit? Numquid, ſicut iſti, Spiritum S. ita adiutorem credit eſſe virtutis, tanquam ipſa virtus quæ ab hoc adiuvatur, oriatur ex nobis, quando noſtrum nihil eſſe aſſerens, propter hoc Apoſtolum dixiſſe commemorat, quid habes, quod non accepiſti, virtutemque excellentiſſimam, hoc eſt patientiam, non a nobis dicit incipere, ac deinde adiuvari Spiritu Dei, ſed ab ipſo caput, ab ipſo originem ſumere? Poſtremo nec propoſitum bonum, nec ſtudium virtutis, nec mentes bonas ſine gratia incipere eſſe in hominibus, confitetur, quum dicit, in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. Futile ergo & inaue, quod eriamnnm hodie regeritur, per gratiam ſuapte efficacem ac victricem libertatem arbitrii tolli, & fatalem neceſſitatem induci; nam illam Cyprianus, Auguſtino teſte, luculentiſſime adſtruxit, nec tamen liberum negavit arbitrium, nec fatum docuit: Cum Cypriani itaque doctrina Molinianorum ſyſtema non congruit, præire ſcilicet in homine deſideria, diſpoſitiones, conatus ad bonum, quibus ſe Spiritus Sancti gratia ita comitem addat & adjutricem, ut non aliunde *certo* futura ſit efficax, quam quod ea bene voluntas uſura per ſcientiam mediam ex æternitate prævisa eſt: Et ipſe itaque bonus gratiæ uſus a gratia eſt, non ab homine, ſiquidem noſtrum nihil eſſe Cyprianus probat, quod ſcribat Apoſtolus, nihil habere hominem, quod non acceperit. Non eſt, cur plura in hæc ab Auguſtino verſata Cypriani teſtimonia animadvertamus; ſponte enim in oculos anteceptis opinionibus non excæcatos inſiliunt.

V. Si, quæ pro aſſerenda eadem hac veritate peti ex Auguſtini operibus decretoria argumenta poſſunt, eſſent in hanc prælectionem compingenda, non foret ſcriptioni modus. Quum noſtratinm nemo unus ſit, qui non plura inde collegerit, verſaritque opportune, videri apud eos poſſunt. Ex re, quam *facti* dicunt, in Eccleſiaſtica hiſtoria teſtata argumentati nobis, & quidem, niſi fallimur, invicte, lubet. *Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius*, l. I. *contra Collatorem* ſcribit S. Proſper, *cum eſſet doctiſſimus, adverſus libros Pelagianorum B. Auguſtini reſponſa poſcebat*, duas ad enm mittens horum epiſtolas, quas refntaret. Demandata ſibi provincia egregie defnnctus Auguſtinus quatuor ea de re editos libros ad eundem Bonifacium miſit, in prioris initio ſcribens: *Hæc, quæ iſtis, ut dixi, duabus illorum epiſtolis iſta diſputatione reſpondeo, ad Tuam potiſſimum Sanctitatem dirigere non tam diſcenda, quam examinanda, &, ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui*. Quidpiamne vero in iis Bonifacio diſplicuit, dignumque viſum, quod emendaret? Probata contra ab illo omnia, maximoque cum honore ſuſcepta, teſtis graviſſimus eſt S. Prudentius Tricaſſinus Epiſc. in ep. ad Hincmarnm & Pardulum ſcribens: *Si eam doctrinam adverſam fidei Catholicæ in quoquam deprehenderet, nequaquam eam Romanæ Eccleſiæ Antiſtes venerabilis Innocentius cum totius orbis Epiſcopis ſuſcepiſſet, neque Bonifacius ejuſdem Apoſtolicæ Sedis Præſul epiſtolas Pelagianorum ſibi delatas ei ad reſpondendum miſiſſet, aut reſponſionem ejus quatuor libris editam probabiliter, ac honorabiliter ſuſcepiſſet*.

Quæ eſt autem Auguſtini de gratia doctrina ab Innocentio primum *cum totius orbis Epiſcopis*, exin a Bonifacio *probabiliter ac honorabiliter* ceu catholicæ fidei plane conſentanea ſuſcepta? Quam in aliis pridem adverſus Pelagianos & Semipelagianos editis libris ſtrenue tutatus erat, victricem gratiæ naturam & energiam in quatuor ad Bonifacium ſibi perpetuo conſtans inculcat, iiſdemque argumentis communit. *Dic mihi, obſecro*, ait l. I. c. 19., *quid boni Paulus, adhuc Saulus volebat, ac non potius magna mala, quando ſpirans cædem pergebat ad vaſtandos horrenda mentis cæcitate ac furore Chriſtianos? Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab his malis ad bona, mirabili, & repentina vocatione, convertit? Quid ego dico, quibus meritis, quum ipſe dicat, non ex operibus juſtitiæ, quæ nos fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit? . . . Quam multi inimici Chriſti quotidie ſubito occulta Dei gratia trahuntur ad Chriſtum! Quod verbum ſi non de Evangelio poſuiſſem, quanta de me pro-*

pter hoc iſte (*Julianus*) *dixiſſet, quum etiam nunc obluctetur non mihi, ſed illi, qui clamat, nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum? Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus, præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit, intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Ibid. c. 20. *Eſtheris* ad Aſſuerum pro gente ſua rogandum ingreſſuræ ad Deum precationem quum ex divino eloquio recitaſſet, addit : *Ut quid iſta in oratione dicit Deo, ſi non operatur Deus in cordibus hominum voluntates? . . . qui cor Regis, antequam mulieris poſcentis ſermonem audiſſet, occultiſſima & efficaciſſima poteſtate convertit, & tranſtulit a voluntate lædendi ad voluntatem favendi, ſecundum illud Apoſtoli : Deus operatur in vobis & velle* &c.? Aliis plurimis miſſis illud duntaxat exſcribimus, quod l. 4. c. 6. ait : *Bonum propoſitum, quod conſequens adjuvat gratia, in homine eſſe non poſſet, ſi non præcederet gratia; Quomodo enim eſt hominis bonum propoſitum ſine miſerante prius Domino, quum ipſa ſit bona voluntas, quæ præparatur Domino? . . . Reluctanti enim prius auditus divinæ vocationis ipſa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante ſtudium virtutis accenditur. Verumtamen in omnibus, quæ quiſque agit ſecundum Deum, miſericordia ejus prævenit eum.* Si non ſunt hæc ad perſuadendum, ſtetiſſe Auguſtinum conſtanter pro gratia ſe ipſa efficaci ac victrici, ſatis expreſſa, quibus jam verbis illi utendum, ut, quod vere ſentiret, efferret? Reliquus ne eſſe poteſt dubitationi locus, abhorruiſſe illum maxime a ſcientia illa media, qua futura voluntatis *ex ſolis ſuis naturalibus præparatio*, ſive aſſenſus, bonuſque gratiæ uſus, præcognita a Deo ex æternitate finguntur, quorum ceu *conditionis ſine qua non* præſcientiam ſubſequatur abſolutum divinæ voluntatis propoſitum ſeu decretum de adjuvanda præparata jam ſua ſponte, ſuiſque viribus ad bonum conante voluntate auxilio natura ſua verſatili, atque indifferenti, cujus moralis tantum ac metaphoricus, non phyſicus atque verus, totus eſt in opus, non in voluntatem, quam *neque antecedit, neque impellit*, influxus? Auguſtini tamen doctrinam ab hac quam maxime alienam *probabiliter ac honorabiliter cum totius orbis Epiſcopis ſuſceperunt* venerabiles Apoſtolicæ Sedis Antiſtites Innocentius I., Zozimus, Bonifacius I. &c. : Eſt ergo illa e ſcripto traditoque Dei verbo hauſta, fideique Catholicæ regulis omnino conſona : Cæleſtinus item I. in celeberrimo ad Gallos Epiſcopos reſcripto multa de Auguſtino perhonorifice præfatus, nullo ſcilicet illum *ſiniſtræ unquam ſuſpicionis ſaltem rumore aſperſum, a ſuis Deceſſoribus olim inter Magiſtros optimos habitum*, de quo *bene omnes in commune ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuit, & honori*, ad capitulorum epiſtolæ attextorum calcem ſcribit: *Quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium* &c. Si nihil penitus ſecundum Apoſtolicæ Sedis ſcripta ad Auguſtini doctrinam exacta operi aut dignationi gratiæ ſubtrahendum, quis non intelligit, non merita ſolum, ſed neque preces, deſideria, diſpoſitiones, conatus, ipſum denique liberi arbitrii aſſenſum, bonumque uſum gratiæ virtuti ſubtrahenda? Gratiæ itaque, Auguſtino, cujus ſententiam Eccleſia probat, auctore, quum opus hæc omnia ſint, quis addubitet, an Auguſtinus eam ſeipſa efficacem ac victricem adſtruxerit?

VI. Gabriel tamen Daniel ſcribit, *gravem ſubeſſe rationem, ut gratiam ſe ipſa efficacem, qualis a Thomiſtis aſſeritur, Auguſtini dogma non eſſe, exiſtimemus*. Cur vero? Quod gratiæ ſeipſa efficacis & nomen & definitio nuſquam apud Auguſtinum occurrat, quodque Janſenius ejuſque Diſcipuli Thomiſtarum de gratia ſe ipſa efficaci ſententiam, ſeu phyſicam, ut ajunt, prædeterminationem *ex Auguſtini mente non eſſe*, palam profiteantur. Præclare ſane. Verum quoties apud Auguſtinum legere eſt illud ipſum, quod gratiæ ſeipſa efficacis nomine intelligimus atque ſignificamus? Nomen iſtud nonne in ea gratia ponimus, qua *Deus operatur in nobis velle & perficere, faciens ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes*, quæ vires præbet *efficaciſſimas voluntati*, quæ *a nullo duro corde reſpuitur* &c.?

Sed

Sed piget, tam inſulſa refellere. Neque Danielem pudet, Janſenii ejuſque gregalium judicio cauſam hanc definire? Hinc tam germani tamque fidi Auguſtini Interpretes, ut eorum ſententiæ ſit ſtandum, decernendumque, Thomiſtas ab Auguſtini mente procul abire? Danielis erat, rei ſummam ab ejus veluti adjunctis, & a controverſis certa & explorata ſecernere. Adjutorium, quod appellatur *actionis*, quodque ab eo, quod *poſſibilitatis* eſt, reipſa diſtinguitur, a divina ipſa omnipotentia, ac invictiſſima voluntate habere, ut ſuapte ſit efficax, ſeu id certiſſime efficiat, *propter quod datur*, dogmatis ſumma eſt, quam Scripturarum teſtimoniis, Eccleſiæ definitionibus, Patrumque, Auguſtini maxime auctoritate hactenus pro virili firmavimus: In hac autem inter legitimos Auguſtini diſcipulos quæ diſſenſio? Annon ſumma concordia? Quid ſi non omnes in figenda congenitæ hujus efficacitatis notione conſentiunt, quod erit infra ex inſtituto excutiendum? Totus eſt præter rei ſummam diſſenſus iſte, nam omnibus perinde ratum fixumque eſt, quod Auguſtinus ait, *voluntatem humanam* hac *divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter agi*, & ad aſſenſum veluti rapi, ſepoſito quovis ad bonum ejuſdem uſum, vel congruentia adjuncta reſpectu, nec niſi in quibuſdam Auguſtinianæ doctrinæ velut appendiculis verſatur; quare illum minus ſcite Daniel exaggerat.

VII. Hinc ad præcipua, quæ afferri ex Auguſtino ſolent, teſtimonia explicanda aggreſſus, alia ad rem, de qua agimus, nihil momenti afferre, alia cum gratiæ congruæ ſyſtemate conciliari percommode poſſe, contendit. Quæ ſunt, eo Judice, a Noſtratibus ad hanc cauſam perperam detorta? Quæ in l. de *gratia* Chriſti c. 10. Auguſtinus habet: *Eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verum etiam creditur & ſperatur, nec ſolum revelatur ſapientia, verum & amatur, nec ſolum ſuadetur omne, quod bonum eſt, verum & perſuadetur . . . Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolum dici, ſed & eſſe Chriſtianus:* & cap. 25. *Deſinat itaque jam Pelagius & ſeipſum, & alios fallere contra Dei gratiam diſputando* &c. Premebat, ait Daniel, Pelagium Auguſtinus, ut non exteriorem ſolum *legis*, atque *doctrinæ*, ſed & interioris inſpirationis ac illuſtrationis gratiam, ſi Chriſtianus eſſe vellet, confiteretur, ibique de gratia ſeipſa efficaci ne cogitabat quidem. Exin & notiſſimum illud Auguſtini l. de Corrept. & Grat. c. 12., *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur* &c., præpoſtere a nobis urgeri, ſcribit; neque enim de actuali ad ſingulos pietatis actus neceſſaria gratia Auguſtino ibi ſermo, ſed de eximia Dei erga electos providentia, quos per varios vitæ caſus ita regit & dirigit, ut beatæ demum vitæ compotes fiant. Ea tandem, quæ de invicta Dei poteſtate, *cui nullum hominis reſiſtit arbitrium*, non ſemel Auguſtinus tradit, confirmatque ſacrarum litterarum oraculis Jeſ. 14., & Eſtheris 13., ad rem non eſſe, aſſeveranter enuntiat, quod iis in locis, quæ Auguſtinus verſat, non de gratia æternaque ſalute, ſed de temporali Judaicæ gentis incolumitate, & inevitabili hoſtium ejus exitio verba ſint. Quæ illa vero Auguſtini teſtimonia, cum quibus Scholæ ſuæ placita affirmat Daniel, optime cohærere? Quidquid de abſoluta atque ſumma Dei in corda, ſeu voluntates hominum poteſtate ac dominatu tradit Auguſtinus, peræque a ſuis adſtrui, ſuaque cum ſententia belle componi, affirmat.

VIII. Quin neceſſe ſit, quæ infra dicenda erunt, quum de hæreſi Pelagiana, inopportune, ac intempeſtive verſare, jam Prælect. III., quæ eſt *de gratiæ in operantem & cooperantem diviſione*, n. VI. ipſis Pelagii verbis ab Auguſtino in l. *de Gratia Chriſti* c. 10. recitatis evicimus, præter exteriorem legis doctrinæque gratiam, & interiorem mentis illuſtrationem, & *ſtupentis voluntatis in Dei deſiderium ſuſcitationem* ab eo tandem admiſſam, revictum autem ab Auguſtino, *nihil aliud dixiſſe eum gratiam, qua operatur Deus in nobis velle, quod bonum eſt, quam legem atque doctrinam*, ſeu non aliam a Pelagio poſitam gratiam, quam cujus etſi interioris eadem perinde eſſet actio atque motio, quæ legis doctrinæque exterioris, moralis ſcilicet, & metaphorica, preſſum autem, ut ſi non ſolo nomine, ſed & re ipſa vellet Chriſtianus haberi, eam *aliquando fateretur gratiam*, qua vere fit, ut promiſſa futuræ gloriæ magnitudo credatur etiam, & ſperetur, revelata ametur ſa-

ſapientia, nobiſque revera *perſuadeatur omne, quod bonum eſt, qua gratia agitur*, ibid. c. 12., *ut non ſolum facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus, quæ non oſtendit tantummodo veritatem* ibid. c. 13., *verum etiam impertit caritatem*, per quam denique *interna atque occulta, mirabile ac ineffabili poteſtate*, ibid. c. 24., *operatur Deus in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates*. Quum ſuis quiſque oculis certior fieri poſſit, totum ibi Auguſtinum eſſe, ut locupletiſſimis Scripturarum teſtimoniis gratiæ hujuſmodi a Pelagio exprimat confeſſionem, mirum ſane, potuiſſe Danielem tam aſſimate ſcribere, nihil ibi Auguſtino de gratia ſuapte efficaci cum Pelagio fuiſſe.

Cæterum, quo ſua illum confidentia abripuit, ut ad hoc idem confirmandum vigeſimum quintum ejuſdem libri caput afferret, quod incipit: *Deſinat itaque Pelagius* &c.? Oculis, aut mente captus ſit, oportet, qui non videat, totam ibi de adjutorio actionis, eoque natura ſua efficaci quæſtionem eſſe, *contra* quod volebat Auguſtinus, ut, ne ſe *ipſum & alios falleret, diſputare deſineret*. Integrum illud ferme dare, cogimur, etſi longiuſculum, non ſolum ut Daniel paululum de conſtantia ſua remittat, verum etiam ut intelligat, improvide & inconſulto laudari abs ſe caput, unde ad obterendam Scholæ ſuæ doctrinam, validiſſima, ſi uſquam aliunde, argumenta exiſtunt. *Deſinat itaque jam Pelagius .... contra Dei gratiam diſputando. Non propter illorum trium unum, ideſt propter poſſibilitatem bonæ voluntatis, & operis, ſed etiam propter voluntatem & operationem bonam, erga nos Dei gratia prædicanda eſt .... Non ideo tantum adjutorium divinæ gratiæ commendetur, quia poſſibilitatem adjuvat naturalem. Deſinat dicere, quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hec poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat: quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt. Deſinat, inquam, iſta dicere; Non ſolum enim nobis Deus poſſe donavit, & adjuvat, ſed & velle & operari operatur in nobis .... Quomodo dicitur, quod poſſumus bene agere Dei eſt, quod autem agimus, noſtrum eſt, quum dicat Apoſtolus* 2. ad Cor. c. 13., *orare ſe ad Deum pro eis, ad quos ſcribebat, ne quid mali faciant, &, ut quod bonum eſt, faciant? Non enim oramus, ait, ut poſſitis nihil mali facere, ſe ne quid mali faciatis, nec ut poſſitis bonum facere, ſed ut bonum faciatis; Quoniam de quibus ſcriptum eſt*, ad Rom. 8., *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei, profecto ut agant, quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt. Quomodo dicit Pelagius, quod bene loqui poſſumus, Dei eſt, quod bene loquimur, noſtrum eſt, quum dicat Dominus* Matth. 10., *Spiritus Patris veſtri eſt, qui loquitur in vobis? Neque enim ait, non vos eſtis, qui vobis dediſtis, bene poſſe loqui, ſed ait, non vos eſtis, qui loquimini; Nec ait: Spiritus Patris veſtri eſt, qui vobis dat, vel dedit, poſſe bene loqui, ſed ait, qui loquitur in vobis, non ſignificans poſſibilitatis profectum, ſed exprimens operationis effectum. Quomodo dicit liberi arbitrii elatus aſſertor, quod poſſumus bene cogitare, Dei eſt, quod autem bene cogitamus noſtrum eſt? Cui reſpondet humilis gratiæ prædicator*, 2. ad Cor. 3., *Non quia idonei ſumus, cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Non enim ait, poſſe cogitare, ſed cogitare*. Hæc Auguſt.

Annon in hoc Auguſtini teſtimonio adverſus Molinianorum placita tot pene argumenta, quot verba? Quum Auguſtinus explicate affirmet, præter *poſſibilitatem voluntatis, & operis*, ſeu gratiam *poſſibilitatis*, quæ dat poſſe, velle, & operari, prædicandam etiam a Pelagio, gratiam *voluntatis*, & *operationibus bonæ*, ſeu gratiam, quæ dat, actu velle, & bene agere, ſi velit eſſe Chriſtianus, annon adjutorium *poſſibilitatis*, quod *ſufficiens* dicimus, ab adjutorio *actionis* reipſa diſtinguit? Ab Auguſtini itaque mente alienum eſt, utrumque hoc auditorium unum idemque re, ſeu natura ſtatuere, quod pro ſolo voluntatis aut reniſu; aut aſſenſu, vel pro inopportunis, aut congruis indolis &c. loci, temporis, aliiſque ejuſcemodi adjunctis, ſufficiens ſit, vel efficax. Cum Auguſtini doctrina num congruit, *ideo tantum adjutorium divinæ gratiæ commendare, quia poſſibilitatem adjuvat naturalem*, ſeu voluntatem jam ſua ſponte determinatam, ac nativa virtute ſua *conantem facere, quod in ſe eſt*, generali, qui ſemper *præſto eſt*, *ſimultaneo*

con-

Digitized by Google

concurſu adjuvat, nihil ei virium addens, non eam *antecedens*, aut *impellens*, ſed unice comitem ſe naturæ adjungens, & auxiliariam ad perficiendum quod natura molitur, opus? Si bonus liberi arbitrii uſus, aſſenſuſque voluntatis a nobis eſt, non a gratia, annon jam *noſtrum eſt*, *quod bene vel agimus*, *vel loquimur*, *vel cogitamus* &c.? Quorſum ergo Auguſtinus tam vehementer Pelagium urget, ut *deſinat*, *iſta dicere*, *quia Deus & velle & operari operatur in nobis*, *quia ab illo*, qui ſolus natura *bonus eſt*, *agimur*, *ut bonum agamus &c.*? Intrinſeca, ut ajunt, adjutorii *actionis* energia num potuit impenſius inculcari? Ipſum voluntatis aſſenſum, & bonum gratiæ uſum ejuſdem gratiæ opus effectum, & donum eſſe, commendari ne diſertius potuit? Quo ſatius itaque Danieli fuiſſet, hæc præterire, nec tam libere efferre, memoratis in capitibus de gratia ſuopte efficaci ne verbum quidem?

Felicius ne vero & illud nobis conatur eripere ejuſd. Auguſt. l. de correpr. & gr. c. 12. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ* &c.? Quid ſi ibi Auguſtinus de integri & lapſi hominis perſeverantia diſputans, quo capite hujus ab illius perſeverantia differret, oſtendit? Quid ſi *magnum perſeverantiæ donum* non in ſolis actualibus auxiliis, quibus ad edenda pietatis opera, commerendamque æternam vitam electos Deus efficaciter movet & applicat, locandum eſt, ſed & in peculiari ejuſdem ac inſigni erga electos providentia ita eorumdem vitam varioſque caſus temperante, ut eorum tandem obitus cum ſtatu gratiæ jungatur? Num propterea adjutorium, *quo perſeverant*, & *ſalvantur* electi, ac beneficia, *quibus certiſſime liberantur*, *quicunque liberantur*, de quibus ibidem Auguſtinus ampliſſime, non illa ſunt adjutoria *actionis*, quibus *operatur in nobis Deus velle & perficere*, ſed exterior tantum Dei electos ſuos dirigentis ac protegentis eximia providentia? Illud præcipue Danieli ſociſque ejus moleſtum adeo Auguſtini dictum de *gratia divina*, *qua voluntas humana indeclinabiliter*, *ac inſuperabiliter agitur*, ad Dei providentiam ſolum, non ad gratiam, quam actualem dicimus, referendum? Quoniam de hoc maxime litem nobis Daniel infert, in hoc hærebimus, ſperamuſque, fore, ut ſolis ex duodecimo ipſo ejuſdem l. capite petitis Auguſtini teſtimoniis cauſam obtineamus, quin neceſſe ſit, aliunde plura congerere. Illud primo arripimus, quod Prælect. v. n. iv. integrum deſcriptum eſt, *adjutoria* divina ſcilicet *diſtinguenda*, *aliud adjutorium eſſe*, *ſine quo aliquid non fit*, *aliud*, *quo aliquid fit*, *poſterius hoc non ſolum eſſe*, *ſine quo non fit*, *verum etiam*, *quo fit*, *propter quod datur*, *ideoque hoc adjutorium & ſine quo non fit*, *eſſe*, *& quo fit*, ex quo adjutorii *poſſibilitatis*, & *actionis*, ſive *ſufficientis* & *efficacis* cum omnibus ferme Theologis diſtinctionem eruimus. Quum omnium ergo conſenſu adjutorium *ſine quo* gratia *actualis* ſit, annon & adjutorium *quo*, cujus a ſufficiente diſtinctionem tam aperte ibi adſtruit Auguſtinus?

Quid evidentius iis, quæ paulo poſt addit, Martyres nempe *cum omnibus amoribus*, *terroribus*, *erroribus ſuis hunc* non *viciſſe mundum*, nec, eo *non terrente ſolum*, *ſed ſæviente*, *ne ſtarent*, *ſtetiſſe in fide*, *niſi donante illo*, *a quo miſericordiam conſecuti erant*, *ut fideles eſſent*, *a quo acceperant ſpiritum non timoris*, *quo perſequentibus cederent*, *ſed virtutis*, *& caritatis*, *& continentiæ*, *quo cuncta minantia*, *cuncta invitantia*, *cuncta cruciantia ſuperarent*? Hæc ne ſolum Dei exteriorem providentiam indicant? Quid ſibi vult ſpiritus ille *virtutis*, *caritatis*, *& continentiæ*, quo a Deo *donatos* Martyres ſcribit Auguſtinus, ut eo inſtructi *cuncta minantia ſuperarent*, *pugnarent contra concupiſcentias peccatorum*, *nec ultra ſervirent peccato quod eſt ad mortem*, niſi actualem illam gratiam, quam ad vincendas tentationes, ad ſingula pietatis opera, ad perſeverandum in bono neceſſariam adverſus Pelagianos & Semipelagianos perpetuo docuit Auguſtinus? Sed & illud quam diſertum ab eodem haud multo poſt additum! *Nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus*, *Sanctos ſuos in viribus ſuis*, *ſed in ipſo gloriari*, *qui eis non ſolum dat adjutorium*, *quale primo homini dedit*, *ſine quo poſſunt perſeverare*, *ſi velint*, *ſed in eis etiam operatur & velle*, *ut quoniam non perſeverabunt*, *niſi velint*, *& poſſint*, *perſeverandi eis & poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur*. Quomodo, auctore Auguſtino, *operatur* Deus in hominibus *& velle*? Cujus *gratiæ largitate* tradit ille, bonam donari homi-

Digitized by Google

mini voluntatem? Qui non ſit in operum ejus lectione plane hoſpes, dubitare num poteſt, quin hunc ille effectum conſtanter attribuat adjutorio *actionis* ſeu actuali, eique natura ſua efficaci, quo *facit* Deus, *ut faciamus*, *quo facit ex nolentibus volentes*, *ex repugnantibus conſentientes*, *ex oppugnantibus amantes*? Verum quo plura perſequimur? *Tantum quippe*, ait e veſtigio Auguſtinus, *Spiritu S. accenditur voluntas eorum*, *ut ideo poſſint*, *quia ſic volunt*, *ideo ſic velint*, *quia Deus operatur*, *ut velint*. Et hæc exteriorem Dei tantum electos ſuos protegentis, ne in peccato decedant, nihil autem in eorumdem cordibus efficaciter operantis providentiam denotant?

Ventum tandem ad teſtimonium, in quo cavillatur Daniel., *Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus*, pergit continenter Auguſtinus, . . . *ipſis relinqueretur voluntas ſua*, *ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent*, *manerent*, *ſi vellene*, *nec Deus in eis operaretur*, *ut vellent*, *inter tot*, *& tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet*, *& ideo perſeverare non poſſent*, *quia deficientes infirmitate nec vellent*, *aut non ita vellent infirmitate voluntatis*, *ut poſſent*. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ*, *ut divina gratia indeclinabiliter*, *& inſuperabiliter ageretur*, *& ideo quamvis infirma*, *non tamen deficeret*, *neque adverſitate aliqua vinceretur*. *Ita factum eſt*, *ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei*, *quum voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeveraverit*, *habens virtutem liberi arbitrii*, *quamvis non defuturo adjutorio Dei*, *ſine quo non poſſet perſeverare*, *ſi vellet*, *non tamen tali*, *quo Deus in illo operaretur*, *ut vellet*; *fortiſſimo quippe dimiſit*, *atque permiſit facere*, *quod vellet*, *infirmis ſervavit*, *ut ipſo donante*, *invictiſſime quod bonum eſt*, *vellent*, *& hoc deſerere*, *invictiſſime nollent*. En ſanum integrumque hominem inter, ac infirmum & lapſum conſtrictum in pauca ab Auguſtino diſcrimen. Primo, etſi non defuit adjutorium, *ſine quo perſeverare non poſſet*, *ſi vellet*, *tale tamen* defuit, *quo in illo operaretur Deus*, *ut vellet*, ideoque, etſi peſeverare poſſet, in accepto tamen bono non perſtitit: ſecundo ita ſubventum eſt, ut *divina gratia indeclinabiliter* & *inſuperabiliter agatur*: Qua gratia? Num exteriori tantum providentia Dei electorum curſum per varias vitæ hujus viciſſitudines ita moderante, ut æternam tandem felicitatem obtineant? Tali, ait Auguſtinus, qua *Deus in illis operatur*, *ut velint*, *donatque*, *ut invictiſſime quod bonum eſt*, *velint*, *& hoc deſerere invictiſſime nolint*. Hæc autem nonne gratia illa *actionis* eſt, qua, ut idem perſæpe docet, *præparatur voluntas a Domino*, *inclinantur corda*, *ut bonum velint*, *eo ſcilicet inclinante*, *qui in nobis mirabili & ineffabili modo operatur & velle*? Pauca hæc ex laudato capite promta nobis ad refellendam ſingularem Danielis commentationem viſa ſunt ſatis: quæ ille e ratione ducta regerit, Prælect. ſeq. ſolventur.

Quod tertio loco opponit Daniel, quoniam novum non eſt, ſed Auguſtino a Maſſilienſibus dudum objectum, præſtabit Auguſtinum ipſum reſpondentem audire in l. de Prædeſt. Sanct. c. 20. Quum diſertiſſimis Scripturarum oraculis demonſtraſſet, *agere Deum*, *quod vult*, *in cordibus hominum*, *vel adjuvando*, *vel judicando*, *ut etiam per eos impleatur*, *quod manus ejus & conſilium prædeſtinavit fieri*, *Act.* 4. quippe qui *magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum quam ipſi ſuas*, *habetque ſine dubio humanorum cordium*, *quo placet*, *inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*, memorat, Maſſilienſes, ut ex Hilarii & Proſperi litteris didicerat, quæ ex libris Reg. & Paralipom. ad id probandum contulerat, *ad cauſam*, *de qua diſſerimus*, *non pertinere*, *dixiſſe*. *Cur hoc eis viſum eſſet*, *rationem* ii forte Hilario & Proſpero *aliquam reddiderant*, quam ſuis ipſi in litteris *tacere maluerant*: Auguſtinus autem *quæ illa eſſe poſſet*, *ignorans*, coactuſque, ſola conjectura rem pendere, ſubdit: *An forte*, *quia oſtendimus*, *hoc Deum egiſſe in cordibus hominum*, *& ad hoc perduxiſſe*, *quorum ei placuit*, *voluntates*, *ut Rex conſtitueretur Saul ſive David*, *ideo hæc exempla cauſæ huic convenire non putant*, *quoniam non hoc eſt temporaliter regnare in hoc ſæculo*, *quod eſt in æternum regnare cum Deo*, *ac per hoc exiſtimant*, *ad regna terrena facienda Deum inclinare*, *ad regnum vero cæleſte obtinendum Deum non inclinare*, *quorum voluerit*, *voluntates*? *Sed puto*, *propter regnum cælorum*, *non propter regnum terrenum eſſe dictum*: *Incli-*

Digitized by Google

clina cor meum in teſtimonia tua, Pſal. 118., *vel A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet*, Pſal. 36.; *vel Paratur voluntas a Domino*, Prov. 8. Secundum lxx., *vel fiat Dominus noſter nobiſcum, ſicut erat cum Patribus noſtris, non derelinquat nos, nec avertat nos a ſe, inclinet corda noſtra ad ſe, ut eamus in omnibus viis ejus*, 3. Reg. c. 18., *vel, dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes*, Baruch. 2., *dabo eis cor aliud, & ſpiritum novum dabo eis*, Ezech. 11. *Audiant etiam illud: Spiritum meum dabo in vobis, & faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis*, Ezech. 36. . *Audiant: A Domino diriguntur greſſus viri, mortalis autem quomodo intelligit vias ſuas?* Prov. 20. . . . *Audiant hæc, & alia quæcunque non dixi, quibus oſtenditur Deus ad regnum etiam cælorum, & ad vitam æternam parare & convertere hominum voluntates. Cogitare autem, quale ſit, ut credamus, ad conſtituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capeſſendum regnum cælorum operari homines voluntates ſuas*. Habet in his abunde Daniel, quo ingenium ſuum exerceat, hæcque cum Scholæ ſuæ doctrina componat. Ab his expendendis ſuperſedemus, quod eadem hæc, horumque ſimilia ſatis, ut putamus, non ſemel expenſa ſint.

15. Illud poſtremo maxime feſtivum, quod ait Daniel, nihil ab ſe, aliiſque gratiæ congruæ defenſoribus ſtatui, quod non cum Auguſtini de ſumma Dei in voluntates hominum poteſtate ac imperio doctrina mire concordet. Perſuaderi hoc iis poterit, qui Auguſtini ſcripta nunquam legerint, ſintque ſyſtematis primum a Molina jacti, exin a Suarezio aliiſque nonnullis adjunctis aucti plane jejuni. Unde Auguſtinus perpetuo repetit *indeclinabilem* & *inſuperabilem* divini adjutorii energiam, qua fit, ut *Deo volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtat arbitrium, ut ita velle ſeu nolle in volentis aut nolentis ſit poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem, ut dubitandum non ſit, voluntati ejus, qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, & etiam illa, quæ futura ſunt, fecit, humanas voluntates non* poſſe (potentia, quam *conſequentem* dicunt) *reſiſtere, quominus faciat ipſe, quod vult*. Nonne, ex quo *ſine dubio habet* Deus *humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, magiſque habens in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas, parat, convertit, transfertque in bonum, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, faciens ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes* &c.? Unde Auguſtinus efficit, cum inviĉtiſſima divinæ gratiæ virtute, *cui nullum hominis reſiſtit arbitrium*, & ſuam huic conſtare integram libertatem? Annon ex divina ipſa omnipotentia *magis* habente *in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas?* Aurea plane, ideoque exſcribenda, quæ habet l. de Correp. & gr. c. 14., unde pleraque mox recitavimus: *Abiit Saul in domum ſuam in Gabaa, & abierunt potentes, quorum tetigit Deus corda, cum Saule: Et filii peſtilentes dixerunt: Quis ſalvabit nos? Hic? Et inhonoraverunt eum, & non attulerunt ei munera*, 1. Reg. 10. *Numquid aliquis dicturus eſt, non iturum fuiſſe cum Saule quemquam eorum, quorum tetigit Deus corda, aut iſſe aliquem peſtilentium, quorum, ut hoc facerent, corda non tetigit? Item de David, quem Dominus in regnum ſucceſſu proſperiore conſtituit, ita legitur: Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo* 1. Paral. 11. *Hoc quum præmiſſum fuiſſet, paulo poſt dictum eſt* ibid. c. 12.: *Et ſpiritus induit Amaſai principem inter triginta, & dixit: Tui ſumus David, & tecum futuri, filii Jeſſe. Pax tibi, & pax adjutoribus tuis, quia auxiliatus eſt tibi Deus. Numquid ille poſſet adverſari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus eſt per ſpiritum ſuum, quo indutus eſt, ut hoc vellet, diceret, faceret? Item paulo poſt ait eadem Scriptura: Omnes hi viri bellatores dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron, ut conſtituerent David ſuper omnem Iſrael: Sua voluntate utique iſti conſtituerunt David Regem: quis non videat? Quis hoc neget? Non enim non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico; Et tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur. Propter quod præmiſit Scriptura: Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo: Ac per hoc Dominus omnipotens, qui*

erat cum illo, adduxit iſtos, ut eum Regem conſtituerent. Et quomodo adduxit? Num corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit. Si ergo quum voluerit Reges in terra Deus conſtituere, magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas, quis alius facit, ut ſalubris ſit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cæleſti conſtituatur in regno?

Hinc ne vero gratiæ congruæ efficacitatem certumque effectum, necnon ejus cum voluntatis libertate concordiam Moliniani arceſſunt? Tædet, ſæpius demonſtrata inculcare, iterumque ſub oculis ponere, tantum ab Auguſtini doctrina eorumdem ſyſtema diſtare, quantum a cælis terras; Nec Danielem talia ſcribentem faſtidire non poteſt, quiſquis communem Molinianæ Scholæ poſitionem perceptam habet, explorare ſcilicet ſcientia media Deum, in quam ſe partem *innata ſua libertate* humana voluntas datura ſit, ſi gratia congrua excitetur, adjuveturque, ac prænoſcentem Deum, fore, ut ei aſſenſum præbeat, eaque bene utatur, abſolutum de hujuſmodi conferenda gratia decretum ferre, cui aſſenſus hujus bonique uſus præſcientia anteat, neceſſe eſt, ne & gratia ipſa congrua irrita, ſive effectu ſit vacua, & ne humana libertas vel minimum violetur: cujuſmodi autem ſit gratia congrua, quæ ſcilicet ejus natura, efficientia, atque actio, lippis ipſis, ut in proverbio eſt, & tonſoribus notum. Qui ſciens prudenſque nolit ipſe ſe fallere, annon ſatis habet, ſyſtema hoc, cum uno, quod mox dedimus, Auguſtini teſtimonio conferre, ut intelligat, nullam eſſe, aut eſſe poſſe utriuſque affinitatem, aut conſenſionem, imo pugnare utrumque invicem tam inimice, ut alterum neceſſe ſit, totum falſum eſſe, ſi alterum verum fuerit? Etiamne recitatum Auguſtini teſtimonium erit veluti minutatim concidendum, & ex ſingulis ejus propoſitionibus argumentatio capienda? Nihil ſane facilius nobis eſſet, ac expeditius: Quorſum tamen? Auguſtinus ſibi conſtans quum eadem heic doceat, quæ alibi ſæpiſſime, repetenda neceſſario forent, quæ in gemina ejuſdem dicta, & in ſacrarum, quas ſemper ad manum habet, litterarum oracula in eadem hac, & in ſuperiori Prælectione animadverſa ſunt; præſertim quum ſit infra nobis gratia congrua potiſſimum refellenda, quod non videatur cum divini eloquii, & Auguſtini doctrina cohærere.

IX. Nullius pene famæ Scriptorum recentiſſimum non moramur, qui omnia Auguſtini teſtimonia ſibi viſus eſt feliciſſime diſſolviſſe, reponens, hæc hiſque ſimilia ab Auguſtino dicta non proprie, ſed tranſlate, non accipienda propterea, quod ſit in eis auxeſis & emphaſis multum, ut verba ſonant. Immane hoc paradoxum, quo non Auguſtini ſolum, ſed & reliquorum Eccleſiæ Patrum, imo & Scripturæ ſacræ teſtimonia quævis, ut ut aperta ac perſpicua, enervari atque eludi poſſunt, ab aliis jam valide refutatum, Auctori ſuo relinquimus; neque enim nobis dignum videtur, quod ſerio coarguatur. Utilior nobis videtur locanda opera in refellendo Scriptore paulo vetuſtiore, Auctore ſcilicet opuſculi, cujus titulus, ut jam meminimus, *Tradition de l' Egliſe ſur la predeſtination & la grace &c.* Etſi Joannis Launonii nomen inſcriptum præferat poſthumum opus, germanum tamen Jo: Launoii fætum eſſe, *nemo unquam nobis perſuaſerit*, ut pridem ajebat Carolus Mauritius Le Tellier Remenſis Antiſtes, qui illud exagitavit, damnavitque; præſto enim nobis ſunt nec pauca, nec infirma momenta, quibus ab hac perſuaſione arceamur. Quiſquis tamen ſit tenebricoſi operis male feriatus parens, Molinianum ille certo ſe prodit, totumque in convellenda Auguſtini de Prædeſtinatione gratuita, & gratia ſuapte efficaci ſententia. Non eſt loci hujus & temporis, omnia perſequi, quæ adverſus duo hæc Auguſtinianæ doctrinæ capita ille congeſſit, a præclaro Auctore operis, cui titulus, *Auguſtinus vindicatus*, diſpulſa dudum, & comminuta: argumentum dumtaxat excutimus, quo infringere probationem molitus eſt ex Eccleſiæ ad Deum precibus ab Auguſtino depromtam, valideque non ſemel preſſam ad fidem hujus, quam tuemur, gratiæ ſtabiliendam, „ fallitur (ajens) idem Sanctus, dum inquit, opinionem ſuam perpetuam eſſe fidem Eccleſiæ, eo quod ſemper Eccleſia filiis ſuis fidem, aliaſque virtutes chriſtianas a Deo poſtularit: Neque enim hujuſmodi conſequentiis fidem Eccleſiæ dijudicare debuit, aut probare, eam ſemper, quod ipſe docebat, tenuiſſe, ſed id ex traditione demonſtrandum erat.“

X. Falli

X. Falli tamen inſigniter temerarium ipſum opuſculi auctorem tam procaciter Auguſtino inſultare non veritum, laudatus Remorum Antiſtes demonſtrat primum Apoſtolicæ Sedis, quæ idem cum Auguſtino perpetuo ſenſit, auctoritate, ex probatiſſimis ad epiſtolam S. Cæleſtini I. ad Epiſcopos Galliarum attextis capitulis, quæ, exploratum licet non ſit, ejuſdem Cæleſtini eſſe, nemo tamen dubitat, quin ex Sanctorum Innocentii I., & Zozimi Rom. Pontif., & ex Africanarum, quas iidem probarunt, Synodorum literis excerpta ſint, hæc recitans: *Præter eas autem Beatiſſimæ & Apoſtolicæ Sedis inviolabiles ſanctiones, quibus nos, Piiſſimi Patres, peſtiferæ novitatis elatione dejecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſque in finem perſeverantiam ad Chriſti gratiam referre docuerunt, obſecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo, & in tota Eccleſia Catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi*. Si nihil ergo ad probandam Eccleſiæ fidem perpetuæ atque publicæ ejuſdem preces momenti habent, erravitque Auguſtinus inde argumentum non ſemel petens, erravit itaque & Apoſtolica Sedes, & Catholica Eccleſia docens, *legem credendi lege ſtatui ſupplicandi*.

Exin demonſtrat, quod ex hiſce Eccleſiæ precibus Auguſtinus infert, non procul petita, obſcura, & ambigua, ſed legitima, evidenti ac neceſſaria conſecutione manare. Niſi enim Eccleſia firmiſſime perſuaſum habuiſſet ſemper, haberetque etiamnum, ſolius Dei opus & donum eſſe, quod ab eo poſcebat, nequaquam id ab illo quotidianis precibus flagitaſſet; *quis enim*, ut non ſemel argumentatur Auguſtinus, *veraciter gemat, deſiderans accipere a Domino, ſi hoc a ſeipſo ſe ſumere exiſtimet*, non ab *illo?* Quid autem hactenus poſtulavit Eccleſia, poſtulatque & hodie, ſacro præſertim Paraſceves die? *Nempe*, ait Cæleſtinus ſub capituli octavi finem, *ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut Judæis, ablato cordis velamine lux veritatis affulgeat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, ut Schiſmatici ſpiritum redivivæ caritatis accipiant, ut lapſis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique Cathecumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cæleſtis aulæ miſericordiæ reſeretur*. Eccleſiæ ſunt illæ in divinis celebrandis myſteriis ad bonorum omnium Auctorem preces. *Noſtras etiam ad te rebelles compelle propitius voluntates: & Nobis quoque de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris cum tuis Sanctis . . . intra quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte*. Geminæ ſunt, quas ex Liturgia Baſilii Magni tota ferme Orientalis Eccleſia ad Deum mittit: *Dona Domine, virtutem & tutamentum: malos, quæſumus, bonos facito, bonos in bonitate conſerva; Omnia enim potes, & non eſt, qui contradicat Tibi; Quem enim volueris, ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ*. Hæc ne ſincere, ut certo credendum eſt, a Deo poſtularet Eccleſia, ſi non in ea conſtanti perſuaſione eſſet, Dei ſolius eſſe, utpote qui *omnia poteſt*, ejuſque *voluntati nullus reſiſtit*, facere ex infidelibus fideles, ex rebellibus obedientes, ex malis bonos &c.? Cujus vero gratiæ ope? Dictum eſt ſatis.

Poſtremo audaciſſimi Scriptoris impudentiam retundit blaterantis, *non hujuſmodi conſequentiis*, ductis nempe ab Eccleſiæ precibus, *ſed traditione dijudicanda* ab Auguſtino fuiſſe *Eccleſiæ fidem*. Quid? Publicæ univerſalis Eccleſiæ preces ad traditionem minime pertinent? Annon ſunt illæ contra antiquiſſimæ, puriſſimæ, & perpetuæ traditionis monumenta omnium maxime illuſtria, atque certa? In hoc demonſtrando non hæremus; alibi enim non ſemel cum doctiſſimo Melchiore Cano probavimus, nullum eſſe doctrinæ & legum Chriſti ſaniorem interpretem, quam perpetuum Eccleſiæ uſum, & cum Cl. Renaudotio ejuſdem Eccleſiæ fidem, & omnium Chriſtiani nominis ſocietatum conſenſionem ex vetuſtiſſimis Liturgiis potiſſimum emicare. Invictum ſane ſit, oportet, hoc Auguſtini argumentum, quod appeti ab Adverſario non potuit, niſi exceptione tam miſera, & chriſtiano homine indigna. Utinam ergo, lubet ad Prælectionis hujus calcem exſcribere, quæ idem Auguſtinus habet in l. de Dono Perſev. c. 23., *Utinam tardi corde, & infirmi, qui non poſſunt, & nondum poſſunt, Scripturas intelligere, vel earum expoſitiones, ſic audirent, vel non audirent in hac quæſtione diſputationes noſtras, ut magis intuerentur orationes ſuas, quas ſemper ha-*

buit, & habebit Eccleſia ab exordiis ſuis, donec finiatur hoc ſæculum. De hac enim te . . . . nunquam tacuit in precibus ſuis, etſi aliquando in ſermonibus exercendam, nullo urgente adverſario, non putavit. Quando enim non oratum eſt in Eccleſia pro infidelibus, atque inimicis ejus, ut crederent? Quando fidelis quiſquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, & non ei petivit a Domino mentem obedientem in chriſtianam fidem? Quis autem ſibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis Sacerdotem ſuper fideles Dominum invocantem, ſi quando dixit, da illis Domine perſeverare uſque in finem, non ſolum voce auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere, ac non potius ſuper ejus benedictione, & corde credente, & ore confitente reſpondit, Amen? quum aliud in ipſa oratione Dominica non orent fideles, dicentes maxime illud, ne nos inferas in tentationem, niſi ut in ſancta obedientia perſeverent? Sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata eſt, & crevit, & creſcit Eccleſia . . . . quandoquidem non oraret, ut daretur infidelibus fides, niſi Deum crederet & averſas, & adverſas hominum ad ſe convertere voluntates, nec oraret, ut perſeveraret in fide Chriſti, niſi crederet, Dominum ſic in poteſtate habere cor noſtrum, ut bonum, quod non tenemus, niſi propria voluntate, non tamen teneamus, niſi ipſe in nobis operetur & velle; Nam ſi hæc ab Ipſo quidem poſcit Eccleſia, ſed a ſe ipſa ſibi dari putat, non veras, ſed perfunctorias orationes habet, quod abſit a nobis.

PRÆLECTIO IX.

De eodem argumento.

I. OPpoſiti ſyſtematis auctor Molina ex eo primum argumentatur, quod ſeſſ. 6. cap. 5. Trident. Concilii legitur, *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, homo ipſe agit, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam poteſt abiicere*, & can. 4. anathema in eos fertur, qui negarint, *liberum arbitrium motum & excitatum a Deo poſſe diſſentire, ſi velit*, cui concinens Concilium Senonenſe decr. 15. docet, *auxilium Dei trahentis tale eſſe, ut ei poſſit reſiſti*; ſumit enim ut certum, de efficaci gratia utrobique ſermonem eſſe, tum quia de ea agitur gratia, qua homo actu, & reipſa convertitur & operatur, tum quia exploratum eſt, Novatores, quorum ab utroque Concilio configuntur errata, docuiſſe, non ſufficiente, quam omnino negabant, ſed efficaci gratia liberum hominis perimi arbitrium; quare oppoſitum ab utroque Concilio definiendum fuit, ne abluſiſſe utrumque dicatur a ſcopo. Si ergo utrumque definit, efficaci gratiæ reſiſti poſſe, fruſtrari itaque hæc ſuo effectu poteſt: poteſt itaque manere ſufficiens: efficax itaque a ſufficiente reipſa, ac, ut loquuntur, intrinſece non diſtinguitur; quod enim ab alio natura differt, in aliud tranſire nequit, idemque cum illo fieri. Secundo: Si gratia ſuapte ſit efficax, nec ab effectu per voluntatem ſejungi poſſit, actum de humana libertate; jam enim gratiæ energia, & effectus in voluntatis poteſtate non eſt. Quum in his duobus momentis Adverſarii ſyſtematis ſui arcem ponant, indeque in nos impetum faciant, incumbendum eſt pro virili, in arcem hanc diſjiciendam, eorumque impreſſionem non retundendam ſolum ſed & frangendam, in quo quidem faciendo non alia nobis ineunda via, quam quæ a D. Thoma primum aperta, ab iis maxime, qui inter ejus Diſcipulos majori eruditionis doctrinæque laude claruerunt, confecta eſt conſtantiſſime; quum enim hæc Molinæ ſociorumque ejus argumenta eadem ſint, ac quæ adverſus invictam voluntatis divinæ efficacitatem, præſcientiæ, providentiæ, nec non prædeſtinationis immobilem certitudinem torqueri ſolent, mirum non eſt, a D. Thoma, ejuſque Diſcipulis comminuta dudum fuiſſe.

II. Dant itaque Thomiſtæ omnes de efficaci gratia in memoratis Trident. locis verba fieri, nec opus erat, ut in hoc probando Molina laboraret. At hanc *abiicere* homo poteſt; Scilicet: potentia *tamen antecedente*, ut vulgo ajunt, quæ ab actu ſejuncta eſt, non *conſequente*, quam actus reipſa conſequitur, ſeu, quod in idem redit, *reſiſtere*, & gratiam efficacem abiicere poteſt homo *in ſenſu diviſo*, non autem *in ſenſu compoſito*. Quæ porro diſtinctionis hujus legitima intelligentia? Num reſiſtere poteſt homo, ſi gratiam removeris, neque autem, ſi eandem excitantem atque moventem ponas? Calvinianorum eſt hujuſmodi interpretatio, nec adſcribi D. Thomæ Diſcipulis, niſi per ſummam in-

injuriam poteſt; „ Quare quum Suarez Tom. 2. de Gratia l. 5. cap. 38. ſcripſiſſet, Calvinus non negat poteſtatem diſſentiendi in ſenſu diviſo, etſi motionem neceſſitantem poneret. Fruſtra ergo ad faciendam vim definitioni Tridentini, imponitur Calvino, quod negaverit poteſtatem diſſentiendi in ſenſu diviſo, quum hæc nihil aliud ſit, quam poteſtas habendi contrarium actum, *ſi motio auferatur*, “ tetram hanc Thomiſticæ Scholæ importatam ab eo calumniam Salmanticens Theologi Tom. 2. de Gr. Diſput. 7. Dub. 4. §. 10. n. 114. ſic propulſarunt: „ Ab hoc Auctore poſſet inquiri, an legerit Doctores Thomiſtas, quos citat, an non? Et quum hoc ultimum præſumi non debeat, rurſum inquirimus, an in eis repererit intelligentiam ſenſus compoſiti & diviſi, quam ipſe & qui eum imitantur, comminiſcuntur? an vero illam quam Alvarez docuit? Primum nullatenus dici poteſt; nam ipſæ paginæ & verba oppoſitum clamant, & mentem Scriptorum palam explicant, quin contraria intelligentia queat ipſis, niſi injuſtiſſime, attribui. “ Imo Honoratus a S. Maria haud ignobilis ejuſdem Inſtituti Theologus in opere, quod inſcripſit: *Defenſio litterarum . . . . Benedicti XIII. . . . contra calumnias doctrinæ Sanctorum Auguſtini & Thomæ intentatas*, fidenter omnes Scholæ noſtræ adverſarios provocavit, ut ex tot Thomiſticæ doctrinæ cultoribus, quorum extant editæ hactenus de gratia tractationes, vel unum proferrent pravæ hujus ſenſus compoſiti & diviſi interpretationis ſuffragatorem, quod quum eorum nemo unus hucuſque præſtiterit, nec tamen hoc idem nobis obiicere crimen deſinant, jure agimus, ſi cum eis de calumnia expoſtulamus.

Quæ ergo apud Thomiſtas omnes germana diſtinctionis hujus intelligentia? Nemo eſt, qui non explicet, reſiſtere efficaci gratiæ hominem poſſe *in ſenſu diviſo*, quia, ut ut efficaci gratia motus & excitatus, veram retinet expeditamque diſſentiendi, eamque abiiciendi potentiam, non tamen *in ſenſu compoſito*, quia gratiæ efficaci numquam revera diſſentiet, nec eam unquam abiiciet; nec enim cum gratia ſuapte efficaci componi voluntatis humanæ diſſenſus poteſt. Brevius & forte clarius, ut diſp. 94. animadvertit Alvarez, etſi minus latine, acutiſſimus Capreolus reſiſtere hominem poſſe reſpondet *ſimultate potentiæ*, quam alii *capacitatis* dicunt, quia cum adjutorio efficaci potentia & capacitas reſiſtendi in homine permanet, non *potentia ſimultatis* ſeu *poſitionis*; ſimul enim cum eo voluntatis diſſenſus poni non poteſt, ut qui actu ſedet, ambulare quidem aut ſtare poteſt, quum libere ſedeat; repugnat autem, ambulare illum, aut ſtare, dum ſedet.

Eſt itaque, ut Joanni a S. Thoma ſcire animadverſum, poſita gratia quantumcumque efficaci utrique ſenſui locus, diviſo quidem, qua parte gratia effectum reſpicit, propter quem datur, actum videlicet libere ponendum, compoſito autem, qua parte principium reſpicit, a quo eſt, omnipotentem ſcilicet, & abſolutam Dei voluntatem; Ut enim divinæ omnipotentiæ efficaciſque propoſiti inſtrumentum eſt, nunquam ab homine abiicitur, nec *ab ullo duro corde reſpuitur*, quia *ad hoc datur, ut cordis duritia primitus auferatur*, & ab eo datur, *cui volenti ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium*. Idem poſt Auguſtinum docet Angelicus 1. 2. q. 10. ar. 4. ad 3., *Si Deus*, ajens, *movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt, poni, quod voluntas ad illud non moveatur. Non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter, unde non ſequitur, quod voluntas ex neceſſitate moveatur*; & q. 110. ar. 3. in corp. *Si ex intentione Dei moventis eſt, ut homo, cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur*. Quum autem omnium conſenſu ratum ſit, quæ Tridentinum ſeſ. 6. de Juſtific. unde hæc ejus teſtimonia petita ſunt, tradit, ad Sanctorum Auguſtini & Thomæ doctrinam exacta eſſe, atque inde excerpta; quis dubitet, quin legitima ſit, quam ad illa adhibuimus, explicatio? Imo, ut præclarus idem Scriptor ſapienter adnotat, his Tridentini teſtimoniis noſtra potius ſententia confirmatur, nec cum iis Adverſariorum ſyſtema cohæret; Quem enim ibi Novatorum errorem Tridentinum refellit, & damnat? Antecedente ſeu præveniente gratia natura ſua efficaci tolli hominis libertatem, Errorem hunc ut confodiat, eique oppoſitum directe dogma ſtatuat, definire Synodus debuit, ut revera definivit, non eam eſſe gratiæ vim, quæ neceſſitatem voluntati inferat, adimatque *potentiam* ad oppoſitum, ſed quæcumque & quantacunque

que

Digitized by Google

que ejus energia ponatur, poſſe liberum hominis arbitrium *illam abiicere*, eique *diſſentire, ſi velit*. Diſcipulorum Auguſtini & Thomæ neminem reperire eſt, qui non hoc confiteatur perlibenter & ſinceriſſime: Adverſarii contra pugnaciter negant, gratiam Dei natura ſua, intrinſece, & ante conſenſum noſtrum efficacem eſſe, alioqui interimeret libertatem: Harum ſententiarum quæ Novatorum errori magis opponitur, magiſque cum Tridentini definitione concordat?

Quum Senonenſe idem doceat ac Tridentinum, eadem ad illius teſtimonium adhibetur a Noſtratibus interpretatio. Cæterum, quia ad dicti ſui confirmationem nonnulla addit Scripturæ loca, ex quibus patet, gratiæ Dei homines non reſiſtere ſolum poſſe, ſed reſtitiſſe revera, ac reſiſtere, cum eodem Jo. a Th. reponimus, hanc Concilii probationem ex ſufficiente, cui reipſa reſiſtitur, non ex efficaci, cui *nullum humanum reſiſtit arbitrium*, gratia ductam eſſe, efficere tamen, quod erat Concilio propoſitum, perinde ac ſi in hunc modum argumentaretur. Gratiæ ſufficienti reapſe reſiſtimus: liberi ergo arbitrii ſumus, quo hujuſmodi gratiæ reſiſtimus; quum ergo & una cum gratia efficaci liberum nobis conſtet arbitrium, cujus eſt natura poſita in potentia ad utrumlibet, nam *Dei trahentis auxilium tale eſt, ut ei reſiſti poſſit*, falſo Novatores ſanciunt, libero hominis arbitrio inferri, per efficacem Dei gratiam exitium. At promte argutantur acuti homines: Si homo efficaci gratiæ re ipſa reſiſteret, eam certiſſime fruſtraretur. Quum ergo poſſit, ut ab utroque Concilio definitum, ei reſiſtere, fruſtrari & illam poteſt. Quæ ergo tam jactata illa *phyſica, intrinſeca, invictiſſima, indeclinabilis, inſuperabilis* gratiæ hujus efficacitas? Non eſt tamen, cur ſibi in hac ſua argutiola tantum Adverſarii plaudant; fruſtrari enim, ſeu irritam reddere hujuſmodi gratiam poſſet homo, ſi ille poſſet *in ſenſu compoſito*, ſeu *potentia ſimultatis, & conſequente reſiſtere*; quum autem hæc ſit gratiæ efficacis indoles, quatenus abſolutæ Dei voluntatis, & omnipotentiæ inſtrumentum eſt, ut, quamvis ea excitatus & motus homo reſiſtere ei poſſit, quam potentiam gratia ipſa, cujus eſt naturam non deſtruere, ſed perficere, præſtat atque conſervat, nunquam tamen reſiſtat, nec diſſentiendi actum cum ea componat, perperam infertur, poſſe illam irritam ab homine reddi, ſuoque effectu privari; oporteret enim præterea, ut poſſet homo cum actu, ad quem datur gratia, oppoſitum reipſa ſociare, quod *eſt impoſſibile*, ait D. Thomas, *non ſimpliciter*, ſeu abſolute, ſed *ex ſuppoſitione* hujus gratiæ, cujus ea eſt virtus, ut *nullum ei humanum reſiſtat arbitrium, & a nullo duro corde reſpuatur*.

Regerunt tamen: Si efficax hæc gratia potentiam ad oppoſitum non exterminat, ſed conſervat, agere ergo oppoſitum quandoque homo poterit, & diſſenſum cum efficaci gratia conjugere; Cui enim bono, ſeu quæ potentiæ utilitas, cui nullus unquam eſt actus? Si etiam liberum arbitrium motum & excitatum a Deo vere poteſt diſſentire, ſi velit, unde nobis conſtat, fore, ut nunquam velit, ſi poteſt? Rurſum: Si gratia efficax ſuam voluntati conſervat indifferentiam ſeu libertatem; voluntas ergo ipſa ſe determinat, non determinatur a gratia: aut ſi ab hac determinatur, indifferens ergo non perſtat. Demum: fac, Deum velle, neceſſitatem voluntati inferre, eamque cogere, qui id faceret, niſi eam ad unum efficaciter determinando? Duo hæc itaque non cohærent, diſſentire voluntatem poſſe, & non poſſe divinæ motioni determinate reſiſtere.

Sunt hæc ſubtiliter quidem, minus tamen ſolide excogitata; Quam enim homini ab ſe moto conſervat gratia potentiam ad oppoſitum? Antecedentem, ut explicatum eſt, quam etſi actus non conſequatur, conſequi tamen poteſt, quod ita per gratiam ad actum hunc voluntas movatur, & applicetur, ut integram ad oppoſitum potentiam ſervet. Supervacua ne vero hæc potentia? Minime; Etſi enim, ait Jo. a S. Th., hujus potentiæ nullus ſit actus *ſtante gratia, ea tamen remotæ* reipſa eſt. Num vero neceſſe eſt, ſuum potentiæ actum eſſe *pro omni ſtatu*? An non ſatis, eſſe *pro aliquo*? Dum homo actu ſedet, annon exploratum, poſſe illum, libere enim ſedet, non ſedere, ſed ambulare vel ſtare? Potentiam hanc quis inutilem dixerit, quod ſedens non gradiatur aut ſtet? An oportet, ut etiam dum ſedet, ambulet vel ſtet, quo intelligamus, eum vere poſſe, ambulare vel ſtare? Annon ſatis, ſtare illum, quum ſedere deſierit, aut ambulare? „ In hoc, recte ait „ laudatus Auctor, notanda eſt diverſitas „ ſen-

„ ſenſus compoſiti & diviſi, quod ſtante
„ gratia non dicitur homo poſſe, niſi po-
„ tentia antecedenti, quæ non reducetur
„ ad actum. Ut autem poſſit potentia
„ conſequenti ita, ut ſequatur actus, ſo-
„ lum id poteſt eſſe remota gratia, non
„ ipſa ſtante; eſſet enim conjungere duos
„ actus oppoſitos. "

Percuntantibus, unde perſpectum habeamus, nullum hujus, quam efficax gratia conſervat, antecedentis potentiæ futurum actum, reſpondemus, ex abſoluta omnipotentis Dei voluntate, quæ oppoſitum fieri non ſinit, alioqui non eſſet efficax, &, ut Auguſtinus ait, *efficaciſſima & occultiſſima poteſtate operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit*, atque *ſic velle vel nolle in volentis aut nolentis relinquit poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem*.

Ipſi ne vero nobiſcum pugnamus, docentes, efficaci gratia voluntatem determinari, quin indifferentiæ ſuæ jacturam faciat? Quam voluntati efficaciter ad bonum a Deo motæ indifferentiam aſſerimus? Libertatis, quæ in modo operandi conſiſtit, nimirum ut certus actus hic & nunc ita fiat, ut fieri oppoſitum poſſit, huncque libertatis modum gratia quantumlibet efficaci nec tolli nec minui conſtantiſſime propugnamus, eo D. Thomæ momento nixi, quod non labefactare ſolum Adverſariorum nemo potuit, ſed ne appetere quidem, aut vellicare, quod ſciamus, molitus eſt. Ecquod illud? *Non aufert*, ait Angelicus, *motio Dei, quin actiones ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem*: 1. p. q. 83. ar. 1. ad 3., & q. 19. ar. 8. in c. *Quum voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiunt, quo Deus ea fieri vult: Vult autem Deus, quædam fieri neceſſario, quædam contingenter, ut ſervetur ordo in rebus ad complementum univerſi*. Brevius & nitidius quodl. 1. ar. 7. *Quia virtus rationalis ſe habet ad oppoſita, ideo Deus ſic movet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere*. Aufert quidem divina motio eam, quæ *ſuſpenſionis* dicitur, indifferentiam, quæ eſt, ait Jo. a S. Th., *indeterminatio*, ſeu *perplexitas ad agendum*, efficitque, ut fiat *actus determinatus, ſed non determinate*, ſeu ita voluntatem applicat & determinat, ut & ipſa moveat ac determinet, prout ejus naturæ eſt; *Certum eſt enim*, ut l. de Gr. & lib. arb. c. 16. ajebat Auguſt., *nos velle, quum volumus, ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum ..... Præparatur voluntas a Domino .... Certum eſt, nos facere, quum facimus, ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dicit: faciam .... ut judicia mea obſervetis, & faciatis*.

Sciſcitantibus denique, quid Deo faciendum, ſi humanam vellet cogere voluntatem, reſpondemus, oportere, ut eam auferret, quæ libertatis origo & radix eſt, judicii indifferentiam, quam quum efficax gratia non auferat, ſed conſervet, ambæ propterea mire cohærent, quia Divina voluntas utpote efficaciſſima non ſolum vult actum bonum elici, ſed & eo, qui hominis proprius eſt, modo elici, nempe libere; *operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem*.

III. Hinc aliud Molinæ argumentum facile eliditur. Quid ſi gratia efficax in voluntatis manu non eſt? Num propterea libertatem exſcindit? Quum, ut perpetuo Auguſtinus docet, ea faciat *ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes*, ejuſque ſit, *voluntatem præparare, dirigere, immutare, transferre, inclinare quocumque voluerit*, ejus quippe inſtrumentum eſt, qui magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas; quorſum ſibi ab efficaci Dei gratia libertas noſtra exitium timeat, quum Deus libertatis noſtræ prima cauſa & auctor ſit, nec ejus gratia, ut Theologis omnibus conſtitutum, naturam deſtruat, ſed perficiat? Mirum eſt autem, quod poſt Molinam ſuum Adverſarii animo imbiberunt, præjudicium mordicus retinere, actum ſcilicet de hominis libertate, ſi gratia ſuapte ſit efficax; erit enim humanæ operationis antecedens cauſa, ideoque neceſſitatem iniiciet. Num omnis, ut ajunt, ſuppoſitio antecedens humanæ libertati infeſta? Idem hoc, quod opportune, importune Moliniani regerunt, jam ſibi D. Th. objecerat 1 p. q. 19. art. 8., cujus titulus, *utrum voluntas divina rebus volitis neceſſitatem imponat?* ajens: *Illud, quod habet neceſſitatem ex priori, eſt neceſſarium abſolute &c.* Quid ille? *Dicendum, quod poſteriora habent neceſſitatem a prioribus ſecundum modum priorum; Unde & ea, quæ*

fiunt

ſiunt a voluntate divina, *talem neceſſitatem habent*, *qualem Deus vult ea habere*, *ſcilicet vel abſolutam vel conditionatam*, *& ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolute*. Quæ vero *abſolute*, quæ *conditionate* neceſſaria? Quibus, ut ibidem in corpore articuli docet, aptavit cauſas neceſſarias ſeu naturales & ad unum determinatas, priori, quibus vero cauſas aptavit contingentes & liberas, poſteriori duntaxat modo ſunt neceſſaria; quum ergo humanorum actuum proxima cauſa voluntas ſit libera ac indifferens, ita eam Deus efficaci ſua gratia movet & applicat, ut non ſolum eum quem Deus vult, actum edat, ſed & eo quo Deus edi vult, modo, libere nempe, *quia Deus in unoquoque operatur ſecundum ejus proprietatem*, eſtque hujus actus non abſoluta, ſed hypothetica, quam idem D. Thomas, *immutabilitatis & infallibilitatis* a Theologis vocari, ait, neceſſitas, cum qua libertas intacta manet, quemadmodum q. 6. de Malo art. unico ad 3. ipſe probat, *Deus*, ajens, *movet immutabiliter voluntatem humanam propter efficaciam moventis*, *quæ deficere non poteſt*, *ſed propter naturam voluntatis motæ*, *quæ indifferenter ſe habet ad diverſa*; *non inducitur neceſſitas* (abſoluta ſcilicet, & coactionis) *ſed manet libertas*, quibus gemina habet 1. 2. q. 110. art. 3.

Liceat, quod dudum nobis, nec ſemel animadverſum eſt, expromere. Plures de argumento hoc Adverſariorum libros, necnon & quæ dictantur in Scholis, ſcripta evolvimus atque legimus non oſcitanter, nec tamen reperire uſquam fuit, aggreſſum aliquem ad refellendam rationem hanc, qua demonſtrat Angelicus, cum abſoluta divinæ voluntatis, *cui nullum humanum reſiſtit arbitrium*, *intentione* ſive propoſito, prædefinitione, atque motione humanam mirifice conciliari libertatem, quod divina voluntas utpote efficaciſſima *non ſubſtantiam ſolum*, *ſed & modum actus*, ad quem movet, *attingat*, *& ex hoc ipſo*, *quod nihil divinæ voluntati reſiſtit*, *ſequatur*, *quod non ſolum fiant ea*, *quæ Deus vult fieri*, *ſed quod fiant*, *contingenter*, *vel neceſſario*, *quæ ſic fieri vult*. Quid cauſæ fuerit, cur hoc, cui potiſſimum incumbit ſententia noſtra, fundamentum non diſcere ſolum, ſed ne impetere quidem molitus quiſquam fuerit, malumus, ab æquis rerum æſtimatoribus dijudicari, quam ipſi aperire. Præſtitiſſet certe, ad hoc conniti, (ſuffoſſo enim fundamento, concidere domum, neceſſe eſt) quam ad ineptias abire, & prætermiſſo capite de redu-via laborare. Annon illud ineptum, quo exemplum a nobis poſitum ad demonſtrandum, liberum perinde hominem eſſe efficaciter a Deo motum, ac eum, qui ſponte ſedet, ac, ut poteſt iſte non ſedere, ſed ambulare vel ſtare, ita & illum efficaci Dei motioni diſſentire poſſe, ut refellant, ajunt multum utrumque inter diſtare? Suo enim arbitratu iſte ſedet, ille autem non ſuo, ſed Dei arbitrio agitur. Quid non inde? Minus ne propterea liber, qui a Deo efficaciter permovetur ad bonum, quam qui ſua ſponte ſedet? Quid ſi homo non eſt ipſe bene operandi ſibi cauſa, ut ſedendi, ſed Deus, qui *operatur in eo velle & perficere*? *Sicut voluntas*, ait D. Thomas q. 22. de verit. art. 8. & 9., *poteſt immutare actum ſuum*, *ita & multo amplius Deus*, *qui multo magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum*, *quam ipſi ſuas*, *& inclinationem voluntatis*, *quam ei dedit*, *poteſt transferre de uno in aliud*, *ſecundum quod vult*, in quo quidem efficiendo nihil omnino de hominis libertate detrahit, quia ut idem docet in 2. ſent. diſt. 25. q. 1. art. 2. ad 1., *Deus operatur in voluntate*, *& in libero arbitrio ſecundum ejus exigentiam*; *unde etiamſi voluntatem hominis in aliud mutet*, *nihilo minus hoc ſua omnipotentia facit*, *ut illud*, *in quod mutatur*, *voluntarie & libere velit*. Ex his etiam conſtat, quam inepte hominis efficaci gratia a Deo moti cum homine catena & vinculis adſtricto contentio fiat, ad inferendum, ut nulla huic eſt fugiendi potentia in ſenſu compoſito, quandiu ſcilicet in vinculis eſt, ſed ſolum in ſenſu diviſo, id eſt ſi a vinculis eximatur, idem de illo pronunciandum, reſiſtere illum nempe gratiæ efficaci & diſſentire poſſe, ſi hæc amoveatur, non poſſe autem quandiu ſub ejus imperio eſt. Piget, hæc ſerio refellere, quum ex dictis ſatis perſpicere quiſque poſſit, quantum interſit, Dei *fortiter* quidem ſeu efficaciter, *ſuaviter* tamen, pro libera hominis indole, moventis voluntatem inter, & catenam, qua quis detinetur invitus.

IV. Ipſi tamen Gabrieli Danieli dudum ineptire videmur, qui gratiæ efficacitatem ut cum libero arbitrio conciliemus, diſtinctiunculis utimur, quas ſoli intelligimus, cæteri ignorant, quæque non

ſunt

Digitized by Google

ſunt a nobis, niſi ad eludendam Tridentini definitionem, excogitatæ. „ In explicanda (ita ille ep. 9. ad Natalem Alexandrum) gratiæ cum libero arbitrio „ conſenſione jam pridem Thomiſtæ ſudant. Ut Gordium hunc ſecarent nodum, admoverunt diſtinctionem ſenſus compoſiti, & ſenſus diviſi, ſolis ipſis perviam, nullibi vel in D. Auguſtino, vel in D. Thoma repertam hactenus, amicam & pergratam Novatoribus, Calviniſtiſque, idem ſe cum Thomiſtis ſentire palam clamitantibus. “ Hominis confidentia cui non perſuaderet, verum plane, quod tam conſtanter effert? Nihil tamen potuiſſe falſius efferri, perſuaſum habebunt, qui omiſſis auctoribus, ipſa re & ratione veritatem exquirunt. Atrocem nobis inferri a Daniele calumniam ſcribente, diſtinctionem hanc amicam pergratamque eſſe Novatoribus & Calviniſtis, num. 11. ſatis jam demonſtratum: adinventam autem a nobis poſt Tridentini tempora diſtinctionem hanc, ignotam hactenus & inauditam, nobiſque duntaxat perviam, quam falſo ille ſcribat, maxime expeditum eſt demonſtrare. Hugo de S. Victore an Thomiſta, an Tridentini celebratione poſterior? Qui duodecimi ſæculi initio floruit, ſolido ſæculo D. Thomæ ortum, quatuor vero ſæculis Tridentini initia antevertit. Hic autem eandem hanc diſtinctionem, eandem ipſam, quam in ea Thomiſtæ ponunt, intelligentiam, non ut a ſe edita, ſed ut jam ſua ætate *communem*, aliiſque ante ſe Theologis, ac Bibliorum Interpretibus tritam, ad eliquandam ſimilem difficultatem adhibuit; Quæſt. enim 118. in ep. ad Rom. inquirens, an divina præſcientia futuris rebus neceſſitatem imponat, ipſe ſibi obiicit: *Si Deus præſcivit aliquid futurum, illud non poteſt non evenire, & ſi hoc eſt, neceſſario eveniet, quidquid Deus præſcivit.* Quid ille? *Solutio communis hæc eſt. Hæc & ſimilia poſſunt per conjunctionem & diviſionem exponi. Senſus conjunctionis hic eſt. Si Deus prævidit, neceſſe eſt evenire, ideſt, non poteſt ſimul eſſe utrumque, ut Deus prævideat, & non eveniat: & ſic eſt verum. Diſtinctionis ſenſus hic eſt, hoc futurum non poteſt, aliter evenire, quam eo modo, quo evenit, & quam ſit prævisum: & hoc eſt falſum*, Quem Thomiſtarum Gabriel dabit, qui non eadem omnino ratione liberum arbitrium cum efficaci gratia, ut ille futurorum contingentiam cum Divinæ præſcientiæ immobilitate, conciliet?

Annon eadem habet Sententiarum Magiſter celeberrimus ejuſdem ſæculi Scriptor l. 1. diſt. 38., quæſtionem, an evenire quid poſſit aliter, ac eſt a Deo præcognitum, ſic diſſolvens? *Poſſunt hæc conjunctim intelligi, ut conditio ſit implicita, & disjunctim; Si enim ita intelligas, non poteſt aliter fieri, quam Deus præſcivit, hoc eſt, non poteſt utrumque ſimul eſſe, ſcilicet quod Deus ita præſciverit fieri, & aliter fiat, verum intelligis. Si autem per disjunctionem intelligas, ut dicas, hoc aliter evenire non poſſe, quam evenit, & quomodo Deus præſcivit futurum, falſum eſt; Hoc enim aliter poteſt evenire, quam evenit, & tamen Deus hoc modo futurum eſſe, præſcivit. Similiter & alia determinatio, ſcilicet impoſſibile eſt, illud non evenire, quod Deus præſcivit, ſi conjunctim intelligas, verum dicis, ſi disjunctim, falſum.* Annon eadem hac diſtinctione explicat, quomodo propoſitiones hæ, *Prædeſtinatus poteſt, vel non poteſt damnari, & reprobus poteſt ſalvari*, veræ vel falſæ ſint? *Alia fit*, ait diſt. 40., *intelligentia, ſi per conjunctionem hæc accipiantur dicta, atque ſi per disjunctionem . . . Si enim quum dicis, prædeſtinatus non poteſt damnari, ita intelligas, non poteſt eſſe, ut prædeſtinatus ſit, & damnetur, verum dicis, quia conjunctim intelligis; falſum autem, ſi disjunctim, ut ſi intelligas, iſtum non poſſe damnari, quem dico prædeſtinatum; potuit enim non eſſe prædeſtinatus, & ita damnaretur.* Hæc ſi legiſſet Daniel, ſcribere ne tam licenter potuiſſet, diſtinctionem hanc *recens eſſe prædeterminantium effugium ad eludendum Trident. Syn. canonem excogitatum, vanam ſubtilitatem, facilemque cavillationem?* niſi ipſe uſque adeo tricandi cavillandique ſtudioſus ſit, ut nolit, *ſenſum compoſitum & diviſum* ejuſdem omnino ſententiæ eſſe, ac *ſenſum conjunctionis, & disjunctionis, per conjunctionem, & disjunctionem, conjunctim, & disjunctim*.

Minus tamen illi ignoſcendum, quod diſtinctionem hanc *nullibi in D. Thoma repertam hactenus*, aſſeverarit. *Nullibi* eam ſane apud D. Thomam repererit, qui de illa in D. Thomæ libris exquirenda unquam ne cogitarit quidem: a ſe tamen & quoad verba, & quoad rectam ejuſdem intelligentiam, *hactenus* non uno loco *repertam*, qui in ea conquirenda nonnihil dili-

gentiæ poſuerunt, locupletiſſimis Angelici
teſtimoniis probant petitis ex 1. p. q. 14.
art. 13. ad 3., ex l. 1. con. G. cap. 67.,
ex q. 6. de verit. art. 3. ad 7. &c. Tria hæc
ejus loca recitare ſat fuerit: *Hæc propoſitio
Deus poteſt non prædeſtinatum prædeſtinare,
vel prædeſtinatum non prædeſtinare, in ſen-
ſu compoſito eſt falſa, in diviſo vera: Et
ideo omnes illæ locutiones, quæ ſenſum com-
poſitum implicant, ſunt falſæ ſimpliciter*:
q. 6. de ver. art. 4. ad 8. En diſtinctio-
nem hanc verbis iiſdem expreſſam: eun-
dem autem germannm, quem ei ſubiici-
mus, ſenſum ex iis accipe, quæ tradit q.
23. de ver. art. 5. ad 3.: *Quamvis non eſ-
ſe effectus divinæ voluntatis non poſſit ſi-
mul ſtare cum divina voluntate, tamen po-
tentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum di-
vina voluntate; non enim ſunt iſta incom-
poſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte
poteſt damnari, ſed iſta ſunt incompoſſibilia
Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur:*
Et in 1. ad Annibaldum diſt. 47. qu. uni-
ca art. 4. ad. 2. *Quamvis contrarium ejus,
quod eſt volitum a Deo, non poſſit ſtare
cum voluntate Divina, poſſibilitas tamen ad
contrarium poteſt ſtare cum ea propter con-
tingentiam cauſæ mediæ, & hoc ſufficit ad
hoc, quod effectus ſit contingens, & non ne-
ceſſarius.*

V. At ſi Danielem piguit, D. Tho-
mam, alioſque, quos laudavimus, priores
eo Theologos conſulere, num & Scholæ
ſuæ ſcriptores? Hos ſi legiſſet, diſtinctio-
nem hanc num in recentibus Prædetermi-
nantium effugiis, in vanis ſubtilitatibus,
in facilibns cavillationibus numeraſſet? Ho-
rum aliquos gratiam efficacem phyſice præ-
determinantem oppugnantes memorat Al-
varez diſp. 94. quæ eſt, *De ſenſu compoſi-
to & diviſo*, propoſitionem hanc, *Præde-
ſtinatus poteſt damnari*, ſic explicare: „ In
„ ſenſu diviſo eſt vera, in ſenſu autem
„ compoſito eſt falſa & impoſſibilis, quia
„ ſignificat quod ad hoc ſe libertas exten-
„ dat, & poſſit ſimul conjungete damna-
„ tionem cum prædeſtinatione, quod eſt
„ impoſſibile: Et ad argumentum, qnod
„ ſolet obiici, prædeſtinatio eſt ſuppoſitio
„ antecedens noſtram voluntatem, ergo,
„ ſi ſuppoſita prædeſtinatione non poteſt
„ quis damnari in ſenſu compoſito, ſe-
„ quitur quod neceſſario ſalvetur & non
„ libere, Reſpondent negandam eſſe con-
„ ſeqnentiam ſimpliciter, quia ad liberta-
„ tem abſolute & ſimpliciter, ſufficit hæc
„ poteſtas, quæ dicitur in ſenſu diviſo;
„ nam in prædeſtinato vere & realiter
„ manet poteſtas ad utrumqne non ob-
„ ſtante prædeſtinatione Dei, quia, etiam-
„ ſi ſupponatur perſona prædeſtinata, ad-
„ hue vete retinet poteſtatem peccandi &
„ permanendi in peccato, ſi voluerit,
„ quamquam hæc poteſtas nunquam ſit re-
„ ducenda ad actum prædeſtinationi con-
„ trarium. “

An negare Daniel poteſt, quod ibidem
adiungit Alvarez? „ Quum Auctores con-
„ trariæ ſententiæ vi argumentorum pre-
„ muntur, quibus probari ſolet, cum in-
„ ſallibilitate divinæ præſcientiæ cohærere
„ non poſſe arbitrii noſtri libertatem, nam
„ ſuppoſita præſcientia, qua Deus Petrum
„ conſenſurum eſſe, præſcivit, impoſſibile
„ eſt, quod diſſentiat, reſpondent, id eſſe
„ impoſſibile in ſenſu compoſito, qnia vi-
„ delicet repugnat, duo hæe ſimul eſſe ve-
„ ra, nempe quod Deus ſciat Petrum con-
„ ſenſurum, & quod nihilominus Petrus
„ non conſentiat, ſed diſſentiat, alias ſal-
„ ſificaretur ſcientia divina, quod eſt im-
„ poſſibile: Ergo ſimiliter, quando nos
„ aſſerimus, liberum arbitrium a Deo mo-
„ tum auxilio efficaci ad conſentiendum
„ non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire,
„ ſenſus eſt, implicare contradictionem,
„ hæc duo ſimul eſſe vera, quod ſcilicet
„ auxilium efficax ſit in homine, & ho-
„ mo diſſentiat. Ex quo rurſus concludi-
„ mus, quod ſicut præſcientia, qua Deus
„ novit Petrum conſenſurum, non aufert
„ ab eo potentiam, qua poteſt diſſentire,
„ ſi velit, ſed ſolum actum diſſentiendi,
„ ac per conſequens nullo modo tollit,
„ aut impedit arbitrii libertatem etiam
„ quantum ad actualem uſum illius, ita
„ æternum, abſolutum, & efficax divinæ
„ voluntatis decretum, quo per auxilium
„ efficax *præoperantis* gratiæ Deus efficit,
„ Petrum conſentire, non aufert ab eo
„ potentiam, qua vere poteſt diſſentire,
„ ſi velit, ſed ſolum facit, quod, qnum
„ per libertatem arbitrii diſſentire poſſit
„ Deo vocanti, & moventi, non tamen
„ diſſentiat. “

Subdit ibidem Alvarez, reponere ſolere
Adverſarios, ſuam inter & noſtram cau-
ſam multum intercedere, ideo ſenſus divi-
ſi & compoſiti uſum longe diverſum; divi-
næ enim præſcientiæ ſuppoſitio liberam
ipſam voluntatis operationem, quæ a Deo
prænoſcitur futura, conſequitur: auxilii ef-
fica-

Digitized by Google

ficacis phyſice ad conſenſum prædeterminantis ſuppoſitio illam antevertit; quare hæc libertati opponitur, non autem illa. Latiſſime atque nervoſe reſponſum hoc refellit Alvarez diſp. 22. num. 40. & 41. Paucis iis, quæ num. III. dicta ſunt, videtur nobis illud ſatis refutatum, quin plura addere neceſſe ſit.

PRÆLECTIO X.

De gratia congrua.

I. GRatiæ congruæ, cujus non ſemel injecta a nobis mentio, jam paulo latius evolvenda notio, & refutatio ſuſcipienda. Prælect. III. n. I. & II. expoſuimus, quod ad Molinæ ſententiam a Suareſio temperamentum adhibitum, quodque amplecti omnes ejuſdem Inſtituti homines a Præpoſitis Generalibus, Aquaviva, Piccolomineo, & Viteleſchi, juſſi ſunt, de quo hæc ep. 5. ad Nat. Alex. ſcribebat Gabriel Daniel: „ Quum „ in ea re ſuo unuſquiſque arbitratu ſe „ gerat, inter Jeſuitas, non pauciores, „ qui Molinam impugnent; quam qui „ propugnent, eſſe video. Documento „ ſunt Bellarminus, Suarez aliique cla„ riſſimi Societatis Scriptores, qui aliam „ penitus a Molina viam in explicanda „ gratiæ efficacia ineunt . . . Unum do„ ctrinæ Molinæ caput adſciſcunt vulgo, „ & amplectuntur Jeſuitæ, ſcientiam me„ diam." Etſi omnium ergo in adſtruenda ſcientia media, & rejicienda phyſica & intrinſeca, ut vocant, gratiæ efficacitate mira ſit conſenſio, in capite tamen, unde eſt illa efficax, ſtatuendo non item. Ex ſolo voluntatis aſſenſu Molina gratiæ efficaciam repetebat: Suarez aliique communius ex opportunis quibuſdam temporis locique adjunctis, Vaſquez ex hominis, cui provide confertur, indole, ac temperamento, eam ducunt. At eſt omnium judicio ac conſenſu gratiæ hujus, quocunque illa vocetur nomine, verſatilis ac indifferens natura, humano ſubdita arbitrio, nec alia ejus movendi vis, quam moralis, metaphorica icclrco, non vera. Qui autem fieri poteſt, ut hujuſmodi gratia inſtructum hominem, certiſſime ex æternitate Deus aſſenſurum prævideat? Unius ſcientiæ mediæ ope; hac enim prælucente præſcit Deus, quid hujus generis auxiliis adjuta voluntas hominis pro innata ſua libertate factura ſit, nec aliunde certiſſime compertum habet, ea fore efficacia, quam ex præviſo voluntatis iis inſtructæ conſenſu, modo offerantur illa certis tempore, & loco, vel ſint ad hominis ingenium, habitumque accommodata. Futuri ſub conditione conſenſus præſcientiam e veſtigio excipit divinæ voluntatis propoſitum, ſeu abſolutum decretum de ſuppeditanda homini, cujus ſub conditione futurum prænovit aſſenſum, gratia alterutro prædictorum modorum congrua, quod decretum certa ejuſdem conſenſus *abſolute* futuri ſcientia conſequitur. Hinc Daniel ibidem Dei cognitionem ac decreta ſic digerit ordinatque. Primum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, quam *poſſibilium* dicimus, locum defert, ſecundum ſcientiæ futurorum ſub conditione, quam *mediam* dicunt, qua novit Deus, quid ſuo nutu homo ageret, ſi gratia alterutro modo congrua donatus eſſet, tertium abſoluto Dei decreto, quo hujuſmodi gratia eum donare ſtatuit, cujus per ſcientiam mediam futurum ſub conditione præcepit aſſenſum, poſtremum ſcientiæ viſionis, qua Deus eundem hunc aſſenſum abſolute futurum perſpectum certiſſime habet, & exploratum.

II. Quin neceſſe ſit, ad gratiam hanc explodendam nova momenta conferre, ſatis ſuperque fuerit, quæ jam e divino eloquio, & ex Patribus, Auguſtino præſertim, collata ſunt, huc revocare, atque premere; ut palam fiat, cum ſacrarum literarum Patrumque doctrina gratiam hanc non congruere; neque enim ad hoc veluti ſub oculis ponendum, alio opus eſt, quam principiorum, quæ Adverſariis rata & fixa ſunt, cum teſtimoniis, quæ e Scripturis & Patribus produximus, contentione. Docent hi, ut ab an. 1613. docere juſſi ſunt, *inter eam gratiam, quæ . . .. efficax dicitur, & eam quam ſufficientem nominant, non tantum diſcrimen eſſe in actu ſecundo . . . ſed in ipſo actu primo, quod poſita ſcientia conditionalium, ex efficaci Dei propoſito atque intentione efficiendi certiſſime in nobis boni, de induſtria ipſe ea media ſeligit, atque eo modo & tempore confert, quo videt, infallibiliter effectum habitura, aliis uſurus, ſi hæc inefficacia prævidiſſet &c.* Bene habet: jacta ſunt fundamenta validiſſimæ refutationis. Mittimus, *unum* illud doctrinæ *Molinæ caput*, quod, Daniele teſte, *ad-*

ſciſcunt vulgo, *& amplectuntur Jeſuitæ*, *ſcientiam* videlicet *mediam*, qua veluti baſi tota *Congruiſtarum* poſitio nititur ac ſuſtentatur, male materiatum eſſe, & non a Sanctorum Auguſtini & Thomæ doctrina ſolum, ſed & ab ipſa naturæ ratione perquam alienum, quemadmodum in Prælectionibus de ſcientia Dei, videmur nobis, non infeliciter eviciſſe. Percuntamur ſolum, cujuſmodi ſint *ea media*, quæ Deus *de induſtria ſeligit*, *atque eo modo & tempore confert*, *quo videt*, *effectum infallibiliter habitura?* Suapte ne efficacia, ceu divinæ voluntatis ſuæ, cui nullum humanum reſiſtit arbitrium, inſtrumenta? Unde videt Deus, *eo tempore & modo* collata, *effectum infallibiliter habitura*, *aliis uſurus ſi hæc inefficacia prævidiſſet?* An, quod omnipotens ipſe quum ſit, faciens *in cælo & in terra*, *quæcunque vult*, quin *voluntati ſuæ reſiſtere* quiſquam *poſſit*, *media* tam actuoſa, & efficacia *ſe legit*, ut *cordis duritiam auferant*, *faciantque* etiam *ex nolentibus volentes*, *ex repugnantibus conſentientes*, *ex oppugnantibus amantes*? Pervulgatiſſimum eſt, nec Adverſariorum quiſpiam id negarit, ut ut ad danda imperitis verba *efficax* jactetur *Dei propoſitum ac intentio efficiendi certiſſime in nobis boni*, non alia, ſi Congruiſtis fides, *de induſtria ſeligi* a Deo *media*, quam natura ſua mollia & flexibilia, quæ voluntatem non *præparant*, & in quamcunque Deus voluerit, partem, *inclinant* (væ enim libero hominis arbitrio), ſed ſuapte jam præparatam & inclinatam amice comitantur, ejuſque motibus obſecundant, quorum non alia vis, quam invitandi, alliciendi, ſuadendi, non alia motio, quam *moralis* & adumbrata, ſeu *metaphorica*. Neque minus exploratum, quem media hæc *certo modo*, *& tempore* collata *infallibiliter habitura* Deus videt, *effectum* ex parte ſolum ab iis eſſe; bonus enim eorum uſus, ſive conſenſus a libero arbitrio eſt, cui *ſua ſervanda laus*, *& induſtria*, ut cum Molina reliqui ſtatuunt, Livinus præſertim Le Mejer in opere, quod inſcripſit, *De partialitate cauſarum*, *Dei ſcilicet & hominis*, *in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*, ideoque hominem, ut Auguſtino l. de Prædeſt. SS. ad ſecundi capitis finem rectiſſime animadverſum, *quaſi cum Deo componere*, *ut partem ſibi vendicet*, *partem illi relinquat*, imo primas in hoc negotio liberi arbitrii partes eſſe, ſecundas Dei; neque enim Deus *media* hæc *de induſtria ſeligit*, quam quod iis bene uſurum hominem *pro innata ſua libertate* prænovit, efficaxque eadem certo modo & tempore conferendi propoſitum, ſeu intentio ex boni eorumdem uſus præſcientia pendet, *tanquam ex conditione ſine qua non*: quare & hic veriſſime cadit, quod ibidem adjicit Auguſtinus: *Quod elatius eſt*, *primam tolli: ipſe* (homo), *ſequentem dat illi* (Deo), *& in eo*, *quod dicit eſſe amborum*, *priorem ſe facit*, *poſteriorem Deum*, cujus gratia liberi arbitrii determinationi non præit, (futura alioqui libertati ejus infeſta & exitialis) ſed eo comitatur, & ſequitur, quo jam anteire illud ſua ſponte, per ſcientiam mediam deprehendit.

III. Hæc quum ita ſint, actum agendum eſſet, quod antiquo proverbio veramur, ſi duo hæc præcipua Congruiſtarum placita ſuſciperemus iterum refellenda; Prælect. enim VII. & VIII. tot e divinis literis, tot ex Veterum Patrum, Auguſtini maxime, teſtimoniis ad ea refutanda argumenta contulimus, & quaſcunque ad ea eludenda Adverſarii, Daniel potiſſimum, excogitarunt, elabendi vias tam accurate videmur nobis intercepiſſe, ut eſſent nobis eadem, ſi non verbis iiſdem, iiſdem certe ſententiis, repetenda. At aliud ille ſibi quæſivit effugium, quo celeberrimi a Cypriano & Auguſtino iteratidem uſurpati, & nervoſe torti Apoſtoli teſtimonii vim declinaret, nempe, *quid habes*, *quod non accepiſti? Si autem accepiſti*, *quid gloriaris*, *quaſi non acceperis?* Quum enim laudati Patres inde concludant, nobis *in nullo gloriandum*, *quando noſtrum nihil ſit*, evidens eſt, voluntatis aſſenſum ipſum, bonumque gratiæ uſum, non a nobis, ſed a Deo eſſe, adjutorium propterea, quo fit, *ut velimus*, & gratiæ aſſentiamur, ſeipſo eſſe efficax, nam & *bonam* ipſam *voluntatem operatur in nobis*. Quid Daniel? Nihil ſibi ſuiſque hoc Apoſtoli oraculo, ductaque inde Cypriani & Auguſtini argumentatione negotii faceſſi, reponit; neque enim a ſe ipſo habere hominem, docent, voluntatis aſſenſum, & bonum gratiæ uſum, ſed a cooperantis & adjuvantis gratiæ auxilio, ſine quo prævenienti non aſſentitur, nec poſſe hominem in ſemetipſo gloriari. Quid enim, ſi gratiæ congruæ innata ſua libertate aſſentitur? Dei miſerentis fuit, hanc

illi

illi iis in circumſtantiis conferre gratiam, in quibus futurus ejus aſſenſus præſcitus eſt. Num etiam ab alio ipſe ſe homo diſcernit? Num inflari præ alio poteſt? Et alius pariter prævenienti gratiæ præbuiſſet aſſenſum, ſi alterutro modo congrua gratia fuiſſet a Deo donatus. Solius itaque Dei miſericordia hunc quum ab illo diſcreverit, non eſt huic præ illo, niſi in Domino gloriandum.

IV. Verba, verba, prætereaque nihil. Qui conſtanter docent, Deum & hominem duas eſſe pietatis actuum *partiales* cauſas, & gratiæ cooperantis & adjuvantis *voce indicari* ſolum, ut ait Suarez l. 3. opuſc. c. 5. n. 4., *quandam ſimultaneam conjunctionem voluntatis & gratiæ adjuvantis ad eandem actionem, ad quam mutuo cooperari dicuntur, ita ut ſub ea ratione neutra alteram antecedat vel impellat, ſed ſolum ſimul operetur*, qui perſuadere incautis volunt, non habere hominem a ſe ipſo voluntatis aſſenſum, rectumque gratiæ uſum, ſed a cooperante & adjuvante gratia? Nonne conſtans Molinianæ Scholæ decretum, pietatis actum partim a gratia, partim a libero arbitrio eſſe, ſuam propterea libero arbitrio *ſervandam induſtriam atque laudem*? Quidpiam itaque habet homo quod *non accepit*, de quo poteſt, *quaſi non acceperit, gloriari*, induſtriam ſcilicet conatumque, quem nativis ſuis viribus ad pietatis actum ſimul cum gratia confert; ita enim ſuam una cum gratia ad eandem actionem operam adhibet, ut gratia voluntatem *non antecedat vel impellat*, ſeu moveat ac determinet, *ſed ſolum ſimul operentur*, duorum hominum inſtar idem conjunctis viribus opus molientium, pondus e. c. idem geſtantium, vel trahentium eandem navim, ad quod exequendum ut ſinguli pro viribus conituntur, quin alter alteri vires addat, ita extra controverſiam eſt, ſuam cuique eſſe laudem, juſtamque de perfecto opere gloriandi rationem. Quid eſt ergo, quod Cyprianus & Auguſtinus ex Paulo conficiunt, nobis *in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*? Næ illi plus æquo faciles ad concludendum, qui arcanam hanc *de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis &c.* doctrinam ignorarunt.

Quam ridicule vero eludere nititur Daniel, quod ait Apoſtolus, *quis te diſcernit*, ajens, diſcretionem hanc a ſe & a ſuis repeti a gratia cooperante & adjuvante? Non vacat plura perſequi, ut multi faciunt: Stamus ex adverſo, & ad præcludendum omni tergiverſationi aditum preſſe urgemus. Si a gratia iſta vere eſt, quod aſſentiatur homo, eaque bene utatur, jam non ipſe ſe homo, ſed Deus illum a non conſentiente diſcernet. At nec fieri, nec concipi ulla ratione poteſt, id a Deo præſtitum in indifferenti ſolum & verſatili auxilio, cujus totus ſit in effectum, nullus in voluntatem influxus, quod non ſibi *voluntatem ſubdat*, ut ait Suarez l. 3. opuſc. c. 11. n. 7., ſed *potius libero ejus uſui ſubdatur*, in ejuſdem *poteſtate ſit poſitum*, ut ſcribit Leſſius Tract. apolog. de Grat. c. 4. n. 16., *ſubſit liberæ ejus determinationi*, ut docet Chryſtophorus de Orthega Controv. 3. *de Decreto*, diſput. 2. quæſt. 4. Certamine 3. ſed adjutorio ſuapte efficaci, quo *malas* etiam, & non *averſas* ſolum, ſed & *adverſas*, *hominum voluntates*, ut in Enchir. c. 28. loquitur Auguſtinus, *quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit, in bonum miro & ineffabili modo convertit, faciens ex nolentibus volentes &c.* Miro hoc ſane & ineffabili modo non intelligere nullus poteſt, diſcretionis hujus ſolum, ut docet Apoſtolus, Deum auctorem eſſe, qui, ut ibidem continenter addit Auguſtinus, *quum facit, per miſericordiam facit, quum autem non facit, per judicium non facit, quoniam cujus vult, miſeretur*, ad Rom. 9., *& quem vult, indurat, quod ut diceret Apoſtolus, gratiam commendabat .... Altiſſimo quippe ac ſaluberrimo ſacramento univerſa facies, atque, ut ita dixerim, vultus Sanctarum Scripturarum bene intuentes id admonere invenitur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Cæterum quum teſtatiſſimum ſit, Adverſarios adjutorium hoc ſe ipſo efficax, quo vere fieret unius ab alio a ſolo Deo diſcretio, ceu humanæ libertati fatale prorſus explodere, nec tam arcte polipum ad ſaxum, quam ad Molinæ poſitionem eos communiter adhæreſcere, actualem nimirum gratiam, quodcunque illa nomen apud Patres & in Scholis obtineat, indifferentem ſuapte natura eſſe, atque pro arbitrii nutu flexibilem, prævenientem eandem natura eſſe cum adjuvante atque cooperante, nec cooperantem dici, quam a libera, quæ ſupervenit, arbitrii conſenſione, quam nec prævertit, nec efficit, ſed unice comitatur, & ſequitur, nec adju-

juvantem hujuſmodi gratiam reipſa a Deo conferri, niſi quia eidem aſſenſura voluntas hominis ex æternitate prævifa eſt, ſub conditione, ſi hæc illi certis in circumſtantiis fuiſſet oblata, quid eſt, in ejuſcemodi gratia diſcretionis unius ab alio ſummam ponere, omnemque propterea aſſentienti præ diſſentiente gloriationem ereptam affirmare, niſi legentium, qui ſtupidi plane non ſint, patientia abuti? Utut hæc gratia ponatur congrua, voluntatis aſſenſum bonumque uſum non facit, ſed ſupponit, *penderque* ab aſſenſus hujus ex ſola *innata* voluntatis *libertate* futuri præſcientia, tanquam *ex conditione ſine qua non*, ſua itaque ſe voluntate conſentiens a diſſentiente ſecernit. Nam aſſenſum, bonumque gratiæ uſum ab *innata libertate* ſua habet, non a gratia, quam non accipit, niſi quia eadem bene uſurus præcognitus eſt, nec alium in finem accipit, quam ut voluntatis ſuæ jam ad bonum determinatæ & *conantis* ſociam habeat, & adjutricem.

In hac Apoſtoli evidentiſſima intentione, ait præclare Auguſtinus in l. de Prædeſt. SS. c. 5., *dona Dei naturalia ſuſpicari* (preces, deſideria, conatus, diſpoſitiones ex naturæ viribus profectas) *nimis quantum exiſtimo, abſurdum eſt; Numquid enim per hæc dona .... diſcernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit: Quis te diſcernit? & deinde addit: quid autem habes, quod non accepiſti? Poſſet quippe dicere homo inflatus adverſus alterum: Diſcernit me fides mea, juſtitia mea, vel ſi quid aliud*, (preces, deſideria, conatus &c.) *Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, quid autem habes, inquit, quod non accepiſti? A quo niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? Si autem accepiſti, ait, quid gloriaris, quaſi non acceperis? ... Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quam de ſuis meritis* (diſpoſitionibus, conatibus) *ſic quemquam gloriari, tamquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei, ſed gratia, quæ diſcernit bonos a malis, non quæ communis eſt & bonis & malis.* In quodcunque ſe latus Adverſarii vertant, quamdiu non aliud gratiæ genus agnoſcunt, quam ſuopte indifferens & verſatile, humanoque arbitrio ſubditum, cujus non a gratia, ſed ab *innata* hominis *libertate* bonus uſus, ſive aſſenſus eſt, nimium hoc, quod Auguſtinus opponit, abſurdum declinare nunquam poterunt; Urget enim, & in lateribus hærens clamat cum Paulo Auguſtinus: *Quid autem habes, quod non accepiſti?* ſeu nihil habes, quod non acceperis: Bonum itaque liberi arbitrii uſum habes non a te, ſed a Deo: Sua ergo ille gratia facit, ut velis: Eſt ergo *hæc* per ſe efficax, liberi arbitrii domina, bonique motus ejus effectrix, non eidem *ſubdita*, ejuſque motum comitans atque ſequens.

V. Ab ipſo moræ hujus controverſiæ initio refert Alvarez diſput. 97., reſpondiſſe quoſdam, ut a permoleſto hoc Pauli teſtimonio ſe expedirent, nihil in juſtificatione noſtra eſſe, quo ab alio diſcernimur, quod a nobis ſit, & non ſimul, & maxime a Deo donis auxiliiſque ſuis actus noſtros ſupra naturæ ordinem evehente; quidquid enim in juſtificatis eſt, totum eſt Dei donum natura ſuperius, ſive ii libertate ſua cooperentur, ſive non: jure propterea dixiſſe Paulum, *quis te diſcernit?* ceu nimirum donorum, quibus aliis præſtas, & ab iiſdem differs, auctor, & cauſa *præcipua*, concedendum tamen, quidpiam in juſtificatis ſupra naturam eſſe, eoſque ab impiis ſecernens, quod non *ſimpliciter*, ſed qua a libero arbitrio tanquam a partiali cauſa procedit, & proprius ejuſdem concurſus eſt, ad innatam ejuſdem arbitrii libertatem referendum ſit, non ad Deum, niſi ut naturæ auctor eſt, a quo libertate donati ſumus, ut bonum ſimul cum eo vellemus atque ageremus, ſicque ex iis, quæ in noſtra ſunt poteſtate, laudem nobis pareremus & meritum, nec repugnare Apoſtolum; Ea enim de cauſa, qui juſtificatur, poſtque acceptam juſtitiam gratiæ cooperans ejuſdem ſibi commeret incrementum, laude dignus eſt, & honore, & corona juſtitiæ, quam illi juſtus Judex in ſempiterna felicitate retribuet.

„ Hæc tamen explicatio (pergit Alvarez) nec verbis Apoſtoli, nec doctrinæ videtur Auguſtini congruere. Apoſtolus enim non ſolum docere intendit, „ Deum eſſe cauſam *præcipuam*, quæ per „ ſuam gratiam juſtificatos ab impiis, & „ prædeſtinatos diſcernit a reprobis, ſed „ integram & totalem, ad quam debet „ tamquam ad primam radicem revocari, „ quidquid juſtum diſcernit a peccatore, „ quod aperte oſtendunt verba illa, *quid* „ *habes?* Quum enim conſenſus ſeu bo-

„ nus

„ nus uſus arbitrii, etiam ſub ea ratione,
„ qua ab illo emanat, conſideratus, qua
„ ratione *cooperatio* ejuſdem dicitur, vere
„ ſit *aliquid*, relinquitur, quod etiam ſub
„ ea ratione ſit acceptus a Deo, & con-
„ ſequenter ſecundum mentem Apoſtoli
„ ſit in ipſum Deum (quia efficaci ſua
„ gratia vere facit, hominem libere coo-
„ perari) reducendus, & non in ſolam
„ innatam ejuſdem arbitrii libertatem.
„ Præterea: Nam alias Apoſtolus non di-
„ xiſſet abſolute, & ſine ullo addito,
„ *quis te diſcernit ?* ſed addidiſſet, quis
„ te diſcernit, tamquam cauſa principa-
„ lis, & auctor præcipuus ? Si enim ju-
„ ſtus per influxum proprium ſui arbitrii
„ cum gratia excitante, quam non acce-
„ pit a Deo, nec ab adjutorio illius tan-
„ quam a cauſa proprie efficiente, ſeipſum
„ minus principaliter diſcernit ab alio,
„ reſpondere utique potuiſſet Apoſtolo :
„ Influxus liber mei arbitrii me diſcernit,
„ quamvis minus principaliter, ac per
„ conſequens gloriari potero quantum ad
„ illum influxum in me ipſo, & non in
„ Deo, quod tamen menti & verbis Apo-
„ ſtoli repugnare videtur. Et idem doce-
„ re intendit Auguſtinus loc. cit., quod
„ etiam colligi poteſt ex aliis ejus teſti-
„ moniis, “ ex eo præſertim, quod a
Cypriano dictum eximie probat, premit-
que non ſemel : *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.*

Celebre illud Auguſtini teſtimonium ex Ench. c. 32. addit ibidem Alvarez, quo ad diſſolvendum hoc Adverſariorum reſponſum nihil validius. Quidpiam enim ſimile ipſe ſibi obiicit Auguſtinus, ex miſericordia nimirum Dei, & ex voluntate hominis conſenſum, & bonum opus exiſtere, quod Pauli verbis ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, nervoſiſſime refutat. Verum quum ad hoc idem, quod agimus, perſequendum Prælect. III. *De gratia in operantem & cooperantem diviſione* n. 11. illud urſerimus, eo miſſo, ſubjicimus, quæ habet D. Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. ad 2. perpetuam Auguſtini doctrinam in pauca compingens. *Si gratia operatur in nobis*, ſic ille ſibi opponit, *maxime operatur in nobis juſtificationem, ſed hoc non in nobis operatur ſola gratia; Dicit enim Auguſtinus* tract. 72. in Jo., & ſerm. 15. de Verbis Apoſt., *Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te : ergo nulla gratia dici debet ſimpliciter operans*, quod argumentum e veſtigio ſic diluit : Dicendum, *quod Deus non ſine nobis nos juſtificat, quia per motum liberi arbitrii, dum juſtificamur, Dei juſtitiæ conſentimus. : ille tamen motus*, (nempe conſenſus) *non eſt cauſa gratiæ ſed effectus; unde tota operatio pertinet ad gratiam*. Quantum itaque a D. Th. doctrina alienum eſt, ponere bonum liberi arbitrii uſum, & gratiæ conſenſum ab innata voluntatis libertate, etiamſi *minus principaliter*, eſſe, quum *totam operationem* Thomas poſt Auguſtinum, ambo autem divini eloquii auctoritate freti, *ad gratiam pertinere*, & voluntatis conſenſum ipſum gratiæ non cauſam, ſed effectum eſſe decernant !

VI. In altero Danielis reſponſo convellendo parciores erimus. Tametſi Dei miſerentis fuiſſe dicatur, Petrum e. c. iis in circumſtantiis gratia congrua donare, non Judam, in quibus conſenſurus præcognitus eſt ille, non iſte, quo tamen a Juda Petrus vere diſcretus eſt, bonus gratiæ uſus, & voluntatis aſſenſus, unde profectus ? Annon ab *innata* Petri *libertate* ? Nonne, quod hunc ſub conditione futurum Deus ſcientia media præviderit, *ea de induſtria media ſelegit, eoque tempore & modo contulit, quo effectum infallibiliter habitura*, prænovit ? Quæ a Deo jactantur *de induſtria ſelecta, media* annon ſeipſis indifferentia, mollia, & tota ad obſecundandum liberæ Petri determinationi præcognitæ comparata ? *Effectus*, quem *infallibiliter habitura* dicuntur, nonne ideo a Deo certo *præſcitus*, quia pro *innata* Petri *libertate certo futurus*, non autem contra futurus, quod illum Deus & præſciendo prædefinierit, & prædefiniendo præſcierit ? Inaniter itaque & falſo a Dei miſericordia Petri a Juda diſcretio repetitur, quæ primo & præcipue eſt ab innata Petri libertate media a Deo de induſtria ſelecta, in eam, quam ipſe vult, partem ducentis, ſeu ad certum effectum determinantis. Quid vero ſi Deus hæc media Petro non Judæ eo modo & tempore contulit, quo ea præſenſit congrua fore, ſeu efficacia ? Ipſene iccirco diſcretionis hujus ab illo præcipuus auctor, & vera cauſa ? Si quæ de induſtria ſelegit, media, contulitque Petro, non Judæ, ejus naturæ atque virtutis ſint, quæ effectum certo inferant, & ſuapte vi efficiant, ut Petrus a malo reſiliat, & bo-

num

num velit, idem periude effectura, ſi & Judæ collata fuiſſent, erit ad Deum profecto diſcretionis hujus gloria referenda tanti operis unum verumque Auctorem: Secus autem qui dici poterit, diſcreviſſe Petrum a Juda? Neſcimus ſane, quid ad preſſum hoc argumentum ſolidi reponi poſſit. Petrus a Juda diſcretus eſt, non quod verſatili auxilio donatus fuerit, ſed quod ei conſenſerit, eoque bene uſus fuerit: Conſenſus ille, & bonus uſus ab *innata* ejus *libertate*, non a gratia, non ab adjunctis modi, loci, temporis &c. fuit: Innata itaque libertate ipſa ſe a Juda diſcrevit. Rurſus: Nequit cauſæ effectus, niſi ridicule, adſcribi, in quem reipſa non influit, ſeu quem vere non efficit: Conſenſum, bonumque gratiæ uſum, in quo tota poſita eſt Petri a Juda diſcretio, gratia Dei non efficit, ſed ſupponit: Perperam itaque Petri a Juda diſcretio Deo refertur accepra. At, nonne integrum, ajunt, maxime Deo erat, alterutrum in opportunis iis rerum, temporum, locorumque adjunctis locare? Scilicet: Nonne itaque, regerunt, inſignis Dei miſericordiæ fuit, in hoc præ illo potius beneficium ponere? Alibi, quum ſcilicet de Prædeſt. ſermo eſſet, argumento huic occurrimus. Nunc ſtrictim: Aut hæc temporis, loci &c. adjuncta, vel indoles, temperatio, affectiones &c. a quibus *congrua* dicitur gratia, quidquam ad Petri converſionem momenti afferunt, aut nihil: Si nihil, ridiculum eſſet, hunc adjunctorum delectum in eximiis Dei beneficiis numerare, & ſingularis adverſus Petrum miſericordiæ loco habere: Si aliquid; quum hæc itaque omnia adjuncta intra naturæ ordinem eſſe, nemo ſit, qui diſſentiat, jam erit in quidpiam mere naturale Petri a Juda diſcretio in negotio ſalutis, quod omnino ſupra naturam eſt, conferenda, quod abſurdum ferrei ſtomachi ſit, oportet, qui concoquere poſſit.

VII. Neque tamen cadit animo Daniel, nam ſibi videtur Auguſtinum ipſum congruæ hujus gratiæ habere Patronum. Itane? Ita ſane; l. enim 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ſcribit: *Quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt; illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei . . . Igitur non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem . . . Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur . . . Illi electi, qui congruenter vocati, illi autem, quia non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati . . . Etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis aptum eſt, ut ſequantur . . . Cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat . . . . Quum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res ſæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, in qua Jacob juſtificatus eſt?* Annon eadem Auguſtinus, quæ Suareſii Diſcipuli? Huc etiam quadrat, quod in l. de dono Perſever. c. 4. tradit: *Ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligendi, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.*

Audire non pigeat Danielem in his impenſe exultantem, & velut egregie confecta re triumphantem. „ Ponderandæ „ ſunt, (ſcribit epiſt. 9. ad Nar. Alex.) „ attentius hæ S. Auguſtini voces: *Eum* „ *ſic vocat, quomodo ſcit congruere, ut* „ *vocantem non reſpuat*; Neque enim hanc „ vim & ſententiam præſeferunt, ut Deus „ in indole ac natura gratiæ per ſe ſpe„ ctatæ cognoſcere intelligatur effectum, „ quem eſt habitura, quin pariter cogno„ ſcat, quomodo ſit hujus hominis liber„ tati congruens, & accommodata . . . „ Iſta gratiæ convenientia, proportio, & „ quædam quaſi homologia exprimitur „ hac voce *congruere*, cujus ea vis eſt, ut „ ſignificet, Deum accommodare gra„ tiam libertati hominis, & aptare, ita „ ut ejus conſenſum impetret, quod co„ gnoſcit ex eo modo, quo gratiam „ aptat, componit, accommodat, *quomo-* „ *do ſcis congruere*, conſiſtitque ille mo„ dus in bonis, quas illi ſubjicit, cogita„ tionibus, appoſitis ad circumſtantias, „ in quibus eum colluſtrat, ac movet, e. „ c., quum adverſo aliquo caſu, repenti„ na aliqua calamitate perculſus res ter„ renas faſtidire incipit, quum luctuoſa „ contubernalis alicujus . . . morte atto-

„ nitus

„ nitus trepidat, quum levius urunt ani-
„ mum cupiditatum faces, aut penitus
„ etiam reſtinctæ ſunt. Si gratiam hanc
„ alio tempore, loco, rerum ſtatu alio
„ imperet, careret illa congruitate, conve-
„ nientia, & proportione, ex qua ſuſpen-
„ ſum, aptumque illius effectum eſſe,
„ Deus per ſcientiam conditionalium com-
„ perit. Patet igitur, quæ ſit S. Auguſti-
„ ni mens, ac facile intelligitur, eum ef-
„ ficaciam gratiæ non poſuiſſe in præde-
„ terminatione phyſica, ſed in gratiæ
„ convenientia, & conſenſu, cum libero
„ arbitrio, quem certis in circumſtantiis
„ futurum Deus novit, in aliis non futu-
„ rum. “

VIII. Quam in libris poſt exortam Pelagianam hæreſim editis Auguſtinus perpetuo tradidit, doctrinam, qui probe callent, eumne fere moderate poſſunt, a Daniele in excogitatæ a Suareſio gratiæ congruæ Patronis haberi? Quum Franciſcus Card. Toletus ſpectatiſſimus e Soc. Scriptor annot. 54. in c. 5. Lucæ diſerte affirmet, *in hac*, quam & ipſe *probat*, doctrina *totum eſſe Auguſtinum*, *rationem* ſcilicet *aut tempus vocationis* &c. *non referri debere in hominis arbitrium*, *ſed in Dei beneplacitum*, *cui ſic viſum eſt*, *ſicque diſpoſuit*, ... *non expectare Deum arbitrium noſtrum*, *quia ſua gratia ipſum excitat*, *ipſique dat velle*, *& perficere*, *& qui etiam rebelles convertit*, *& compellit ad ſe voluntates*, quis malit, Danieli, quo ſuam ſuorumque cauſam utcunque ſuſtentet, vana cujuſque generis momenta undelibet corradenti, & magno verborum apparatu jactanti fidem adjungere, quam Toleto veritatem domeſticis placitis anteferenti, eamque petitis ex Petro & Andrea, ex Paulo, & Matthæo exemplis confirmanti, quos tunc a Chriſto vocatos adnotat, quando *opus*, *cui incumbebant*, *majus afferebat* vocationi *impedimentum*, vocatique *minus ad obſequendum parati erant*, *ut in hoc virtus vocantis magis clareſceret*, *& magnitudo gratiæ revelaretur*, *minuſque homo poſſet de ſua virtute*, *meritiſque præſumere*?

Verum Auguſtini teſtimonio ex l. 1. ad Simplic. quid facias? Eſt enim illud luculentius, quam ut ulla poſſit tergiverſatione eludi. Danielis primum prudentiam, ſolidæque critices peritiam deſideramus: Inter hujus autem regulas nonne hæc ſapientum omnium judicio maxime recepta eſt, germanum Auctoris ſenſum non inde petendum, ubi rem obiter & perfunctorie, & velut aliud agens, ſed ubi eandem meditato, & dedita opera pertractavit, totumque in refellendis adverſariis ſtudium poſuit? Ad hanc regulam de priſcis divinorum eloquiorum Catholicis tractatoribus dirigendum judicium Auguſtinus ipſe monuit in l. de Prædeſt. SS. c. 14. ajens: *Quid ergo opus eſt*, *ut eorum ſcrutemur opuſcula*, *qui priuſquam iſta hæreſis oriretur*, *non habuerunt neceſſitatem*, *in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari*, *quod proculdubio facerent*, *ſi reſpondere talibus*, *cogerentur*? *Unde factum eſt*, *ut de gratia Dei quid ſentirent*, *breviter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis*, *& tranſeunter attingerent*, *immorarentur vero in eis*, *quæ adverſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant* &c. Ad eandem hanc regulam exigenda, quæ ante Pelagianæ hæreſeos ortum ipſemet ſcripſerat, docet in l. de dono Perſever. c. 11., & alibi; quare, quum duos ad Simplicianum libros *Epiſcopatus* ſui *initio*, *antequam Pelagiana hæreſis appareret*, a ſe editos teſtetur ipſe in l. de dono Perſev. c. 21., ſcite ne prudenterque Daniel inde teſtimonium arceſſit ad convellendam, quam in tot iis, quibus eandem hæreſim, ortamque ex ea Semipelagianam ad obitum uſque exagitavit, & gratiæ ſuapte efficacis ac victricis energiam, & ad ſingula pietatis opera neceſſitatem conſtantiſſime aſſeruit, libris doctrinam tradidit Auguſtinus? An & ignorare Daniel potuit Cl. Bellarmini de iiſdem his ad Simplic. libris judicium? Ecquod illud? *Auguſtinus*, ait l. 2. de Grat. & lib. arb., *quum* ſcripſit *libros ad Simplicianum*, *adhuc juvenis erat*, *neque multa invenerat in hac difficillima quæſtione*, *quæ poſtea majori diligentia inveſtigavit*, factaque nonnullorum, quæ ad Paulinum, & Sixtum, cum iis, quæ ad Simplicianum ſcripſerat, contentione, ſubdit: *Vides*, *quantum aliter ſapiat Auguſtinus ſenex*, *& Auguſtinus juvenis*? *Nam ſenex ſcripſit ad Paulinum*, *& Sixtum*, *juvenis ad Simplicianum*. Licet autem & in l. de Prædeſt. Sanct. c. 4. & in l. de dono Perſever. c. 21. Auguſtinus ipſe aperte ſignificet, & *in poſterioribus primi* ad Simplic. libri *partibus* ſe palam profeſſum eſſe, *gratiam non ſecundum merita dari*, *etiam initium fidei eſſe donum Dei*, *& perſeverantiam*

uſque in finem nonniſi ab eo donari, *qui nos prædeſtinavit in ſuum regnum & gloriam*, quæ capita præcipuis Pelagian. & Semipelagian. directe adverſantur erroribus, nequit inde tamen, inferri, probaſſe illum univerſim ac abſolute, quæcunque in iis ſcripſerat. Præterquamquod enim ſecus illum de gratiæ natura, & vocatione Dei *ſecundum propoſitum* in libris adverſus Pelagianos poſtea editis ſenſiſſe, tot illa manifeſtiſſime probant, quæ ſunt a nobis recitata identidem, teſtimonia, loco mox cit. & l. de dono Perſev. fatetur ingenue, in iis ad Simplic. libris nonnulla ab ſe poſita, quæ jam minus probaret; Pergit enim: *Propterea nunc facio libros*, *in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi*, *ut nec me ipſum in omnibus me ſeverum fuiſſe*, *demonſtrem*, *ſed proficienter me exiſtimo*, *Deo miſerante*, *ſcripſiſſe*, *non tamen a perfectione cæpiſſe*.

Priuſquam ſecundo reſpondeamus, ad amputandas quaslibet verborum ambages, & ſubmovenda omnia, ex quibus tricandi ſumi poſſet, & cavillandi anſa, cum doctiſſimo Alvarez diſp. 83., ut ratum ponimus, conſentire omnes *præoperanti* efficaci gratiæ præire moralem, quæ per modum ſuadentis eſt, motionem, qua res objecta homini opponitur tam congruenter, ut amabilis, & voluntati conveniens videatur, quo propterea fit, ut in eam voluntas moraliter inclinetur, ſeu alliciatur, & quaſi invitetur, ut illam velit. Cæterum, quum viatoris hominis voluntatem a nulla re objecta moveri efficaciter poſſe, doceat probetque D. Thomas 1. p. q. 106. ar. 2. in corp., ſola iccirco morali motione, utut perfecta, voluntatis aſſenſio certo, & ut loquuntur, infallibiliter, nequit induci; quare petenda aliunde futuri conſenſus certitudo: *Suaſio enim non cogit invitum*, ut ex Auguſtino docet Angelicus q. 3. *de malo* ar. 3. in corp. Secundo ſtatuimus ut exploratum, efficacem gratiam omnium pariter conſenſione congruam eſſe, qua ita permoveatur voluntas, ut certiſſime attingat aſſenſum præſtet; quum enim Deus attingat a fine uſque ad finem fortiter, & ſuaviter diſponat omnia, ſi voluntatem ad conſentiendum efficaciter movet, congrue movet, & ut voluntatis naturæ eſt conſentaneum; quare ajebat D. Thomas 1. 2. q. 10. ar. 4., *quod magis repugnaret divinæ motioni*, *ſi per eam voluntas neceſſario moveretur*, *quod ſuæ naturæ non competit*, *quam ſi moveretur libere*, *prout congruit ſuæ naturæ*. Controverſum autem maxime, unde hæc gratiæ congruentia repetenda, num eam ſcilicet ſecum afferat adjutorium, quod efficax dicimus, ita ut cuicunque, quandocunque, ubicunque tribuatur, congruum ſe ipſo ſit, aptumque ad permovendam efficaciter voluntatem, an vero extrinſeca illi ſit hæc congruentia, nec eam innatam habeat, ſed ab extraneis mutuetur adjunctis, pro quorum varietate ita & variari illud contingat, utque huic congruit motio, illi non congruat, item, quæ huic hic, nunc &c. congrua eſt, alio tempore & loco; alio rerum ſtatu, ut loquitur Daniel, congrua eidem non ſit.

Scripturarum teſtimoniis, Auguſtini & Thomæ auctoritate, & ſolidis rationum momentis late demonſtrat ibidem Alvarez *præoperantis* gratiæ auxilium efficax, ipſa ſua vi, & congenita perfectione, qua divinæ omnipotentiæ & conſequentis voluntatis eſt inſtrumentum, *congruum* eſſe ad movendas efficaciter, quorum Deus voluerit, quando, & ubi voluerit, hominum voluntates, neque hanc ejus congruentiam ex naturali hominum, quibus tribuitur, indole &c. vel loci, temporis &c. adjunctis pendere, neque pro eorum differentia mutari. Quum ſatis hoc idem nobis jam effeciſſe videamur tot iis momentis, quibus phyſicam, ac intrinſecam, ut vocant, auxilii hujus efficacitatem adſtruximus, non ſunt nobis repetenda, quæ diximus. Incumbendum unice ad oſtendendum, nec in eo, qui ex libris ad Simplic. profertur, loco Auguſtinum ab ea, quam poſtea perpetuo tenuit, ſententia diſceſſiſſe. Quod Auguſtinus ait, Deum *ſic eum*, *cujus miſeretur*, *vocare*, *quomodo ſcit*, *ei congruere*, *ut vocantem non reſpuat*, Noſtrates cum eodem Alvarez diſp. 7. n. 28. communiter explicant, optime Deum noſſe gratiæ ſuæ vim atque efficientiam, qua occulte quoſdam ita vocat, ut vocando convertat, obſequenteſque faciat, ſicque vocatos ſecuturos videre, quia vocando facit, ut ſequantur, ſcitque dona & beneficia ſua, quibus nos dignatus eſt, liberare, ut Auguſtinus ipſe fatetur in l. de Prædeſt. Sanct. c. 9. 10. 12. & 19., necnon in l. de dono Perſev. c. 17. 18., 21. & 24., *prædeſtinatione* videlicet *ſua Deum præſcire*, *quæ eſt ipſe facturus*. Hæc eſſe ad Au-

Auguſtini mentem plane exacta, ea demonſtrant, quibus ipſe ſecundam, unde ab Adverſariis teſtimonium, quod excutimus, promtum eſt, quæſtionem ad Simplic. abſolvit: *Quis habet in poteſtate*, ait, *tali viſo attingi mentem ſuam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in poteſtate, ut vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet, quum occurrerit? Quum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro, & induſtria, aut meritis comparatur, quia, ut ſit nutus voluntatis, ut ſit induſtria ſtudii, ut ſint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur*. Ad hæc debuerat Daniel oculos animumque transferre, hincque intelligere, ſi divina gratia præſtatur, ut vocatio ipſa delectet, eadem divina gratia præſtari, ut vocatio ſit congrua, nec enim delectat, niſi quia congruit, ab ipſa propterea vocationis congruentiam eſſe, non ab ejus cum vocati indole &c. proportione &c., vel a temporis, loci, aliiſque ejuſmodi adjunctis; item ſi Deus *tribuit*, ſi *largitur*, *ut ſit nutus voluntatis, ut ſit induſtria ſtudii*, &c., gratiæ collationem non ex futuri boni uſus liberi arbitrii, ejuſque *conatuum, diſpoſitionis, deſideriorum præſcientia pendere, tanquam ex conditione ſine qua non*, neque in negotio ſalutis ſuam libero arbitrio *innata libertate* gratiam determinanti *ſervandam induſtriam atque laudem*, ſed *totum*, ut Auguſtinus perpetuo docet, *Deo dandum*, qui *tribuit* & *largitur*, *ut ſit nutus* ipſe, ſeu *aſſenſus voluntatis*, *ut ſit induſtria ſtudii* &c.

IX. Neque ex l. *de dono Perſev.* illud objeciſſet Daniel, ſi ad ſequentia animum attendiſſet; Ibi enim Auguſtinus ea præmittit, quæ & nos cum Alvarez primo loco poſuimus ut explorata, oportere ſcil., ut homini qui invitatur ad fidem, credenda proponantur, & exterioribus idoneis argumentis intellectui ſuadeantur, ideoque ut phyſicam præoperantis gratiæ actionem, moralis, quæ, ut cum D. Thoma Alvarez docet, *ex parte propoſitionis objecti requiritur ad fidem*, motio prævertat. Hacne vero ſola morali motione effectum iri cenſuit Auguſtinus, ut Tyrii & Sidonii crederent, ſi apud eos talia fuiſſent facta, quæ alibi fecerat Chriſtus? Nonne & alterius, quam nos phyſicam dicimus, & ſeipſa efficacem, motionis neceſſitatem ibidem apertiſſime adſtruxit? Satis eſt, integrum, unde, quæ voluit, exſcripſit Daniel, ejuſdem teſtimonium exhibere. *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus daturus erat, ut crederent? . . . Quæ utique ſi præſcivit, profecto beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſcivit. Hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud ſcilicet, niſi præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur. Cæteri autem ubi, niſi in maſſa perditionis juſto divino judicio relinquuntur? Ubi Tyrii relicti ſunt, & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent. Sed quoniam, ut crederent, non erat eis* (ad hæc mentem advertat Daniel) *datum, etiam unde crederent, eſt negatum. Ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem* (moraliter nempe), *ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba vel ſigna conſpiciant: Et tamen*, (cur hæc Daniel prætermiſit etſi continenter adjuncta?), *ſi Dei altiore judicio, a perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent utique talia, vel viderent. In eadem perditionis maſſa relicti ſunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conſpectu ſuo magnis clariſque virtutibus . . . . Quum tanta ſigna feciſſet coram eis, non crediderunt in eum*, Jo. 12. . . . . . *Et ideo non poterant credere, quia . . . . dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum . . . Non erant ergo ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidiſſent, ſi qualia viderunt iſti, ſigna vidiſſent: Sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædeſtinati non erant . . . . nec iſtis obfuiſſet, quod non poterant credere, ſi ita prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Dominus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. Verum, quod dixit Dominus de Tyriis & Sidoniis, alio modo poteſt fortaſſis intelligi: neminem tamen venire ad Chriſtum, niſi cui datum fuerit, & eis dari, qui in illo electi ſunt ante conſtitutionem mundi, procul dubio confitetur, a quo non ſurdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur*. Si hæc nedum Danieli

ſunt ſatis, legere pergat, quæ Auguſtinus ex litteris ſacris & ex Cypriano ad finem uſque capitis copioſe perſequitur; nihil enim iis validius cum ad explodendam ſcientiam mediam; hujuſque appendiculam gratiam congruam Suareſianam, tum ad conſtabiliendam prædeſtinationem omnino gratuitam, ejuſque beneficium ſeu effectum, gratiam ſeipſa efficacem, quæ non deſcribimus, quod ſint a nobis alias opportune verſata.

PRÆLECTIO XI.

In quo germana gratiæ natura ſua victricis & efficacis notio figenda.

I. SI quod vere ſentimus, libere proferre licet, viſa nobis ſemper eſt quæſtio iſta nullius neceſſitatis, nullius etiam, aut ſaltem pertenuis utilitatis; Auguſtini enim & Thomæ Diſcipuli annon ſatis habere debent, ad utriuſque Doctoris ſententiam firmiter adhæreſcere, perſuaſumque, quod ab utroque perpetuo traditum eſt, conſtantiſſime habere, adjutorium, de quo agimus, ſuapte natura, ut non ſemel explicavimus, eſſe efficax, hancque ejus efficacitatem & vim, non a ſola Dei præſcientia, non ab humanæ voluntatis aſſenſu, non ab exterioribus loci, temporis, aliiſque hujus generis opportunis adjunctis eſſe, ſed a Dei omnipotentia, cujus eſt inſtrumentum, & abſoluto voluntatis ejus propoſito, cui, quominus faciat, quodcunque voluerit, nullum humanum reſiſtit arbitrium? Quorſum præterea laborandum in eodem hoc adjutorio ad vivum tenuujus reſecando, einſdemque penitus diſquirenda natura, quod Metaphyſici verius eſt, quam Theologi? Quoniam autem labor iſte pleriſque placet, quibus ſatis plane non feceris, niſi & hanc, quam deſiderant, notionem diligentius excuſſeris & evolveris, gerendus & illis mos, variiſque expoſitis, quæ inter efficacis gratiæ Patronos feruntur, opinionibus, quæ nobis verior, & ad Sanctorum Auguſtini & Thomæ mentem propius videtur accedere, deſignanda.

II. Ut in aſſerenda phyſica, ac intrinſeca gratiæ efficacitate, & refellendis Molinianorum placitis mira in Auguſtini & Thomæ Schola conſenſio, ita diſſidium multum in definienda efficacis hujus adjutorii intelligentia. Quidam, ut memorat Jo. a S. Thoma, efficax adjutorium in ipſa Dei voluntate ac decreto conſtituunt, quin phyſicam ullam voluntati noſtræ mutationem reipſa inferat: Alii, tametſi phyſicam aliquam factam divinitus in voluntate immutationem, qua divinum decretum quaſi executioni mandetur, admittant, in hujus tamen mutationis & natura & neceſſitate explicanda non conciliunt; Nonnulli enim, phyſicam licet voluntatis mutationem fieri a Deo poſſe, non abnuant, neceſſariam illam tamen non ſemper eſſe, contendunt; ſed moralem quandoque ſufficere: Qui autem contra phyſica aliqua mutatione opus abſolute eſſe, opinantur, hi quoque in hac definienda diſſentiunt, eam enim nonnulli collocant in ipſis voluntatis *indeliberatis* actibus, quatenus cum deliberatis connexi ſunt, aut etiam in ejuſdem actibus liberis ſive deliberatis, ſi primum ejus actum liberum eſſe, contingat: alii communius in actuoſa impreſſione, ſive motione a Deo ipſo *immediate* profecta, qua determinatur applicaturque voluntas, ut actu velit & agat. Recentiorum aliqui putant, actualem gratiam ipſam eſſe Dei voluntatem atque miſericordiam intime nobis præſentem, & gratuito in nobis, quæ ſalutaria ſunt, operantem. Percelebris denique eorum opinio, qui gratiam hanc in delectatione victrici, ſeu caritate, quæ contrariam ſuperat cupiditatem, quæque ſuos habet gradus, conſtituunt.

III. Quamquam ex dictis perſpici ſatis, poſſit, quæ nobis ſententia probetur, quo apertius tamen & clarius rem propoſitam exequamur, ſingulatim de recitatis opinionibus dicendum eſt. Voluntatem hominis *moraliter* a Deo moveri, extra controverſiam ponimus. Lege enim, doctrina, exemplis, ſuaſionibus, adhortationibus &c. quæ omnia ad moralem motionem pertinent, nos a Deo excitari, invitari, & ad bonum allici, in Scripturis, & Auguſtino teſtatiſſimum eſt, nec renuebat Pelagius totum hoc confiteri, quemadmodum idem Auguſtinus in l. *de gratia Chriſti* c. 7. & 10. commemorat. Id tamen Deo ceu primæ atque univerſaliſſimæ cauſæ, quæ, & voluntatis noſtræ & libertatis ejus eſt radix, peculiare eſſe, decernimus, voluntatem ipſam inclinare, præparare, convertere &c. motione, quæ a morali reipſa differat, quam phyſicam dicimus ac effectricem. Sane ut gratia efficax ſit atque vi-

victrix, præter ſuavitatem atque delectationem, quæ ex congrua rei objectæ propoſitione exiſtit, oportere, ut Deus voluntatem ipſam efficienter moveat, ac inclinet, docet expreſſe Auguſtinus in l. *de Spiritu & litera* c. 3. ajens : *Quum id, quod agendum, & quo nitendum eſt, cæperit non latere, niſi etiam delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur : Ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum S., qui datus eſt nobis*. Hujus teſtimonii vis erit paulo infra latius excutienda, ut & aliorum quæ ad hoc idem confirmandum recitabimus. Dei quoque proprium eſſe, voluntatem non *moraliter* ſolum, quod facere & quælibet res creata poteſt, ſed efficienter movere ſive phyſice, tradit & D. Thomas 1. p. q. 105. ar. 4. inquiens : *Voluntas movetur ab objecto, quod eſt bonum, & ab eo, qui creat virtutem volendi. Poteſt autem voluntas moveri ſicut ab objecto a quocunque bono, non autem ſufficienter, & efficaciter, niſi a Deo*, quod & alibi non ſemel inculcat : Si ergo Dei ſolius, ceu voluntatis hominum Auctoris, eſt præter eam, quæ creato omni bono communis eſt, qua ſcilicet res objecta proponitur, motionem, aliter, nimirum *ſufficienter & efficaciter* voluntatem permovere, non *moraliter* ſolum voluntatem movet, ſed & phyſice ac efficienter.

IV. Hoc præmiſſo, jam in varias, quas memoravimus, veterum ac recentium Theologorum ſententias inquirendum; ac primæ quidem, eorum nempe, quibus gratia efficax nihil eſt aliud præter ipſum Dei decretum ac voluntatem, cui gemina eſt recentiorum, Braduardini, Eſtii, Tiphanii, aliorumque opinio, eam in miſericordia Dei intime nobis præſente, & gratuito in nobis, quæ ſalutis ſunt, operante collocantium, falſitas revinci facile poteſt. I. Auguſtinus divini hujus auditorii efficacitatem explicans, operari Deum ait intus in cordibus noſtris, inclinando voluntates hominum, quocumque voluerit : Qui autem id intelligi poteſt, niſi quidpiam extra ſe operetur, niſi reipſa voluntatem immutet, auferens primitus duritiam cordis, ne ſua ab ullo duro corde gratia reſpuatur? Quum etiam idem ſcribat, nos quidem facere, ſed Deum facere, ut faciamus, quippe qui facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes, qui poſſunt hæc ad ſolum æternum Dei decretum, ad ſolam ejus intime nobis præſentem miſericordiam abſque ulla voluntatis, in qua gratuito ſalutaria operari dicitur, immutatione referri? Ita enim in nobis operatur, ut non ſine nobis operetur; facit enim ex nolentibus, repugnantibus, oppugnantibus volentes, conſentientes, amantes : Nolentium itaque, repugnantium, oppugnantium voluntas altera facta ſit, oportet, & ab eo, qui omnia, quæcunque vult, invictiſſime facit, vere immutata. Non recte itaque gratia efficax in ſolo Dei decreto, ac intima miſericordiæ ejus præſentia abſque exteriori ullo ejuſdem effectu locatur. II. D. Thomas 1. 2. q. 110. ar. 2. gratiam actualem, qua movetur homo, ut aliquid cognoſcat, velit, aut operetur, *gratuitum effectum* vocat, non ſtabilis qualitatis, ſed tranſeuntis motionis aut impreſſionis inſtar : aliud eſt itaque a Dei decreto, voluntate, ac miſericordia intime nobis præſente, ut effectus a cauſa. 3. Quis concipiat, æternum Dei decretum quidpiam tempore exequi, niſi extra ſe quidquam efficiat? Si ergo Deus ex æternitate decrevit, impium ad probitatem e. c., incredulum ad fidem converti, qui poteſt eo, quod ipſe definivit tempore, id impleri atque perfici, niſi decreto, voluntate, ac miſericordia ſua ita voluntatem immutet, ut fiat homo ex non credente fidelis, ex irreligioſo ac impio religioſus & pius? Neque enim quum novi quid agit, mutatur Deus, ſed illud ſolum mutari certum eſt, quod agit, aut in quo agit; ſi nulla ergo in humana fit voluntate mutatio, nulla eſt æterni Dei propoſiti executio : non eſt itaque gratia efficax ſolum Dei decretum &c., niſi forte quis voluntatem, miſericordiam, & dilectionem Dei æternam gratiam *increatam*, ut illam D. Thomas vocat, quæ Deus ipſe eſt, animo complectatur; at non eſt de hujuſmodi, ſed de gratia creata quæſtio, cujus notio diſquiritur.

V. An vero Recentiores ii, quos memoravimus, quorum opinionem eandem eſſe ſtatuimus, ac eorum, qui efficacem gratiam in ſolo Dei decreto ac voluntate abſoluta conſtituunt, reponent, non in ſola Dei miſericordia intime nobis præſente, ſed & gratuito in nobis, quæ ſalutaria ſunt, operante gratiam efficacem ab ſe poni? Verum occurrimus & percontamur :

an

an efficax hæc gratia bonum in nobis ſine nobis, an & nobiſcum gratuito operetur? Si primum: divinæ itaque miſericordiæ intime nobis præſentis operatio non alia, quam indeliberati ipſi voluntatis humanæ actus, puta ſubita mentis illuſtratio, & ſubita erga propoſitum bonum voluntatis affectio: ſi alterum: jam deliberati ſeu liberi voluntatis actus erunt ipſa divinæ miſericordiæ operatio: Gratia ergo efficax, quam volunt, ipſam eſſe Dei miſericordiam intime nobis præſentem, gratuitoque operantem in nobis, in ipſis ſita erit indeliberatis, aut deliberatis actibus voluntatis, cui Dei miſericordia intime adeſt, & intra quam operatur, nec jam bonum opinio ab ea differet, quæ ut n. 11. monuimus, in ipſis indeliberatis, aut etiam deliberatis voluntatis humanæ bonis actibus efficacis gratiæ notionem ſtatuit. Non eſt autem, ut opinionem hanc iterum refutemus; Prælect. enim III. n. VIII. & ſequ. ſatis id nobis executi videmur, atque Sanctorum Auguſtini, Bernardi & Thomæ auctoritate, nec non & ratione eviciſſe, indeliberatos aut liberos voluntatis humanæ actus bonos operantis aut cooperantis efficacis gratiæ effecta eſſe, ideoque gratiam ipſam eſſe non poſſe, niſi quis velit effectum cum ſua cauſa confundere, eandemque figere utrinſque notionem. Abludit itaque a vero Eſtii, Tiphanii aliorumque Recentiorum opinio, Aut enim gratiam increatam in oculis habent, nobiſque deſcribunt, de qua non quærimus: aut creatæ notionem evolvere inſtituentes effectum cauſæ ſubſtituunt, effectumque gratiæ pro gratia ipſa minus recte proponunt. Quod ſi reſpondeant, non in eo, quod Dei miſericordia in nobis efficitur, ſed in ejuſdem actione, quæ efficit, efficacem gratiam ab ſe conſtitui, aut idem regerunt, quod jam diſpulimus, aut nobiſcum, ſi non verbis expreſſe, re tamen ipſa, & ſententia conveniunt; Quum ſit enim hæc divinæ miſericordiæ nobis intime præſentis actio *formaliter*, ut Schola loquitur, *immanens*, ipſa Dei ſubſtantia & Deus ipſe, nec niſi virtute *tranſiens*, quatenus extra Deum quidpiam efficit, ſi in ea ut *formaliter immanens* eſt, efficacis gratiæ notio figatur, ſolam habemus gratiam, ut non ſemel dictum eſt, increatam: ſi in eo, quod in nobis gratuito efficit, indeliberati ipſi, aut deliberati voluntatis noſtræ ſalutares actus gratia ipſa jam erunt; primos enim in nobis efficit ſine nobis, modo ſuperius explicato, alios in nobis, ſed non ſine nobis. Quid ergo? Si nomine ejus, quod in nobis per Dei miſericordiam intime præſentem efficitur, adjutorium intelligant, *quo*, ut Auguſtinus ait, *fit opus*, quod voluntatem *inclinat*, *transfert*, *convertit* ad bonum, eamque, ut Bernardus loquitur, *applicat operi*, nos conſentientes habebunt, quippe qui idem reipſa ſentimus, ut paulo infra patebit.

VI. Quid de ſententia extra D. Thomæ Scholam apud Auguſtinienſes alioſque hodie tam pervagata, ac in deliciis habita? Stet illi ſua laus, ſint illi ſui plauſus: per nos licet, qui homines nobiſcum in rei ſumma, in adſtruenda ſcilicet intrinſeca gratiæ efficacitate, conſentientes nolumus hoſtiliter inſectari. Cæterum, ut ut multa ex Auguſtino colligant loca, in quibus delectationis victricis, ſeu caritatis, quæ contrariam ſuperet cupiditatem, ad commendandam gratiæ energiam meminit, perſuaderi tamen nobis nunquam poterit, efficacem gratiam in hac victrici delectatione ab Auguſtino locatam. Efficacis gratiæ conſectarium effectumque delectationem hujuſmodi, non negamus: gratiam ipſam eſſe, dare non poſſumus; Cum doctiſſimo enim Jo. a S. Th. animadvertimus, ex eo, quod Auguſtinus in l. *de Spiritu & lit.* c. 3. explicatiſſime habet, quod & n. III. deſcripſimus, & ſubjecturi mox ſumus, petendam eorum locorum expoſitionem, in quibus totam videtur in victrici delectatione notionem gratiæ conſtituere; ut enim delectatio ipſa ſit victrix, aliquo opus eſſe Dei dono, quo vincat, aperte indicat, ajens: *Quum id, quod agendum, & quo nitendum eſt, cæperit non latere, niſi etiam delectet, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum S., qui datus eſt nobis.* Charitatis autem nomine non ipſum charitatis ſanctificantis habitum ſed charitatem auxiliantem, ſeu adjutorium, quo diligimus, ab Auguſtino deſignari, ex iis patet, quæ in l. de Grat. Chriſti c. 13. & 35., in l. adv. Jul. c. 11., & alibi tradit. Tribus ergo, ut boni quidquam agamus, opus eſſe, decemit Auguſtinus, ſcilicet, ut *incipiat non latere*, quod ad mentis illuſtrationem, ac cognitionem per-

pertinet, ut *delectet*, quo indeliberatus voluntatis motus denotatur, demum ut *diligatur*, quod libero ejuſdem voluntatis actu perficitur; Quum ergo ad poſtremum hoc, nempe *ut quod agendum eſt, diligatur, charitatem Dei in cordibus noſtris diffundi per Spiritum S., qui datus eſt nobis*, doceat Auguſtinus, manifeſtum eſt, non ex ſola delectatione liberam in nobis boni dilectionem exiſtere, nec delectationem victricem eſſe, niſi cum charitate diffuſa, quæ eodem Auguſtino auctore, auxilium eſt divinitus nobis ſuppeditatum, ut libere diligamus, ſeu adjutorium, quo fit illud, propter quod datur: victrix itaque delectatio proprie non eſt gratia efficax, quæ facit, ut diligamus, atque faciamus.

Clarius hoc idem nobis videtur effici ipſius Auguſtini verbis in l. de Grat. Chriſti c. 13. Quod enim ad 12. capitis finem dixerat, *hæc gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, prædeſtinatos & ſecundum propoſitum vocatos ad ſummam perfectionem glorificationemque perducit, qua gratia agitur non ſolum, ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus*, c. 13. perſequens, explicanſque, pergit: *Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certe ſic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere* (non eſt ergo Auguſtino hæc gratia ipſa ſuavitas, ſeu delectatio) *non ſolum per eos qui plantant, & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſe ipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem*. Nec minus aperte idem nobis emicare videtur ex 35. ejuſd. l. capite, in quo memorat, Pelagium in ep. ad Paulinum *chriſtianam gratiam tanta brevitate ſola nominis commemoratione perſtrinxiſſe, ut non aliud videatur, quam eam tacere, timuiſſe .... non apparere autem omnino*, (in quo totius erat controverſiæ ſumma) *an credat, aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inſpirationem flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ charitatis*. Quum itaque gratia, de qua tota erat cum Pelagio diſputatio, *aliquid* ſit, Auguſtino auctore, *adjutorium bene agendi adjunctum naturæ & doctrinæ, quod credendus eſt Deus cum ineffabili ſuavitate altius & interius, infundere, non oſtendens tantummodo veritatem, ſed impertiens & inſpirans charitatem*, aſſequi ſane mente non poſſumus (quod hebetudinis noſtræ fuerit), quomodo hæc gratia in delectatione ipſa victrici, & caritate ab Auguſtino proprie locata, putetur, &, ut quidam ævi noſtri, qui in magno nomine eſt, Theologus ſcribit, *ſi gratia accipiatur ex parte Dei, ſit ipſa miſericordia movens, & caritatem inſpirans, ... ſi conſideretur ex parte noſtra, ſit ipſa dilectio a Dei inſpiratione ſimul, & voluntate noſtra promanans, a voluntate tamen a Deo intime præſente præmota*. Miſericordiam Dei moventem & caritatem inſpirantem ſeponimus, neque enim de gratia increata verba facimus: Qui tamen concipi poteſt, hoc naturæ ac doctrinæ adjunctum divinum adjutorium, quod Auguſtino gratia erat a Pelagio confitenda, ipſam eſſe victricem delectationem, & *dilectionem*? Quum prior ſit indeliberatus, altera deliberatus actus *a Dei inſpiratione ſimul, & voluntate noſtra promanans*, qui poteſt recte in alterutro, aut in utroque gratiæ notio conſtitui? Fatemur ingenue tardiores nos ingenio eſſe, quam ut perſuadere nobis quis poſſit, *adjutorium bene agendi* idem ipſum eſſe, quod agitur, *adjutorium quo fit*, idem reipſa, quod fit, cauſam denique non differre ab effectu.

Fit & hoc ipſum nobis captu difficilius expendentibus, quod Auguſtinus in Ench. c. 25. ait: *Duabus ex cauſis peccamus, aut nondum videndo, quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri jam videmus, quorum duorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis, contra quæ quidem pugnare nos convenit, ſed profecto vincimur, niſi divinitus adjuvemur, ut non ſolum videamus, quid faciendum ſit, ſed etiam accedente ſanitate delectatio juſtitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, ſcientes, videnteſque peccamus .... Quapropter non ſolum ſi peccavimus, ut ignoſcat .... verum etiam ne peccemus, ut regat .... ille rogandus eſt, cui dicitur in Pſal. 26. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, ut illuminatio detrahat ignorantiam, & ſalus infirmitatem*. Quum Auguſtino judice delectatio ac dilectio juſtitiæ de terrenarum rerum delectationibus non triumphet in nobis, niſi divinitus adjuvemur, & *accedente ſanitate* noſtra curetur infirmitas, niſi velimus, quæ Auguſtinus aperte diſtinguit, inepte confundere, ad-

duci

duci non poſſnmus, ut adjutorinm hoc *ſanitatis*, ſine quo victrix non eſt ipſa delectatio juſtitiæ, idem cum ea Auguſtino fuiſſe, credamus. Eo magis ab hac Recentiorum opinione avocamur, quo, nt primum ad ſacram doctrinam addiſcendam admoti fuimus, penitns in nobis hæſit, nec nnquam excidit, qnod ex tunc a D. Thoma didicimus, *delectationem* ſcilicet *propter operationem* eſſe, quod eſt Philoſophorum effatum, ſeu ut idem D. Thomas 1. 2. q. 32. ar. 1. explicat, & firmiſſime probat, operationem cauſam eſſe delectationis, hancqne illius eſſe conſectarinm; Inde enim nobis argnmentatio exiſlit, cnjus vi plane capimur. Gratia efficax eſt adjutorium actionis, ſen quo fit, propter quod datur, & quo Deus facit, nt faciamns, quod Auguſtino perpetuum eſſe, nemo eſt, qui ignoret; Quomodo ergo adjutorium hoc ipſa eſſe, aut concipi poteſt delectatio, quæ actionis, propter qnam divinum adjutorium datur, effectus eſt, eamque conſequitur?

VII. Quorſum tamen plura damus, qnum præclarus ipſe, quem mox laudavimus, Scriptor, ut ut verbis ſe procul a nobis abeſſe ſignificet, veritns forte, ne quidquam ex veteri Peripato ſibi adhæſiſſe putetur, nobis demum ſe conſentire haud obſcure pronunciet? Præterquam quod enim gratiam *ex parte noſtra*, ut paulo ſuperius exſcripſimus, in ipſa Dei dilectione conſtituit a Dei inſpiratione ſimul & voluntate noſtra manante, a voluntate tamen *a Deo intime præſente præmota*, clarins hoc idem exprimit, ajens in corol.: „ Ipſa dilectionis inſpiratio (quam ex Auguſtino promtam gratiæ definitionem optimam cenſet) nihil eſt alind, quam „ Dei *motio* intellectum illuminans & inflammans, ideoque non recedimus omnino ab illorum opinione, qui gratiam „ conſtitnunt in *motione quadam virtuoſa*. " Qno ergo tot urget, ut gratiam actualem non eſſe probet *de illo genere qualitatum, quas tam magnifice celebrantur Peripatetici* . . . . . & in nullo Auguſtini libro *phyſicæ qualitatis nomine gratiam deſignari*, & neminem dubitare velit, qnin hæc a ſe *ad Banneſii ſenſum qualitas explodatur*? Quamquam & illud nobis feſtivum plane videtur, & cum his mire cohærens, quod ſtatim addit: „ attamen, „ qnoniam homo gratia præventus virtutem habet ſupra naturæ vires, & poteſt ſupernaturalem beatitudinem adipiſci, ſi *qualitatis* nomine intelligas id, „ quod non pertinet ad naturam, illamque aut adjuvat, aut perficit, aut exornat, certum eſt, gratiam eſſe de genere *qualitatum*. " Sinimns, alios, quibus plus acuminis & otii eſt, in hæc opportune animadvertere: Nos interim, quibus, ex quo primum D. Thomam legimus, perſuaſum conſtantiſſime fuit, gratiam Dei, *inquantum anima hominis movetur a Deo ad aliquod cognoſcendum*, *aut volendum*, *vel agendum*, *qualitatem* non eſſe, ſed *motum quendam animæ*, nec de Ariſtotelis *prædicamentis*; ex quibns, ne quid in Theologiam transferatur, tantum metuit laudatus Auctor, ſoliciti vel minimum ſumns, actualem efficacem gratiam non aliam ponimus, quam a D. Thoma perceptam, nec alio eam appellamus nomine, quam qno ille perpetuo, *motionis* ſcilicet Dei, verum non *moralis*, ſed *phyſicæ*; ne autem ſit in hoc additamento ullus cavillandi locus, addimus cum graviſſimo Theologo, & eximio ejuſdem D. Th. Interprete Jo. a S. Th. „ Vocatur *phyſica motio*, non quaſi naturalis, „ ſed quaſi realis, non metaphorica, neqne moralis, ſeu objectiva, ſed effectiva. "

VIII. Eo autem libentius in hanc ſententiam imus, quo nobis firmius perſuaſum eſt, eam non D. Thomæ ſolum eſſe, ſed & Auguſtini, ad quod probandum plurima licet in promptu ſunt, pauca tamen dare, ſat fuerit, quod ex jam dictis hoc patere, abunde poſſit. Ac primo qnidem, qunm Auguſtino teſte l. de Grat. Chriſti c. 10. Pelagius gratiam admitteret, quæ occulte etiam, ac interins ſuadendo, revelando, incitando, ſtupentem ſuſcitando in cæleſtium deſiderium voluntatem, in homine operaretur, quæ omnia ad moralem, atqne ut loquuntur, *objectivam* motionem pertinere, compertum eſt, contenderet præterea Auguſtinus, opus eſſe ſubminiſtratione ſpiritns & virtutis, hancque a Pelagio confitendam gratiam, ſi vellet eſſe Chriſtianns, an non evidens, gratiæ vim in alia ab eo poſitam motione & actione, quæ moralis tantum & *objectiva* non eſſet? Hæc autem quæ, niſi phyſica ſeu effectrix, nt explicavimus? Rurſus: Idem in expoſit. epiſt. ad Rom. Propoſit. 62. ait: *Quia nec velle poſſumus niſi vocemur, & quum poſt vocationem voluerimus*, non ſuf-

Digitized by Google

ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus, & vires currentibus præbeat, & perducat, quo vocat, cujus loci expreſſe meminit l. 1. Retract. c. 23., & confirmat eſſe veriſſimum. Hinc autem argumentamur: Moralis gratiæ virtus & motio maxime in vocatione elucet; quum ergo *poſt vocationem*, ut voluntas operetur, proficiat, ac perveniat, quo vocatur, aliis ſibi divinitus additis viribus opus illam habere, doceat Auguſtinus, non ſunt illæ morales, ſed phyſicæ, ſeu, ut alibi eas vocat, *efficaciſſimæ* ſeu effectrices. Scite autem animadvertit in hunc Aug. locum Jo. a S. Th., hinc maxime petendam aliorum intelligentiam, in quibus efficacitatem gratiæ in vocatione *congrua, & ſecundum propoſitum* locare videtur; Neque enim Auguſtinus ſimplicem denotat vocationem, ut Congruiſtis placet, quæ tota ſit in rei objectæ propoſitione congrue facta, eo videlicet tempore & loco, quo moraliter moveat, ſed quam ſequuntur additæ a Deo perducente, quo vocat, voluntati vires, ut operetur, quas non morales eſſe, ſed phyſicas, conſtat; a Deo enim voluntati præbentur *poſt vocationem*, ut iis aucta perveniat, quo vocatur.

IX. Phyſicam hanc etiam ac effectricem motionem nonne apertiſſime præferunt tot illæ Auguſtini locutiones ad commendandam gratiæ energiam adhibitæ, facere nempe Deum, ut *faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, operari in cordibus hominum, ut ex nolentibus volentes fiant, efficaciſſima, & occultiſſima poteſtate corda convertere, operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, Deo volenti ſalvum facere nullum humanum reſiſtere arbitrium &c.*? Nihil horum verum eſſe, ſi non aliam Auguſtinus, præter moralem, gratiæ motionem agnovit, multæ ne futurum eſt operæ, demonſtrare? Moralis motionis, quæ communi & manifeſto modo fit, rei ſcilicet objectæ propoſitione, *poteſtas* num *occultiſſima*? Num *efficaciſſima*, quam ſuapte natura imbecillam, atque flexibilem voluntas humana ſæpe fruſtratur? Deus ne in *cordibus hominum operari*, proprie dici vereque poſſet *ad inclinandas eorum voluntates &c.*, ſi non alia eſſet gratiæ ejus motio, quam moralis? Qui exterius alteri quidpiam proponit, homo, & qui interius inſtigat, Diabolus, voluntatem inclinare quodammodo dici poſſunt, nec tamen ad eam *inclinandam intus in corde operari*, quod ſolius Dei proprium eſſe, decretum eſt Scholæ. Alio itaque modo intus in corde operetur Deus, oportet, quam morali. Moralis denique motionis aut nullam aut præpoſteram notionem habeat, neceſſe eſt, qui, quod Auguſtinus ait, hanc de qua loquimur, gratiam a nullo duro corde reſpui, nullum ei humanum reſiſtere arbitrium &c. in ſola motione morali locarit, quæ rem objectam proponendo, ſuadendo, alliciendo, invitando perficitur, quæ omnia effectu ſæpe vacua eſſe, exploratum eſt.

X. Cæterum, qui effectricis hujus motionis non rem ſolum ſed & nomen ipſum deſiderant, habent in eximio Auguſtini teſtimonio in l. de corr. & gr. c. 14., quod Præl. VIII. num. VIII. integrum dedimus, quo ſatis ſibi factum putent; Ibi enim de iis loquens, quos *Dominus omnipotens, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur*, adduxit ad David, ut eum Regem conſtituerent, modumque explicans, quo illos adduxit, inquit: *Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas in illis operatus eſt, traxit*. Actuoſa & effectrix motio, quam phyſicam dicimus, cui miram adjutorii vim Auguſtinus adſcribit, num potuit explicatius inculcari? Qui etiam ex Cicerone norunt, *agere* pro eo non ſemel poni, quod eſt *movere, ſtimulare, impellere*, item *agi* idem non ſemel ſignificare, quod *permoveri, urgeri, impelli*, quid deſiderare luculentius poſſunt iis, quæ Capreolus quartidecimi ſæc. Scriptor, & ſpectatiſſimus Scholæ noſtræ Theologus in 2. ſent. diſt. 28. qu. 1. art. 3. ad 12. ex Auguſtino ſtudioſe collegit, quo hoc efficeret, quod perſequimur? *Intelligant*, ait Auguſtinus in l. de Correp., & Gr. cap. 2., *ſi Filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut, quod agendum eſt, agant, & quum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant; aguntur enim, ut agant, non ut ipſi nihil agant*; & in l. de Gr. Chriſti cap. 25.: *De quibus ſcriptum eſt ad* Rom. 8., *quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei, profecto ut agant, quod bonum eſt, ab illa aguntur, qui bonus eſt*. Demum ſerm. 13. *de verbis Apoſtoli: Tu te vis agere? a te ipſo vis agi? . . . Non qui ſpiritu ſuo aguntur, ſed quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Dicet mihi aliquis, ergo agimur, non agimus*. Reſpon-

Reſpondeo, *imo agis*, *& ageris*, *& tunc bene agis*, *ſi ab eo agaris*; *Spiritus enim Dei*, *qui te agit*, *agentibus adjutor eſt &c.* Nimium velit ſuis indulgere præjudiciis, qui in tam perſpicuis Auguſtini verbis divini adjutorii energiam actionis, ſeu impreſſionis, impulſus, motioniſque, non moralis & metaphoricæ, ſed phyſicæ ſeu effectricis, quæ effectum certiſſime inferat, nomine deſignatam nolit agnoſcere. Hæc de gratiæ natura ac diviſionibus executi, quod ſecundo loco propoſuimus, præſtandum ſuſcipimus, præcipuorum adverſus Eccleſiæ de Chriſti gratia doctrinam errorum recenſionem, atque refutationem.

PRÆLECTIONUM DE GRATIA

PARS II.

PRÆLECTIO I.

Gratiæ Chriſti veteres recenteſque inimici recenſentur.

I. INter gratiæ inimicos Hieronymus in *Dialogis*, & in celebri ad *Cteſiphontem* epiſtola Origenem primo numerat, *Pelagianorum amaſium*, *erroriſque Principem* eum vocans; nec dubitare quiſquam poteſt, quin etiam Pelagio & Cæleſtio errarit ille turpius; hi enim gratiam ſecundum præſentis vitæ merita puris hominibus dari, ſanxerunt, ille vitam alteram commentus eſt, qua animæ priuſquam in corpora truderentur, merita compararint, quibus gratiæ participes fierent; imo gratiam omnium maximam, unionem ſcilicet hypoſtaticam, præcedentibus aſſumti hominis meritis acceptam retulit. Nonnulla ejus laudari quidem poſſunt teſtimonia ex hom. 12. *in Jeſum Nave*, ex hom. 20. *in Numeros*, ex hom. 9. *in Ezech.*, quibus nihil deſiderari poſſe videtur illuſtrius ad gratiæ *non ex operibus*, imo & ſuapte efficacis, commendationem: Cæterum ſatis illa non ſunt ad abſtergendam, quæ Origeni ab omnibus ferme poſt Hieronymum ſcriptorum ejus conſultiſſimum Theologis inuſta eſt, teterrimi hujus erroris notam, atque ad depellendam ab eo præformatæ Pelagianæ hæreſeos invidiam, & ſuadere, ut ſummum, poſſunt, in hoc, ut in aliis capitibus non paucis, non ipſum ſibi ſemper conſtitiſſe. Etſi autem excitari hujus adverſus Dei gratiam belli auctor communius putetur Origenes, confirmati vero Rufinus Aquilejenſis Presbyter doctrinæ Origenis ſtudioſiſſimus, a quo Pelagius eundem hunc errorem ebiberit, exploratum tamen, a nullo bellum hoc vehementius inflammatum, geſtumque diutius atque acerbius, quam a Pelagio, a quo infeſta Dei gratiæ hæreſis, eo licet multo antiquior, vulgo nomen obtinuit.

II. Pauca de iſto dicturi, unum audiemus, exſcribemuſque Auguſtinum; Rarum enim nobis, ut & cordato cuilibet, fixumque eſſe, debet, erroris hujus initia, progreſſiones, varioſque ſtatus, necnon hoſtium cavillationes, captiunculas, effugia, denotata nemini, meliuſque perſpecta, quam Viro, cui profligati confectique acerrimi hujus belli gloriam immortalem Eccleſia ſemper dedit. *Pelagianorum*, ſcribit ille in l. de Hæreſ. hær. 88., *eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima a Pelagio Monacho exorta*, *quem Magiſtrum ſic Celeſtius ſecutus eſt*, *ut ſectatores eorum Cæleſtiani nuncupentur*. *In Dei gratiæ*, *qua qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum*, *& qua eruimur de poteſtate tenebrarum*, *ut in eum credamus*, *& in regnum gloriæ ipſius transferamus*, *propter quod ait*, *nemo venit ad me*, *niſi fuerit ei datum a Patre meo*, *& qua diffunditur charitas in cordibus noſtris*, *ut fides per dilectionem operetur*, *intantum inimici ſunt*, *ut ſine hac poſſe hominem*, *credant*, *facere omnia divina mandata*, *quum*, (*ſi hoc verum eſſet*) *fruſtra Dominus dixiſſe videretur*, *ſine me nihil poteſtis facere*. *Denique Pelagius a fratribus increpatus*, *quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda*, *correptioni eorum hactenus ceſſit*, *ut non eam libero arbitrio præponeret*, *ſed infideli calliditate ſupponeret*, *dicens*, *ad hoc eam dari hominibus*, *ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium*, *facilius poſſint implere per gratiam*. *Dicendo utique*, *ut facilius poſſint*, *voluit credi*, *etiamſi difficilius*, *tamen poſſe homines divina facere juſſa*. *Illam autem gratiam Dei*, *ſine qua nihil boni poſſumus facere*, *non eſſe dicunt*, *niſi in libero arbitrio*, *quod nullis ſuis præcedentibus meritis*, *ab illo accepit natura noſtra*, *ad hoc tantum ipſo adjuvante per ſuam legem atque doctrinam*, *ut diſcamus*, *quæ facere*, *& quæ ſperare debeamus*, *non autem ad hoc per donum Spiritus S.*, *ut*, *quæ didicerimus eſſe facienda*, *faciamus*, *ac per hoc divinitus*

tus nobis dari ſcientiam, confitentur, qua ignorantia pellitur, charitatem autem Dei negant, qua pie vivitur, ut ſcilicet quum ſit donum Dei ſcientia, quæ ſine charitate inflat, non ſit donum Dei ipſa charitas, quæ ut ſcientia non inflet, ædificat.

III. Ex his Auguſtini verbis priores duo Pelagianæ hæreſeos ſtatus apparent; conſtat enim, negaſſe primo Pelagium cujuſcumque interioris divini adjutorii naturæ additi neceſſitatem, nec ad omnia implenda Dei mandata, æternamque obtinendam ſalutem alio opus eſſe ſenſiſſe, quam congenitis liberi arbitrii viribus, exin correptum a fratribus adjutorium gratiæ Dei ad ejus mandata facienda *ad hoc dari hominibus* poſuiſſe, ut, quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam. Ecquod autem hoc adjutorium? Exterius, totumque in lege poſitum atque doctrina, ad quæ poſtmodum & Chriſti exempla adjunxit, quo ignorantia pellitur, docemurque, quæ facere, & quæ ſperare debeamus. Auguſtini demum aliorumque argumentis preſſus interiorem etiam admiſit gratiam, qua & illuſtraretur divinitus mens, & in Dei deſiderium ſtupens voluntas excitaretur, quæ tamen ſolam homini afferret agendi facilitatem, nimirum ut facilius poſſet, quod abſolute per naturam, tametſi paulo difficilius poterat. Huc veniſſe tandem Pelagium, præterquam quod ſuperius non ſemel oſtenſum eſt, exploratum habebit, quiſquis Auguſtini librum *de Gratia Chriſti* verſarit, unde etiam patet, obtexiſſe potius Pelagium fallacibus verbis antiquam hæreſim, quam veram Chriſti gratiam confeſſum; *Quæcumque* enim, ita Auguſtinus, qui ejus ſcripta diligentiſſime evolverat, ac excuſſerat, in l. de Gr. Chriſti cap. 41., *pro gratia videtur dicere, qua juvamur, ut declinemus a malo, & bonum faciamus, ita dicit, ut nullo modo a verborum ambiguitate diſcedat, quam diſcipulis ſic poſſit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, qua naturæ poſſibilitas adjuvetur, niſi in lege atque doctrina, ita ut ipſas orationes, ut in ſcriptis ſuis apertiſſime affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eſſe, didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat; Ab illo enim ſuo manifeſtiſſimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa conſtituit, poſſibilitatem, voluntatem, actionem, & ſolam poſſibilitatem dicit divino ſemper adjuvari auxilio, voluntatem autem & actionem nullo Dei adjutorio exiſtimat indigere: Ipſum vero auxilium, quo poſſibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege conſtituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam S. Spiritu revelari, propter quod & orandum eſſe, concedit: Sed hoc adjutorium legi atque doctrinæ etiam Propheticis fuiſſe temporibus, adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Chriſti eſſe arbitratur exempla, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perſpicitur, quæ nobis evangelica prædicatur, ut videlicet tanquam via demonſtrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, ſufficiamus nobis, ne deficiamus in via, quamvis & ipſam viam contendat, etiam ſola inveniri poſſe natura, ſed facilius, ſi adjuvet gratia.*

IV. Hinc etſi Pelagius, quo minus peritis fucum faceret, *gratiam Dei non in lege tantummodo, ſed & in Dei eſſe adjutorio confiteretur nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminantis*, ideoque ſi *& liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam* agnoſcere, teſtaretur, a manifeſtiſſimo tamen ſuo dogmate numquam illum receſſiſſe, demonſtrat ibid. Auguſtinus cap. 7. inquiens: *In his omnibus non receſſit a commendatione legis atque doctrinæ, hanc eſſe adjuvantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exequens, quod propoſuerat, quum diceret: ſed in Dei eſſe adjutorio confitemur. Denique Dei adjutorium multipliciter inſinuandum putavit, commerando doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis adapertionem, & demonſtrationem futurorum, & apertionem diabolicarum inſidiarum, & multiformi ac ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminationem, ad hoc utique ut divina præcepta & promiſſa diſcamus. Hoc eſt ergo, gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.* Sed & ne quis ſibi fraudulentis Pelagii verbis illudi ſineret, integrum ejuſdem dogma ibid. cap. 5. exponit, ajens: *Ecce eſt totum Pelagii dogma in libro ejus tertio pro libero arbitrio his omnino verbis diligenter expreſſum, quo tria iſta, unum quod eſt poſſe, alterum quod eſt velle, tertium quod eſt operari, ideſt poſſibilitatem, voluntatem, actionem, tanta ſubtilitate curavit diſtinguere, ut quandocunque legimus vel audimus divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut a malo declinemus, bonumque faciamus, ſive in lege, atque do-*

ctrina, ſive ubilibet conſtituat, ſciamus quid loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo, quam ſentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis & operis, quam ſolam in ibis tribus nos habere affirmat ex Deo, tanquam hoc ſit infirmum, quod Deus poſuit in natura: cætera vero duo, quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio, & ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus, ſed tantum adjuvet, ut velle, & agere valeamus. Cap. demum 34. & 35. adfirmat Auguſtinus, ſe omnia Pelagii ſcripta legiſſe, *præter unam epiſtolam, quam ſe brevem miſiſſe ad S. Conſtantium Epiſcopum*, ajebat verſutus ille, nec *reperire alicubi potuiſſe, hanc eum gratiam confiteri, qua non ſolum poſſibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere, etiam ſi nec volumus, nec agimus bonum, ſed ipſa etiam voluntas & actio ſubminiſtratione S. Spiritus adjuvatur, nec apparere omnino, crediddiſſe illum adjutorium aliquod bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inſpirationem flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ charitatis*. Poſtremo ſublatum iri omnem ſe inter ac Pelagium de gratia Dei quæſtionem, ait, ſi non ſolum *poſſibilitatis profectum, ſed & voluntatis affectum, & actionis effectum* a Dei gratia eſſe, ille ſenſiſſet. *Quantum adtinet*, ſcribit ibid. cap. 47., *ad iſtam de divina gratia & adjutorio quæſtionem, tria illa, quæ apertiſſime diſtinxit, adtendite, poſſe, velle, & eſſe, ideſt poſſibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo conſenſerit nobis, non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat bene, ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem, ideſt ut bene velimus, & bene agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando bene vult, & bene agit, ſi, ut dixi, conſenſerit, etiam ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratia Dei per I. X. D. N., in qua nos ſua, non noſtra juſtitia juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur*.

V. Hæc quum ita ſint, ut certiſſime eſſe, dubitare nemo poſſit abſque immani teſtis omnium locupletiſſimi, peritiſſimi, Auguſtini nimirum, injuria, nec vocari item in dubium poſſit, Pelagium, *quamlibet ſenſerit gratiam, ipſis Chriſtianis ſecundum merita dari, dixiſſe*, quamquam *eos, qui hæc dicunt, in Paleſtina* (in Concilio nempe Dioſpolitano) *ſua illa præclara purgatione damnaſſet*, ne & ipſe cum eis damnaretur, quod apertiſſimis ejuſdem teſtimoniis evincit Auguſtinus ibid. cap. 31., & aliis in locis, quis jam Pelagium in divinæ gratiæ adverſariis non habeat? Quis Auguſtino crimini verterit, quod illum ejuſque gregales *inimicos gratiæ Chriſti* vocarit? Quis neget, illos & ab Auguſtino merito refutatos, & ab Africanis Epiſcopis hoc nomine juſte damnatos? Jo: tamen Phereponus, ſeu Clericus Pelagii patrocinium aperte ſuſcipiens cum alibi non ſemel, tum præſertim ſuis in notis ad Carthaginienſis Concilii adverſus Pelagianos an. 416. habiti epiſtolam ad Innocentium I. Rom. Pont., quæ olim inter Auguſtinianas 90., nunc 175. eſt, hæc pro Pelagio ſcribit p. 517.: *Damnatus quidem ille eſt, & conviciis exagitatus ab omnibus etiam, quibus ejus dogmata ignota erant, ex quo eſt ab Africanis Epiſcopis infamatus; ſed nulla hominum damnatio efficere poteſt, ut quod verum fuit, falſum fiat, & vice verſa nullæ hominum laudes ex errore veritatem faciunt*. Quo autem ſententiam in Pelagium latam nihili aut pauci pendendam probet, Judicum, a quibus lata eſt, pro virili extenuat, deprimitque auctoritatem, pergens: *Præterea notum eſt, in magnis cœtibus res magnis affectibus dijudicari: Nec in re ſatis difficili facile fuit, verum a falſo ſecernere omnibus illis Africanis Epiſcopis, quorum nonnulli ne ſcribere quidem potuiſſe dicuntur in Collatione Carthag. C. 133., & doctiſſimi, præter dicendi facultatem pro modulo illius ævi, quid eximium habuerint, non video . . . Non dicerem hæc, niſi viderem, multitudine, & auctoritate multo magis, quam rationibus pugnari*. Cui hæc ſtomachum non commoveant? Operoſum ne, demonſtrare, tot ferme ab eo elata mendacia, quot verba? Quorſum tamen, quum impotens hominis procacitas, & inſana mentiendi, ac Catholicam Eccleſiam nunquam non criminandi libido veterum Eccleſiæ monumentorum non plane rudibus non poſſit, non ſtatim eſſe perſpecta? Quis porro miretur, hæc auſum hominem medullitus Pelagianum, cui, quippe Remonſtranti & Sociniano, in tollenda origina-

ginaria noxa, in neganda Pædobaptiſmi neceſſitate, & turbidæ libidinis origine, in figendis gratiæ ad ſalutem æternam homini neceſſariæ notionibus, in extollendis liberi arbitrii viribus, in æconomia prædeſtinationis, aliiſque horum dogmatum conſectariis, plena fuit cum Pelagio conſenſio? Qui cauſa cadunt, & in judicio ſuperantur, quid in more habent, quam eos a quibus damnati ſunt, judices odiſſe, maledictis figere, reoſque ignorantiæ agere, aut etiam iniquitatis?

VI. Sed miſſo Pherepono ad hæreſim redeamus, cujus quartus veluti ſtatus ſub Cæleſtio fuit, quemadmodum ex Auguſtino colligit Alvarez diſp. 1. Interiorem gratiam, quam hominibus dari, tandem conceſſit Pelagius, ſed *ad hoc*, ut, quæ facere per liberum jubentur arbitrium, *facilius* poſſint implere per gratiam, Cæleſtius abſolute neceſſariam ſtatuit, non ad inchoanda quidem, ſed ad perficienda virtutum opera, in quo Pelagii errorem utcunque moderatus eſt, nec tamen a præcipuo Pelagii dogmate, *dari*, ſcilicet *gratiam ſecundum merita*, receſſit, quum ad boni operis initium nullius interioris gratiæ neceſſitatem agnoverit, ſed illud a nativis liberi arbitrii viribus duxerit. Audiendus Auguſtinus in l. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 18. Julianum ſic loquentem inducens: *Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentia vel in bonum vel in malum, invictum aliquem cogi, ſed propria voluntate aut bonum facere aut malum, in bono vero opere a Dei gratia ſemper adjuvari, in malum autem diaboli ſuggeſtionibus incitari. Vos*, occurrit Auguſtinus, *in bono opere ſic putatis, adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipſum bonum voluntate nihil eum credatis operari, quod ſatis ipſa tua verba declarant; Cur enim non dixiſti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari, ſicut dixiſti in malum diaboli ſuggeſtionibus incitari? Sed dixiſti, in bono opere ſemper a Dei gratia, adjuvari, tamquam ſua voluntate, nulla Dei gratia, bonum opus aggreſſus, in ipſo jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet bonæ voluntatis, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita, ac ſic gratia jam non ſit gratia*. Et l. 2. c. 8. de quarto hoc Pelagianæ hæreſeos ſtatu ſcribit: *Hoc nobis objiciendum putarunt, quod invito & reluctanti homini Deum dicamus inſpirare non quantulumque boni, ſed & ipſius imperfecti cupiditatem. Fortaſſis ergo ipſi eo modo ſaltem ſervant gratiæ locum, ut ſine illa putent, hominem poſſe habere boni, ſed imperfecti cupiditatem, perfecti autem non facilius poſſe, ſed niſi per illam omnino non poſſe. Verum & ſic gratiam Dei dicunt, ſecundum merita dari, quod in Oriente Pelagius Eccleſiaſticis geſtis damnari timendo, damnavit. Si enim ſine gratia Dei per nos incipit cupiditas boni, ipſum cæptum erit ſecundum meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed merito noſtro dabitur*. Legitimum hoc poſitionis hujus conſectarium nervoſe urget Auguſtinus cum ibid. c. 5. & 6., tum l. 4. cont. Jul. c. 3., & alibi ſæpe.

VII. Cæterum, ſi huc demum Cæleſtius, Julianus, aliique Pelagiani adducti ſunt, quid jam eos inter, ac Maſſilienſes diſcriminis erit? Multum quidem, quemadmodum in l. *de Prædeſt*. S. S. cap. 1. Auguſtinus docet; Pelagiani enim fidei bonorumque operum initium ad naturam, ſolam eorumdem perfectionem ad gratiam referebant: Semipelagiani contra fidem inter, &, quæ hanc ſubſequuntur, pietatis opera diſtinguentes, primum fidei initium ex nobis eſſe, ſentiebant, bonorum autem operum inchoationem ipſam ex gratia, quæ tamen merito fidei credentibus concederetur. Hi etiam peccato primi hominis univerſum obſtringi hominum genus, nec quemquam ab hoc malo, niſi per juſtitiam ſecundi hominis, Chriſti ſcilicet, liberari, perſuaſum cum Catholica Eccleſia firmiſſime habebant, a quo dogmate Pelagiani conſtantiſſime abhorruerunt. *Pervenerunt iſti fratres noſtri*, ita loc. mox cit. de Maſſilienſibus ad Proſperum & Hilarium reſcribit Auguſtinus, *pro quibus ſolicita eſt pia charitas veſtra, ut credant cum Eccleſia Chriſti, peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, nec ab iſto malo, niſi per juſtitiam ſecundi hominis, aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia, fateantur, atque ut ad nullum opus bonum, ſive incipiendum, ſive perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe, conſentiant. Retenta ergo iſta, in quæ pervenerunt, plurimum eos a Pelagianorum errore diſcernunt*. At de peculiaribus Semipelagianorum erroribus infra.

VIII. Erratum & a Pelagio in petenda divinæ prædeſtinationis cauſa ex præcogni-

cognitis meritis naturæ viribus partis, teſtis eſt Auguſtinus ibid. c. 18. ajens: *Præſciebat, ait Pelagius, qui futuri eſſent Sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſſe, præſcivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam eſſent, prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos immaculatoſque præſcivit: Utique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe, prævidit.* Ab eo item erratum, quod ſtatueret, voluntatem hominis divinæ præire, nec Deum velle, niſi quia homo prior voluit, gratiam iccirco nobis dari, *quia volumus, non per ipſam Deum hoc etiam efficere, ut velimus, Deum per legem ſuam, per Scripturam ſuam operari, ut velimus, quam vel legimus, vel audimus, ſed ei conſentire, vel non conſentire, ita noſtrum eſſe, ut ſi velimus, fiat, ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus*, tradit idem Auguſtinus in Ep. ad Vitalem, & Auctor. l. 3. Hipognoſt. Hanc denique ab eo importatam Catholicis calumniam, quod *ſub nomine gratiæ fatum aſſererent, quia nullis hominum eam antecedi meritis* ſentiebant, liberumque arbitrium deſtruerent, quia gratiam hominibus dari, credebant *ſecundum ejus voluntatem, qui dixit, miſerebor, cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui voluero*, non Auguſtinus ſolum l. cont. 2. Ep. Pelag. c. 5., & l. 4. cont. Jul. c. 8., ſed & Hieronymus in Ep. ad Cteſiph. commemorant.

IX. Ex eodem etiam Auguſtino patet, Pelagianos & nullum gratiæ Chriſti locum reliquiſſe, ut ſua libero hominis arbitrio jura ſervarent, quaſi vero hæc intacta eſſe non poſſent, ſi fieret gratiæ locus, & Catholicos *ſub Manichæorum nomine* criminatos eſſe, perinde ac ſi locum Chriſti gratiæ primum, ut par erat, ac præcipuum dantes libertatem hominis exterminarent. Digniſſima ſunt, quæ exſcribantur, etſi paulo longiora, quæ ad diſpellendam hanc eorum calumniam Auguſtinus habet in l. 2. *cont.* duas Epiſt. Pelagian. cap. 3. *Quid opus eſt*, inquit, *ea quoque refellere, quæ dogmatis eorum inſidioſa venena non continent? Sed tantum in auxilium ſuum, vel pro Catholica fide contra Manichæorum, ſicut loquuntur, prophanitatem, conſenſionem Orientalium Epiſcoporum videntur expoſcere, nihil aliud nitentes, niſi, ut horribili hæreſi objecta, cujus ſe adverſarios eſſe confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ. Quis enim eis hinc commovit aliquando quæſtionem? Aut cui Catholicorum propterea diſplicent, quia damnant eos, quos prædixit Apoſtolus, cauteriatam habentes conſcientiam, prohibentes nubere, abſtinentes a cibis, quos putant immundos, nec putantes, a Deo cuncta eſſe condita? Quis eos aliquando negare compulit, quod omnis creatura Dei bona ſit, & nulla ſubſtantia ſit, quam non fecerit ſummus Deus? Non iſta in eis, quæ conſtat, eſſe Catholica, reprehenduntur atque damnantur; impietatem quippe Manichæorum nimiam, ſtultam, noxiam, non ſolum fides catholica deteſtatur, verum etiam hæretici omnes, qui non ſunt Manichæi: Unde & iſti Pelagiani hoc bene faciunt, Manichæis anathema dicere, & eorum erroribus contradicere, ſed faciunt duo mala, quibus & ipſi anathematizandi ſunt, unum quod Catholicos Manichæorum nomine criminantur, alterum quod etiam ipſi hæreſim novi erroris inducunt: Neque enim, quia Manichæorum morbo non laborant, fidei propterea ſanæ ſunt. Non unum peſtilentiæ eſt genus, quemadmodum in corporibus, ita & in mentibus. Sicut ergo medicus corporis non continuo pronunciaſſet a mortis periculo liberum, quem negaſſet hydropicum, ſi alio læthali morbo perſpexiſſet ægrotum, ita iſtis non ideo veritas gratutur, quia Manichæi non ſunt, ſi alio perverſitatis genere inſaniunt; Quapropter aliud eſt, quod anathematizamus cum eis, aliud, quod in eis: Deteſtamur enim cum eis, quod recte diſplicet etiam ipſis, ita tamen, ut deteſtemur in eis, unde recte diſplicent ipſi . . . . Deſinant igitur Pelagiani, Catholicis objectare, quod non ſunt, nec ideo ſe velint, haberi amabiles, quia odioſo Manichæorum adverſantur errori, ſed merito ſe agnoſcant odibiles, quia ſuum non averſantur errorem; Poſſunt enim duo errores eſſe contrarii, ſed ambo ſunt deteſtandi, quia ambo ſunt contrarii veritati; Nam ſi propterea diligendi ſunt Pelagiani, quia oderunt Manichæos, diligendi ſunt & Manichæi, quia oderunt Pelagianos. Sed abſit, ut Catholica Mater propter alterorum odium alteros eligat amare, quum monente atque adjuvante Domino debeat utroſque vitare, & cupiat utroſque ſanare.*

X: Hinc apparet, quam vetuſta ſit illata divinæ gratiæ defenſoribus libertatis humanæ ſublatæ calumnia; qui enim hodie cum Lutheranis & Calvinianis, Auguſti-

guſtini ævo cum Manichæis facere perhibebantur. Nolumus, etſi opportunum maxime eſſet, plura in hoc animadvertere, ne in cujuſquam offenſionem incurramus; præſertim quum in his quæſtionibus exercitati noſtris opus non habeant animadverſionibus. Perutile tamen, nec legentibus ingratum putamus adjicere, quæ ibid. c. 2. Auguſtinus ſcribit, exponens, *quibus inter ſe contrariis morbis Manichæi Pelagianique confligerent, diſſimili voluntate, ſimili vanitate, ſeparati opinione diverſa, ſed propinqui mente perverſa*, & quomodo utroſque Catholica Eccleſia redarguat, refutetque. *Manichæi dicunt, Deum bonum non omnium naturarum eſſe Creatorem, Pelagiani dicunt, Deum non eſſe omnium ætatum in hominibus Mundatorem, Salvatorem, Liberatorem: Catholica utroſque redarguit, & contra Manichæos defendens Dei creaturam, ne ab illo inſtituta negetur, & contra Pelagianos, ut in omnibus ætatibus perdita requiratur humana natura. Manichæi carnis concupiſcentiam, non tanquam accidens vitium, ſed tanquam naturam ab æternitate malam vituperant, Pelagiani eam, tamquam nullum vitium, ſed naturale ſit bonum, inſuper laudant: Catholica utroſque redarguit, Manichæis dicens, non natura, ſed vitium eſt, Pelagianis dicens, non a Patre, ſed ex mundo eſt, ut eam veluti malam valetudinem utrique ſanari permittant, deſinendo illi, eam tanquam inſanabilem credere, iſti tanquam laudabilem prædicare. Manichæi negant homini bono ex libero arbitrio fuiſſe initium mali: Pelagiani dicunt, etiam hominem malum ſufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum. Catholica utroſque redarguit, & illis dicens, fecit Deus hominem rectum*, Eccleſ. 7., *& iſtis dicens: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*, Jo. 8. *Manichæi dicunt animam particulam Dei naturæ malæ commixtione habere peccatum: Pelagiani dicunt, animam juſtam non quidem particulam, ſed creaturam Dei in hac corruptibili vita non habere peccatum: Catholica utroſque redarguit, Manichæis dicens, aut facite arborem bonam*, & *fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*, Matth. 12., *quod non diceretur homini, qui naturam facere non poteſt, niſi quia peccatum non natura, ſed vitium eſt, Pelagianis dicens, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, Jo. 1. c. 1. . . . . *Jam vero gratiam Chriſti ſimul oppugnant, baptiſmum ejus ſimul evacuant, carnem ejus ſimul exhonorant, ſed etiam hæc modis cauſiſque diverſis. Nam Manichæi meritis naturæ bonæ, Pelagiani autem meritis voluntatis bonæ perhibent, divinitus ſubveniri: Illi dicunt, debet hoc Deus laboribus membrorum ſuorum, iſti dicunt, debet hoc Deus virtutibus ſervorum ſuorum: Utriſque ergo merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Manichæi lavacrum regenerationis, ideſt aquam ipſam dicunt eſſe ſuperfluam, nec prodeſſe aliquid, profano corde contendunt, Pelagiani autem, quod in ſacro baptiſmate ad expianda peccata dicitur, nihil opitulari infantibus nullum peccatum habentibus aſſerunt, ac per hoc, quantum ad remiſſionem attinet peccatorum, Manichæi viſibile deſtruunt elementum, Pelagiani autem etiam inviſibile Sacramentum. Manichæi carnem Chriſti exhonorant partum Virginis blaſphemando, Pelagiani autem carnem redimendorum carni Redemptoris æquando . . . . Manichæi ergo omnem carnem penitus deteſtantes, auferunt carni Chriſti perſpicuam veritatem, Pelagiani vero nullam carnem peccati naſci aſſeverantes, auferunt carni Chriſti propriam dignitatem.*

Præcipuos Manichæorum errores comprehenſos, ſtrictimque his Auguſtini verbis refutatos habemus, quorum alios alibi jam diſpulimus, alios infra ſumus pro viribus diſpulſuri. Qui de Pelagii, potiorumque inter ejus diſcipulos, Cæleſtii, & Juliani patria, conditione, geſtis, ſcriptiſque plura deſiderant, habent in primis Cl. Noriſium, Jo. Gerardum Voſſium, alioſque, qui Pelagianæ hæreſeos hiſtoriam latiſſime texuerunt, habent & Recentiorum Theologorum complures, qui ex iiſdem plura delibarunt, ſuaſque in ſcriptiones intulerunt. Pelagii errores, qui ad hoc inſtitutum noſtrum attinent, & in quibus refutandis ponenda a nobis eſt opera, breviter ex Auguſtino protuliſſe, ſatis habemus; quare alia gratiæ Chriſti hoſtium, cum quibus & futura res eſt, acies producenda.

PRÆLECTIO II.

De eodem argumento.

I. AD Pelagianam extirpandam hæreſim non Romanos Pontifices, non Concilia plura, non ſpectatiſſimos Eccleſiæ Doctores Hieronymum & Auguſtinum ſolum, vehementiſſime conniſos eſſe, ſed & Chriſtianos Imperatores, in priſcis Eccleſiæ monumentis teſtatum eſt. An. Chr. 418. Honorius & Theodoſius Junior data Ravennæ lege Pelagium Cæleſtiumque damnarunt, & utrumque Roma extrudi juſſerunt, idemque ſequenti anno confirmarunt novo reſcripto ad Aurelium Carthagin. Epiſcopum. An. 421. Pelagianos Romæ latitantes ſuo edicto abegit Conſtantius Cæſar Honorii gener; Quum autem tunc Pelagiani non pauci ſacras Galliarum, Provinciæ præſertim, ſedes obtinerent, nihil non egerunt Theodoſius Auguſtus ac Valentinianus Cæſar, ut eos ad meliora revocarent; quare hanc legem tulerunt: *Imperator Theodoſius Auguſtus, & Valentinianus Cæſar Armatio Viro illuſtri Præfecto Prætorio Galliarum . . . Diverſos vero Epiſcopos nefarium Pelagiani, & Cæleſtiani dogmatis errorem ſequentes per Patroclum (Arelatenſem Metropolitam) ſacroſanctæ legis Antiſtitem juſſimus, convenire, quos quia confidimus emendari, niſi intra viginti dies ex conventionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, . . . Gallicanis regionibus expelli, & in eorum loco Sacerdotes fideles jubemus ſubrogari, quatenus præſentis erroris macula de populorum animis tergatur, & futuræ bonum diſciplinæ juſtioris inſtituatur . . . Dat.* VII. *Idus Julias Aquilejæ D. N. Theodoſio Auguſto* XI., *& Valentiniano Cæſare Conſultibus*, an. nimirum 425.

Qui ad meliora traduxerint animum, qui vero in errore obfirmati loco moti, & e Galliis extruſi fuerint, incompertum. Exploratum tamen, hinc petenda Semipelagianæ hæreſeos initia; Cæſarearum enim legum metu perculſi Epiſcopi quidam, quo dignitati libertatique ſuæ conſulerent, extremum Pelagii repudiarunt errorem, ejuſque temperationem quandam fecerunt, quam & in Diſcipulos derivarunt, qui propterea Semipelagiani dicti, ſeu media parte Pelagiani. Hoc Cl. Chriſtiano Lupo ſapienter animadverſum in Opuſc. poſth. p. 475. *Per Patroclum*, ait, *Arelatenſem Epiſcopum, ac laudatam Valentiniani legem correcti in Gallia Epiſcopi reliquere Diſcipulos eruditione & pietate illuſtres, verum qui Pelagianis erroribus ita valedicerent, ut tamen in S. Auguſtini adverſus illos ſcriptis quædam improbarent.* Quid in Auguſtini adverſos Pelagianos libris improbarint in Galliis multi, quamve ad Pelagii errorem temperationem, eam tamen falſam & perverſam, adhibuerint, unde poſſumus, certius apertiuſque noſſe, quia ex S.S. Proſperi & Hilarii ad Auguſtinum literis, quibus muneris eſſe ſui duxerunt, eundem certiorem facere, quantum ejus adverſus Pelagianos ſcripta, liber præſertim *de correp. & gratia*, multorum in Galliis animos offendiſſent, quamque gravis Maſſilienſes potiſſimum inter Monachos, quos inter eminebat Caſſianus, eſſet de iiſdem ſcriptis exorta contentio? Quum ſit in his Hilarii & Proſperi epiſtolis deſignatum explicatiſſime, quid in Auguſtini libris Maſſilienſibus diſpliceret, & quæ eorum eſſent querelæ, annon operæ pretium fuerit, ex fonte tam puro horum notionem haurire?

II. Hinc primum noſcimus, novos hoſce doctrinæ Auguſtini adverſarios neque paucos, neque vulgares fuiſſe, ſed multos, eoſque doctrina, pietate, ac etiam dignitate ſpectabiles, *quorum tam abrupta diſſenſio*, ſcribebat Proſper, *primum propter ipſos metuenda eſt, ne tam claris, tamque egregiis in omnium virtutum ſtudio viris ſpiritus Pelagianæ impietatis illudat, deinde ne ſimpliciores quique, apud quos horum magna eſt de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutiſſimum ſibi æſtiment, quod audiunt, eos, quorum auctoritatem ſine judicio ſequuntur, aſſerere.* Exin intelligimus, quid in Auguſtino ceu contrarium Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui reprehenderent, quæ vero ipſi *valde pernicioſa* ſentirent, quæ niſi *ad Patronum fidei*, Auguſtinum nempe, retuliſſet, Proſper *reum crederet ſe futurum; hæc enim*, pergit, *ipſorum definitio atque profeſſio eſt: Omnem quidem hominem Adam peccante peccaſſe, & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari, univerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, eſſe propoſi-*

Digitized by Google

poſitam, utquicunque ad fidem, & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint, qui autem credituri ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe Deum ante mundi conſtitutionem, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præviderit, ideoque omnem hominem ad credendum, & ad operandum divinis inſtitutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo deſperet, quum voluntaria devotioni remuneratio ſit parata, hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo . . . eligendorum vel rejiciendorum dicitur eſſe facta diſcretio . . . & lapſis curam reſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem teporis afferre, eo quod in utraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit occidere . . . removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam indui neceſſitatem . . . . & ea, quæ de ep. Pauli Romanis ſcribentis ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, ut nunc ſentiuntur, affirmant.

Quidam vero horum in tantum a Pelagianis ſemitis non declinant, ut, quum ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præveniat humana merita, cogantur, ... ad conditionem hanc velint cujuſque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrii & rationalem gratia Creatoris inſtituat, ut per diſcretionem boni, & mali, & ad cognitionem mandatorum ejus poſſit ſuam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam qua in Chriſto renaſcimur, pervenire, per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono natura bene uſus, ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire. Propoſitum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quod conſtituerit Deus, nullum in regnum ſuum, niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere, & ad hoc ſalutis donum omnes homines univerſaliter, ſive per ſcriptam legem, ſive per evangelicam prædicationem vocari, ut & qui voluerint, fiant Filii Dei, & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint . . . & conſequens putant, ut quia prævaricator ideo dicitur non obediſſe, quia noluit, fidelis quoque non dubitetur, ob hoc devotus fuiſſe, quia voluit, & quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momente animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala ſectantem damnatio juſta ſuſcipiat . . . . Nec conſiderant, ſe gratia Dei, quam comitam, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundum ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas, ſed intantum commenticiis quibuſcunque meritis electionem Dei ſubiiciunt, ut, quia præterita non extant, futura, quæ non ſunt futura, confingant, novoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint . . . .

Pro univerſo autem hominum genere mortuum eſſe D. N. I. X., & neminem prorſus a redemptione ſanguinis ejus exceptum . . . quia ad homines omnes pertineat divinæ gratiæ Sacramentum, quo ideo plurimi non renoventur, quia, quod nec renovari velle, habeant, præneſcuntur: Itaque quantum ad Deum pertinet, paratam omnibus vitam æternam, quantum autem ad arbitrii libertatem, eam ab his apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint, in iſtam vero talis gratiæ prædicationem . . . . ideo ſe vel maxime contulerunt, quia, ſi confiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, & ab ipſa, ut poſſint eſſe, donari, neceſſitate concederent, Deum ſecundum propoſitum, & conſilium voluntatis ſuæ, occulto judicio, & opere manifeſto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam... Sed refugiunt, iſtud fateri, divinoque adſcribere operi Sanctorum merita formidant, nec adquieſcunt, prædeſtinatum electorum numerum nec augeri poſſe, nec minui, ne locum apud infideles & negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac ſuperflua ſit induſtria, ac laboris indictio ... ita demum enim poſſe quemque ad correctionem aut profectum vocari, ſi ſe ſciat, ſua diligentia bonum eſſe poſſe, & libertatem ſuam ob hoc Dei auxilio juvandam, ſi, quod Deus mandat, elegerit, ac ſic, quum in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint, quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam eſſe, quam gratiam

ut initium ſalutis ex eo, qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit, ſtare, qui ſalvat, & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubiiciat voluntatem.

III. Hæc *perverſiſſima* eſſe Proſper intelligens, ad ea quidem *non credenda conſtantem* ſe eſſe teſtatur, ſed *ad auctoritatem talia ſentientium non parem*, nam eorum multi *vitæ merito* præſtabant, aliqui *& ſummi Sacerdotii* dignitate inſignes erant; *nec facile quiſquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores audebat tantis Superiorum diſputationibus* adverſari; quare Auguſtinum enixe rogat, ut ſuam de his velit aperire ſententiam, *quia in iſtis*, ajens, *Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis male in homine collocatur, ſi divinæ voluntati impie voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit, non ideo quia adjuvatur, velit, ſi originaliter malus receptionem boni non a ſummo bono, ſed a ſemetipſo inchoare, male creditur, ſi aliunde Deo placetur, niſi ex eo, quod ipſe donaverit, tribue nobis in hac cauſa, Papa beatiſſime, Pater optime, quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis ſuæ, obſecro, ut quæ in iſtis quæſtionibus obſcuriora, & ad percipiendum difficiliora ſunt, quam lucidiſſimis expoſitionibus digneris aperire, ac primum, quia plerique non putant chriſtianam fidem hac diſſenſione violari, quantum in eorum perſuaſione periculi ſit, patefacias, deinde quomodo per iſtam præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium, tum utrum præſcientia Dei ita ſecundum propoſitum maneat, ut ea ipſa, quæ ſunt propoſita, ſint accipienda præſcita . . . . an licet divida præſcientia a propoſito temporali diſtinctione non poſſit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito, & ſicut nihil ſit temporalium negotiorum, quod non divina præſcientia prævenerit, ita nihil ſit boni, quod in noſtram participationem non, Deo auctore, defluxerit; poſtremo, quemadmodum per hanc prædicationem propoſiti Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati ſunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi ſunt, impediatur, nec occaſionem negligentiæ habeant, ſi ſe prædeſtinatos eſſe, deſperent . . . . quibus omnibus enodatis, & multis inſuper, quæ altiore intuitu ad cauſam hanc pertinentia potes videre, diſcuſſis, credimus & ſperamus, non ſolum tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed ipſos etiam, quos meritis & honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defecatiſſimum lumen gratiæ recepturos.*

IV. Non ad implendas paginas exſcribere iſta voluimus, ſed ad ſubjiciendum oculis, minuſque harum controverſiarum peritis perſuadendum, nova non eſſe, quæ ad credendam S. S. Auguſtini & Thomæ de prædeſtinatione gratuita, & prævenientis ac *præoperantis* gratiæ neceſſitate & energia doctrinæ invidiam opponi non deſinunt, ſed ab ipſo quinti ſæculi initio a Viris cum moribus, tum ſtudio, & eloquio claris adverſus Auguſtinum magna animorum contentione jactata, nihili icirco pendenda, quum ab Auguſtino ipſo, ejuſque Diſcipulis copioſiſſime fuerint, & validiſſime refutata. Quæ ad Auguſtinum Proſper, eadem de Maſſilienſium querelis, ac erroribus ad eundem ſcripſit Hilarius Laicus Auguſtino jam notus, *deliciiſque præſentiæ* ejus olim *potitus* in Africa, addens epiſtolæ finem verſus: *Hæc, mi Pater, & alia interminabiliter plura, ut ſumma mea vota confitear, per me deferre maluiſſem, vel, quia hoc non merui, ſaltem prolixiore tempore omnia, quibus moventur, collecta dirigere, ut quidquid de hac re contradicitur, quatenus refelli, vel, ſi id non poteſt, tolerari deberet, audirem. Sed quia neutrum ex voto provenit, malui, quomodo potui, hæc comprehenſa dirigere, quam penitus de tanta quorundam contradictione reticere . . . Sed nunc ſummatim, quantum feſtinatio perlatoris admiſit, hæc velut commonendo ſuggeſſi. Tuæ ſane prudentiæ eſt, diſpicere, quid facto opus ſit, ut talium, & tantorum ſuperetur, vel temperetur intentio . . . . . Nec mireris, quod aliter, vel aliqua in hac epiſtola addidi, quantum puto, quæ in ſuperiore non dixeram, talis eſt enim nunc eorum definitio, præter illa, quæ fortaſſe per feſtinationem, aut oblivionem præterii.* Annuit utriuſque votis Auguſtinus, &, quo delatas ad ſe perlaudatas literas, Maſſilienſium querelas objectationeſque dilueret, erroreſque refutaret, libros duos iiſdem Proſpero & Hilario inſcriptos edidit, quorum prior eſt *de Prædeſtinatione Sanctorum*, alter *de Dono perſeverantiæ*. Quæ horum in Eccleſia Dei ſemper fuerit, debeatque auctoritas eſſe, declaravit dudum S. Hormiſdas Papa, inde potiſſimum perdiſcendum teſtans,

quid

Digitized by Google

quid de libero arbitrio, & gratia Dei Romana ſequatur, & ſervet Eccleſia; quare Sancti Africani Epiſcopi pro catholica fide in Sardiniam relegati hoc de iis perhonorificum tulerunt teſtimonium : *Præ omnibus ſtudium gerite, quos ad Proſperum & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere, quorum mentionem ſanctæ memoriæ Hormiſdas Apoſtolicæ Sedit glorioſus Antiſtes in epiſtola, quam conſulenti ſe Sancto fratri, Conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio catholicæ laudis inſeruit, cujus hæc verba ſunt : De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur & ſervet Eccleſia, licet in variis libris B. Auguſtini, & maxime ad Proſperum & Hilarium, abunde poſſit agnoſci, tamen & in ſcriniis eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur.* Hos biennio, aut anno, antequam e vivis excederet, lucubratos ab Auguſtino, an. ſcil. 428. aut 429., Eruditi conſentiunt.

V. Scite porro recteque ſcripſiſſe Hilarium, *alia interminabiliter plura* ſibi de Maſſilienſium querimoniis, & *contradictione* ſcribenda ſuppetere, nec potuiſſe a ſe, quoniam *Perlatoris feſtinatio* non ferebat, *omnia, quibus movebantur, collecta dirigi*, nec item Proſperum in ſua ad Auguſtinum epiſtola omnia eorumdem errata complexum eſſe, perſuaſum habebit, quiſquis Fauſti Regienſis libros *de libero arbitrio* duos, necnon tertiam decimam Caſſiani collationem, in qua Abbatem Cheremonem de gratia & libero arbitrio loquentem inducit, & probat, evolverit. Inde, ut & ex Maxentio Monacho, & Petro Diacono, qui Fauſtum exagitarunt, atque ex S. Proſperi adverſus Collatorem libro, perdoctus Alvarez diſp. 11. plurima ab utroque de gratia & libero arbitrio, atque de prædeſtinationis arcano prave falſoque dicta decerpſit, lateque deſcripſit, quæ huc conferre, non vacat; poſſunt enim apud eum legi. Duos autem hos Semipelagianorum Coryphæos fidenter appellavimus, ex quorum libris peſtilentis ſectæ errores bene multi depromi poſſunt, quod perſuaſum nobis firmiſſime ſit cum Theologorum pleriſque, necnon & Hiſtoricis inſignioribus, hos novæ ſectæ in Galliis auctores vere fuiſſe, atque duces; atque ut nonnulla de Fauſto dicamus, mirari ſatis non poſſumus, ſuſceptum ejus a Driedone, Ruardo Tappero, Sirmondo & Cellotio patrocinium, quum notiſſimum ſit latum de ejuſdem libris in Romana ſeptuaginta Epiſcoporum Synodo a S. Gelaſio t. judicium : *Opuſcula Fauſti Rejenſis Galliarum apocrypha* : Hac vero ſententia num *ſuprema auctoritate ſolum*, ut reponit Sirmondus, libri ejus exuti ? Et *inter hæreticorum & Schiſmaticorum quiſquilias* rejectos, *quas nullatenus Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia recipit*, ex literis patet S. Hormiſdæ Papæ ad Poſſeſſorem, & ex Synodica Africanorum Præſulum in Sardinia pro catholica fide exulum, qui *memorati Fauſti commenta veritati contraria, & catholicæ fidei penitus inimica* pronuntiarunt; quare Eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſtic. Parens ad an. x. 490. hæc habet : *Non eſt quidem, ut pro Fauſto aliqua poſſit in ejus defenſionem, aut excuſationem apologia elaborari, quem conſtat, in univerſo orbe catholico impugnatum; Etenim in Occidente Cæſarius & Avitus doctiſſimi, atque Sanctiſſimi in Galliis Epiſcopi adverſariis eum ſcriptis exagitarunt, eundemque in Africa S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſc. ſeptem libris vehementiſſime oppugnavit . . . . Sed qui præſtant his omnibus, Felix & Gelaſius Romani Pontifices eadem Fauſti ſcripta rejecerunt, ut plane univerſum Occidentalem orbem in eoſdem Fauſti libros inſurrexiſſe, oppugnaſſe, atque hæreſis condemnaſſe, manifeſtum ſit : In Oriente vero non unus duntaxat (quem refert Ado) Jo. Presbyter Antioch. eos Fauſti libros refellit, ſed Orthodoxi fere omnes.* Hominem ergo totius ferme Orientis & Occidentis conſenſione damnatum, quis abſolvere, recte poſſit ?

Neque minus mirari ſubit, aliquos, quos inter Antonius Boucat, in purgando a Semipelagianiſmi nota Caſſiano laboraſſe. Nihil ne ad eos permovendos momenti habuit lata de Caſſiani libris a mox laudato Gelaſio cenſura ? Poſtquam ſolenni judicio probavit *opuſcula Auguſtini, Hieronymi, Proſperi viri Religioſiſſimi, opuſcula item atque tractatus omnium Orthodoxorum Patrum, qui in nullo a S.R.Eccleſiæ conſortio deviarunt* &c. quam de Caſſiani libris ſententiam dicit ? *Opuſcula Caſſiani apocrypha . . . Hæc & omnia his ſimilia, quæ Cæleſtius, Pelagius, Julianus, necnon & omnes Hæreſiarchæ, eorumque Diſcipuli, ſive Schiſmatici docuerunt, vel conſcripſerunt, quorum nomina minime retinentur, non ſolum repudiata, verum etiam*

ab omni Romana, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia eliminata, atque cum ſuis Auctoribus, Auctorumque ſequacibus, ſub anathematis indiſſolubili vinculo in æternum confitemur, eſſe damnata. Quorſum Arauſic. II. Synodi canones recitemus ad configendos Semipelagianorum errores ex Caſſiani l. de *Protectione* Dei ſeu collat. 13., totidem pene verbis excerptos? Quorſum Caſſiodori l. 1. Divin. Inſtit. c. 29., Victoris Africani Epiſc., Bernonis Augienſis Abbatis, aliorumque veterum teſtimonia proferamus, Caſſianum a S. Proſpero jure *culpatum*, *ſub cautela legendum*, relata ejus opera *inter apocrypha*, quod fuerit per *B. Proſperum in certis de libero arbitrio reprehenſus* &c. ſcribentium? Damnatum olim ab Eccleſia Caſſianum annon præjudicatæ rei loco habuit poſuitque Clemens VIII., dum in notiſſimis iis, quas indixerat, Congregationibus diſquiri juſſit, an Molinæ doctrina *cum damnatis Caſſiani ſententiis conveniret?* Ad Caſſianum & Fauſtum adjungere, quod communius id Theologi ſciſcant, Vincentium Lirinenſem *Commonitorii* auctorem, quem & *Objectionum Vincentianarum*, quas S. Proſper diſpulit, artificem veriſimillime fuiſſe, ſtatuimus, Arnobium Juniorem, cujus feruntur in Pſalmos commentarii, necnon Gennadium *l. de Viris illuſtr., & de Eccleſiaſt. dogmatibus* Scriptorem, ſeu ejuſdem pravæ doctrinæ ſocios, non dubitamus, nec multæ futurum eſſet operæ id adverſus paucos eorumdem Patronos demonſtrare, niſi actum agendum eſſet, quum nihil addi poſſe videatur ad locupletiſſima momenta illa, quibus cum Cl. Noriſius *in hiſt. Pelag.*, tum Hyacinthus Serry in opere, cujus titulus, *Auguſtinus vindicatus*, hoc pene ad liquidum deduxerunt. Hac etiam de cauſa veterem illam, ac diu ante infelicem Auctorem opuſculi, *Veritable tradition de l'Egliſe* &c. ſtructam a nonnullis S. Jo. Chryſoſtomo calumniam, puros ab eo ſcilicet, putoſque Semipelagianorum præformatos errores, non ſuſcipimus refellendam, quod hoc egregie jam præſtiterit laudatus Serry c. 23. memorati opuſc., luculentiſſimis ejuſdem Chryſoſtomi teſtimoniis probans, illum de initio vocationis & fidei, de gratiæ quæcunque bona hominum opera prævenientis neceſſitate, atque efficacitate, de tota in ſalutis negotio referenda ad Deum gloria, deque prædeſtinatione gratuita idem plane docuiſſe, quod Auguſtinus, explicanſque legitime, quidquid apud eundem occurrit, quod videatur ſuperioribus, repugnare. De Semipelagian. erroribus diſtinctius infra latiuſque, quum ad ſingulorum refutationem deducta oratio fuerit.

VI. Quod demum infauſtæ hujus Pelagianiſmi ſobolis factum? Etſi illam, mox ut a Proſpero & Hilario per literas certior factus eſt, in laudatis, quos ad eoſdem dedit, de Prædeſt. S. S. & de Dono Perſever., validiſſime exagitarit, refelleritque Auguſtinus, eoque in cælos recepto Proſper præſertim *in epiſt. ad Rufinum*, in *carmine de ingratis*, in *reſponſ. ad Capitula object. Gallorum*, *ad Capitula object. Vincent.*, *ad excerpta Genuenſium*, in *l. contra Collatorem*, & alibi, ſtrenue oppugnarit, Gallias tamen annos ultra centum illa turbavit, donec ſolenni, ſæpiuſque iterato Eccleſiæ judicio obtrita atque extincta eſt. Audire non pigeat eximium ſæc. noni Scriptorem S. Remigium Lugd. Epiſc. in l. *de tenenda immobiliter Script. S. veritate, & S. S. Orthodoxorum P. P. auctoritate fideliter ſectanda* c. 4. hæc ſcribentem: *De B. Auguſtini libris, in quibus ex neceſſitate nova, ideſt Pelagiana, hæreſis deſtruendæ, & fidei catholicæ defendendæ inſtantiſſima intentione de nat. & grat., de grat., & lib. arbitr., de corrept., & grat., de Prædeſt. S. S., & dono perſever. & de bapt. Parvulorum, juxta profunditatem Script. S., & Evangelicæ, atque Apoſtolicæ doctrinæ regulam, multipliciter diſputavit, adhuc ipſo vivente, ſicut Proſper. & Hilarius ad eundem ſcribunt, & multo magis poſt obitum ejus, propter obſcuritatem rerum, & tarditatem minus intelligentium, multiplex querela, & maxime intra Gallias exorta eſt. Sed continuo per divina miſericordia providentiam, & Conciliis ac ſtatutis Beatiſſimorum Patrum, & decretis, ac auctoritate Apoſtolicæ Sedis Pontificum ſolertiſſime ſedata, atque ſanata, ita ut ſtultis atque indiſciplinatis quæſtionibus ſilentium imponeretur, & Sanctiſſimi, & ſinceriſſimi Doctoris auctoritas in omnibus Eccleſiis, atque in ipſa Sede Apoſtolica confirmaretur.* Exin recitatis S. Cæleſtini I. Rom. Pont. ad Gall. Epiſcopos literis ſic concludit: *Hunc igitur Beatiſſimum, & fideliſſimum Doctorem & Patrem ſemper in communione Sedis Apoſtolicæ habi-*

tum-

Digitized by Google

tum, ab ejus etiam Pontificibus inter Magiſtros doctrinæ fidei venetabiliter receptum, & eb ipſis tam clare & honorifice contra obloquentes & obtrectantes defenſum, ita ut impoſito improbis ſilentio, omnem de eo muſſitationem comprimendam, ac repellendem decernerent, etiam nos tota fidei devotione honoremus, toto ſtudio, & intenſione pietatis ſequamur . . . . Omnino abſit . . . , ut abjiciamus clariſſimæ veritatis dogmata, quæ in veriſſimis, & probatiſſimis libris ejus, non ſolum in cæteris Mundi partibus, ſed etiam in ipſa Se.le Apoſtolica, omnis Catholica ſuſcipit, & ſervat Eccleſia.

VII. Næ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ plane jejunus, qui Remigium, dum ait, contentionem de Auguſtini libris in Galliis exortam *Conciliis ac ſtatutis Beatiſſimorum Patrum ſoiertiſſime ſedetam atque ſanetam*, ſtatim non intelligat, ad Arauſicanam II. & Valentinam Synodos digitum intendiſſe, quarum definitionibus ab Apoſtolica Sede probatis durum & diuturnum hoc cum Semipelagianis Catholicorum bellum profligatum, confectumque. Ad priorem an. 529. habitam tranſmiſſos a Felice IV., qui tum Romæ ſedebat, Pontifice canones ad extirpandas Pelagianæ hæreſeos reliquias, eorumdem præfatio declarat: *Id nobis*, ajunt Patres, *ſecundum admonitionem & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, juſtum & rationabile viſum eſt, ut pauca capitula ab Apoſtolica nobis Sede tranſmiſſa . . . . ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus.* Hæc autem unde conflata, quam ex ipſis Auguſtini ſententiis, quemadmodum eruditis Viris, Binio in primis in ſuis ad hanc Synodum adnotationibus, animadverſum? His etiam nonne pravæ ipſæ Caſſiani & Fauſti aſſertiones pene ſyllabatim perſtrictæ atque damnatæ, ut l. 2. *Hiſt. Pelag.* c. 23., & in *Append. ad eandem* c. 2. Cl. Noriſius oſtendit? Valentinæ Synodi an. 531. aut 32. celebratæ, cujus quod dudum interciderint acta, prætermiſſa fere a Scriptoribus mentio, Cypriano S. Cæſarii Arelaten. Antiſtitis Diſcipulo notitia accepta referenda eſt in Ejuſdem vita ſcribenti l. 1. c. 30.: *Multi quidem æmuli ſurrexerunt, qui ejus reſiſterent doctrinæ de gratia prædicanti*, quam & in nuper habita, cui & præfuerat, Arauſ. II. Synodo confirmandam curarat: *Sed o felicitas æmulanda! Etenim ſuſurris, & mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem hominis Dei, fruſtra ſiniſtra ſuſpicio. Ob hoc Antiſtites Chriſti ultra Iſaram conſiſtentes, charitatis amore collecti in Valentina civitate conveniunt, quo etiem B. Cæſarius infirmitatis cauſa ſolicitatus, ſicut diſpoſuerat, properare non potuit: Miſit tamen præſtantiſſimos Viros de Epiſcopis, cum Presbyteris, & Diaconis, inter quos etiam Cyprianus Tolonenſis Epiſcopus, Antiſtes magnus & clerus enituit, omnia, quæ dicebat, de divinis utique Scripturis firmans, & de antiquiſſimis Patrum inſtitutionibus probans, nihil per ſe in divinis profectibus quemquam accipere poſſe, niſi fuerit primitus Dei gratia præveniente vocatus . . . . Quorum intentionibus Vir Dei Cæſarius dedit veram, & evidentem ex traditione Apoſtolica rationem; Nam Beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Eccleſiæ Papa* (II.) *eadem colluctatione comperta, calcata intentione jurgantium, proſecutionem S. Cæſarii Apoſtolica auctoritate firmavit. Idem, donante Chriſto, paulatim Eccleſiarum Antiſtites præceperunt, quod optaverat diabolus, repentina animoſitate caſſare.*

Quod vero idem Remigius ſcribit, *decretis & auctoritate Apoſtolicæ Sedis Pontificum*, & excitatas *de Auguſtini libris* turbas compreſſas, & *impoſitum ſtultis ac ſine diſciplina quæſtionibus ſilentium, & confirmatam in omnibus Eccleſiis, atque in ipſa Apoſtolica Sede, Auguſtini auctoritatem*, ejuſque *dogmata, non ſolum in cæteris Mundi partibus*, ſed *& in ipſa Apoſtolica Sede, ab omni catholica Eccleſia ſuſcipi, atque ſervari*, quo ſpectat? Pervulgatum eſt, nec ignorari, niſi ab Eccleſiaſticæ hiſtoriæ omnino rudibus poteſt, celeberrimum S. Cæleſtini I. ad Galliarum Epiſcopos reſcriptum, quo poſt commendatam eximie Auguſtini doctrinam, jubet, *imponi improbis* Auguſtino, *tanquam neceſſarium modum exceſſerit*, obloquentibus *ſilentium, ceſſare de tali re querelam in poſterum*, deſiſtere *novitatem ab inceſſenda vetuſtate, & inquietudinem ab Eccleſiarum quiete turbanda*. Notiſſima & attexta ad hoc ejus reſcriptum *Capitula*, quæ tametſi Surius, Card. Baronius, Suarez, Sirmondus, Jo. Gerardus Voſſius, Card. Noriſius, Dupinius, Queſnellius, aliique putent, ejuſdem Cæleſtini non eſſe, conſentiunt omnes tamen, adjecta illa aut a S. Leone M., qui tunc Cæleſti-

no

no ab Epiſtolis erat, aut a S. Proſpero, aut ab alio quopiam antiquæ memoriæ ſtudioſo, qui ſuperiorum Pontificum, Synodorumque decreta adverſus Pelagian., & Semipelagian. errores in ſummam contracta exhibuerit. Quorſum Gelaſium I. memoremus, qui & in ſuis ad Picæni Epiſcopos literis, Semipelagianorum dogmata de humanis conatibus gratiæ præeuntibus, de qua fide naturæ viribus parta damnavit, & in Rom. Synodo Caſſiani & Fauſti, quos Semipelagianæ aciei ductores fuiſſe, mox conſtituimus, opuſcula eadem, qua Montani, Priſcillæ, Maximillæ, Joviniani, aliorumque hæreticorum ſcripta, cenſura confixit? Nec dubitari poteſt, quin & Hormiſdam Remigius deſignarit, cujus celebratiſſima ad Poſſeſſorem Epiſc. reſponſio, nullam librorum Fauſti in Eccleſia auctoritatem eſſe, maximam tamen librorum Auguſtini, ad Proſperum præſertim & Hilarium, ceu qui *Romanæ, hoc eſt, Catholicæ Eccleſiæ de gratia & libero arbitrio* doctrinam contineant, necnon Felicem IV., cujus ſunt promulgati in Arauſic. II. Synodo adverſus Semipelagianorum dogmata canones, & epiſtola, qua S. Cæſarii Arelat. Epiſc. *de gratia & lib. arbit. opus, ubi docet, hominem nihil de proprio agere boni poſſe, niſi eum divina gratia prævenerit, roboravit, & in latius promulgavit*, Bonifacium denique II., qui ejuſdem Ceſarii, aliorumque Valentinæ Synodi Sacerdotum *confeſſionem uno conſenſu* editam, *fidem* nempe, *qua in Chriſto credimus, gratia Divinitatis præveniente, conferri, nihil præterea prorſus eſſe ſecundum Deum boni, quod ſine Dei quis gratia, aut velle, aut incipere, aut perficere poſſit .... conſentaneam catholicis Patrum regulis approbavit, ... & apoſtolica auctoritate firmavit*. Hic Maſſilienſium adverſus Auguſtini doctrinam pugnaciſſimæ & diuturnæ contentionis exitus. Non modo cauſam Ille Catholicorum omnium judicio obtinuit, ſed & ex ipſis ejuſdem verbis compoſiti canones, quibus acerrimi ejuſdem adverſarii confixi, eorumque errata proſcripta; quum denique *Roma* non ſemel *reſcripta veniſſent*, *cauſa finita eſt*.

PRÆLECTIO III.

De eodem argumento.

I. Veriſſime Divo Thomæ opuſc. 3. c. 9. animadverſum, veterum Hæreticorum complures, *dum aliquos errores vitare voluerunt, in contrarios incidiſſe*. Exemplum ille ponit in Ario, Eutychete, aliiſque; poſuimus & nos Prælect. I. n. IX. & X. in Pelagio, qui, ut adverſus Manichæos liberum hominis tutaretur arbitrium, veram Chriſti gratiam ſpecie, & nomine ſolum retinuit, re tamen ipſa ſuſtulit. Eſt nunc aliud in Luthero ponendum, de quo hæc Senonenſis Concilii Patres in Præfat.: *In errorem Manichæi incidit Lutherus, dum nimis anxie & ſcrupuloſe devitat Pelagium; metuens namque, liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne opus bonum, quod eſt in homine, Deo tribuit, & divinæ gratiæ, nihil prorſus libero arbitrio: Sicque tollens omnino liberum arbitrium Lutherus factus eſt Manichæus, dum refugit eſſe Pelagianus. Debuerat certe Lutherus ex Apoſtolo noſſe, ita neceſſariam eſſe divinam gratiam ad operandum bene, ut cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat*. Fatendum tamen, quod & Sapientiſſimus Alvarez ſcite adnotavit Diſp. III. n. VII., Lutherum (item & Calvinum) Manichæo ex parte, ex parte Pelagio conſentire, tametſi in multis diſcrepent ab utroque, cum Manichæo quidem, quod liberum arbitrium ambo de medio tollunt, malique originem non a libero voluntatis arbitrio, ſed a Deo ipſo impie repetunt: cum Pelagio autem, quoniam præpoſteram ejus conſecutionem probant, habentque ratam, nullum ſcilicet humanæ libertati reliquum locum, ſi abſoluto & efficaci divinæ voluntatis propoſito, quo omnia certo tempore futura ex æternitate prædefinierit, & prævenienti ac *præoperanti* Dei gratiæ locus detur; quare eandem cum Pelagio viam Lutherus & Calvinus ingreſſi in contrarios pugnanteſque errores devoluti ſunt; Ut enim prave argumentabatur ille: Sua eſt homini libertas, ſuus conatus, ſua induſtria: nulla ergo æterna & efficax divinæ voluntatis prædefinitio, nulla divinæ prævenientis, ac præoperantis gratiæ neceſſitas, ita hi ex adverſo: Cuncta Deus certo voluntatis ſuæ propoſito ex æternitate

tate diſpoſuit, eſtque ad omnia pietatis opera præveniens ac præoperans gratia neceſſaria: Jam nihil ergo in homine libertatis eſt reliquum.

II. Duorum pſeudo-evangelicæ reformationis artificum breviter perſtringemus errores, quos ſeſſ. VI. de Juſtit. Synodus Tridentina confixit. Nullam primum hominis lapſi, item a Deo moti & excitati libertatem eſſe, uterque docuit, Lutherus quidem in aſſert. artic. ad Leonem X. at. 36. „ liberum, (inquiens) arbitrium poſt „ peccatum res eſt de ſolo titulo, & dum „ facit, quod in ſe eſt, peccat mortali- „ ter. Liberum arbitrium eſt figmentum „ in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nul- „ li eſt in manu ſua, quidpiam cogitare „ boni aut mali, ſed omnia, ut Wicle- „ phi articulus, Conſtantiæ damnatus re- „ ćte docet, de neceſſitate abſoluta eve- „ niunt, quod & Poeta voluit, quando „ dixit, *Certa ſtant omnia lege.*" Item in l. qui inſcribitur: *Operationes in Pſalmos, ut Pſal.* v.: „ Error eſt, liberum arbi- „ trium habere activitatem in bona ope- „ re, quando de interno opere loquimur; „ velle enim illud, quod credere, ſpera- „ re, diligere, jam diximus, motus, ra- „ ptus, ductus Verbi Dei, & quædam „ continua purgatio & renovatio mentis, „ & ſenſus de die in diem in agnitionem „ Dei, licet non ſemper intenſa ſit illa „ paſſio, ſemper tamen eſt paſſio *Ecce*, „ inquit Hieremias c. 18., *ſicut lutum* „ *inmanu figuli, ita vos, domus Iſrael,* „ *in manu mea*. Quid, obſecro, activita- „ tis habet lutum, quando figulus ei for- „ mam affingit? Nonne mera paſſio ibi „ cernitur? &c."

Subſcribit Luthero Calvinus, qua parte nullam homini a Deo moto tribuit libertatem: Ab eo tamen diſſentit, quod non inanime quoddam liberum hominis arbitrium, & cujuſque efficientiæ omnino expers, ut Lutherus exiſtimat, ſed nonnihil ei efficacitatis ad agendum adſcribit, motumque proprium, at non liberum, ſed ſpontaneum & neceſſarium. „ Extranea „ eſt, (ita ille l. 2. Inſtit. c. 5. §. 14.) „ illa ſimilitudo, quæ nos invidioſe gra- „ vat. Quis enim ita delipit, ut homi- „ nis motionem a jactu lapidis nihil dif- „ ferre, authumet? Neque vero quidquam „ ſimile conſequitur ex noſtra doctrina. „ In naturales hominis facultates referi- „ mus, approbare, reſpuere, velle, nolle, „ eniti, reſiſtere, nempe approbare vani- „ tatem, reſpuere ſolidum bonum, velle „ malum, nolle bonum, eniti ad nequi- „ tiam, reſiſtere juſtitiæ." Verum quas voluntati ad bonum a Deo motæ partes tribuit? „ Sed erunt forte, (ib. c. 3. §. 7.) „ qui concedent, voluntatem a bono ſua- „ pte ingenio averſam ſola Domini vir- „ tute converti, ſic tamen, ut præparata „ ſuas in agendo partes habeat, quemad- „ modum docet Auguſtinus, *omne bonum* „ *opus gratiam præcedere, & id comitan-* „ *te, non ducente, pediſequa, non præ-* „ *via voluntate*, quod non male a S. Vi- „ ro dictum præpoſtere huc detorquet „ Petrus Lombardus. Ego autem tam „ in Prophetæ verbis, quæ citavi, quam „ in aliis locis, duo clare ſignari, con- „ tendo, quod & pravam noſtram volun- „ tatem corrigat Dominus, ſeu potius „ aboleat, & a ſeipſo bonam ſubmittat. „ Quatenus a gratia prævenitur, in eo „ ut pediſequam appelles, tibi permitto: „ Sed quia reformata opus eſt Domini, „ hoc perperam homini tribuitur, quod „ gratiæ prævenienti pediſequa voluntate „ obſequatur: Ideo non recte a Chryſo- „ ſtomo ſcriptum eſt, nec gratiam ſine „ voluntate, nec voluntatem ſine gratia „ quidquam poſſe operari, quaſi vero non „ ipſam quoque voluntatem operetur gra- „ tia, ſicuti nuper ex Paulo vidimus." Cæterum quid ſibi vult callidiſſimus homo, dum ait, *perperam homini tribui, quod prævenienti gratiæ pediſequa voluntate obſequatur, nec recte a Chryſoſtomo ſcriptum nec gratiam ſine voluntate* (conſentiente ſcilicet) *quidquam poſſe operari*? Liberum duntaxat, non autem ſpontaneum & non coactum, voluntatis obſequium ſive conſenſum explodit, quippe qui eam divinæ gratiæ efficacitatem perpetuo tribuit, quæ voluntati quidem vim non afferret, nec eam cogeret, libertate tamen nudaret, & vera diſſentiendi, ſeu non obſequendi, poſſentia, quod ex iis perſpicuum eſt, quæ ibidem n. 12. habet: „ Nos, „ ex quo ſemel Domini virtute in juſti- „ tiæ obſequium edomiti ſumus, *ultro* „ pergimus, & propenſi ſumus ad ſequen- „ dum gratiæ actionem, eſt enim certiſ- „ ſimum, ubi gratia Dei regnat, talem „ eſſe, (ſpontaneam ſcilicet & non coa- „ ctam, non vero liberam) obſequendi „ promptitudinem." *Ultro pergere*, inquit, *non libere* (aptiſſima ad hæc ejus ver-

verba Alvareſii adnotatio), quia ſemper negavit, voluntatem ſequi libere efficacis gratiæ motionem, in quo quidem erravit, meritoque ab Eccleſia damnatus, non autem quod prævenientem gratiam vere ſe ipſa efficacem agnoverit, quod & a nobis ſuperius oſtenſum.

III. Qui liberum hominis arbitrium ſuſtulerunt, docuiſſe num mirum, nullum eſſe futurum, quod fortuitum dicimus ſeu contingens, ſed omnia abſoluta neceſſitate evenire? Ut primum errorem a priſcis Hæreticis, a Wiclepho maxime, cujus hæc eſt in Trial. c. 13. impia poſitio *Deus neceſſitat creaturas ſingulas activas ad quemlibet actum ſuum*, ita & hunc alterum ab eodem Dialog. 3. c. 9. ſcribente, *Propoſitum Dei oportet, neceſſario adimpleri, & ſic omne futurum neceſſario eveniet*, uterque mutuatus eſt, ut ex iis patet, quæ jam ex trigeſimo ſexto Lutheri articulo ad Leonem X. exſcripſimus, & ex iis, quæ in l. *de ſervo arbitrio* ſcribit: *Deus nihil præſcit contingenter, ſed omnia immutabili, & æterna infallibilique voluntate & prævidet, & preponit, & facit*, unde perverſe concludit, *præſcientiam Dei ex diametro cum libero arbitrio, & rerum contingentia pugnare*. Non Melanctonem ſolum ceu Magiſtro Diſcipulum, l. 2. locor. commun. c. *de lib. arbitr.*, ſed & non uno loco Luthero concinuiſſe Calvinum, pervulgatum eſt, ex quo horrida hæc hauſit fidiſſimus ejus aſſecla Theodorus Beza *in Summ. Chriſtianiſmi* „ omnia „ ſtatuens ita neceſſario ex Dei immuta„ bili decreto evenire, ut ſecundum illud „ Judas neceſſario Chriſtum prodiderit, „ Herodes & Pilatus neceſſario Chriſtum „ condemnaverint, Reprobi neceſſario „ peccent & pereant, Adamus neceſſario „ lapſus ſit, quamquam creatus quidem „ fuerit bonus ad tempus, ſed ita, ut „ inevitabili Dei decreto, Deo ſciente, & „ ordinante, laberetur, qui non potuerit, „ ita labi, niſi ex Dei decreto, volunta„ te, & ordinatione. “ *In abſterſione* quoque *calumniarum* Neſtruſii, *ad* 1. *calum. de Provid. Dei* „ Non omnia, ait, tan„ tum, ſed etiam ſingula ex Dei decreto fie„ ri, & evenire, & quidem ejuſmodi de„ creto, ut falli nulla ratione poſſit. Ju„ das, ſi Dei decretum conſideremus, eo „ ipſo momento Dominum neceſſario pro„ didit: Herodes quoque & Pilatus ne„ ceſſario Chriſtum condemnaverunt, ſicut „ inquiunt Apoſtoli Act. 4., illos conve„ niſſe, ut peragerent, quæcunque ma„ nus, & conſilium Domini ante deter„ minarat, ut fieret. “ Gemina de Adæ lapſu tradit in *l. de arcana Dei Prædeſtin.* contra Caſtalionem.

IV. Hinc & altera fluit omnium maxime impia, ſummæque Dei ſanctitati maxime injuria utriuſque blaſphemia, Deum nempe malorum auctorem eſſe, & veram cauſam, ac mala quæque in hominibus, perinde ac bona operari. „ Quo„ modo poteſt (ait Lutherus in aſſertion. „ ar. 36.) ſeſe homo ad bonum præpa„ rare, quum, neque in poteſtate ejus „ ſit, vias ſuas malas facere, nam & ma„ la opera in impiis operatur Deus, ut „ Proverb. 16. dicitur: *Omnia propter ſe„ metipſum operatus eſt Dominus, etiam „ impium ad diem malum?* Quis audet „ negare, etiam in malis operibus ſæpe „ ſe coactum aliud facere, quam cogita„ verit? “ Et in l. *de ſervo arbitrio*: „ Si præſcivit Deus, Judam fore prodito„ rem, neceſſario Judas fiebat proditor, „ nec erat in manu Judæ aut ullius crea„ turæ aliter facere, aut voluntatem mu„ tare, licet id fecerit volendo non coa„ ctus; ſed velle erat opus illius, quod „ omnipotentia ſua movebat Deus, ſicut „ & omnia alia. “ Nec minus horrida atque nefaria, quæ ſcribunt Calvinus l. 3. inſtit. c. 23. §. 7. 8., Melancton ad cap. 8. & 9. epiſt. ad Rom., & Zuinglius ſerm. de Providentia c. 6.

V. Eſt demum utrique axiomatis certiſſimi, & explorati loco, mandata Dei eſſe *homini omnino impoſſibilia*, & ne divinæ gratiæ adminiculo quidem ſervari a quoquam poſſe. Hoc in ſacris literis tam explicatum perſpicuumque eſſe, contendit Lutherus, ut nihil magis; quare in confutatione rationis Latomianæ ajebat: “ Tot „ Scripturæ teſtimonia probant, manda„ tum eſſe impoſſibile nobis, ut nihil ſit „ manifeſtius. “ Quoniam autem Silveſter Prierias S. Palat. Apoſt. Magiſter, qui omnium primus adverſus Lutherum ſcripſit, hinc neceſſario conſequi demonſtrabat, Chriſtum *impoſſibilia juſiſſe*, quod a ſumma Auctoris ſalutis noſtræ pietate, & adverſus homines caritate perquam alienum eſt, quid nequam ille repoſuit? „ Peſſime facis (ita Lutherus in Reſponſ. „ ad Dialog. Silveſtri Prier.) quod negas „ Salvatorem impoſſibilia juſſiſſe: plus„ quam

„ quam peſſime facis, quod hoc falſitatem „ audes appellare : Non poſſumus in hac „ vita mandata Dei adimplere. “ Magiſtro diſcipulus plane coſonat, Luthero Melančton in c. 4. ep. ad Rom. ajens : „ Quum mandat lex, Deum diligi, perinde impoſſibilia jubet, atque ſi præcipiat „ nobis tranſvolare Caucaſum. “ Idem Calvino firmiſſime conſtitutum ; eſt enim hoc ejus l. 2. Inſtit. c. 7. conſtans, & præjudicatæ rei loco poſitum pronunciatum : „ Sit extra controverſiam, impoſſibile eſſe in hac carne legis implementum. “ Vix quiſquam ignorat, primum, quem notavimus, Lutheri & Calvini errorem a Tridentino ſeſ. vi. de Juſtiſ. can. iv. & v., ſecundum & tertium can. vi., poſtremum denique can. xviii. fuiſſe proſcritos.

VI. Etſi pervagatum ſit, multos e Lutheri gregalibus, quos propterea *molles* vocant, in pluribus doctrinæ capitibus palam ab eo deſciviſſe, nec jam plura probare, quæ ille docuit, nonnulla tamen de illata a Calvini Diſcipulis in magiſtri doctrinam mutatione ſolum perſequi lubet, quod hæc quippe quæ diutinas graviſſimaſque, ex quibus ad Catholicorum cauſam multum præſidii acceſſit, turbas eos inter excivit, ſcitu dignior ſit, ac utilior, propiuſque ad noſtrum pertineat inſtitutum. De bene multis, in quas Calvini ſecta ab ejus obitu diſcerpta eſt, non attinet dicere: *Antelapſarios* primum, & *Poſt*-vel *Sublapſarios*, exin Contra-Remonſtrantes, & Remonſtrantes, ſeu Gomariſtas & Arminianos memorare, operæ pretium eſt. *Antelapſarii* dicti, qui prædeſtinatos, aut reprobatos homines a Deo ante ſtatuunt, quam futurum Adæ lapſum ille prænorit : *Sub*-vel *Poſtlapſarii* contra, qui prædeſtinationi ac reprobationi hominum præiviſſe ponunt divinam lapſus Adæ præſcientiam. Priorum perverſiſſima hæc, quæ Calvini olim & Bezæ, de impiorum reprobatione, & iniquitate ſententia, *Deum ex mera ſua voluntate ab æterno, quem ipſi libuit, nulla ullius ipſorum indignitatis ratione habita, odio & exitio deſtinaſſe ; nam ſi nos in quotidiana animalium mactatione utimur noſtro arbitrio, neque injuſti dicimur, aut vere ſumus, ſi hodie bovem hunc mactemus, alterum non mactemus, quanto magis Deo ſuum relinquendum arbitrium, & abſolutum decretum in homines, qui reſpectu Dei non ſunt tanti, quanti hominibus culex, aut pulex? Deum propterea, hoc conſilio condidiſſe hominem, ut reipſa laberetur, quum nonniſi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos principales ; nam ſi Deus operatus eſt impium ad pœnam, ſequitur, quod etiam eumdem operatus ſit ad peccatum, quia niſi peccatum præceſſiſſet, pœnam juſte intelligere non poſſet ; falſum iccirco, Deum non habere opus peccatore, quippe opus eo habet ad patefaciendam gloriam ſuam: impoſſibile eſt autem, ut Deus alia via ad finem ſibi propoſitum perveniret*. Hæc ex Jo. Piſcatore in l. *contra Hemming. de gratia Dei*, *in Reſponſ. ad apolog. Bertii*, & alibi excepta : eadem habent Zanchius *de Nat. Dei*, Polanus *de prædeſt.*, Danæus *in Iſagog.*, Stermius *de Prædeſt.* &c.

Poſteriorum hæc præcipua placita, Deum iræ & ſeveritatis ſuæ adverſus hominum pleroſque, quos peccato Adæ obnoxios prævidit, reprobavitque, manifeſtandæ gratia decreviſſe, in hoc eos peccati ſtatu relinqui, nec unquam a peccati dominatu, ac damnatione liberari, etſi Chriſti mors & ſatisfactio univerſo hominum generi redimendo ſufficiat, nolle tamen Deum, ut æterno ab ſe exitio deſtinatis ulla ratione proſit, imo contrarium expreſſe velle, nolle, eis ſalutarem ullam, vel quæ ſaluti obtinendæ ſufficiat, gratiam impartiri, nec alia eos velle ad gratiam vocatione invitari, quam exteriori, cui non poſſint, non reluctari, idque non alterius perſæpe finis gratia, quam ut cæci magis fiant, magiſque obdureſcant, pluribuſque proinde ac gravioribus criminibus implicentur, eos quidem aliqua interdum luce perfundere, ſinere etiam, ut gaudeant, perſuaſumque haud minus habeant, electos ſe eſſe, quam electi ipſi, non alium tamen in finem, quam ne cauſentur, ſe neſciſſe, quid facto opus eſſet, vel ut imbecillitatem propriam, nullo tamen fructu, perceptam habeant, vel demum ut ſublime lati graviore lapſu in æternum exitium ruant, breviter, tam inepta eos, ſterili, & parca gratia donari, ut neceſſe ſit, eos in peccatis hærere, incredulos fieri, eaque admittere, ob quæ miſeri, ne quid perfectionis univerſo deſit, incredibilem ſibi conſciſcant, nec unquam deſituram calamitatem. Celebriorem inter Superlapſarios, & Sublapſarios, ex quibus hæc delibata, longum exhibuerunt ſyllabum Remonſtrantes, ſeu Arminiani part. 2. Actorum ſuorum, quæ Harderuvici an. 1620. ediderunt, quo probarent, nullos pla-

planius nitidiuſque ſententiam ſuam de Prædeſtin. & Reprobat. expoſuiſſe, quam citatos in ſyllabo, quorum fideliter teſtimonia deſcribunt, quum maxima parte præcipui ſint, ac celeberrimi doctrinæ hujus aſſertores atque patroni.

VII. Quoniam cum Supralapſariis, & Sublapſariis in hujus doctrinæ ſumma, quæ eadem omnino eſt, atque a Calvino conſtanter tradita, ſe convenire, palam aperteque fatebantur *Contra-Remonſtrantes*, ſeu Gomariſtæ a Franciſco Gomaro Groningenſi Miniſtro, & Lugduni Batavorum Theologiæ Profeſſore dicti, celebres alii contra in Hollandia Miniſtri, Gaſpar Coulhaſius præſertim, Hermannus Hebertus, Cornelius Vviggerus aliique, in Gomariſtarum ſententia *de Prædeſtinatione Dei circa homines, & quæ inde pendent, cum Redemptionis vel univerſalitate, vel ad certos homines aſtrictione, tum gratiæ divinæ auxiliis, converſioneque ac juſtificatione hominum, ac denique perſeverantia credentium in fide &c.*, impia multa, blaſphema, perabſurda, cum ſacrarum literarum ductu, tum ipſo naturæ lumine deprehendentes, ſaniorem perverſæ & prophanæ huic doctrinam cæperunt, qua verbo, qua ſcriptis opponere, infeliciter iamen; nam a Gomariſtis, publicis primum in concionibus, acriter exagitati, exin in Synodis Middelburgi, ac in aliis Hollandiæ cum Auſtralis, tum Borealis partibus celebratis, Magiſtratuum poteſtate, & adverſariorum multitudine magis, quam Scripturarum, ut par erat, auctoritate, & argumentorum pondere, oppreſſi; nec tamen cum Auctoribus oppreſſa cauſa: Ad eandem enim ſuſtentandam confirmandamque omnes ingenii, quo multum valebat, nervos intendit, Jacobus Arminius, a quo *Arminiani, & Remonſtrantes*, Amſtelodami primum Miniſter, dein Lugduni Batavorum Theol. Profeſſor, atque e Catholicorum, qui in his verſandis quæſtionibus potiſſimum eminuerant, libris (quod ei non ſemel a Gomariſtis exprobratum, verſumque crimini) argumenta mutuatus, impia & horrenda Calvini, Bezæ, Petri Martyris, Zanchii, rigidiorumque aliorum Calvini gregalium de Prædeſtin., de Chriſti redemptione, de gratia &c. quæ mox indicavimus, dogmata, validiſſime exploſit, refellitque, ad Catholicorum partes in his doctrinæ capitibus ferme tranſiiſſe viſus.

Nec tamen melior Arminianorum fortuna. Quomodo in Pſeudo-Synodo nationali Dordraci an. 1620. habita ab Adverſariis iniquiſſime oppreſſi, peſſimeque habiti, in Prælectionibus de locis Theol., quum de Conciliis ageremus, ſatis, ut putamus expoſitum: Quum autem memorata Synodus inaudita ſævitia Arminianos non *ſpiritualibus* ſolum, ut vocant, ſed & *temporalibus* pœnis, gravi pecuniariæ mulctæ irrogatione, carcere, exilio, capite etiam damnaſſet, ceu *non reos tantum, verum etiam convictos corruptæ religionis, ſciſſæ Eccleſiæ unitatis, graviſſimorum ſcandalorum, & intolerandæ pervicaciæ adverſus ſupremi Magiſtratus auctoritatem publicata in Synodo decreta, & adverſus ipſam venerandam Synodum*, ſingula hæc criminationis capita Arminiani ſolidiſſime depulerunt. Quæ ad diſpungendam *corruptæ religionis* accuſationem repoſuerunt initio *Actorum ſuorum in Præfatione*, digna ſunt, quæ exſcribantur; Ex iis enim vel maxime perſpicuum fiet, quam horrenda Gomariſtarum, quam Catholicorum doctrinæ affinis eſſet Remonſtrantium poſitio: " Quorum, amabo, criminum rei & convicti dicimur? Primum *corruptæ religionis*, ait Synodus. Itane, mi Lector? An religionem corrumpunt ii, qui ferreas, & fatales Parcarum tabulas expunctas cupiunt ab Eccleſia, in qua libera religio locum habet? Qui affirmant, Deum *ſolos fideles in vera fide* perſeverantes, aut morientes ad ſalutem elegiſſe, *infideles* vero *ſolos* reprobaſſe (hæc Calviniano fermento turgere, nemo non percipit), pro omnibus Chriſtum mortuum, omnibus vocatis ſufficientem dari gratiam *ad credendum*, *fidelibus* vero etiam ſingulare Spiritus Sancti robur ſubminiſtrari, ut ad finem uſque contra omnes tentationes *in fide* (& hæc poſtrema verba ſuſpecta) perſeverare poſſint, ſed tamen fieri nihilominus poſſe, concedunt, ut vocati divinæ vocationi morem gerere præfracte nolint, & fideles a gratia, & a ſalute æterna propria ſua, & vincibili culpa excidant. Ergone corculum, medulla, vita, & anima religionis eſt fatum tam dirum, tam horrendum, tam ab omni recta ratione alienum, quo ſtatuitur, abſque propriæ & vincibilis contumaciæ intuitu maximam humani generis partem a Deo reprobatam eſſe ad æternum, & lamentabile exitium, cæteros vero ſine fidei aut

obe-

„ obedientiæ propriæ reſpectu electos eſſe
„ ad gloriam immortalem? Hos perire non
„ poſſe ullis peccatis, illos ſalvari non poſſe,
„ neutros plus boni facere, aut mali omit-
„ tere poſſe, quam omittunt, aut faciunt,
„ illos non poſſe credere, quum vocan-
„ tur, hos non poſſe, non credere. Bone
„ Deus! Quo non recidunt mortales,
„ quum vitam & animam religionis in
„ eo collocant, quod religionis omnis præ-
„ ſentiſſimum venenum eſt? Rectius mul-
„ to judicat Svetonius, quum Tiberium
„ *religionum negligentiorem* fuiſſe, ait, eo
„ quod perſuaſionis plenus eſſet, *omnia fa-*
„ *to agi*; Etenim quis locus virtuti & vi-
„ tio, obedientiæ & inobedientiæ, præmio
„ & pœnæ? Quæ vis monitionum, hor-
„ tationum, promiſſorum, comminatio-
„ num, querelarum, precum, votorum,
„ gemituum, deſideriorum? Quæ neceſſi-
„ tas, quæ utilitas laboris, curæ, ſtudii,
„ ſpei, metus, zeli, aliorumque piorum
„ conatuum, ubi fatalis, & inevitabilis
„ actionum & eventuum omnium neceſſi-
„ tas æterna lege ſancita dominatur, at-
„ que obtinet? Sed quid mirum, *corruptæ*
„ *religionis* nos acceriiri ab iſtis fatalitatis
„ Manichalcæ aſſertoribus, quum ejuſdem
„ criminis olim Nero ſtrenuiſſimus fati aſ-
„ ſertor Chriſtianos homines ſanctiſſimos
„ inſimulaverit? *Cui ob Provinciam a la-*
„ *tronibus, & his qui novam humano ge-*
„ *neri ſuperſtitionem inculcabant* (quo no-
„ mine Chriſtiani deſignabant), *purga-*
„ *tam*, monumentum in Hiſpania ere-
„ ctum fuit: Ad cujus forte exemplum
„ Synodus hæc Dordracæna, quæ prima
„ horrendam illam fatalitatem ſolemniter
„ adſerere auſa fuit, aureo ſuo nummo
„ inſcribi juſſit: *Religione aſſerta.* “

VIII. Eſt tamen in hac cauſa præcipuum, maximeque animadverſione dignum, famoſas quinque Janſenii propoſitiones Gomariſtarum eſſe, diuque ante ab Arminianis rejectas, damnatas, refutataſque, quam in Janſenii libro ab Innocentio X. an. 1653. ſolemniter configerentur. Primam, *Aliqua*, videlicet, *Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*, ex Calvini, Bezæ, Petri Martyris, Zanchii, Triglandii, Geſelii, Thyſii, Piſcatoris, aliorumque rigidiorum Calvini Diſcipulorum libris exſcriptam Remonſtrantes *Actorum* ſuorum an. 1620. editorum Par. 3. *Theſi 6.* a Gomariſtis pertinaciter doceri probant, eamque erroris damnant, refelluntque latiſſime: Alteram, *Interiori* nempe *gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, a Calvino, aliiſque mox indicatis traditam, retentamque pugnaciter a Gomariſtis Arminiani ibid. *Theſi* 7. falſi revincunt, & vehementer exagitant: Tertia, *Ad merendum* ſcilicet, *vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas a neceſſitate; ſed ſufficit libertas a coactione*, eorumdem Gomariſtarum eſt, qui mediam Antelapſarios inter, & Sublapſarios viam ingreſſi ſtatuebant, *libere ſatis peccare hominem*, neque poſſe *a damnatione excuſari, quod ad peccandum non cogatur a Deo, ſed ſolum alliciendo, vel arcana voluntate neceſſitetur.* Hoc eis dogmatis loco eſſe, Remonſtrantes ibidem ex Actis præſertim *Collationis Hagienſis* evincunt, multiſque redarguunt: Item Parte 2. Adverſarios ridens, quod poſſe ab ſe miſero illo temperamento effici, ſperent, *ne dicatur Deus ad peccata cogere, ſi ſolum arcano modo, & voluntate homines neceſſitet ad peccatum*, ſatiſque putent humanæ libertati conſultum. Quartam, *Semipelagiani* nimirum *in hoc erant hæretici, quod vellent, eam* (interiorem prævenientem) *gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*, Gomariſtarum eſſe, ab Arminianis conſtantiſſime exploſam, ex Dordracænæ Synodi actis apertiſſime patet, in qua Arminiani Semipelagianorum hæreſeos rei damnati maxime, quod docerent, *gratiam Dei talem eſſe, cui humana voluntas poſſit reſiſtere.* Quintam demum, *Semipelagianum eſt, dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, quis dubitet, ab iiſdem Gomariſtis accerrime propugnatam, & ex eorum libris a Janſenio depromptam, quum Arminiani Act. ſuorum par. 2. innumera, eaque locupletiſſima adverſariorum teſtimonia deſcripſerint, quæ ſub oculis ponunt, docuiſſe illos, *non pro omnibus hominibus, ſed pro electis, ſive prædeſtinatis ſolum paſſum & mortuum Chriſtum*, hancque eorum ipſam poſitionem præ cæteris fuſe peræque, ac nervoſe depulerint?

Quoniam ergo memoratos Gomariſtarum errores ab Arminianis pridem improbatos, in Janſenio redivivos Innocentius X. ſolemni Conſtitutione protrivit, Auctor *Appendicis ad Floremundi Remundi hiſtoriam*

N 2 de

de ortu, progreſſu, ac ruinis hæreſum XVI. *ſæculi*, qui controverſiarum inter Novatores & ſchiſmatum ſæc. XVII. narrationem ex ipſis Sectariorum ſcriptis actiſque collectam digeſſit, & ad Ræmundi hiſtoriam attexuit, hunc ſub quinti capitis finem Romanæ Eccleſiæ veluti pæanem canit: " Habet igitur Romana Eccleſia hanc „ gloriam, quod, uti a ſuo Epiſcopo Innocentio I. damnatos vidit abnegatores „ gratiæ hæreticos Pelagianos, ita a ſuo „ Innocentio X. viderit oppreſſos alios hæreticos, qui gratiæ affinxerunt irreſiſtibilem neceſſitatem. Habet & Eccleſia Catholica tam erraudi, quam caritatem „ ſciudendi periculis paterue liberata, unde „ Patri ſuo amantiſſimo ſemper gratias „ agat, memoriamque ejus in benedictione conſervet ſempiterna. " Nos autem pauca hæc de variis gratiæ hoſtibus perſecuti, ad eorumdem errores pro modulo refellendos aggredimur. Nihil tamen *de Prædeſtinatione, & Reprobatione, de ſinceræ ſalutis omnium omnino hominum voluntate divina*, conſequenter *de univerſalitate Redemptionis*, *deque libero hominis arbitrio;* vetamur enim actum agere, quum priora capita noſtris in Prælectionibus *de voluntate Dei*, *& de Prædeſtinat.*, ut tenuitas noſtra ferebat, excuſſerimus; poſtremus autem, quod de *hominis libertate eſt*, videamur nobis, jam alibi ſatis firmaſſe, in exercitatione nempe *de homine reo*, ſeu *de originaria noxa* adverſus Lutherum, qui primi hominis crimine exciſum penitus, ſublatumque commentus eſt liberum hominis arbitrium; non ſemel autem in his Prælectionibus *de gratia* par. 1. adverſus Calvinum, qui fatalem, noſtræque libertati plane exitialem gratiæ energiam adſtruxit. Exagitandi ergo ſolum gratiæ hoſtium errores, qui ejuſdem neceſſitatem oppugnant, quod priuſquam exequimur, exponendi varii hominis ſtatus, eorumque ex D. Th. præſertim, & probatioribus ejus Diſcipulis germana evolvenda, & explicanda notio.

PRÆLECTIO IV.

De variis hominis ſtatibus.

I. Sicubi unquam, heic maxime neceſſarium Præclariſſimi Dominici Soto l. 1. de nat. & grat. c. 2. monitum, quod graviſſimis ejuſdem verbis exhibere placet, ne quidquam noſtro arbitratu addidiſſe, putemur. „ Sed hoc præterea in „ veſtibulo ſtatim diſputationis noſtræ „ (quam ſeq. cap. a variis hominum „ ſtatibus auſpicatur) cenſuimus admonendum, nempe quod in omnibus controverſiis diſtinguenda ea ſunt, de quibus, citra injuriam fidei, varie diverſeque ſentire cuique liberum eſt, utpote „ quæ in opinionibus verſari, permittat „ catholica Eccleſia, ab his, de quibus „ diſceptatur, an ſint Scripturis canonicis „ diſſona, nec ne, id profecto, a quo „ (pace utrorumque dixerim) adverſariis forte minus, ſed neque noſtris ſatis „ cautum eſt; Lutherani enim quamcunque doctrinam in aliquo forte Scriptorum noſtrorum offendant, ac ſit tota „ Schola apud nos Theologorum eam „ pro fide ſuſtineret, ita acriter impetunt, „ & oppugnant, ſuiſque populis perſuadere ſtudent, eam eſſe fidem noſtram, „ quum tamen earum complures nullius „ probabilitatis apud graves Doctores inter nos habeantur. Contra nonnulli ex „ noſtris (Catholicis ſcilicet) opinionem „ quamlibet ſuæ familiæ adeo mordicus „ propugnant, ac ſi ex illa convicta periculum immineret orthodoxæ fidei. Non „ ergo, ubi de fide agitur, plebem opinionibus, placitiſque hujus, aliuſve „ Scholæ vexemus, de quibus ſatis fuerit, intra gymnaſia diſputare. Verum, „ quæ ad fidem attinent, ea penitus ſint, „ quæ cum modeſtia, & charitate diſcutiamus, quod Dei miſericordia unius ſit „ nobis confeſſio fidei, eidemque pareamus Eccleſiæ, ubi, qui prius eſſe haud „ quaquam poteſt, futurus eſt diſcordiarum finis: Quod ſi cujuſpiam ſententiam Doctoris, (quod ſæpiſſime eſt „ neceſſarium) magis probare uſu venerit, admonitos faciemus Lectores, ſuaſionem eſſe humanam, non divinam „ perſuaſionem. " Qui alterius Sapientiſſimi, & Soto coævi Theologi, Melchioris videlicet Cano, aureum *de loc. Theolog.* opus, duodecimum præſertim *de eorundem locorum uſu librum* non indiligenter evolverint, idem ab eo deprehendent non ſemel Theologis inculcatum. Quorſum autem hoc prudentiſſimum utriuſque monitum huc maxime conferendum commendandumque duxerimus, ex iis, quæ mox, ſubobſcure tamen (neque enim expedit apertius loqui) dicturi ſumus, controverſia-

ſiarum præſentium gnari facile intelligent.

II. Nihil in Scholis pervulgatius quatuor hominis ſtatuum diſtinctione, *naturæ* ſcilicet *puræ*, *integræ*, *lapſæ*, & *reparatæ*: Quintum Cajetanus addit in comment. in art. ſec. quæſt. 109. 1. 2., ſtatum nempe naturæ rationali conſonum, *ut ſcilicet ſervetur rectitudo rationalis in omnibus partibus animæ*, eumque a ſtatu juſtitiæ originalis, ut hunc a ſtatu gratiæ gratum facientis, vel reapſe, vel ratione, diſcrevit: Cæteri tamen hæc ejus, tametſi ſubtilius excogitata, additio communiter non probatur; *hic enim ſtatus*, ut acute Jo. a S. Th. animadverſum, *vel eſt puræ naturæ, vel coincidit cum dono originalis juſtitiæ ordinis naturalis, ſi forte datur*. Nonnulla de ſingulis hominis ſtatibus dicenda, ut eorum fiat nobis percepta notio; ac de ſtatu *naturæ puræ* dicturi primum cum laudato Soto ibidem c. 3. animadvertimus, etſi nunquam fuerit homo, nec ex lege poſita eſſe extra culpam & gratiam poſſit in mera ſua natura, nihil obeſſe tamen, quo minus clarioris diſputationis gratia illum ita concipiamus animo, & effingamus. Ponamus itaque, naturalem hunc in modum creatum hominem culpæ perinde, ac gratiæ, & cujuſque, quod ſupra naturam eſt, doni prorſus expertem. In homine hujuſmodi, qualem veteres Philoſophi cognoverunt, tria nobis conſideranda occurrere, docet ibidem Soto, primo, quod ſubſtantias ſeparatas, & a corpore ſolutas inter, & corpora medius, atque adeo ex anima rationis compote & corpore coagmentatus, duabus polleret viribus ſeu facultatibus, *ſenſu* videlicet, quo nomine Philoſophi totam ſenſilem partem, cognoſcentem nempe & appetentem, deſignarunt, & *ratione*, mente nimirum, & voluntate. Hinc ab Ariſt. 2. Eth. in partes duas diſſectus homo, eam nempe, quæ rationis eſt particeps, & ſenſilem alteram, brutam utique & ratione vacuam, quam tamen rationi obedire, idem 1. Politic. docuit, non quidem ſervitio abſoluto, quod *deſpoticum* dicunt, ut domino ſervus, qui juris ſui quum non ſit, renitendi facultate caret (ita enim corporea membra animo inſerviunt) ſed obſequio regali & politico, ut civis Principi, cui poteſt, arbitratu ſuo non obedire. Hinc etiam manifeſto conſequitur, quum harum partium quæque in objectas ſibi congruenteſque res ſuapte ferretur, hæque forent, ut natura diverſæ, ita perſæpe contrariæ, futuram in eo ſtatu mentis cum ſenſu, hujuſque eum mente perpetuam fere colluctationem, eamque homini a natura ingenitam, quippe quæ ex diſſidentibus partibus oriretur.

Senſilem partem illam, cum qua inteſtinum & tunc fuiſſe menti diſſidium, nec ferme unquam intermiſſa contentio, *ſenſualitatem* a Theologis communiter dici, adnotat Soto, quæ tamen appellatio ad ſolum a Theologis ſentientem appetitum contrahitur; quum enim *ſenſualitatis* nomen, ut l. 12. de Trin. docet Auguſtinus, a *ſenſuali* motu depromtum ſit, quod ſenſualitas hominem extra rationis limites ad ea, quæ ſenſibus obnoxia ſunt, atque corpus afficiunt, pelliciat, ac etiam urgeat, movere autem non tam proprie cognoſcendi, quam appetendi facultati conveniat, ſolus propterea appetitus nomen inter Theologos obtinet ſenſualitatis. Hujus vero, etſi communi Philoſophorum, Theologorumque conſenſu duæ ſint partes, altera, quam *concupiſcibilem* dicunt, qua nimirum in ea ferimur, quæ congruunt, nobis vero adverſantia refugimus, alteram, quam *iraſcibilem* vocant, qua obſiſtentibus reſiſtimus, & his, quæ impedimento ſunt, ne appetitui conſentanea perſequamur, uſu tamen receptum eſt, ut totus animalis appetitus *concupiſcentia* dicatur, ea forte de cauſa, ut conjicit idem Soto, quod pars *concupiſcibilis* alterius fundamentum, & finis eſt; nunquam enim moleſta & ardua aggredimur, niſi eorum gratia, quæ nos delectant, ut nemo in hoſtem unquam iratus inſurgit, niſi quum ille obſtat, ne, quod hic cupit, pacate poſſideat. Ex his concludit Soto, concupiſcentiam, *etiam ſecluſa Adæ & juſtitia & culpa*, eſſe nobis & nativum morbum, & genuinum malum, quod terriodecimo ejuſdem l. cap. latius exequitur, heic tamen abſtinens a definiendo, an ex Adæ peccato aucta in nobis fuerit concupiſcentia, de quo quid ſentiat, c. 13. aperit.

Alterum in homine illo conſiderandum proponit ibidem Soto, quod videlicet, quum animal eſſet rationis particeps, non mente ſolum ſed & libertate vigeret; quum enim trinam Patres ac Theologi in homine divinam contempleutur imaginem, creationis nempe per naturam, recrea-

creationis per gratiam, & glorificationis per beatricem illam viſionem patriæ, quis dubitarit, futuram & tunc fuiſſe divinam in homine creationis imaginem per naturam? Hæc autem in quo poſita? Unum nunc audire libeat Damaſcænum, nam alibi, in exercitat. ſcil. *de opere ſex dierum*, copioſe de hoc argumento jam diximus: *Quod ſecundum imaginem eſt*, inquit, *intellectuale ſignificat*, *& arbitrio liberum*, *& per ſe poteſtativum*.

Tertia demum, ait Soto, de noſtro iſto phyſico homine conſideratio fuerit, duos eſſe hominis fines, alterum, cujus eſt ad naturalem hominis virtutem proportio, alterum, qui ſupra naturalem ejus virtutem eſt. De poſteriore hoc non eſt, cur dicamus; neque enim ad illum fuiſſet homo, quem fingimus, elevatus: In priorem autem tantummodo inquirentes, maxime naturalem hominis finem ſtatuimus operari ſemper ſecundum rationem, ſeu omnia propter honeſtum agere, quando & ubi oportet, ſecundum regulas a ratione præſcriptas; quare & priſcis Philoſophis, quemadmodum Auguſtinus 14. de civ. Dei, & Thomas 1. 2. q. 71. memorant, conſtitutum, virtutes omnes ſecundum hominis naturam, vitia præter naturam eſſe, & vetus actor *l. de Div. Nom.* ait: *Bonum hominis eſt*, *ſecundum rationem eſſe*, *malum autem*, *præter rationem*. Neque ad hoc perſuadendum demonſtratione opus eſt, quum ex ipſa hominis definitione ſit exploratum; Quid enim homo, niſi animal rationale, ſeu animal in hoc natum, ut ratione vivat? Cæterum ita eſt nobis hoc munus a natura innatum, ut ſenſualitas nobis impedimento ſit, ne ſemper id impleamus, ad quod nati ſumus; Appetitus enim in bona ſibi commoda & congrua præter rationis juſſum ſua vi & impetu tendens, aut rationem poſt ſe abripit, aut reluctanti moleſtiam creat, faceſſitque negotium.

III. Quid vero hic, quem animo concipimus, homo eo in ſtatu naturaliter poſſet, quid, niſi gratiæ auxilio confortatus? Reſpondet ibidem c. 4. Soto, poſſe illum tunc ſola Dei generali ope adjutum, & primam ſummamque rerum omnium cauſam noſſe, & ea, quæ de humanis virtutibus ac officiis jus naturale præſcribit, tum cognitione attingere, tum etiam quandoque uſu & more præſtare. Priorem propoſitionis partem naturalis hæc ratio perſuadet: Ut rerum effectarum eſt, ſuas repræſentare cauſas, ita homini ingenitum, ex præcognitis effectibus cauſas, ut cauſæ ſunt, veſtigare; Quum ergo Deus rerum omnium prima ſit cauſa, ſummuſque finis, ad ejus notitiam per hæc, quæ ſub ſenſibus cadunt, ejuſdem opera pervenire homo poterit, quod pro certo ponit Apoſtolus ad Rom. 1. veteres Philoſophos objurgans: *Quia quod notum eſt Dei*, ſeu quod cognoſci de Deo naturali mentis acie poteſt, *manifeſtum eſt illis*; *Deus enim illis manifeſtavit*: Hoc autem de ſolo naturæ lumine intelligendum, quis dubitet, quum ſtatim addat Apoſtolus: *Inviſibilia enim Dei a creatura mundi per ea*, *quæ facta ſunt*, *intellecta conſpiciuntur*, *ſempiterna quoque ejus virtus*, *& divinitas*; nam iſta ſunt, quæ de Deo poſſumus naturæ lumine ex creatis rebus haurire, unum nempe illum eſſe, ſempiternæ virtutis, infinitæ bonitatis, ac ſapientiæ, & cætera, quæ aſpectabilis hujus mundi machina mole ſua ordine, ac pulcritudine de præpotente rerum omnium cauſa *enarrat*, ut Pſaltes ait, & *annuntiat*, quæ & antiquis Philoſophis fuiſſe perſpecta, ex eorumdem libris apparet, in quibus & cuncta propter hominem eſſe, ac moveri, hominem vero propter primam cauſam, quæ eſt ſummus omnium finis, cui obedientiam propterea, & cultum debet, teſtati ſunt. Addit Soto, hominem, de quo loquimur, potuiſſe naturali eadem luce bonum inter & malum, honeſtum & turpe internoſcere, necnon prima illa humanæ vitæ elementa notiſſima cernere, *Id aliis facias*, *quod tibi vis fieri*, *idque ne facias*, *quod nec tibi velis*, intelligere denique, eſſe hominem politicum animal ad ſocietatem natum, alios aliis iccirco officia debere, quibus eos inter pax & tranquillitas contineretur.

Hinc veluti fluit alterius partis probatio; Quum enim agendorum cognitio, ut 2. Eth. docet Ariſtoteles, ad opus natura ſua ordinetur, ſi poſſet homo naturæ ſuæ vi tunc bonum honeſtum dijudicare, quidni & illud per voluntatem quandoque eligere, ac exequi, ſaltem qua in finem a natura præſcriptum refertur? Nonne eſt homo ſuapte natura animal rationis particeps, ſeu aptum natum, ut ſecundum rationem vivat? Quidni ergo poſſit interdum viribus ſuis id conſequi? Cui

Cui perſuaderi unquam poſſit, expugnari a ſenſualitate rationem poſſe, hanc vero ita viribus ſuopte attritam ac deſtitutam, ut viciſſim ſuperare illam nunquam poſſit, præſertim quum, ut mox declaratum eſt, virtus & bonum ſecundum hominis naturam ſit, malum autem & vitium præter ejus naturam?

At negant aliqui, poſſe hominem abſque ſpeciali Dei adjutorio bonum opus morale vel ſatis cognitione aſſequi, vel opere implere, quod referatur illud in Deum, neceſſe ſit, præſtari hoc autem ſola naturæ facultate non poſſit. Verum qui ſic diſſerunt, occurrit ibidem Soto, finem hominis naturalem inter, & eum, qui ſupra ejuſdem naturam eſt, haud oculate diſtinguunt; Quid enim opus *moraliter* bonum, niſi opus naturali hominis fini commenſuratum, ſeu quod propter honeſtum fit? Hujuſmodi autem, ideſt honeſtum, nonne ſe ipſo virtute refertur in Deum? Quid etiam vetat & actu in ipſum referri, quum ex creatis rebus ſolo naturæ lumine patere poſſit, eſſe Deum ultimum naturalem hominis finem? Ad honeſtum autem quo præterea opus? Mirum ſane, quum cætera ſive inanima, ſive animantia virtute polleant ſuos obtinendi fines, ita digniſſimum animantium hominem a nonnullis deprimi, ut negent, vires ei a natura ſuppetere, quibus finem aſſequi ab eadem ſibi præſcriptum quandoque poſſit, agere ſcilicet ſecundum rationem.

IV. Nemo tamen hinc inferat, potuiſſe in eo, quem fingimus, ſtatu hominem ſuis viribus totum naturæ bonum perficere, ſeu, quoties opus eſſet, bene moraliter agere. Quum enim fuiſſet & tunc perpetua ſenſualitatis adverſus rationem, ſeu carnis adverſus ſpiritum conflictatio, rationem, etſi non ſemper, ſæpe tamen hoſti ſuccumbere, oportuiſſet, niſi divinitus fuiſſet adjuta, præſertim quum ad domeſtici hoſtis nunquam non interruptam oppugnationem corporis accederet imbecillitas, quod etſi rationi deſpotico obſequio pareat, defatigatur tamen, neque debilitatum & laſſum poteſt ad nutum obtemperare rationi. Quid ergo? Unum aut alterum naturæ præceptum implere tunc potuiſſet, quoad operis, ut Schola loquitur, *ſubſtantiam* quidem, ſeu ut per opus *moraliter* bonum peccatum vitaret, non autem quantum ad modum, ut divinam ſcilicet ſibi amicitiam, quæ caritate jungitur, commereret. Sed neque id diu frequenterque potuiſſet, ut infra ſumus latius expoſituri, quod experimento ſuo comprobant, cum qui a Dei gratia & amicitia alieni ſunt, tum infideles maxime, qui a ſupremo Numine deſerti ſeſe in omnia vitiorum genera præcipites dant. Non eſt autem, ut heic demonſtrandum ſuſcipiamus, in quo tamen multis ibidem eſt Soto, non potuiſſe tunc hominem, vel naturali mentis acumine percipere, vel ſuis viribus feliciſſimum illum & ſummum, ad quem facti ſumus, finem conſequi; In veritate enim tam explorata non videtur nobis argumentatio quærenda, de qua tamen in Prælectionibus *de viſione beatifica* ſatis etiam diximus. Quare his ſummatim perſtrictis, dictorum epilogum ejuſdem eximii Theologi verbis facimus: „ Qui cauſam, (ait) „ originalis juſtitiæ inſpicere optat, qui „ lapſi hominis orbitatem, & impotentiam, qui gratiæ denique neceſſitatem „ in ſua radice perpendere, hæc tria aſſerta de homine in puris naturalibus ſibi ante oculos conſtituat: Nempe quod „ nudæ naturæ hominis poteſtas eſt, quavis ſemota culpa & gratia, per generale auxilium, bonum aliquod in genere morum naturale facere, quoniam „ animal eſt rationale, non tamen valet diu in ejuſmodi bono durare, quia „ ſæpe cadat, propter pugnam ſenſualitatis, & corporis imbecillitatem. Nihil „ tamen poteſt, facere, aut velle, vel „ cogitare, quod ſit meritum amicitiæ „ vel gloriæ Dei, propter infinitam ejus „ excellentiam. Quin vero tertium hoc „ fundamentum quamquam ratione hac „ naturali ſupra niſi ſumus fulcire, majoris tamen eſt certitudinis, quam ratio ulla naturalis, ob idque, cujuſcunque ſit ratio ponderis, hoc tamen fixum eſt Chriſtianis, & firmum, tanquam fides catholica, puta, quod in „ divinum conſortium nemo, niſi gratuita ejus bonitate, admittitur, juxta illud, *Nemo poteſt venire ad me, niſi* „ *Pater meus traxerit eum, & Gratia eſtis* „ *ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt*, & id genus „ plurima, quæ c. ult. l. 2. copioſius „ congeſta dilucidabimus. “

V. Hæc ex Theologo graviſſimo, cujus quanta fuerit in Tridentino Concilio

a pie-

Digitized by Google

a pietate & doctrina commendatio, ex Clariſſimo hiſtoriæ ejuſd. Conc. Scriptore Card. Sfortia Pallavicino ſatis compertum eſt, qui & ſuos *de nat. & grat.* libros ejuſdem Conc. Patribus obtulit, nuncupavitque, delibaſſe, ſat duximus; neque enim inducere animum unquam potuimus ad eredendum, quidquam ad argumentum, in quo verſamur, ejuſque adjuncta, momenti eſſe, aut eſſe poſſe in ea, quæ apud Recentiores Theologos interminata ferme eſt, magnoque animorum æſtu utrinque agitatur, quæſtione, ſitne videlicet ſtatus naturæ puræ abſolute, ut ajunt, *poſſibilis*, *an impoſſibilis?* Sinimus, ſuo quemque ingenio indulgere, & in quam affectus eſt, partem ſeſe dare. Satis habemus, ut paulo ſuperius cum Soto præmiſimus, nunquam revera fuiſſe hominem, nec *ex lege poſita*, vel, ut Scholæ verbis utamur, *in præſenti providentia*, ſeu *de potentia Dei ordinaria* eſſe poſſe extra culpam & gratiam in mera ſua natura creatum: hypotheſim autem, an *abſoluta* Dei pollentia creari ille ſic potuerit, an non, iis perlibenter relinquimus late verſandam, qui in ea perſuaſione ſunt, tractationem hujuſmodi plurimum ad quæſtiones de gratia habere non utilitatis ſolum, ſed etiam neceſſitatis. Ut quemque ſinimus in ſuo ſenſu abundare, ita ſperamus, nobis a nemine vitio datum iri, quod a perſuaſione hac animo imbibenda procul abſimus. Verum, ſi ponas creari abſolute a Deo potuiſſe *in puris naturalibus* hominem, quæ inde mala, quæ abſurda, quæ errorum monſtra! Recentiſſimus Scriptor, cui *ſyſtematica* in Proſperi *carmen de ingratis* diſquiſitio apud hodiernæ Auguſtinienſis Scholæ Theologos magnam, ut audimus, peperit & gratiam & laudem, *totis*, *quibus divinitus inſtructus eſt*, *viribus* ad hypotheſim hanc convellendam aggreſſus, ſibi probandum ſumit, *manare* inde *legitime purum putumque Pelagianiſmum obſcænum*, *germanum Manichæiſmum*, *turpem pudendumque Epicureiſmum*, *Philoſophiſmum damnato pejorem*, *peſſimum denique Atheiſmum*. Hui tantum malum! At ſunt, ait, *fatalia naturæ puræ*, ut eſt a Tournellio tit. de Grat. q. 2. p. 1. art. 3. *expoſita*, *legitima conſectaria*. Qui tamen in Theologorum libris nonnihil verſati ſunt, norunt, haud ſecus illam exponi ab aliis non paucis Tournellio prioribus, multoque inſignioribus extra Molinæ Scholam Theologis, cum quibus vix eſt ille aliquo nomine conferendus.

Dabit tamen veniam ſpectabilis Vir, ſi non poſſumus in hanc ejus ſententiam tranſire, neque complecti animo, *legitima* hæc eſſe hujus hypotheſis conſectaria. Sumus & ipſi ab adoleſcentia Sanctorum Auguſtini & Thomæ doctrinæ addictiſſimi, & quo magis ætate procedimus, eo ardentius ad eorumdem *tutiſſima*, *& inconcuſſa dogmata* afficimur, arctiuſque adhæreſcimus, & pene affigimur: Nihil nobis cum Tournellio, nihil cum iis, quibus ut gratificaretur, pervagatum eſt, deſciviſſe illum ab avita Pariſienſis Academiæ doctrina; quare *Sorbonæ deſertor* vulgo audit. Quibus Tournelius probat, non repugnare abſolute, quo minus homo a Deo *in puris naturalibus conderetur*, non legimus (neque enim delectari Scriptore hoc, unquam potuimus) ſed eam ſolum, quam *Syſtematicus* ipſe Diſquiſitor exſcribit, traditam a Tournelio ſtatus naturæ puræ notionem: hanc oculis animoque ſemel iterumque luſtravimus, momenta item Diſquiſitoris non oſcitanter excuſſimus, & ſuis quæque ponderibus, ut ferebat ingenii noſtri tenuitas, accurate libravimus. Quid tandem? Confidimus, fore, ut ſapiens diſquiſitionis Auctor, quem ſincere ſuſpicimus, habemuſque ob editum opus in multa laude, nos minus in ſe officioſos non exiſtimet, quod fateamur ingenue, ſuorum momentorum nullo perſuaderi nobis quod propoſuit, potuiſſe: Ut ſua cuique facies, ſua ſtatura, ſua indoles, ita & ſua cuique percipiendi ac cogitandi ratio, ſuus judicandi modus. Habeat ille momenta ſua demonſtrationum loco, quæ nulla poſſint ab Adverſariis ratione labefactari: Per nos licet, qui in neutram partem aperte nos damus, quod ſemper nobis utilius viſum ſit, & conſultius, ea perſequi, quæ revera fuerunt, aut ſunt, quam ad hypotheſes abire, & velis remiſque contendere, quidpiamne eſſe, aut non eſſe potuerit: Per eum tamen vieiſſim nobis liceat, non habere perſuaſum, in neganda ſtatus naturæ puræ, ut loquuntur, *poſſibilitate* Sancti Auguſtini de gratia & libero arbitrio doctrinæ veluti arcem poſitam, ejuſque contra incidi nervos, ſuccumque exhauriri, necnon ad funeſta & horrida illa corollaria, quæ probare nobis voluit, re-

rectam aperiri viam, ſi ejuſdem ſtatus *poſſibilitas* adſtruatur. Eorum intereſt, inter Auguſtini Diſcipulos maxime, qui in poſteriore hac ſententia ſunt, tetra hæc conſectaria, quod non admodum difficile erit, ab ea amoliri. Ad utiliora pergamus, alioſque humanæ naturæ ſtatus, quorum eſt ad inſtitutum noſtrum pernecſſaria cognitio, breviter expendamus.

VI. Nobis ſtatim ſeſe ſtatus *integritatis*, quem & juſtitiæ originalis ac innocentiæ dicunt, in quo ita erat divino munere inſtitutus homo, ut inferior ejus pars ſuperiori plene perfecteque ſubeſſet, corpus nimirum animæ, ſenſus menti, hæc autem Deo. Status hujus noſtris in exercitationibus de *Homine innocente* ita veritatem adverſus Incredulos videmur nobis conſtabiliſſe, conditiones etiam & dotes ex D. Thoma ita explicaſſe, ut nihil habeamus addendum. Etſi autem primi hominis integritas, ſeu juſtitia, quam originalem dicimus, Divo Thomæ 1. p. q. 95. art. 1. idem reipſa ſit ac gratia ſanctificans, eo tamen dignior & efficacior noſtra, quod non modo hominem Deo faceret gratum, ſed inferiores animæ vires, quas *ſenſualitatem* vocant, plane compeſceret, corpuſque in obſequium rationis roboraret, ut mens tranquille Deo ſubeſſet, alteram ab altera 1. 2. q. 109. art. 2., ut Interpretibus ejus animadverſum eſt, cogitatione ſemovet, ac intelligentia diſtinguit, inquirens, quid humana natura poſſet *in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente ante peccatum*, & ratione internoſcens donum inter naturam ſanans, confirmanſque in ordine *ad bonum ſibi proportionatum, & virtutem gratuitam ſuperadditam virtuti naturæ ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale;* „ Alia eſt enim, ut recte annotat „ Soto l. 1. c. 6., ratio de ſtatu juſtitiæ „ originalis, ſi eodem nomine compre„ hendatur gratia gratum faciens, alia „ vero, ſi præciſe intelligatur juſtitia ſa„ nans naturam in ordinem naturalem. “ Ex quo autem ibidem Angelicus doceat, potuiſſe hominem *in ſtatu naturæ integræ, quantum ad ſufficientiam operativæ virtutis, per ſua naturalia velle, & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum* &c., videaturque, integritatis donum, quod revera erat gratuitum, in *naturalibus* numerare, abſit, ut quiſquam ſecum animo reputet, traditum ab eo fuiſſe, quod præpollere & falſo Bajus poſtea ſcripſit, cujus hæ quoque inter alias bene multas ſunt ab Apoſtolica Sede damnatæ propoſitiones: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio: Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium: Falſa eſt ſententia Doctorum, primum hominem potuiſſe creari & inſtitui ſine juſtitia originali;* Non alio enim nomine probat ibidem, & alibi Soto, juſtitiæ illius donum a Thoma *inter naturalia* connumeratum, quamvis eſſet gratuitum, quam quod *naturam ſolum in ordine ad finem naturalem firmaret*. Idem hoc D. Thomæ dictum ſuis in Commentariis expendens Cajetanus ſcite ait, integritatem illam, quam *vigorem rationis* appellat, *ſimpliciter* nec naturæ, ab ea quippe non profluit, nec gratiæ, nam ultra bonum non fertur naturæ hominis proportionatum, quod eſt vivere ſecundum rationem, ſed quodam modo gratiæ, & quodam modo naturæ eſſe, quatenus nunquam homo vigorem hunc habuit aut habere potuit *ex naturalibus*, *ſed ex conjunctione ad donum originalis juſtitiæ*.

PRÆLECTIO V.

De eodem argumento.

I. JAm nunc diſquirendum, quid homo tunc viribus integer, rationeque, ut explicatum eſt, perfecte vigens naturaliter poſſet, quidve non poſſet niſi ſpeciali, altioriſque ordinis auxilio confirmatus. Primo ponimus ut exploratum, ſi originalis integritas a gratia gratum faciente intelligentia ſecernatur, non potuiſſe hominem quidpiam facere Dei amicitia & cæleſti hæreditate dignum, nec ſuis ſe viribus ad gratiam comparare; originalis enim integritas, ut a gratia ratione diſtinguitur, quid niſi naturæ ſanitas, atque vigor ad finem naturali virtuti præſcriptum, quo citra ſenſualitatis moleſtiam, & corporis impedimentum viveret homo, ageretque ſecundum rationem? Quum ergo, qui in Dei amicitia, & cæleſti gloria poſitus eſt finis, ſupra naturalem cujuſque creatæ rei facultatem quam longiſſime ſit, illum aſſequi naturæ viribus utut integris & valentibus, non potuiſſet homo, ſed eguiſſet veri nominis gratia, quæ tamen, ut ex Auguſtino diſcimus in l. de corrept. &

grat. c. 11., non fuiſſet ex Chriſti meritis: ait enim: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, ſed diſparem: Ille in bonis erat, quæ dono ſui Conditoris acceperat .... Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit &c.* Sed de gratia primo homini ad obtinendum, qui ſupra naturam eſt, finem neceſſaria, latius infra.

Potuiſſe tunc autem hominem bonum totum naturæ ſuæ proportionatum, agere ſcilicet ſecundum rationem *in ordine ad Deum*, qui naturalis boni principium & finis eſt, tum ſuopte ingenio noſſe, tum nativis viribus proſequi atque præſtare, conſtans eſt D. Thomæ poſitio, cui Theologi communiter aſſentiuntur; ait enim 1. 2. q. 109. ar. 2. *In ſtatu integritatis poterat homo per ſua naturalia, facere totum bonum ſibi proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ, non tamen bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ.* Procul autem a mente S. Doctoris aberrant, qui, quod Angelicus addat: *Non tamen ſine auxilio Dei moventis*, ſenſiſſe illum, putant, opus & tunc fuiſſe homini ſpeciali auxilio ad perficiendum naturalis ordinis bonum. Quod ſine ſpeciali Dei auxilio vere non poteſt, idne recte dicitur *per ſua naturalia* poſſe? Quum ergo D. Thomas abſolute pronuntiet, potuiſſe hominem integrum *per ſua naturalia totum bonum ſibi proportionatum*, auxilii Dei moventis nomine, quo & tum eguiſſe hominem, ſtatuit, quid deſignavit, niſi generale Dei auxilium, ſive motionem, ac concurſum? de quo audiendus Soto l. 1. c. 2. „ Naturæ voce (ait) in „ preſentiarum facultatem deſignamus na„ turalem liberi arbitrii ad bene agen„ dum, gratiæ autem nomine auxilium, „ donaque nobis ſuffecta divinitus ad ea „ officia, quibus ineundis & perficiendis „ natura non ſufficit: Ubi hoc animad„ vertendum, quod influxus concurſuſque „ Dei generalis, quamvis ſit Divinæ Ma„ jeſtati ſpontaneus, ac voluntarius, ad „ univerſalem pertinens providentiam, ta„ men quia in ipſa ſtatim rerum condi„ tione ita cum rerum natura concurrere „ pepigit, ut res ſineret, quod ait 3. de „ Trin. Auguſtinus, ſuis motibus natu„ ralibus agere, inter cauſas naturales an„ numeratur, quaſi naturæ debitus; Ut „ enim Dei fuerit miſericordiæ, naturas „ rerum ex nihilo condere, verumta„ men ſuæ ſingulis virtutes & qualita„ tes debentur, cælis nimirum lux, ho„ mini ſenſus & ratio, aliiſque alia, „ & pari ferme ratione concurſus ille ge„ neralis debitus eſt, quamdiu durave„ rit, univerſo. Quocirca ubi ajunt & „ Philoſophi, & Theologi, ſolem a na„ tura illuminare, ignem ſuapte natura „ excurrere, atque his ſimilia, nomine „ naturæ efficientiam Dei generalem com„ plectuntur, ſane qui non ſolum dat uni„ cuique formam eſſendi, agendique vir„ tutem, ſed univerſa tum ſuſtinet, ut „ ſint, tum movet, ut agant: Quæ au„ tem homo illo adjutus modo nequit, „ illa aut naturæ ejus repugnant, aut ſu„ pernaturali auxilio obtinet, atque hoc „ nuncupatur auxilium gratiæ, quaſi non „ naturæ debitum, ſed gratuito collatum, „ qua nimirum phraſi utitur Apoſtolus ad „ Rom. 4., ubi ait: *Ei qui operatur*, „ *merces non imputatur ſecundum gratiam*, „ *ſed ſecundum debitum*, quaſi opera, quæ „ ita ſunt in noſtro arbitrio poſita, ut ſo„ lo valeamus generali Dei influxu per„ ficere, noſtra ipſorum ſint &c. “

II. Hinc ſponte conſequitur, potuiſſe tunc hominem ſecluſa etiam gratia gratum faciente, omnia legis naturalis præcepta ſervare, imo & a vetiti ligni eſu abſtinere. Quoniam autem noſtra hæc, quæ Theologis eſt communis, aſſertio gravi Lutheranis offenſioni eſt, quaſi vero Pelagianorum inſtauremus errorem, poſſe nimirum hominem ſolis naturæ viribus ſervare mandata, recolendum eſt, præcepta Dei bifariam (quæ ſolennis eſt apud Theologos diſtinctio) impleri poſſe, quoad operum nempe, ut loquuntur, *ſubſtantiam*, quatenus homo juſta & honeſta, quæ genere ſuo ſunt bona abſque ullo pravo fine, aliove vitioſo adjuncto, explet, & quod *modum*, quod alii exponunt, ſecundum Dei, a quo leges omnes promanant, præcipientis mentem, ſeu intentionem eo ſpectantem, ut ejus adjuti gratia legem implentes æternæ nobis felicitatis meritum comparemus, quod ſatis expreſſit Chriſtus Math. 19. ajens: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Poſteriore hoc modo impleri ab homine ſive integro ſive lapſo Dei mandata potuiſſe aut poſſe citra ſpeciale Dei auxilium, cui Catholicorum unquam in mentem venit? Annon omnibus ratum, hominem, ut lapſum ſine *medicinali* Chriſti gratia illum *ſanante*, ac cum

Deo

Deo reconciliante, ita integrum abſque Conditoris auxilio illum *elevante*, & viribus augente, perficiendis hoc modo Dei præceptis, ſuapte imparem? Ad priorem itaque, qui imperfectus eſt, præcepta implendi modum communis Theologorum poſitio ſpectat, quam qui vituperant, ab ipſa naturæ ratione diſcedunt; Omnia enim ſive naturalis, ſive divinæ, quæ tamen naturæ lumine ſit perſpecta, ac etiam humanæ, modo juſta ſit, legis opera annon ſecundum rationem? Aliudne lex, quam rationis regula, ad quam noſtra dirigenda & collimanda ſunt opera? Quum ergo ſit homo animal rationis particeps natura ſua inſtitutus, ut ſecundum rationem vivat, opera hujuſmodi homo ſanus & integer, cui nihil moleſtiæ inferior appetitus, nihil impedimenti corpus afferebat, præſtare poterat ſuis viribus omnia ſolo generali Dei moventis auxilio fultus.

III. Theologorum etiam nemo unus eſt, qui non D. Thomæ ſubſcribat 1. 2. quæſt. 109. art. 3. docenti, potuiſſe tunc hominem, alia ſecluſa gratia Deum ſuper omnia naturali dilectione proſequi, quæ non eſſet tamen, ut dicunt, *meritoria*, nec Deo ad vitam æternam accepta; Quum enim omnibus conſtitutum ſit, hominem integrum ſatis habuiſſe virium ad totum ſibi *connaturale* bonum exequendum, an non & ad Deum, ut eſt naturalis boni principium & finis, ſuper omnia diligendum? Dilectionem hujuſmodi fuiſſe homini integro maxime connaturalem, probat Angelicus veriſſimo Philoſophi effato 2. Phyſic. *Unaquælibet res ita nata eſt appetere & agere, uti nata eſt eſſe*; quum ergo creata omnia, ſuo quæque ordine, ſint propter Deum, ſuo ſe modo propter Deum diligunt, quare & vetus auctor l. de Divin. Nom. ait: *Deus convertit omnia ad amorem ſui ipſius*: & homini itaque ingenitum eſt a natura Deum ſupra ſe diligere; quare quum naturalem hanc ejus inclinationem nulla tunc ſenſualitatis illecebra alio flecteret, nulla corporis retardaret infirmitas, ſe & officia ſua omnia referre in Deum poterat, quod eſt ipſum, ſuper omnia diligere. In hanc autem D. Th. rationem ſapiens eſt Soto animadverſio, Deum ſcilicet nec propter nos, nec propter aliud a ſe quidpiam, ſed propter ſe potiſſime res condidiſſe, ut ſuam veluti Deitatem exereret, quodamque modo in nos effunderet; Hoc enim Deum inter, & creata intereſt, quod hæc amore, quem concupiſcentiæ dicunt, obtinendi ſcilicet aut conſervandi finis gratia, agunt, nam & hac de cauſa bruta animantia partis alimentis utuntur, ut vivant, ſibique ſimilia procreant, in quibus ſuas perpetuo cuſtodiant ſpecies: Deus autem ex perfectiſſima qua ipſe ſe complectitur, benevolentia hanc rerum univerſitatem extruxit, *ut ſuum eſſet nomen ad ſuam ipſius gloriam effuſiſſimum*, quod ſignificavit Sapiens Prov. 16. ajens: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Creata denique agunt diſcipuli inſtar, qui ſcholas comparandæ ſcientiæ cauſa frequentat, Deus autem ut Magiſter, qui præ ſuæ amore ſapientiæ eandem in alios large derivat. Ut ergo omnia propter ſe fecit amatque, eaudem in rebus, quas effecit, propenſionem infudit, ut ſuum videlicet præ ſe ipſis auctorem diligerent, homo in primis, quem univerſorum Dominum inſtituebat.

IV. Quoniam autem ad hoc idem confirmandum D. Thomas exemplum ponit in partibus rei naturalis, puta brachio, quod ſui ſe periculo damnoque pro capite objicit, ubi ſalus totius in diſcrimine eſt, exemplum hoc ceu ineptum arrodunt Scotus aliique, prior quidem ajens, minus recte concludi, manum diligere totum præ ſe; neque enim ipſa ſe manus exponit, concludendum verius, totum ſe amare præ manu, nam homo ipſe manum, ut ſe tueatur, exponit: alii autem cavillantes, brachium non pro capitis, ſed pro ſui ipſius incolumitate ſe exponere, quod ipſummet in capite periclitetur. Neutrum tamen exemplum a D. Th. poſitum, & quod inde infertur, enervat, Quid enim, ut a poſteriore ordiamur, vanius & falſius, quam brachium propriam ſalutem, & non potius totius appetere, quum ipſum pereat, ut periculum avertat a capite? Alterum item quam eſt inane! Quid ſi homo ipſe ad ſui defenſionem manum exponit? Argumento eſt, totum quidem naturali jure membris imperare, ſuiſque partibus uti, naturalem tamen viciſſim in membris ineſſe appetitum obtemperandi; neque enim propter partes totum, ſed propter totum effectæ ſunt partes; quare naturali inſtinctu ad ejuſdem conſervationem etiam cum ſui diſpendio annituntur. Ex his naturæ principiis pervagatum eſt, veteres Philoſophos intuliſſe, debere etiam ci-

Digitized by Google

vem pro Repub. mortem oppetere. „ Colligitur ergo, (concludit Soto) intimum „ eſſe a natura homini, Deum ſupra ſe „ diligere, quod natura quidem integra plene facere poterat, corrupta tamen propter obſtacula impendio multa haud quaquam id ita valet, ut opera omnia in „ ipſum referat. “ Potuiſſe demum hominem integrum in eo ſtatu per collatum ſibi donum perſeverare, ſi voluiſſet, Auguſtini notiſſima ſententia eſt, de qua fuſius infra.

V. Adnotare poſtremo operæ pretium fuerit, integritatis ſtatum id habuiſſe eximium & peculiare, ut primum innocentis hominis peccatum non poſſet, niſi lethale eſſe, quo fieret feliciſſimi illius ſtatus jactura; nam leve, quod veniale dicimus, nec homini ab eo ſtatu dejiciendo ſat erat, nec, quandiu ille perſtabat, potuiſſe ab homine primum admitti, conſtans D. Th. poſitio eſt, quam 1. 2. qu. 89. art. 3. teſtatur eſſe communem, a qua etſi Scotus aliique receſſerint, & D. Th. momenta infirmare, conati ſint, totus tamen eorum niſus a Capreolo, Cajetano, aliiſque D. Th. Interpretibus retuſus, & fractus eſt. Sane, qui venialis peccati effectum & cauſas paulo attentius expenderit, non poteſt non de ſententiæ hujus veritate convinci; Quum enim non poſſit veniale peccatum alicujus pœnæ reatum non ſecum afferre, qui potuiſſet in feliciſſimo ſtatu illo locum habere, in quo nihil potuiſſe ineſſe *mali*, *quod hominis feliciter viventis animum unquam offenderet*, auctor eſt Auguſtinus l. præſertim 14. de *Civit. Dei* c. 10.? Ex iis etiam quæ ſcribit: *Erat tunc devitatio tranquilla peccati*, *qua manente*, *nullum omnino aliunde malum*, *quod contriſtaret*, *irruebat*, annon legitime fluit, non potuiſſe tunc lethali peccato veniale præire? Quum enim, quod pro certo ſumimus, veniale peccatum exturbando a tranquillo illo ſtatu homini par non eſſet, ſi admitti primum ab homine integro potuiſſet, fuiſſet ejus cum ſtatu innocentiæ ſocietas: In eum itaque irruiſſet malum aliquod, *quod contriſtaret*; neque enim veniale natura ſua malum & turpe, illudque conſequens pœna hominis ea digni voluntati repugnans potuiſſet innocentem adhuc hominem non contriſtare: falſo ergo ab Auguſtino ſcriptum, *nullum omnino aliunde potuiſſe tunc malum irruere quod contriſtaret*, *manente devitatione tranquilla peccati*, talis ſcilicet, quo ſolo fieri poſſet innocentiæ jactura. Quæ etiam tunc eſſe poterant venialiter peccandi cauſæ? Nulli tunc ſenſualitatis, quam perfecte juſtitia coercebat, ſubiti motus, nec etiam repentini, qui deliberationem præverterent, inordinati rationis motus: nulla tunc in corpore laſſitudo, quippe quod ſemper vigens, optimeque valens erat, & quod animo prompte obſequeretur; Neque vero prorſus a re ulla quidpiam periculi extrinſecus imminebat; alioqui ſtatus non fuiſſet feliciſſimus, qualis paradiſi vocabulo deſignatur.

VI. Tertius hominis ſtatus *naturæ lapſæ* communiter dicitur, in quo hominem intelligimus originali juſtitia & gratia nudatum, atque peccato obſtrictum. Hunc quum ex inſtituto perſecuti ſimus noſtris in exercitationibus *de homine reo*, ejuſdem notionem leviter attigiſſe, ſat fuerit. Diſſident jampridem inter ſeſe ipſimet D. Thomæ Diſcipuli, an, & quo ſtatus hic a ſtatu naturæ puræ differat, & an Ven. Beda illud Chriſti Lucæ 10. explicans: *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Jericho &c.* recte ſcripſerit, viatore illo ſpoliato a latronibus, relictoque plagis impoſitis ſemivivo denotatum a Chriſto præſentem hominis ſtatum, qui primi Parentis culpa tum *gratuitis ſpoliatus eſt*, *tum vulneratus in naturalibus*. Aliqui ſentiunt, peccatum Adæ nobis ſolum in gratuitis nocuiſſe, naturalia autem in nobis poſt peccatum perſtitiſſe integra atque inviolata, qualia ſuapte natura eſſent, ſi nullo fuiſſent gratuito ſuperioris ordinis divino munere affecta, quare ſecundum dicti illius tam inter Theologos celebrati, quod mox ex Beda retulimus, partem non probant. De hac ſententia, in qua & ipſe eſt, Bartholomæus Medina eximius D. Th. Interpres 1. 2. qu. 85. art. 3. ff. *Secundo infertur*, hæc habet: *Hæc eſt vera, divinaque theologia*, *quam docent univerſi Theologi*, *nominatim Cajetanus* 1. 2. q. 84. art. 3., & q. 109. art. 2. *Marſ.* in 2. q. 18. art. 1. *Doctiſſimus Soto* l. 1. de nat. & grat. c. 13. Idem Soto a Medina laudatus ibidem tradit, Theologos, quibus, D. Thomam annumerat 1. 2. qu. 81. *negare unanimiter*, vulneratum hominem in naturalibus, atque hominem in puris naturalibus inter & lapſum non aliter internoſcere (præter rationem culpæ), quam nudum inter, qui nunquam fuit indutus,

&

& nudatum iis, quibus veſtitus fuerat, ambo enim peræque ſunt nudi, niſi quod in primo nuditas nulla fuiſſet pœna, ſed ornamenti negatio naturalis, eſt autem in altero mulctatio propter culpam, ſive privatio.

Quia vero peccato aliquam factam in nobis eſſe boni naturalis imminutionem, ut jam minus in bonum propenſi ſimus, magiſque ad malum proni, quam in puris naturalibus fuiſſemus, videtur adſtruere D. Thomas loco mox citato ajens, inclinationem naturalem diminui per peccatum, & ibid. q. 85. art. 3. quatuor *vulnera* ponens humanæ naturæ per peccatum primi parentis inflicta, reſpondet Soto: „ Veritas „ hæc, quæ omnibus eſt in confeſſo, id „ tantum docet, quod in ipſo Adam per „ peccata ſua, ſicut & in nobis per actualia „ noſtra, debilitetur naturæ bonum „ propter corruptos habitus: Peccatum autem „ originale nullum ingenerat habitum „ neque (præterquam quod eſt culpa) aliter „ enervat inficitque naturam, quam ſi „ homo in puris naturalibus naſceretur. „ Cur autem dicatur vulneraſſe naturam, „ ex fundamento illo cap. 3. præjacto, „ totieſque a nobis reſumpto dilucidatur; „ Etenim quum natura rationalis hominis „ ſit, operari ſecundum rationem, a quo „ per ſenſualitatem cohibetur, donum illud „ juſtitiæ ſenſualitatem continens perficiebat „ hominem in naturalibus, quippe „ quum prohiberet, ne impediretur „ opus illud rationis homini naturale, ob „ idque ſupernaturalis illius doni privatio „ fuit vulnus in naturalibus, quatenus homo „ inde relictus eſt mancus, & incurſionibus „ diaboli, mundi, & carnis patens, ut non poſſit, juxta naturam ſuam „ perpetuo operari: Veluti ſi natura hominis „ eſſet recta linea incedere, haberet „ nihilominus alligatum ſibi canem „ alioverſum trahentem, qui canem aliquo „ remedio coerceret, perficeret hominem „ in naturalibus, & qui remedium „ auferret, pari modo læderet. Et ita intelligendus „ eſt canon primus noſtræ Sanctæ „ Synodi ſeſ. 5., ubi de effectibus peccati „ originalis ſancitum eſt, propter „ ipſum *incurriſſe nos captivitatem ſub poteſtate diaboli*, *totumque Adam*, atque „ adeo nos, *ſecundum corpus*, *& animam* „ *in deterius fuiſſe commutatum*; quo fit, „ ut homo cum ſolo originali, ſecluſis habitibus „ actualium, non feratur impen„ ſius in ſenſibilia, quam ſi eſſet in puris „ naturalibus: Atque ideo ſolum differunt „ ſicut moles ab alto cadens, impedita „ prius, & poſtea ablato impedimento, „ quæ quidem æquali vehementia cadit, „ antequam retineatur, & poſtquam removetur „ obſtaculum. “ Ipſa Cl. Auctoris verba dare voluimus, ut, qui ſententiam hanc ferme horrent, tantaſque adverſus ejus patronos tragœdias excitant, quaſi vero totum Auguſtinianæ doctrinæ ſyſtema funditus convellatur, hæc meminerint a Theologo graviſſimo, & doctrinæ Auguſtini ſtudioſiſſimo in Trident. Concilio vulgata, ejuſdemque Patribus, apud quos magna in laude erat, non inſcripta ſolum, ſed & probata. Conſequenter addit, mortem, atque morbos, qui plane mortis inchoatio ſunt, & inteſtina alia mala, quæ nobis cum natura connata eſſent, etiamſi nulla culpa præiſſet, jam nunc pœnam peccati eſſe, quo videlicet divinum illud beneficium ſublatum eſt, cujus ope ab univerſis ejuſmodi ſervabamur, quin & exteriora alia quæque mala, quæ nobis vel a feris animalibus, vel a cœli inclementia, vel ab elementis exiſtunt, vel ex noſtra nobis inſcitia, vel incogitantia, & vecordia contingunt, quibus in puræ naturæ ſtatu quotidie patiſſemus, jam nunc peccati primi parentis ultiones eſſe; Ab omnibus enim in illo feliciſſimo integritatis ſtatu eximia nos Dei providentia protexiſſet.

VII. Alvarez contra, cui præclara in Congregationibus *de auxiliis* Auguſtini *de gratia* doctrinæ defenſio una cum Thoma Lemoſio immortale peperit nomen, quem Recentiorum multi ſequuntur, l. *6. de auxiliis* diſput. 45. & 47. probat, *per originale peccatum* non gratuitis ſolum expoliatum hominem, ſed & *in naturalibus* ita *vulneratum*, ut, ſecluſo divinæ gratiæ adjutorio, jam minores ſint ejus ad bonum vires, major ad malum pronitas, quam ſi fuiſſet *in puris naturalibus* conditus, majus propterea lapſum hominem inter, & eum, qui in ſtatu naturæ puræ fuiſſet, diſcrimen eſſe quam inter nudatum & nudum. Facit utriuſque ſententiæ Auctorum exiſtimatio, momentorumque, quæ ad ſuam quiſque firmandam confert, vis ut abſtineamus a decernendo, quæ verior, & alteri præhabenda, maxime quum Cajetanus, Soto ac Medina perinde, ac Alvarez D. Thomam opinionis ſuæ auctorem

rem velint, nec definitu facile ſit, penes quos legitima Angelici interpretatio reſederit. Temperamento tamen utemur, quod Sapientiſſimus Mag. Jo: a S. Thoma ad utramque opinionem adhibuit, a quo utriuſque opinionis Patroni alieni certe non ſunt. „ Adverto (ait diſp. 19. de Grat. „ art. 1.), quod communiter dicitur, non „ differre ſtatum *puræ naturæ* ſecundum ſe „ & ſtatum *hominis lapſi*, ſed ſolum ſe„ cundum quandam connotationem, ſicut „ homo nudus & nudatus: eſſe enim nu„ datum connotat fuiſſe ante veſtitum, eo „ quod in pura natura eſt eadem contra„ rietas appetitus ad rationem, ſicut in „ peccatore, hoc, inquam, dictum eſt ve„ rum in aliquo, ſcilicet quantum ad vir„ tutem ſubiiciendi vires inferiores ſupe„ riori, in hoc enim parificantur (ideſt, „ tameiſi hac virtute uterque perinde ca„ reat, eam tamen ille nunquam accepe„ rat, iſte accepta per peccatum privatus „ eſt, ſibique relictus) Cæterum quantum „ ad converſionem ad finem infirmior eſt „ peccator, quam pura natura, quia per „ peccatum eſt homo converſus ad finem „ pravum, & averſus a Deo.; unde ma„ gis propendet ad malum ex parte finis „ pravi, & majus impedimentum præſtat „ ad bonum propter efficaciam illius finis, „ quam in ſtatu naturæ puræ, in qua nul„ lum conſideratur peccatum, nec finis „ pravus. " Poſterius hoc & Soto l. 1. de nat. & gr. cap. 14. ratum eſſe, ait Alvarez ibid. diſp. 45., Cajetano item ac Medinæ, patet ex eorumdem commentariis in pr. ſec. q. 109. art. 8., in quo D. Thomas ratione ex *præconcepto* fine pravo ducta demonſtrat, non poſſe hominem peccato obſtrictum dici peccatum vitare, *niſi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur*.

VIII. Ad poſtremum ventum eſt naturæ humanæ ſtatum, qui *natura reparatæ* dicitur, quam reparationem *copioſa Chriſti redemptio*, ejuſque *medicinalis* gratia lapſo ſaucioque homini adfert, cui per Sacramenta, quæ Chriſtus inſtituit *ad emundandam conſcientiam ab operibus mortuis, ut ſerviamus Deo viventi, virtus ſanguinis ejus, qui ſeipſum obtulit immaculatum Deo*, applicatur. Notandum tamen accuratiſſime, nam fidei dogma eſt, ex quo plurium infra dicendorum veritas pendet, reparationem hanc, ſanationemque hominis, incomprehenſo nobis Dei conſilio, plenam omni ex parte non eſſe, nec jam hominem ad eam per Chriſti gratiam ſanitatem integritatemque reduci, quæ innocentis hominis fuit; fide enim certum eſt, ut 1. 2. q. 109. art. 9. & alibi non ſemel docet D. Thomas, *etſi natura humana per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanere in ea tamen corruptionem & infectionem quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati*, ut ad Rom. 7. ſcribit Apoſtolus. Corruptionem hanc infectionemque, quam communiter *concupiſcentiam*, *peccati fomitem*, *legem peccati*, *tyrannum*, *morbum*, *vulnus*, *malumque naturæ*, Patres ac Theologi vocant, *manere in baptizatis, & ad agonem relictam* eſſe, ſeſ. 5. can. 5. Trident. Synodus *fatetur*, & *ſentit*, *declarans tamen*, *non eſſe ſuæ intentionis* (ut nec noſtræ eſt), *comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem*. Hinc D. Thomas ibid. q. 81. art. 3. ad 2. rationem afferens, cur & a parentibus baptiſmate tinctis originaria labes traducatur in prolem, ait: „ Pecca„ tum originale per baptiſmum aufertur „ reatu, inquantum anima recuperat gra„ tiam quantum ad mentem, remanet ta„ men peccatum originale actu quantum „ ad fomitem, qui eſt inordinatio partium „ inferiorum animæ, & ipſius corporis, ſe„ cundum quod homo generat, & non ſe„ cundum mentem, & ideo baptizati tra„ ducunt peccatum originale; Non enim „ parentes generant, inquantum ſunt re„ novati per baptiſmum, ſed inquantum „ retinent adhuc aliquid de vetuſtate pri„ mi peccati. "

IX. Quid porro ſi *aliquid de primi peccati vetuſtate* reliquum eſt adhuc in homine etiam renato? An quidquid *veram & propriam peccati rationem habet*, baptiſmo *non tollitur?* Ita quidem Lutherus, cujus errorem in exercitat. *de homine reo* pro virili retudimus, illud Pauli ad Rom. 7., *Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret, non concupiſces*, interpretans, ait: *Ecce concupiſcentia peccatum eſt; neque locus relinquitur interpretandi, non eſſe proprie peccatum, ſiquidem Paulus ait, lege eſſe prohibitam*, ſubditque, *propter illam concupiſcentiam carnis quotidie nos precari in oratione Dominica, dimitte nobis debita noſtra*. Errorem hunc non cum ſcripto traditoque Dei verbo ſolum, ſed & cum ipſa naturæ ratione, quæ ſciſcit peccatum pro-

proprie nullum eſſe, niſi voluntarium quodque vitari poſſit, aperte pugnare, alibi demonſtratum. Quoniam autem Lutherani ea ſunt impudentia, ut Auguſtinum craſſi hujus erroris coryphæum jactare audeant, nonnulla dabimus Auguſtini teſtimonia, quibus velut oculis ſubiiciatur, non poſſe eos Auguſtino apertius contradicere. *Neque enim*, ait l. 1. *contr. duas Epiſt. Pelagian.* c. 13., *propter ipſam concupiſcentiam, cujus jam reatus lavacro regenerationis abſumptus eſt, dicunt in oratione baptizati, dimitte nobis debita noſtra, . . . ſed propter peccata, quæ fiunt, ſive in ejus conſenſionibus, quum ab eo quodlibet vincitur, quod placet, ſive quum per ignorantiam malum quaſi bonum placet: fiunt autem, ſive operando, ſive, quod facillimum & celerrimum eſt, cogitando: Illud ſane quod in oratione ſequitur, ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo, propter ipſam dicitur*, quod & eo Jacobi 1. teſtimonio confirmat, *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus: Deinde concupiſcentia, quum conceperit* (voluntate nimirum præbente conſenſum) *parit peccatum*. Quum Auguſtinus diſerte ſcribat, propter voluntatis conſenſiones, quoniam peccata ſunt, rogare nos Deum, *dimitte nobis &c.*, addere autem, *ne nos inferas in tentationem*, propter ipſam nos pellicientem, ac ſtimulantem concupiſcentiam, annon palam ſignificat, non ipſam, ſed voluntatis opera peccata eſſe, nec eandem ante conſenſum, ſed ſolum quum ex conſenſu conceperit, fieri peccati matrem?

Quid & eo luculentius, quod l. 2. de Peccat. mer. & remiſ. c. 28. habet? *Hæc lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apoſtolus, quum dicit, non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus, non ſic manet in renatis, quaſi non ſit remiſſa, & perempta, niſi conſenſionibus quodammodo reviviſcat, & in regnum proprium dominationemque revocetur*, quibus gemina tradit l. 1. de nupt. & concup. cap. 23., *ipſa*, ajens, *concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque, ut ea perpetrent, a regina mente membra non dantur, ut ſi non fit, quod ſcriptum eſt, non concupiſcas, fiat ſaltem, quod alibi legitur, poſt concupiſcentias tuas non eas.* „ Quod ſi analogia (ait perbelle „ Soto l. 1. cap. 12.) ex civili Republi„ ca apud iſtos (Lutheranos), ut æquum „ eſt, valeret, profecto, tyranno civita„ tem obſidione premente, quamdiu cives „ belli pondus ſuſtinent, & bona fide ob„ ſiſtunt, extra noxam ſunt: ſed ubi pri„ mum ſe dedunt, tunc incipiunt in cri„ mine eſſe. Cur ergo, dum voluntas ab „ atce rationis ſenſualitatis incurſus ſtre„ nue vel perfert, vel comprimit, vitio „ ſibi detur, quod homo invitus veluti fe„ brim & naturalem morbum patitur? “ Sed de hoc jam alias.

X. Perinde certum, renovatum mente per gratiam hominem, ut adhuc infeſtis concupiſcentiæ incurſionibus quotidie patet, ita & corpore infirmum manere, & mortalem; Etſi enim mors aliaque corporis incommoda jam peccati effecta & pœnæ ſint, peccatum autem horum cauſa baptiſmo vel pœnitentia tollatur, non tamen inde conſequitur remota cauſa, ut in proverbio eſt, removeri & effectum. Hujus rationem petit Angelicus ex Divinæ Sapientiæ arcano conſilio, 1. 2. q.85. art. 5. ad 2. ajens: „ Culpa originalis & a„ ctualis removetur ab eodem (a Deo „ nempe) a quo removentur & hujuſmo„ di defectus, ſecundum illud Apoſtoli ad „ Rom. 8. *Vivificabit mortalia corpora ve„ ſtra per inhabitantem Spiritum ejus in „ vobis*; ſed utrumque fit ſecundum ordi„ nem Divinæ Sapientiæ congruo tempo„ re; Oportet enim, quod ad immortali„ tatem & impaſſibilitatem gloriæ, quæ „ in Chriſto inchoata eſt, & per Chri„ ſtum nobis acquiſita, perveniamus con„ formati prius paſſionibus ejus: unde o„ portet, quod ad tempus ejus paſſibili„ tas in noſtris corporibus remaneat ad „ impaſſibilitatem gloriæ promerendam „ conformiter Chriſto. “ Perpetua itaque legis carnis cum lege ſpiritus conflictio, aliaque naturæ vulnera per gratiam nondum perfecte ſanata, necnon corporis adhuc mortalis infirmitas in cauſa ſunt, cur reparatus mente licet homo per gratiam, plura tamen non poſſit, niſi ſpeciali Dei adjutorio confirmetur, quæ ſunt diſtincte ſequentibus Prælectionibus declaranda.

PRÆLECTIO VI.

De gratiæ ad veri cognitionem neceſſitate.

I. HUjus aliarumque ſimilium quæſtionum diſquiſitio neque ad naturæ puræ ſtatum, qui nunquam fuit, neque ad ſtatum naturæ integræ, qui iam dudum intercidit, exigenda, ſed ad præſentem, in quo ſpectandus homo, vel ut nondum eſt a peccati morbo medicinali Chriſti gratia ſanatus, vel ut per eam reductus ad ſanitatem; quoad ſuperiorem tamen ſolummodo ſui partem, mentem ſcilicet, quod ſemel adnotaſſe, ſat fuerit. A veri autem cognitione diſquiſitionem ordimur, quod, ut eſt intellectus voluntate naturali ordine prior, ita & veri cognitio boni appetitionem naturaliter antevertat. Omnium porro conſenſu verum eſt duplex, naturale aliud, aliud ſupra naturam, ac de utroque dicendum. Prioris ordinis verum nonnulli plus æquo porrigunt; quum enim veri naturalis nomine veniat, quidquid ſupra naturam non eſt, in veritatibus naturalibus numerant & ea, quæ nec ſunt, nec fuerunt, ſed eſſe poſſunt, modo ad naturalem ordinem ſpectent, & ſubſtantias corporis prorſus expertes, aliaque hujus generis, quorum tamen cognitio naturali mentis noſtræ facultati non ſubeſt. Sapienter itaque monet Jo: a S. Thoma, e naturalium veritatum cenſu plura eximenda, non ſubſtantias ſeparatas ſolum, cogitationes cordium, futura fortuita, ſeu contingentia, ſed & nonnulla, quæ licet cadere ſub ſenſibus ſuapte poſſint, naturaliter tamen hominem latent, quod phyſicum quid obſtet, quo minus ſenſibus obiiciantur, ut quæ intra orbes cæleſtes ſunt, quæ in terræ viſceribus, aut in maris profundo latent, præterita item hominum geſta omnia, quorum jam nullum veſtigium ſupereſt; Quis enim poſſit, hæc omnia ſingulatim noſſe? *Arenam maris*, ſcriptum eſt Eccleſiaſt. 1., *& pluviæ guttas, & dies ſæculi, quis enumerabit?* Hinc D. Th. 1. p. q. 94. art. 3. inter ea, quæ naturali ſtudio cognoſci nequeunt, quorum & Adamum etſi omnigenæ naturalium ſcientia a Deo donatum cognitio fugit, individua quædam numerat, quæ ſcire nec ad intellectus perfectionem, nec ad vitæ gubernationem pertinet, v. g. *quot lapides in fluvio jaceant &c.* quibus cognoſcendis, ſi ſorent ſatis propoſita, etſi mens hominis natura ſua par eſſet, impar eſt tamen, quod non ſint illa propoſita. De quo itaque naturali vero quæſtio ponitur, poſſit ne illud ab homine ſine ſpeciali gratia, ſeu beneficio naturæ indebito, etſi ſupra naturam non ſit, cognoſci? In eas ſolum veritates naturales inquirimus, *in quarum notitiam*, ait D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1., *poteſt homo per ſenſibilia devenire*, vel, *quæ*, ut idem in 2. ſent. diſt. 28. q. 1. art. 5. docet, *ex primis principiis naturalibus poſſunt deduci*.

II. Lutherum non moramur, cujus & hæc inſana poſitio fertur, nihil veri cognoſci a nobis poſſe, omnemque ſcientiam noſtram merum errorem eſſe, quod de corde malo, neque per gratiam ſanato proficiſcatur. Quis vecordiam hominis ſuo ſe dicto palam damnantis non percipit? Error ſi eſt omne, quod ſcimus: error itaque atque mendacium eſt, quidquid Lutherus ait, & ſcripſit: Erravit ergo, atque mentitus eſt ille, quum ſtatuit, nullam eſſe veri ſcientiam. Veterum quidam a D. Thoma in 2. ſent. loc. cit. memorati ſenſerunt, intellectus lumen ad quidpiam veri percipiendum ſatis non eſſe, ſed opus habere adjuncto lumine, ſicut oculus utut ſanus & vigens luce ſolis, aut facis eget, ut videat: Alii contra illud cuicunque, modo naturalis ordinis ſit, cognoſcendo vero ſufficere: Nonnulli neutrum generatim ac indefinite decernunt, ſed inter has veritates internoſcentes, quaſdam, divinas præſertim; Deum e. g. eſſe &c., captu ſuapte tam difficile ponunt, ut perſpici a nobis ſine Dei revelatione non poſſint, quorum opinionem refellit D. Thomas 1. contr. G. c. 12. Alii demum ſingulas has veritates inter, & earumdem complexionem ſeu collectionem ſcite diſtinguunt, affirmantque, ſingulas diviſim attingi ab homine ſine ſpeciali adjutorio poſſe, negant autem, omnes conjunctim, ſeu, ut loquuntur, *collective*. Nec prætermittenda ſingularis Vaſpuzii opinio, qui ſpecialis, & a dono creationis diſtinctæ gratiæ ad cujuſlibet veri cognitionem neceſſitatem repetit non a luminis defectu, ſed a potentiæ, ut ipſe loquitur, *indifferentia & contingentia*; Quum enim mens ſit indifferens, ut ad hoc potius verum, quam ad illud excitetur ac moveatur, poteſt Deus, *ſalvo dono creationis*, mentem ad hoc verum excitare, vel, illo miſſo, ad aliud mo-

movere, vel errorem permittere; Quod ergo illam definite ad verum hoc moveat, gratuitum Dei beneficium eſt, neque debitum, neque cum creationis dono connexum, ſpecialis propterea gratiæ loco habendum. Item poſt excitatam ad verum aliquod mentem, quod Deus amoveat quidquid poſſet a proſequenda veri cognitione mentem avertere, vel ita cauſas naturales temperet, ut tale verum occurrat, & ſine errore attingatur, annon ſingularis Dei providentia atque protectio eſt, & non conſectarium creationis?

III. Quæ noſtra demum ſententia? Quæ D. Thomæ omniumque poſt eum ferme Theologorum, quodlibet ſcilicet naturalis ordinis verum *cum ſolo generali Dei moventis auxilio*, ſive concurſu ab homine ſingillatim attingi poſſe, non tamen conjunctim, abſque errore præſertim & falſitate. Numquid vero prior aſſertionis noſtræ pars in omnia humanæ ſpeciei individua quadrat? Abſit, ut quis tam præpoſtere id dictum accipiat; Quot enim ſunt tardo adeo & obtuſo ingenio, ut parum diſtent a pecore, & maxime facilia ipſa plurimum etiam inculcata vix capiant? Horum prius tollenda ſingulari Dei adjutorio hebetudo, ac diſpellenda ſtupiditas, quæ impedimento eſt, ne ſuas in eis ratio vires exerat. Quod ergo primo poſuimus, in humanam naturam cadit, cujus vires cujuſcunque veri naturalis agnitioni pares eſſe, ſtatuimus. Veritatem hanc nobis perſuadet D. Thomæ ratio, quæ ſola nobis proræ inſtar & puppis eſt, quamque non probare cordatus quiſque non poteſt. Quælibet a Deo indita creatis rebus forma certi alicujus actus, ad quem ſecundum *proprietatem naturæ ſuæ* proportionem habet, edendi efficacitate pollet: idem ergo de humana mente ſanciendum; quum ergo hujus forma ſeu *intelligibile lumen* ad percipiendum quodcunque naturale verum ſuopte idoneum ſit (eſt enim ejus *adæquatum*, ut loquuntur, *objectum* omne, qua late patet, cujuſque ordinis verum, *proportionatum* autem verum quodcunque naturalis ordinis modo jam explicato) etſi ad *cognitionem cujuſcunque veri* indigeat homo *divino auxilio*, ideſt generali concurſu, *ut intellectus moveatur ad ſuum actum, non eget tamen ad cognoſcendam veritatem in omnibus nova illuſtratione ſuperaddita naturali illuſtrationi*. Adnotat tamen Angelicus, Deum quandoque in his, quæ naturali ratione cognoſci poſſunt, per gratiam ſuam aliquos erudire, ut quædam interdum *miraculoſe facit*, quæ & natura poſſet efficere.

IV. Hac tamen D. Th. ratione effici ſolum putant aliqui, ad veri naturalis cognitionem opus homini non eſſe ſpeciali ſuperioris ordinis, non autem ejuſdem ordinis adjutorio, idque ex iis, quæ ibidem Angelicus habet, inferri; ait enim, neceſſariam non eſſe *novam illuſtrationem ſuperadditam illuſtrationi naturæ*: Quod autem naturæ additur, ſupra naturam eſt: hujus ergo duntaxat neceſſitatem excludit. Ibidem item ad 1. illud Ambroſii explicans, *veritas a quocunque dicatur, a Spiritu S. eſt*, inquit: *Omne verum a quocunque dicatur, eſt a Spiritu S. movente, non vero inhabitante per gratiam habitualem*; quum ergo inhabitatio per gratiam ſuperioris ordinis ſit, hujus duntaxat, non inferioris ordinis auxilii neceſſitatem removiſſe cenſendus eſt. Cæterum, qui doctrinam a D. Th. ibid. traditam penitius expenderit, nullo negotio intelliget, *illuſtrationis naturæ, & auxilii Spiritus S. moventis* nomine unum ab eo deſignatum generale auxilium, ſeu primæ cauſæ concurſum, atque motionem, qua humana mens, perinde ac creata reliqua, opus habet, ut agat. Ait enim: *Sic igitur actio intellectus, & cujuſcunque entis creati dependet a Deo quantum ad duo, uno modo, inquantum ab ipſo habet perfectionem, ſeu formam, per quam agit, alio modo, inquantum ab ipſo movetur ad agendum*; generalem ergo motionem, non ſpecialem deſignat Angelicus, quum eadem egere hominem ad intelligendum ſtatuat, qua reliqua creata *ad actus ſibi proportionatos*, quæ non ſpeciali motione, ſed generali ſolum concurſu ad agendum a Deo applicari perſæpe, & explicatiſſime tradit. Dum ergo paulo inſra ibidem ait: *Ad cognoſcendum quodcunque verum indiget homo auxilio divino, ut intellectus moveatur ad ſuum actum*, ſpeciale quid non ſignificat, ſed generale illud auxilium, quod idem eſt, ac motio illa, de qua paulo ante locutus fuerat, communis homini ac cæteris creatis, quam nemo ſapiens in alio poſuerit, quam in generali Dei concurſu, cuncta, quæ ab ipſo perfectionem ſeu formam agendi habent, moventis & applicantis, ut actu agant. Singularem

Digitized by Google

Vaſquezii opinionem a Theologis communiter improbatam copioſe ac validiſſime refellit Jo. a S. Th. diſp. 19. ar. 2. in pr. ſec. D. Th.; non videtur tamen nobis operæ pretium, in quæſtione jam expleta verba ponere.

V. Naturalium autem veritatum nullam eſſe ſublimem adeo, ac intellectu difficilem, quæ ſola naturali humanæ mentis acie cognoſci ſine ſpeciali gratia non poſſit, operoſum jam non erit, oſtendere; Si qua enim hujuſmodi, omnium certe maxima & difficillima, Dei, qua naturæ auctor eſt, ex ejus effectibus hauſta cognitio; hanc autem in naturæ viribus poſitam, quin præter generalem Dei concurſum ſpeciali opus ſit adjutorio, nonne ex ipſis divinis literis patet? Etſi Deus puriſſimus ſpiritus ſit, maximeque propterea remotus a ſenſibus, ejus exiſtentiam tamen, ac perfectiones ſeu attributa ſolo naturæ lumine creatos effectus perluſtrante perſpecta eſſe homini poſſe, teſtatum eſt Sap. 13.: *A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit horum Creator videri*, & ad Rom. 1.: *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*, quæ & Philoſophis ethnicis explorata fuiſſe, ibid. ait Apoſtolus: *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis; Deus enim illis manifeſtavit*, præter interius eis inditum rationis lumen, quemadmodum ibi lect. 6. interpretatur Angelicus, *exterius proponendo viſibiles creaturas, in quibus ſicut in quodam libro Dei cognitio legeretur*; in his enim *inviſibilia Dei cognoſcuntur per viam negationis, ſempiterna virtus per viam cauſalitatis, Divinitas per viam excellentiæ*: Quo magis ergo aliud quodcunque verum intra divina quam longiſſime poſitum naturali poterit humanæ mentis virtute ſine peculiari gratia cognoſci?

VI. Quid vero in cauſa eſt, cur naturaliter veritatum omnium hujuſmodi complexio attingi ab homine nequeat? Inter Theologos in hac figenda cauſa non convenit: Alvarez l. 6. diſp. 48. n. 4., aliique pauci hanc arceſſunt ex intranea mentis debilitate e primi parentis culpa manante, qua ſæpe fit, ut in errorem facile labatur homo, & veri cognitionem ægre admodum aſſequatur: Cajetanus contra aliique multi, quos inter Jo. a S. Th. non ab interiori aliquo virtutis defectu, ſed ab exterioribus impedimentis hanc repetunt cauſam, atque ex eo, quod D. Thomas hic ait, ſolide argumentantur: *Lumen intellectus eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcenda, ſcilicet in quorum notitiam poſſumus per ſenſibilia devenire*; Si ergo ad horum cognitionem ſatis natura ſua homo habet virium, quod omnia non cognoſcat, non ab intrinſeca infirmitate, ſed ab exterioribus impedimentis petendum eſt. Præterea idem D. Thomas 1. p. q. 64. ar. 1. probat, naturalem virtutem ac intelligendi lumen non fuiſſe in malis Angelis peccato imminutum: quum ergo peccatum non magis humano, quam Angelico intellectui infenſum ſit, neque enim intelligendi lumini, ſed rectæ ad finem ordinationi ſuapte adverſatur, ſi non eſt in malis Angelis naturalis intelligendi acies peccato detrita ac obtuſa, nec id de homine cenſendum eſt. Quod vero idem Angelicus non uno loco ait, *debilitatam eſſe rationem per peccatum*, commode interpretantur, ſi de vero ſit ſermo, quod in ſpeculatione poſitum eſt, debilitatam ad illud cognoſcendum peccato rationem propter exteriora plura, quæ ad totius complexionis cognitionem peccatum attulit, impedimenta, ſi autem de vero, quod *morale* dicitur, & ordinatur ad opus, interiori præterea per peccatum inflicto vulnere debilitatam, ſicuti mox explicabitur.

VII. Jam vero exteriora plura obeſſe, quo minus veritatum omnium, quas *ſpeculativas* vocant, complexio cognoſcatur, vel experimento ipſo compertiſſimum eſt. Præter enim exquiſitum ingenium, vehementique ac aſſiduum ſtudium, opus eſt animo plane a curis, affectionibus, agendarumque rerum ſollicitudinibus vacuo, item copia ſubſidiorum, ſive inſtrumentorum, quibus ſcientiæ comparantur, longiſſimo præſertim tranquillæ vitæ curriculo: Non fert autem ſolitus naturæ curſus, ut omnia hæc, tanta maxime vitæ diuturnitas, quanta ad comparandam cujuſcunque veri ſcientiam neceſſaria eſt, in unum ſimul eumdemque concurrant; quare etſi naturis contingentibus, quemadmodum opportune adnotat Jo. a S. Th., connaturale debitumque ſit, ſuam aliquando perfectionem attingere, nec ab ea deficere, nunquam tamen errare, ſed verum omne intelligentia aſſequi, præter conſuetum naturæ contingentis & errori obnoxiæ ordinem

nem

nem curſumque eſt: ob inveniri propterea ſine ſpeciali Dei adjutorio nequit. Mirifice D. Thomas 1. c. G. c. 4., cujus titulus: *Divina naturaliter cognita convenienter hominibus credenda proponantur*, hæc exequitur, ajens: A fructu ſtudioſæ in„ quiſitionis, qui eſt veritatis inventio, „ plurimi impediuntur tribus de cauſis; „ Quidam ſiquidem propter complexionis „ indiſpoſitionem, ex qua multi ſunt in„ diſpoſiti naturaliter ad ſciendum .... „ Quidam vero impediuntur neceſſitate „ rei familiaris; oportet enim, aliquos „ eſſe inter homines, qui temporalibus „ adminiſtrandis inſiſtant, quæ tantum „ tempus in otio contemplativæ inquiſi„ tionis non poſſent expendere ... Qui„ dam autem impediuntur pigritia; ad „ cognitionem enim eorum, quæ de Deo „ ratio inveſtigare poteſt, multa perco„ gnoſcere, oportet .... Sic ergo non „ niſi cum magno labore ad veritatis in„ quiſitionem perveniri poteſt, quem qui„ dem laborem pauci ſubire volunt pro „ amore ſcientiæ, cujus tamen mentibus „ hominum naturalem Deus inſeruit ap„ petitum .... Inveſtigationi etiam ra„ tionis humanæ plerumque falſitas admi„ ſcetur... Et ideo apud multos in du„ bitatione remanerent ea, quæ ſunt et„ iam veriſſime demonſtrata, dum vim „ demonſtrationis ignorant, & præcipue „ quum videant, a diverſis, qui ſapientes „ dicuntur, diverſa doceri: Inter multa et„ iam vera, quæ demonſtrantur, miſce„ tur aliquando aliquod falſum, quod „ non demonſtratur, ſed aliqua probabili „ vel ſophiſtica ratione aſſeritur, quæ in„ terdum demonſtratio reputatur; Et id„ eo oportuit, per viam fidei fixa cer„ titudine veritatem de rebus divinis ho„ minibus exhiberi. Salubriter ergo Divi„ na providit clementia, ut ea etiam, quæ „ ratio inveſtigare poteſt, fide tenenda „ præciperet, ut ſic omnes de facili poſ„ ſent divinæ cognitionis participes eſſe, „ & abſque dubitatione, & errore. “

VIII. Qui negant, percipi ab homine poſſe naturales omnes veritates etiam ſingillatim ſine ſpeciali gratia, argumentum primo petunt a voluntate, cum qua facta intellectus contentione, inferunt, ut non poteſt illa, actus omnes moraliter bonos ſine gratia elicere, quod nonnulli præcipuam afferant difficultatem, ut Deum, qua etiam naturæ auctor eſt, ſuper omnia diligere, vehementes tentationes ſuperare, quidpiam aggredi valde arduum &c., ita & hunc non poſſe vera omnia etiam divin noſſe, quod eorum aliquod tam ſit retruſum ac difficile, ut ſine gratiæ adminiculo patere nequeat. Idem ſecundo concludunt ex theologicis veritatibus diſcurſu perceptis, ideoque naturali lumine cognitis, ad quarum tamen intelligentiam adminiculo gratiæ opus eſt, quod cum articulis fidei, qui ſunt theologiæ principia, connexæ ſint, atque ab iis pendeant. Cæterum neutrum ſatis eſt, ut nos a communi inter Theologos aſſertione dimoveat; Primo enim multum voluntatem inter, ac intellectum intereſt; Illius nams que eſt, non ſolum intra ſe velle, ſed & operari extra ſe, aliaſque animi vires rationi ſubjicere, & movere ad agendum, in quo quidem quam eſt illi perpetuo adverſus, infeſtuſque appetitus inferior in obnoxia ſenſibus bona ſibi congrua tendens, ſecumque rationem abripere nunquam non moliens! *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum*. Hujus autem actio in ſpeculando poſita tota intra mentem perficitur, nec quidquam cum aliis animæ facultatibus negotii habet, nec a ſenſibus impeditur, juvatur potius, nam ab eis & imagines ſeu ſpecies rerum, & principia cognitionis acquirit; nulla propterea ſingulatim eſt certa naturalis veritas tot obſita difficultatibus atque impedimentis, quæ nequeant ſolo Dei generali auxilio, ſive concurſu amoveri; niſi forte, quemadmodum cum Jo. a S. Th. jam adnotavimus, quiſquam ſit pene plumbeus, tamque ingenio tardius, ut ſine ſpeciali auxilio non poſſit ad intelligendum diſponi.

Secundo conſequentiæ bonitatem inter, & veritatem illatam in Theologia internoſcendum. Prior ſolo naturæ lumine patet; neque enim fidei, ſed iiſdem, quibus aliarum ſcientiarum ſyllogiſmi, principiis innititur: Altera, vel eſt certa & demonſtrata, vel probabiliter ſolum illata: ſi certa ſit, & epidictica, & demonſtratione vere theologica deducta, ſentit Joannes a S. Thoma, non poſſe illam ſine ſpeciali gratia teneri; quum in eam etenim influat mediate fides, a qua firmiorem aſſenſum theologica veritas habet, quam ſi eſſet ex ſolis naturæ principiis ducta, major naturali qualibet certitudo derivata a fide majori opus habet auxilio, ſpe-

ſpeciali nempe, & altioris ordinis. Conſulto autem Scriptor graviſſimus ſententiam ſuam hac conditione temperat, *ſi veritas illata per veram theologiam habetur*; neque enim par eſt veritatis ex principiis theologicis illatæ firmitas in Hæretico ac in Catholico; quum enim ille fide careat, nec ad principia firmiter adhæreſcat, jam nullus eſt in eum, quem theologicæ concluſioni præbet, aſſenſum veræ fidei influxus, nulla propterea major certitudo, quæ peculiari egeat adjutorio.

Qui ſi illata veritas probabilis tantum ſit, & in opinione poſita? Nec illam ſpeciali opus habere gratia *per ſe loquendo*, ſtatuit Vir doctiſſimus. Quum enim probabili aſſenſui poſſit ſubeſſe falſum, patet non habere illam a fide theologica firmitatem, ſed a fide acquiſita, quæ aliquam fidei infuſæ ſimilitudinem gerit.

IX. Quædam etiam ſunt, quæ videntur evincere & ipſam naturalium omnium veritatum complexionem attingi ab homine ſine gratia poſſe; quum enim veritates quælibet naturales ingenito mentis lumine illuſtrari poſſint, naturales alioquin non eſſent, totam earum collectionem *proportionatum*, ut ajunt, intellectus *objectum* eſſe, ideoque ſine ſpeciali adminiculo perſpici poſſe conſequitur; Sciſcit enim D. Thomas, *unamquamque formam habere efficaciam reſpectu alicujus actus determinati*: Quem autem intelligimus *determinatum hunc actum*, niſi ad quem & naturaliter *forma*, ſive potentia fertur, & proportionem habet? Si ergo mentis noſtræ lumen & ad naturale omne verum ſuapte tendit, & proportionem habet, *reſpectu* veritatum omnium *habet* a natura ſua *efficaciam*. Præterea: Naturalis appetitus efficax nequit præſtituto ſibi a natura fine fraudari: Quum ergo naturæ intellectus ſit, non unum aut alterum, ſed omne *proportionatum* ſibi verum attingere: quidni poſſit finem hunc innatis ſibi viribus obtinere? Demum: Quis negarit, conſecutionem hanc eſſe legitimam: Quodcunque naturale verum noſſe ſingulatim ſine gratia poſſumus, & totum ergo conjunctè; Perinde enim eſt, ac ſi diſſeram: Plato, Socratès, Gorgias, Lyſias &c. homines demum ſinguli, quippe rationis ſuapte participes, ratiocinari poſſunt: ratiocinari ergo poſſunt homines omnes.

X. Nihil tamen adverſus ſententiam noſtram his effici, non multo negotio demonmonſtratur. Præmittendum autem, ne quem hallucinari contingat in quæſtionis, quam excutimus, intelligentia, tota ne ſcilicet naturalis veri complexio teneri ab homine ſine gratia poſſit, an non; Neque enim in quæſtionem venit, an poſſit homo omne verum *ſimul*, & *uno actu* intelligere, ſeu omne, quod ſcire naturaliter poteſt, uno mentis intuitu luſtrare, una cognitione complecti. Cui cordato hoc cadere in mentem poſſit, quum hoc neque Angeli, ſed ſolius Dei proprium eſſe, in Prælect. cum *de ſcientia Dei*, tum *de Angelis* evidenter oſtenſum ſit? In quæſtione ergo verſatur, an valeat homo lapſus totum naturale verum ſuopte ingenio ſine gratia ita colligere, ac veluti conjungere, ut unum poſt aliud intelligat, ſicque in intelligendo procedat, donec ad ultimi veri cognitionem deventum fuerit. Hoc conſtanter negamus, ſive quod interior ipſa mentis humanæ virtus peccato imminuta ac debilitata ſit, ut nonnullis placet, ſive quod exteriora plura, quæ n. vsr. indicavimus, impedimento ſint, ne perfici tantum opus ab homine lapſo jam poſſit, ut probabilius alii cenſent: *Actum* autem *determinatum*, *reſpectu* cujus D. Thomas *quamlibet formam efficaciam habere docet*, eum accipimus, cui tot & talia non obſtant, quæ ſuperari atque tolli ſolo Dei generali concurſu non poſſint, cujuſmodi ſtatuimus quodcunque diviſim naturalis ordinis verum. Quum ergo totam veritatum naturalium complexionem iis circumſeptam eſſe impedimentis, quibus ſubmovendis generale ac commune non ſufficit Dei auxilium, ſeu concurſus, experientia ipſa teſtatum faciat, non erit hæc *determinatus* ille *actus*, *reſpectu cujus* naturale mentis noſtræ lumen *efficaciam habet*.

Ex quo autem naturalis hominis appetitus non ad hoc vel illud ſolum, ſed & ad omne naturale verum, in cujus contemplatione ejus imperfecta beatitudo poſita eſt, ſuapte feratur, num omne attingere ſola ſua virtute poteſt? Efficax ſane quicunque a natura inſitus appetitus naturalem finem ſuum aſſequitur, niſi debilitatus fuerit, ac impeditus; quare & aliæ quæcunque infra hominem res fines ſuos ut plurimum obtinent, tum quod ſint illæ viribus integræ, tum quod, quum ſint earum multo minus nobiles, minuſque obtentu difficiles fines, multo minora eis obſtant,

ſtant, quóminus in iis, ad quos inſtitutæ ſunt, finibus conquieſcant: Imperfectam autem beatitudinem naturalem, *qualis hic haberi poteſt*, quam D. Thomas 1. 2. q. 3. ar. 5. *principaliter in contemplatione, ſecundario in operatione practici intellectus ordinantis actiones & paſſiones humanas* collocat, ne homo lapſus acquirat, quot ſive interius, ſive exterius impediunt? Ad ea, quæ n. VII. memoravimus, addenda, quæ idem D. Thomas 3. c. G. c. 147., cujus titulus: *Quod homo indiget divino auxilio ad beatitudinem conſequendam*, tradit: „ Homini ſunt impedimenta plurima perveniendi ad finem; Impeditur enim debilitate rationis, quæ de facili trahitur in errorem, per quem a recta via perveniendi ad finem excluditur: Impeditur ex paſſionibus partis ſenſitivæ, & ex affectionibus, quibus ad ſenſibilia, & inferiora trahitur, quibus quanto magis inhæret, longius ab ultimo fine diſtat; hæc enim infra hominem ſunt, finis autem ſuperior eo exiſtit: Impeditur etiam plerumque corporis infirmitate ab executione virtutis actuum, quibus ad beatitudinem tenditur: Indiget igitur divino auxilio, ne per hujuſmodi impedimenta totaliter ab ultimo fine deficiat." Inde autem non conſequi hominem eſſe exteris imperfectiorem, quod non poſſit finem ſuum viribus congenitis obtinere, ſatis declaratum eſt in Prælect. *de viſione Dei*.

In poſtremo argumento vitium ineſt, quod Dialectici vocant *mutationem appellationis*; ſit enim a potentia conſtricta, & veluti ligata tranſitus ad liberam, & plane ſolutam. Quum decernimus, naturale omne verum *diviſim* percipi ab homine poſſe, eo adverbio naturale humanæ mentis lumen his finibus circumſcribimus, nimirum, ut nullum ſit intra naturæ ordinem verum, quod illa ſeorſum noſſe natura ſua non poſſit, non tamen abſolute, ſeu unum poſt aliud cognoſcendo, totam exhaurire complexionem, ſeu collectionem. Cur vero? Quia multa intercedunt, ne tota attingatur collectio, quæ ſingularium veritatum cognitioni non obſtant.

XI. Idem ne vero de veritatibus, quas *morales* ſive practicas vocant, ferendum judicium? Communis Theologorum poſitio eſt, harum collectionem cognoſci ab homine lapſo ſine ſpeciali Dei adjutorio non poſſe, nec practicum, ut ajunt, certumque judicium ſemper ab eo ferri de eo, quod faciendum eſt, aut vitandum. Neque enim vulneratus viribuſque imminutus homo præſtare omnia poteſt, quæ ſanus olim & integer., Quum ergo certo recteque judicare, quid *in omni eventu* agendum, quidve fugiendum, integri & valentis hominis eſſet, jam id non poterit lapſus homo, niſi medicinali adjutorio ſanetur, & confirmetur. Veritas hæc Sap. 9. aperta eſt: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ; Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore*, quæ de veritatum præſertim moralium, & pertinentium ad opus cognitione dicta eſſe, non eſt, qui diſſentiat. Neque tamen hæc noſtræ mentis infirmitas inde ſolum petenda, unde non poſſe veritatum omnium, quas *ſpeculativas* appellant, collectionem ab ea percipi, mox concluſimus, ab exterioribus nimirum impedimentis, ſed & ab inflicto rationi ipſi per peccatum vulnere, quemadmodum Joannes a S. Thoma veriſſime animadvertit; Practica enim ratio non ſpeculatrix tantum, ſed & effectrix eſt, atque motrix, ejus propterea principia non ea ſolum, quæ ad bene intelligendum, ſed & quæ ad recte movendum pertinent, quæ ſunt ipſi virtutum moralium fines: Quum ergo ab ultimo recto fine homo ſit per peccatum averſus, in ipſo ad bonum efficaciter movendi principio vulneratus atque debilitatus eſt; quapropter D. Thomas 2. 2. q. 47. ar. 13. docet, prudentiam veram, & *ſimpliciter talem*, quæ ad bonum totius vitæ finem hominem ordinat, *non manere in peccatoribus*. Cæterum quum ibidem affirmet, manere & in iis poſſe prudentiam aliquam imperfectam, quæ ad totius vitæ finem hominem licet perfecte non dirigat, nec abſolutam ei afferat rectitudinem, illum tamen ad hoc vel illud opus recte faciendum inclinat, puta ad ſubveniendum inopi, reddendum mutuum &c. poteſt icciroo & ab homine iniquo moralis aliqua veritas perſpici ſine ſpeciali auxilio. Hinc notat Alvarez l. 6. de auxil. diſp. 48., Gregorii Arimin. & Capreoli hoc negantium opinionem *communiter a Theologis reiici*; Naturalis enim rationis lumen, atque judicium, vulneratum peccato, licet, & imminutum, non eſt

eſt tamen extinctum; Quidni ergo poſſit ſuis viribus morale aliquod verum attingere? Præterea poſſe hominem lapſum quidpiam moraliter bonum naturali virtute facere, ut *plantare vineam*, *ædificare domum &c.*, expreſſa **D. Th.** ſententia eſt; multo magis ergo eadem virtute noſſe ac dijudicare poterit, opus illud eſſe faciendum; nam ut idem Angelicus 1. 2. q. 109. ar. 2. ad 3. ait: *Magis eſt natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.*

Nemo tamen exiſtimet, omne verum morale, etſi non conjunctè, partite tamen & ſigillatim cognoſci, ab homine lapſo poſſe, & de eo proſequendo dictatum, ſeu judicium practicum, quod *imperium* Theologi appellant, fieri; Excipiendas enim recte monet Joannes a S. Th. morales illas veritates, quæ efficaciter ac primo movent ad voluntatis actus, ad quos ſpeciali graciali gratia opus eſt homini, cujuſmodi ſunt, Deum etiam qua naturæ Auctor eſt, ſuper omnia diligere, vehementes tentationes propulſare, hujuſque generis alia non pauca, de quibus infra diſtincte.

PRÆLECTIO VII.

De neceſſitate gratiæ ad veri, quod ſupra naturam eſt, agnitionem.

I. IN quæſtionem apud Catholicos venit, poſſitne homo naturæ ſuæ viribus certum firmumque *ex parte credentis* aſſenſum veritatibus, quæ ſupra naturam ſunt, velut a Deo revelatis præbere. Evolvenda paulo diligentius res, atque internoſcendum inter Hæreticorum errorem ab Eccleſia damnatum, & Noſtratium quorumdam opinionem, de qua nondum certo ratoque judicio pronuntiavit Eccleſia. Baſilidem in Gnoſticorum ſecta præcipuum olim cum Valentinianis poſuiſſe, *fidem eſſe homini naturalem*, ſcribit *l.* 4. *Strom.* Clemens Alex.: Idem & a Thiconio Donatiſta poſitum, auctor eſt Auguſtinus l. 1. *de Doctr. Chriſt. c.* 3. Negavit exin Pelagius, fidem eſſe donum Dei, eamque in nobis ex nobis ineſſe ſtatuit, nec alio nomine inter Dei dona cenſendam, quam quod ille per Miniſtros ſuos, aut per legem & doctrinam nobis credenda pateſacit. *Hic tu fortaſſe dicturus es*, ſcribebat ad Vitalem Carthaginienſem hoc Pelagii errore imbutum Auguſtinus, *hoc fieri a Domino, dum doctrina ejus legitur, vel auditur, ſi homo veritati, quam legit, vel audit, ſua conſentiat voluntate; ſi enim lateret eum, inquis, doctrina Dei, non dirigerentur greſſus ejus, quibus directis vellet viam Dei, ac per hoc tantum putas, a Domino greſſus homini dirigi ad eligendam viam Dei, quia ſine doctrina Dei non ei poteſt innoteſcere veritas, cui propria voluntate conſentiat, cui ſi conſentit, inquis, quod in ejus libero arbitrio conſtitutum eſt, recte utique dicuntur, ab illo dirigi greſſus ejus, ut viam ejus velit, cujus doctrinam ſuaſione præcedente, ſubſequente conſenſione ſectatur, quod libertate naturali ſi vult, facit, ſi non vult, non facit, pro eo quod fecerit præmium vel ſupplicium recepturus. Hæc eſt illa mala, male diffamata, meritoque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia, qua dicunt, gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina. Uſque adeo, Frater, erimus graves corde, ut de gratia Dei, imo adverſus gratiam Dei eam Pelagianam ſententiam teneamus, quam pectore quidem ficto, ſed tamen Catholicos Judices timens Pelagius ipſe damnavit?*

II. Idem & ſibi ante Epiſcopatum præpoſtere viſum, teſtatur Auguſtinus ingenue in l. de Prædeſt. SS. ad Proſperum & Hilarium c. 3. ajens, eo præcipue Pauli 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* &c. teſtimonio ſe *convictum*, quum *ſimiliter erraret* putans, qua in Deum credimus, fidem non Dei donum, ſed in nobis a nobis eſſe, ejuſque merito Dei dona nos impetrare, quibus *temperanter & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo*; *Neque enim*, pergit, *putabam, fidem Dei gratia præveniri, ut per illam nobis daretur, quod poſceremus utiliter, niſi quia credere non poſſemus, niſi præcederet præconium veritatis: Ut autem prædicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe, arbitrabar: Quem meum errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant ante Epiſcopatum meum ſcripta, in quibus eſt illud, quod commemoraſtis in literis veſtris, ubi eſt expoſitio quarumdam propoſitionum ex epiſtola, quæ eſt ad Romanos*, quod & l. 1. Retract. c. 23. teſtatur, ex quo ibidem plura deſcribit. In ejuſdem erroris luto hæ-

hæſiſſe poſtea pertinaciter Semipelagianos, Prælect. II. abunde demonſtratum, in qua ex ipſis Sanctorum Proſperi & Hilarii ad Auguſtinum literis eorum errores excerpſimus.

III. Diſpiciendum jam, quid de propoſito capite Recentiorum Theologorum aliqui ſenſerint. Molina aliique poſt eum ratum habent, poſſe hominem generali ſolo Dei auxilio, ſive concurſu fretum omnia Chriſtianæ doctrinæ myſteria ceu revelata a Deo, & quia revelata ab eo ſunt, certa omnino & firma *ex parte credentis* aſſenſione, *actu mere naturali*, tenere, rametſi non ſit hujuſmodi aſſenſio, *ſicut oportet*, *ad ſalutem*, adduntque explicandæ ſententiæ ſuæ gratia, etſi Lutheranus ex. c. iis, in quibus nobiſcum convenit, fidei articulis naturalem ſolum, & unius naturæ viribus elicitum aſſenſum præbeat, nos vero ſupernaturalem, perinde tamen illius, ac noſtrum, firmum certumque aſſenſum eſſe, & peræque remotum a falſi periculo, quod eandem ille habeat firmitatis radicem, divinam ſcilicet revelationem; eos enim articulos perinde ac nos in revelatis habet, iiſque, quia divinitus revelati ſunt, aſſentitur. Hinc conſtituunt, nec fidei habitu, neque ſpeciali adjutorio opus habere hominem, ut fidei myſteriis facile diſtincteque aſſentiatur, ſitque ejus omnino certus & firmus aſſenſus, ſed duntaxat ut credendi actus ſupra naturæ ordinem aſſurgat, & conducibilis ſit ad ſalutem, quod, ut homo eductus fuit, neceſſarium ſcilicet ad ſalutem fore aſſenſum hujuſmodi, optare illum ſuis viribus poteſt, & ad eum ſua ſponte conniti; auxilium, unde ille proficiſcitur, petere, & ad hoc recipiendum ſe comparare ſive diſponere; illud, quod optat, quod poſtulat, ad quod nititur, ad quod ſe præprar, procul dubio obtenturus; nam ex naturæ viribus facienti, quod in ſe eſt, ut propoſitis ſibi myſteriis aſſentiatur, Deus certiſſime, ac, ut ſcribunt, *infallibiliter*, certoque ex pacto cum Chriſto propter paſſionis ejus merita a Patre inito, auxilium gratiæ largietur, ut credat, ſicut ad ſalutem neceſſe eſt. Hoc nomine ſupernaturalem fidei aſſenſionem in humani arbitrii facultate poſitam docent, quoniam ſi homo totum quod in ſe eſt, præſtet, ut credat, ſpeciali Dei adjutorio juvabitur, quo credendi actus ſupra naturæ ordinem elevetur, fiatque ad æternam vitam ſalutaris. Ipſa Molinæ verba Par. I. Prælect. VII. n. XI. jam dedimus, ex quibus certior fieri quiſque poteſt, nihil ei, ejuſque Scholæ a nobis affictum.

IV. In diſpellendo Pelagianorum ac Semipelagianorum errore quorſum multi ſimus? Dudum obtritus ille a Conc. Milev. can. 4., a Conc. 2. Arauſic. can. 5. & 7., noviſſime a Trident. ſeſ. VI. in decr. *de Juſtificatione* can. 3., item copioſiſſime ac nervoſiſſime refuratus ab Auguſtino in l. *de Spir. & lit.* c. 31. & 32. in *epiſtolis* 105. 6. & 7., in l. præſertim *de dono Perſev.* c. 17. & 19. ubi eundem Cypriani, Ambroſii, & Gregorii Nazian. teſtimoniis late refellit, ab Auctore l. *de vocatione Gentium* c. 24., a Proſpero l. *contr. Collatorem* c.36. & 37., & *in reſp.* 8. *ad Capita Gallorum*, perpetua demum Chriſtianorum omnium conſenſione damnatus. Pervulgata etiam ſacratum literarum oracula, quibus ad illum evertendum feliciter uſus eſt Auguſtinus, illud Pauli ad Philip. I. *Vobis donatum eſt, non ſolum ut in ipſum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini*, aliud ejuſdem ad Eph. 2.: *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt*, illud maxime, quo ſe adductum teſtatur Auguſtinus, ut errorem, quem animo ante Epiſcopatum imbiberat, *fidem* ſcilicet *non donum Dei*, *ſed in nobis a nobis eſſe*, deponeret, 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* &c. Addere ſolum lubet theologicam D. Th. demonſtrationem 2. 2. q. 6. art. I.: fidei myſteria ſupra omnem naturæ facultatem ſunt: nemo ergo ſolis naturæ viribus aſſentiri iis poteſt, ſicut ad ſalutem oporter, niſi ad aſſenſum hujuſmodi intellectus & voluntas ſpeciali prævenientis gratiæ auxilio fuerint elevata; quemadmodum enim, ut exemplo apud eundem D. Th. frequenti utamur, quia ſupra naturalem aquæ virtutem eſt calefacere, niſi calefacta ipſa fuerit, calefacere nequit, ita nec credere, ut Chriſtianum decet, homo ſuapte poteſt, niſi accepto divinitus fidei dono, quod ſupra naturalem creatæ mentis facultatem divina myſteria longe ſint poſita.

V. At ipſa ne ſaltem imperfecta fidei chriſtianæ inchoatio poteſt ex ſolis naturæ viribus, puta deſideriis, precibus, conatibus, diſpoſitionibus &c. proficiſci? Ita qui-

quidem Caſſiano Semipelagianorum Coryphæo, ejuſque aſſeclis conſtitutum: Arauſicana tamen ſecunda Synodus, cujus quam rata ſemper fuerit, ſitque adhuc in Catholica Eccleſia auctoritas, ſatis jam declaratum, hanc eorum poſitionem peſtilentis erroris loco habet, & damnat: *Si quis*, can. 5., *ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, ideſt per inſpirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter nobis ineſſe, dicit, Apoſtolicis dogmatibus contrarius approbatur, B. Paulo dicente ad Phil.* 1. *Confidimus, quia qui cæpit in nobis opus bonum, ipſe perficiet, uſque in diem D. N. J. X., & illud ibidem: Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolum, ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini:* & ad Eph. 2. *Gratia facti eſtis ſalvi per fidem, non ex vobis; Dei enim donum eſt* &c. Et can. 6.: *Si quis, ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitus, non autem & credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium... reſiſtit Apoſtolo dicenti* 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* &c. Et ibid. c. 15.: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Item can. 7.: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet..., cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe, confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus S., qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis* Jo. 15. *Sine me nihil poteſtis facere, & illud Apoſt.* 2. ad Cor. 3.: *Non quod ſufficientes ſimus, cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Can. demum 25.: *Hoc etiam ſalubriter confitemur & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur, ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat.*

VI. Quum ſint hi, aliique laudatæ Synodi canones, ut apud Eruditos omnes in confeſſo eſt, non ex Auguſtini ſolum libris excerpti, ſed & iiſdem S. Doctoris verbis expreſſi, iiſdemque divini eloquii teſtimoniis fulti, quæ ad refutandum hunc Semipelagianorum errorem late verſavit ille, & urſit efficaciſſime, non eſt, cur alia ex eodem deſcribamus, & quæ ex memoratis Scripturarum oraculis cudit, argumenta ſingulatim excutiamus. Quum & iiſdem argumentis hunc errorem exagitarit acerrime fidiſſimus Auguſtini Diſcipulus Proſper in l. cont. Collat., & alibi, opere pretium non videtur, in ejus exſcribendis teſtimoniis hærere. Satis ducimus, quæ ad erroris ſui præſidium opponere Adverſarii ſolebant, diſſolvere. 1. In iis, quæ Marci 16. legimus, *qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit*, & ad Rom. x. *Si credideris, ſalvus eris*, duo diſtinguebant, alterum, quod ab homine Deus exigit, nempe fidem, alterum quod homini offert, ſalutem videlicet: Ut ergo ſalus, quæ offertur, in Dei poteſtate eſt, ita fides in hominis, a quo exigitur, poteſtate ſit, oportet: Suis itaque viribus credere homo poterit; nihil enim in cujuſquam eſt poteſtate, quam quod præſtare ſeipſo poteſt. 2. Caſſianus collat. 13. c. 9. ex iis Jeſ. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*, & c. 30. *Ad vocem clamoris tui, ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi*, Lucæ 12. *Petite, & accipietis, quærite & invenietis, pulſate, & aperietur vobis*, demum ad Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*, concludebat, ex naturæ fundo prodire quædam poſſe bonæ voluntatis initia, quibus fidem homo quærat, petat, deſideret &c. 3. Ibidem c. 11. & 12. multa congerit Scripturæ teſtimonia, quibus effici putat, bonæ voluntatis initia nec ſemper gratiæ, nec ſemper libero arbitrio, ſed huic quandoque, quandoque illi tribuenda; nam gratia libero arbitrio interdum præire, ex iis perſpicuum eſt Pſal. 48. *Deus meus, miſericordia ejus præveniet me*, & Pſal. 118. *Expectabam eum, qui ſalvum me fecit*, necnon Jeſ. 65. *Inventus ſum a non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant... Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi*,

hi, interdum vero bonum liberi arbitrii motum gratiæ anteire, ex iis colligitur Pſal. 87. *Mane oratio mea præveniet Te*, & 118. *Præveni in maturitate, & clamavi*, item Jeſ. 30.: *Propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri*. Petit & utriuſque exempla ex Evangelio, gratiæ quidem liberum arbitrium prævenientis; nam Petrum & Andream nihil de ſalute ſua cogitantes vocando atque ad ſe trahendo prævenit: liberi autem arbitrii gratiam prævertentis; nam Zachæus Dominum ſuo deſiderio prævenit; Ejus enim videndi ſtudio in ſycomorum aſcendit, cujus voluntatem benigne ſuſcepit Dominus, *illum manſionis ſuæ claritate nobilitans*, ejuſque domui ſalutem afferens. 4. Frequenter in ore habebant ea Chriſti Math. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*, & ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? . . . Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, quibus effici putabant, ex Deo eſſe, quod exterius, aut etiam interius Evangelium congrue proponatur, fiatque ſignis & verbis credibile, ex homine autem, quod propoſito congrue Evangelio aſſenſum præbeat. Ad hæc Adverſariorum promta e divino eloquio momenta addi & hoc poteſt, quod ipſa naturæ ratio ſuppeditat: Communi Philoſophorum ſcito ſola potentia ad agendum ſimpliciter neceſſaria eſt, habitus autem, quo illa perficitur, ad melius duntaxat perfectiuſque operandum: Credere ergo ſuis viribus homo poteſt abſque fidei habitu, licet non tam facile ac perfecte, item abſque actuali, ut ajunt, ad credendum auxilio; hoc enim vel ad habitum reduci, vel ejuſdem complementum eſſe, Philoſophi ſtatuunt.

VII. Non eſt tamen in horum refutatione admodum laborandum; Vana enim illa diſtinctio inter illud, quod a nobis exigitur, & nobis offertur, quorum prius in hominis, poſterius in Dei poteſtate Adverſarii perperam collocabant, ab Auguſtino validiſſime exploſa eſt. *Cur non utrumque*, ait l. de Prædeſt. SS. c. xi., *in Dei poteſtate, & quod jubet, & quod offert? Rogatur enim, ut det, quod jubet: rogant credentes, ut ſibi augeatur fides, pro non credentibus rogant, ut eis donetur fides: & in ſuis igitur incrementis, & in ſuis initiis Dei donum eſt fides. Sic autem dicitur, ſi credideris, ſalvus eris, quemadmodum dicitur, ſi ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis; Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur . . . Ut ſpiritu facta carnis mortificemus, exigitur, ut autem vivamus, offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei eſſe, dicamus, quoniam exigi audivimus a nobis, premio vitæ, ſi hoc fecerimus, oblato? Abſit, ut hoc placeat participibus, & Defenſoribus gratiæ. Pelagianorum eſt error iſte damnabilis, quorum mox Apoſtolus ora obſtruxit, adjungens; Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei, ne facta mortificare nos carnis, non per Deum, ſed per noſtrum ſpiritum, crederemus . . . . Sicut ergo, quamvis donum Dei ſit, facta carnis mortificare, exigitur tamen a nobis, propoſito præmio vitæ, ita donum Dei eſt & fides, quamvis & ipſa, quum dicitur, ſi credideris, ſalvus eris, propoſito præmio ſalutis exigatur a nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei moſtrantur, ut intelligatur, quod & nos ea faciamus, & Deus facit, ut illa faciamus, ſicut per Ezechielem Prophetam c. 36. apertiſſime dicit . . . faciam ut faciatis. Locum ipſum Scripturæ attendite, & videbitis, illa Deum promittere, facturum ſe, ut faciant, quæ jubet, ut fiant. Non ſane ibi tacet etiam merita eorum, ſed mala; quibus oſtendit, reddere ſe pro malis bona, hoc ipſo, quod eos facit habere deinceps opera bona, quum ipſe facit, ut faciant divina mandata*.

Quam perverſe autem Caſſianus ex recitatis Scripturæ locis inferret, hominem natura ſua poſſe clamare, petere, quærere, pulſare &c. optare fidem, & aliud quodcumque ſuperioris ordinis bonum, ex iis perſpectum eſt, quæ ad Rom. 8. ſcribit Apoſtolus: *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis*, ſeu poſtulantes nos facit, *gemitibus inenarrabilibus*. Si ea eſt hominis ignoratio, ut nec petenda ſciat, nec petendi modum, niſi Spiritus S. ei petenda ſuggeſſerit, eumque adjuverit ad petendum, *ſicut oportet*, annon præpoſtere a nativis ejus viribus repetuntur & boni deſideria, & ad illud obtinendum conatus, & preces? Quoniam vero in eo præſertim Apoſtoli ad Rom. 7. triumphabat Caſſianus, *velle adjacet mihi* &c., ex-

exſcribenda præclariſſima in hunc locum D. Th. gloſſa lect. 4., qua nihil ad comprimendum inane Caſſiani triumphum validius & opportunius : „ Hoc verbum „ patrocinari videtur Pelagianis, qui di„ cebant, quod initium boni operis eſt „ ex nobis, inquantum bonum volu„ mus . . . . Sed hunc ſenſum excludit „ Apoſtolus ad Phil. 2. : *Deus eſt, qui* „ *operatur in nobis velle & perficere*. „ Quod ergo ait, *velle adjacet mihi*, „ ſcilicet per gratiam jam reparato, eſt „ ex operatione divinæ gratiæ, per quam „ quidem non ſolum bonum volo, ſed „ etiam aliquid boni facio, quia repugno „ concupiſcentiæ, & contra eam ago du„ ctus ſpiritu, ſed non invenio in mea „ poteſtate, quod bonum iſtud perficiam, „ ut ſcilicet totaliter concupiſcentiam ex„ cludam : Et per hoc manifeſtatur, „ quod bonum gratiæ non habitat in car„ ne, quia ſi habitaret in carne, ſicut „ habeo poteſtatem volendi bonum per „ gratiam habitantem in mente, ita ha„ berem facultatem perficiendi per gra„ tiam habitantem in carne. Si vero re„ feratur ad hominem adhuc ſub peccato „ conſtitutum, ſic exponi poterit, ut „ *velle* accipiatur pro voluntate incom„ pleta, quæ ex inſtinctu naturæ in qui„ buſcumque peccantibus eſt ab bonum, „ ſed illud velle *adjacet* homini, ideſt „ juxta hominem jacet quaſi infirmum, „ niſi gratia voluntati tribuat efficaciam „ ad perficiendum. “ Qui hæc & alia, quæ ibidem habet, cum integra Apoſtoli oratione contulerit, ad hujus mentem exactiſſima deprehendet.

Tertium Caſſiani argumentum ſolidiſſime refutavit Proſper in l. cont. Collatorem c. 36., cujus eximium teſtimonium protulimus 1. P. Prælect. IV. n. II., quæ eſt *de gratiæ in prævenientem & ſubſequentem partitione*, unde illud petendum. Qui ergo tot illa Scripturæ loca, & exempla a Collatore congeſta, ut paradoxo illi ſuo facerent fidem ? Breviter nitideque omnia explicamus; Quemadmodum Trident. Synodus in decr. de Juſtific. c. 5. poſt Auguſtinum ait : *In ſacris literis quum dicitur, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur: quum autem nos reſpondemus, Converte nos Domine ad Te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri, confitemur*, ita quum legimus, *mane oratio mea præveniet Te, expectat Dominus, ut miſereatur veſtri* &c., noſtræ commendatur voluntatis libertas; neque enim coacte, ſed libere volumus, oramus, credimus &c., aliis autem in locis aperte nobis ſignificatur, priuſquam velimus, optemus, credamus &c., divina nos gratia præveniri. Quid, ſi dicamus, quemadmodum loco mox cit. cum D. Thoma 1. 2. q. 111. art. 3. adnotavimus, eundem gratiæ effectum, ſi ad diverſa referatur, *prævenientem* eſſe ac dici poſſe, & *ſubſequentem* ? Illud ergo, *oratio mea præveniet Te*, quid deſignat, niſi orationem primæ vocationis primæque gratiæ prævenientis effectum ulteriorem alium effectum gratiæ prævertere, atque, ut diverſa reſpicit, *ſubſequentem* ſimul eſſe & *prævenientem* ?

Quoniam ea Jeſ. *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri*, Recentiores ab Auguſtini & Th. doctrina alieni avide arripiunt ad probandum, expectare Deum liberam cooperationem conſenſumque hominis, quem dono gratiæ voluntatem ad bonum efficaciter præmoventis & applicantis non acceperit, præterquamquod 1. P. Prælect. VII., quæ eſt *de gratia efficaci*, n. VIII. locupletiſſimo Auguſtini teſtimonio in ep. *ad Vitalem* c. 6. falſam hanc eorum commentationem excluſimus, reſpondet doctiſſimus Alvarez diſp. 95. n. V. : „ De„ ſignavit (Propheta) per hæc verba „ liberam cooperationem hominis, quam „ Deus ab homine exigit, ut illum juſti„ ficet ; Unde in eodem contextu, ut „ hanc interpretationem inſinuaret, poſt„ quam dixerat, *Expectat Dominus, ut* „ *miſereatur veſtri*, ne quis ſibi piam ope„ rationem & conſenſum tribueret, ſed „ agnoſceret, a quo non ſolum poſſe bo„ num, ſed & ipſum bonum velle acce„ perit, ſubdit : *Beati, qui expectant* „ *eum*, ut ſciamus, quoniam, ſi expectat „ Dominus, ut miſereatur noſtri, profe„ cto expectat dona & beneficia ſua, „ quibus nos liberare dignatur, ut de præ„ ſcientia dicit Auguſtinus. Expectat tem„ pus, quo prædefinivit, ſua liberali vo„ luntate peccatoribus miſericordiam præſta„ re. Expectat ordinem a divina ſua pro„ videntia ſtatutum, ſecundum quem ea, „ quæ prædeſtinavit, implevit. “

Neque minus ineptum eſt quartum Adverſariorum momentum. Quid, ſi Chriſtus ait, credituros Tyrios & Sidonios, ſi talia apud eos facta fuiſſent ſigna, qualia apud

apud habitatores Chorozain, & Bethſaida? Quid ſi Apoſtolus inquit, fidem eſſe *ex auditu*? An ex ſolo ſignorum viſu futura Tyriorum fides? Item ex ſola Chriſti prædicatione aure percepta? Piget alibi dicta repetere. Legitimam verborum Chriſti interpretationem ex Auguſtino *l. de dono Perſev.* c. 14. produximus 1. P. Prælect. x. *de Gratia congrua* n. 1x. ubi & exploratæ rei loco poſuimus, oportere, ut fides ſit *ex auditu*, ſeu ut homini, qui invitatur ad fidem, credenda proponantur, & exterioribus argumentis idoneis intellectui ſuadeantur, præter hanc motionem moralem tamen opus homini eſſe divina *præoperante*, ac phyſice movente gratia, ut credat, quod laudatis ab Auguſtino divini eloquii locis effecimus.

Commune illud demum Philoſophorum ſcitum in acquiſitos, quos ſolos ii norant, habitus quadrat, non autem in divinitus infuſos. Etſi enim priorum ſit, potentiam ſatis ad agendum viribus ſuapte inſtructam perficere, majoremque illi duntaxat afferre agendi facilitatem, poſteriores tamen, quos inter Chriſtianorum omnium conſenſu locum obtinet fides, potentiam ſupra naturæ ordinem elevant, viribuſque augent ad id præſtandum, quod naturali ſua virtute non poterat; quapropter, ut recte notat Alvarez, potentiæ naturam veluti induunt, ejuſque vices gerunt, abſolutæ iccirco ſunt ad agendum neceſſitatis, quod & de adjutoriis ad ea, quæ ſupra naturam ſunt, neceſſariis pronunciandum.

VIII. Priuſquam de recentium extra Auguſtini & Thomæ Scholam Theologorum, quam n. 11. expoſuimus, ſententia dicamus, nonnulla prænotanda. I. quemadmodum 2. 2. q. art. 2. docet D. Thomas, *credere actum eſſe intellectus, ſecundum quod movetur a voluntate ad aſſentiendum*; quare ibidem ad 1. illud Auguſtini in l. de Prædeſt. Ss. cap. 5., *fides in voluntate eſt*, intelligendum ait, *in quantum ex imperio voluntatis intellectus aſſentitur credibilibus*: Sit ergo pie affecta voluntas, oportet; quum enim fidei myſteria, quippe obſcura, intellectum non convincant, moveatur ad iis aſſentiendum intellectus a voluntate, neceſſe eſt: Qui autem hæc ad aſſenſum hujuſmodi mentem movere poterit, niſi pia in ea præcedat affectio? II. aſſenſum hunc vel mobilem eſſe poſſe, ac in opinione poſitum, quod homo non divina revelatione, ſed vel humano teſtimonio, vel probabili argumento ad credendum permoveatur, vel omnino firmum, & *ex parte credentis* immobilem, quippe qui divina revelatione nititur, ſeu veritatibus ſupernis adhibetur, quatenus revelatæ a Deo ſunt. III. in quæſtionem venire actum perinde fidei, quam *informem* dicunt, qualis & in improbis fidelibus eſt, ac fidei, *quæ per dilectionem operatur*, quam Theologi *charitate formatam* appellant; Utramque enim eundem reipſa habitum eſſe, probat D. Th. 2. 2. q. 4. ar. 4. item informem in donis Dei numerandam, ibid. q. 6. art. 2. His prænotatis, jam ferendum de opinione n. 11. indicata judicium. Alvareſii moderationem imitantes affirmamus ſolum, omni illam probabilitate deſtitutam, quod cuique a præjudiciis vacuo facile perſuaſum iri confidimus, ſi momenta, quæ preſſuri mox ſumus, expenderit.

IX. Aſſenſus ille uſquequaque certus & ſtabilis fidei myſteriis, ut revelata ſunt, ſolis naturæ viribus præſtitus, dubitari non poteſt, quin verus ſit chriſtianæ & divinæ fidei aſſenſus; in hoc enim divinam ab humana fide differre ſtatuit D. Thomas, a quo nemo unus reſilit Theologorum, 2. 2. q. 1. art. 1. & q. 5. art. 3., quod divinæ *formalis*, ut loquuntur, *ratio* eſt prima veritas ſeu veracitas, humanæ teſtificatio ejuſdem ordinis, aut aliud quodpiam hujuſmodi momentum, quo fit, ut divina fundamento nixa omnino immobili firmiſſima ſit, & a quovis falſi periculo prorſus aliena, humana contra mobilis, caduca, & errori obnoxia; quum ergo aſſenſum, de quo loquimur, divina revelatione niti, & immobilem ab ea firmitatem habere, velint Adverſarii, & ſuperius poſito Lutherani exemplo declarent, extra dubitationem eſt, chriſtianæ & divinæ fidei aſſenſum eſſe. Qui poteſt autem aſſenſus hujuſmodi *actus mere naturalis* eſſe, & ex ſolis naturæ viribus, & generali Dei concurſu prodire? Annon Catholicis omnibus conſtitutum, verum chriſtianæ & divinæ fidei aſſenſum elici ſine ſpeciali gratia non poſſe, quum fides *informis* perinde ac *formata* certiſſime ſit donum Dei? Nullus præterea aſſenſus plane ratus eſt, &, ut loquuntur *infallibilis*, niſi veritati præſtitus evidenti naturalis intelligentiæ, ſeu primorum principiorum lumine, aut demonſtratione cognitæ, vel ſuperna non evidenti quidem, ſed omni-

Digitized by Google

no certa fidei aut prophetiæ illuſtratione perſpectæ; Quum ergo aſſenſus, qui in quæſtione eſt, quemque Adverſarii *infallibilem* ponunt, veritatibus præbeatur non primorum principiorum, aut ſcientiæ lumine cognitis, ex fidei aut prophetiæ lumine oriatur, neceſſe eſt. Qui poteſt ergo non ſpeciali Dei gratia opus habere?

X. Conficitur maxime, quod propoſuimus, argumento ex iis eruto, quæ Auguſtinus & Proſper adverſus Pelagium & Maſſilienſes conſtantiſſime docent, nullam boni inchoationem, nullum, utut imperfectum, fidei initium proficiſci ex ſola liberi arbitrii naturali virtute poſſe; Quis enim citra communis ſenſus, & rationis injuriam negarit, hunc, quem exagitamus, aſſenſum, aliquam ſaltem boni inchoationem eſſe, ac fidei imperfectum licet, initium, & ad ſpeciale gratiæ adjutorium, perfectamque obtinendam fidem aliqua ratione conducere? Nam adverſariorum doctrinà eſt, aſſenſui illi *mere naturali ex parte hominis certa Dei lege ſtatim* auxilium gratiæ reſpondere, quo ſupra naturæ ordinem elevetur, fiatque, *qualis ad ſalutem oportet*. Eſt ergo in aſſenſu illo *mere naturali* aliquod ſalutis initium, & quidpiam momenti ad habendum divinæ gratiæ adjutorium. Hæc autem qui poſſunt cum doctrina Auguſtini & Proſperi cohærere? Quid quod, ſi homini ſolis naturæ viribus ſic credenti, certa Dei lege ſtatim gratiæ auxilium præſto ſit, quo &c.; conſequi neceſſario videtur, *gratiam ſecundum merita dari? Quis dicat*, ait Auguſtinus l. de Prædeſt. SS. c. 2. *eum, qui jam cœpit credere, ab illo, in quem credit, nihil mereri?* Qui myſteriis omnibus firmiſſime ac immobiliter, *quia revelata ſunt*, *actu mere naturali*, ut Adverſariis placet, aſſentitur, annon *jam cœpit credere? Quis ergo dicat*, ab illo, *in quem credit, nihil mereri?* Perfecta ergo fides, quam ſic credenti Deus *ſtatim certa lege* largitur, nec *donum Dei* eſt, neque gratia, ſed merces.

Qui autem argumento hoc nihil opinioni ſuæ creari moleſtiæ putant, quod aſſenſum illum, qui gratiæ præit, quippe *mere naturalem*, aſſerant, nullius eſſe momenti, aut meriti ad obtinendam fidem & gratiam, nec ullam cum iis, quum altioris ordinis ſint, proportionem habere, in animum revocent, velim, & Caſſianum & Fauſtum idem omnino reponere conſueviſſe, quo conflati ab Auguſtino & Proſpero argumenti vim enervarent, quod perſpicere ſuis quiſque oculis poteſt, qui Caſſianum Collat. 13. c. 16., & Fauſtum l. 1. de lib. arbitrio c. 17. legerit. Quid vero Proſper? Ex iis, quæ Caſſianus ponebat, quibus gemina ſunt, quæ ab Adverſariis ponuntur, & gratiæ meritum ab eo adſtrui, concludebat. *Quomodo autem*, ſic ille in l. contra Collatorem c. 6., *non advertis te in illum damnatum errorem incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, quum aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmes? Non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia, præcipue quum omnes ejuſmodi, & accipere & invenire, & intrare dicantur?* Ad poſtrema hæc Proſperi verba rogamus, ut animum advertant; iis enim indicatur certa illa Dei lex a Caſſiano & Fauſto excogitata, qua ad perficiendum conſumandumque bonum, quod naturali ſua vi homo jam cœperit, gratiæ Dei adjutorium in promptu ſit; Quare, ſi omnes, qui naturæ ſuæ virtute hunc, quem excutimus, credendi actum habent, certæ Dei lege gratiæ promtam opem accipiunt, veniunt, atque intrant, jam in eo credendi actu non poterit, ut argumentatur poſt Auguſtinum Proſper, non aliquod gratiæ meritum eſſe, & ſalutis initium.

Ad hoc idem confirmandum multum valet & quod petit Alvarez, argumentum ex notiſſimo illo Apoſt. ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Fac, Regem vel pro ſua munificentia, vel rogante filio regni hærede hanc legem ferre: Ejus certum oppidum erit, qui ad illud concitato curſu contendens primus ingreſſus fuerit: Qui primus reipſa intraſſet, an non illud ſibi faceret debitum? An poſſet Rex, poſita lege, abſque injuſtitiæ labe ab ejuſdem poſſeſſione illum arcere? Opus ille poſuit, cui lata a Rege lex oppidi promiſſionem adjunxit, *operanti autem merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Quid ſi non habet opus illud cum oppido proportionem, hocque multo pluris præ illo valet, eſtque æſtimandum? Poſita lex alterum cum altero veluti adæquans facit, ut operi tametſi multum impari oppidum debeatur. Si ergo ex Chriſti meritis conſtituta

a Deo

a Deo ſit lex, naturæ facultate credenti tribuendum gratiæ adjutorium, hoc jam erit operanti debitum, tametſi opus præ tanto præmio nullius ſit meriti ac pretii. Alia, quæ facta opinionis hujus cum Pelagii, & Maſſilienſium errore contentione, diſp. 49. n. xiii. idem Alvarez urget, mittimus, ne velle Adverſariis invidiam creare, videamur.

XI. Ex dictis autem ſatis patere, exiſtimamus, ſpeciali gratiæ adjutorio opus non ſolum eſſe, ut credendi actus ſupra naturam ſit, & qualis ad ſalutem oportet, ſed etiam ut certus ſit, & *ex parte credentis* immobilis, & in fidei veritates, quia ſunt a Deo revelatæ, feratur; hoc ipſo enim, quod formalis credendi actus ratio eſt divina revelatio, unde abſolutam firmitatem habet, & immunitatem erroris, jam eſt aſſenſus ille chriſtianæ, ut probatum eſt, divinæque fidei aſſenſus: Repugnat ergo, quidpiam mere naturale eſſe, in ſolius naturæ viribus politum, nec Divino alio, quam generali, adjutorio opus habens. Nec minus patere arbitramur, hominem, mox ut edoctus fuit neceſſarium eſſe ad ſalutem aſſenſum, qui ſupra naturam ſit, virtute ſua ſola non poſſe aſſenſum hujuſmodi optare, ſpeciale gratiæ adjutorium, ſine quo haberi ille non poteſt, a Deo petere, ad obtinendum hujus generis adjutorium conari, ſe diſponere, ac comparare; Quum ſint enim hæc deſideria, atque id genus alia, aliquod fidei initium, ad ſolas naturæ vires, niſi velimus cum Semipelagianis dextras jungere, referri non poſſunt, ſed ad ſpeciale divinæ gratiæ prævenientis auxilium. Longe aliter tamen pronunciandum de aſſenſu, qui lubricus eſt, & in opinione poſitus, quod non divina revelatione, ſed vel humano teſtimonio, vel aliqua probabili ratione nitatur; Hunc enim e ſolius naturæ penu prodire poſſe, quin ſpeciali Dei auxilio opus ſit, communiter Theologi ſtatuunt poſt D. Thomam 2. 2. q. 5. ar. 3. in corp. & ad 1.; Quis enim a Dei gratia repetere velit, aut recte poſſit aſſenſum, quem Lutheranus ex. c. Trinitatis myſterio præbet? *In hæretico diſcredente unum articulum non manere fidem, neque formatam, neque informem*, probat ibidem Angelicus, cum quo Theologis omnibus convenit, ideoque non habere illum *fidem de aliis articulis, ſed opinionem quandam ſecundum propriam voluntatem*: Quis autem opinionem hanc non alio, quam opinantis arbitrio fretam, ſpeciali Dei ope egere, dixerit? Sed in re explorata plura ſupervacue ponerentur.

XII. At non probabilis ſolum, ſed certa ſuis videtur auctoribus & patronis opinio, quam refellimus; ſuſtentari enim illam putant, cum Scripturarum, & Eccleſiæ auctoritate, tum ipſa naturæ ratione. Ex iis Chriſti Domini Jo. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo . . . Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, ſibi videntur, recte inferre poſſe, eos ſaltem qui Chriſtum audierant, ejuſque viderant ſigna, ſolo Dei generali concurſu adjutos potuiſſe doctrinæ Chriſti præbere aſſenſum; certum eſt enim, caruiſſe illos & fidei habitu, & adjutorio, quo crederent. Item Conc. Arauſicanum II. can. 6. & 25., & Trid. ſeſſ. 6. in decr. de *Juſtificat.* can. 3., quum ad credendi actum ſpecialis divini adjutorii neceſſitatem adſtruunt, quorſum illud addunt: *Sicut oportet, ut homini juſtificationis gratia conferatur?* Quo additio hæc, niſi utrumque ſenſiſſet, poſſe hominem ſola naturæ virtute myſteriis fidei etiam ut revelatis a Deo aſſentiri, non tamen ut ad ſalutem oportet? Sane ſi in actu fidei ſubſtantiam internoſcamus a modo, quis dubitet prodire illam poſſe, etſi non hunc, ab inſitis naturæ viribus? Eſt enim fidei actus quoad ſubſtantiam vitalis, ab intellectu, qui naturalis & vitalis eſt animi noſtri facultas, exiſtens: Ex hac itaque parte quum naturalis ſit, quidni poſſit & naturaliter edi? Pone denique hominem, cui propoſitum fuerit Evangelium, ſigniſque ac miraculis confirmatum: Si non crediderit, annon contra fidem peccat? Poteſt ergo ſola naturæ vi credere; exploratum enim eſt, neminem peccare, ſi non faciat, quod reipſa non poteſt, quum *nemo*, ut in proverbio eſt, *ad impoſſibile teneatur*. Neque argumentum infringitur reſpondendo, poſſe illum credere, ſi ordinis ſuperioris auxilio juvetur, peccare propterea ſi non credat: Occurrunt enim: Pone, ſtatuiſſe Deum, nullo ſpeciali auxilio, ſed generali ſolum concurſu ſuo huc adjuvare; Plane tunc peccat, ſi non credat: Sola itaque naturæ virtute credere quoad ſubſtantiam poteſt, & credendi præceptum implere; alioqui neceſſario peccaret.

XIII.

XIII. Non eſt in his tamen quidquam, quod vel minimam poſſit opinioni huic probabilitatem afferre; Num enim, ut ordiamur a primo, ideo peccarunt Judæi, & a Chriſto nullam excuſationem habere dicti, quod, quem ſola naturæ vi doctrinæ Chriſti ceu divinitus revelatæ aſſenſum præbere poterant, non præbuerint? Id ſibi Adverſarii pro certo ſumunt, quod oppido falſum eſt: Peccaſſe Judæos, quod quum per Dei gratiam credere poſſent, Deo vocanti reſtiterint, ejuſque gratiæ appoſuerint impedimentum, parebit evidentiſſime ex iis, quæ mox ad diſſolvendum quartum conferenda ſunt. Neque minus in legitima Conciliorum Arauſic. & Trident. intelligentia hallucinantur. Cur enim ab utroque additum τὸ, *ſicut oportet?* Ad excludendum aſſenſum *ex parte credentis* incertum, & in ſola opinione poſitum, qui fidei veritatibus præbetur, non ut revelatæ illæ divinitus ſunt, ſed ut vel humano teſtimonio, vel probabili aliquo momento ſubnixæ; Quum enim ita credens, puta Hæreticus, certe non credat, *ſicut oportet*, nec ex aſſenſu hujuſmodi peti poſſit juſtificationis initium, extra litem eſt, neutri Concilio de illo fuiſſe verba. Qui autem in quæſtione eſt, aſſenſus veritatibus fidei præbitus, quia revelatæ ſunt, ideoque *ex parte credentis* firmiſſimus, & immobilis fidei Chriſtianæ & divinæ aſſenſus eſt, ut ex dictis n. VIII. conſtat, eſt propterea, *ſicut oportet*, & ab eo ſumitur primum juſtificationis initium; quare nec ſic ſpeciali gratiæ adjutorio, ut ab utroque Concilio definitum, haberi poteſt.

Falſo perinde ponunt, hunc, quem expendimus, credendi actum *quantum ad ſubſtantiam* naturalem eſſe. Quid ſi vitalis eſt, & ab intellectu, naturali utique animi vi proficiſcitur? Solide reſpondet Alvarez Diſp. 49. n. XVIII., & ipſam actus fidei, ut loquuntur, *proximam & formalem vitalitatem* a fidei infuſæ habitu, ſive a ſpeciali gratiæ auxilio, velut a principio, ut ajunt, *quo* promanare. Quum ſit etiam actus ille fidei unicus maximeque ſimplex, qui fieri poteſt, ut ex duobus, quorum alterum naturale, alterum ſupra naturam ſit, coaleſcat? Quod confirmat iis Chriſti Domini Jo. X., *Ego vitam æternam do eis*, ubi ipſa, quæ in beatæ viſionis actu eſt, vita dono gratiæ tribuitur, quod & ſignificaſſe videtur Paulus ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*; quum enim beatæ viſionis *vitalitas* ſive vita ſuapte perpetua ſit atque indeficiens, qui poteſt a ſola creatæ mentis virtute, quæ deficere natura ſua poteſt, effluere? A mente ergo oriatur, oportet, elevata ac perfuſa gloriæ lumine, in quod cadere defectus nequit. Idem & de aliis, qui ſupra naturam ſunt, actibus ſentiendum, valide, copioſeque probat Diſp. 64. Actus itaque fidei quippe vitalis eſt ad facultatem vitalem intrinſecus ordo, quæ tamen vel fidei habitu, vel ſuperioris ordinis auxilio ſit elevata. Ut actus enim vere vitalis ſit, ſatis eſt elici illum a vitali potentia, vel naturali ſua, vel adjuncta virtute operante, ut in beatæ viſionis actu perſpicuum eſt.

Ad diſſolvendum poſtremum, in quo nonnihil ſpeciei eſt, doctrinam D. Th. præmittimus 2. 2. q. 2. ar. 5. ad 1. „ Si „ in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid „ ſecluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa te„ netur homo, ad quem non poteſt ſine „ gratia reparante, ſicut ad diligendum „ Deum & proximum, & ſimiliter ad „ credendum articulos fidei; Sed tamen „ hoc poteſt cum auxilio gratiæ, quod „ quidem auxilium quibuſcunque divini„ tus datur, miſericorditer datur, quibus „ autem non datur, juſte non datur in „ pœnam præcedentis peccati, ſaltem ori„ ginalis, ut dicit Auguſt. in l. de Cor„ rep. & Gr. c. 5. & 6. " Hinc hominem, in quo Adverſarii exemplum ponunt, peccare concedimus contra fidem, ſi non credat, neque tamen; quod Evangelio ſibi propoſito aſſentiri ſolis naturæ viribus poſſit, ut ipſi minus ſcite concludunt, ſed quod nolit, quum per auxilium gratiæ poſſit, ſuaque malitia impedimentum afferat, nec hoc auxilio donetur. Si autem interiori nullo etiam ſufficiente auxilio ad Evangelio propoſito aſſentiendum divinitus excitetur, non peccare illum contra fidem, ſi credendi actum non eliciat, quem ſine ſpeciale auxilio elicere vere non poteſt, docent Bannez, Alvarez, aliique Theologi graviſſimi, & fore tunc illum *negative* ſolum, ut ajunt, infidelem, colligunt ex iis, quæ 2. 2. q. 10. ar. 1. tradit D. Th. Secus autem pronunciandum de illo cenſent, ſi Evangelium ſibi propoſitum ſpernat, eique reſiſtat; Peccare illum tunc contra fidem, & infidelem *poſitive* ſive *contrarie* eſſe exploratum eſt; ſuo enim ille renisu impedit, ne auxilio ad credendum neceſſario juvetur.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIII.

De gratiæ ad opera moraliter bona neceſſitate.

I. QUæſtionem aggredimur ſpinoſiſſimam, magnoque animorum æſtu a Theologis in diverſa abeuntibus diſceptatam. Non admodum ſollicitos eorum diſſidium nos haberet, niſi & domeſticum eſſet, & inter inſigniores ipſos D. Thomæ Diſcipulos ferveret; tam enim qui affirmant, quam qui negant, gratiæ ad opera moraliter bona neceſſitatem, Sanctorum Auguſtini & Thomæ auctoritate ſe protegunt, ac utrunque ſuis in partibus numerant, eſtque admodum difficile judicatu, a quibus ſtet verum, & quibus Auguſtini & Thomæ reipſa ſuffragetur auctoritas. In quæſtione itaque inter Noſtrates etiam controverſa, & necdum Eccleſiæ judicio finita, integrum nobis erit, eligere, quod majorem nobis veri videtur habere ſimilitudinem, & in illorum ſententiam ire, quæ D. Thomæ præſertim eſſe, nobis (rectene, an ſecus, præjudiciis vacuorum judicium eſto) ſemper viſa eſt conſtantiſſime. Ut autem alieni ſemper fuimus, ſumuſque a notanda opinione ei, quam præferimus, oppoſita, multumque laudamus poſitam a noviſſimo *diſquiſitionum*, quas *ſyſtematicas* vocat in *S. Proſperi carmen de ingratis*, auctore operam in exponendis Pontificiis adverſus Baii errores conſtitutionibus, a quibus nihil recentiorum Auguſtinienſium, quorum ipſe ſe partibus totum addixit, ſententiæ timendum probare ſtrenue nititur, ita diſſimulare non poſſumus minus fuiſſe illum, quam par eſſet, moderatum in notanda, nec leviter, eorum opinione, quam a S. Proſperi mente alienam eſſe, perſuaſum habet. Eſt Annot. 68. in tertio ejus monito, quod omnibus, qui velint ſuis quæque librare ponderibus, jure diſpliceat. Monet, in ſententiarum de gratia delectu ſumma opus eſſe circumſpectione.

. . . . *quod*, ut ait Proſper, *tota nefandæ*
Hæreſeos ſumma exigua ſub parte tegatur,
De qua plena mali labes renovetur, & omne
Commenti corpus per ſingula membra reſurgat.

Quæ vero exigua hæc pars, de qua plena Pelagiani mali labes renovetur? Aliquisne ex proſcriptis Pelagii erroribus? Neceſſe non eſt, ait Diſquiſitor, eo uſque progredi: Ad inſtaurandum *omne* damnati *commenti corpus*, ſatis eſt, vel *filum* apprehendere, quo *pannus integer* detexatur, moxque exemplum ponit in ſententia, quæ *poſſibilem* naturæ puræ ſtatum admittit, qua *citiſſime ad purum Pelagianiſmum via aperitur*, quod & *dictum* vult de opinione ponentium neceſſarium non eſſe ad opus moraliter bonum gratiæ adjutorium; ea enim *principium* nobis *in manus dat* ſuapte valens ad inducendos *pedetentim* nos in potentiſſimum (*nel più ſpiatellato*) *Pelagianiſmum*. Heu cæcos tot illos, pietatis licet & theologicæ eruditionis laude ſpectatiſſimos, optimeque de Eccleſia meritos viros, Cajetanum, Soto, Suarez, Joannem a S. Thoma, alioſque longe plurimos, qui, quo ſua illos opinio recta duceret, imo præcipites daret, non adverterint! At, ut *non omnia poſſumus omnes*, ita nec omnia videmus omnes. Cæterum quum ignorare non potuerit Diſquiſitor, demonſtraſſe illos evidentiſſime, nihil opinioni ſuæ, quam & Auguſtini, & Thomæ teſtimoniis confirmant, cum Pelagianorum ſyſtemate affinitatis eſſe, hancque a ſe notam, neque enim recens eſt, perſpicue amolitos, debuerat ille, alia ad illuſtrandum monitum ſuum exempla conferre, quibus veritate nixis merito timenda non eſſet cordatorum reprehenſio. Sed hæc leviſſime, & prætee rem; neque enim quidquam nobis cum illo negotii ſumimus.

II. Quo autem expeditius tutiuſque progrediamur, &, quæ poſſent difficultatem injicere, ſubmoveamus, nonnulla ducimus prænotanda, quibus legitima ſententiæ noſtræ intelligentia evolvitur, & explicetur, ac primo quod habet D. Thomas q. 24. de Ver. ar. 14., cujus titulus: *Utrum liberum arbitrium poſſit in bonum ſine gratia*: „ Eſt autem (ait) duplex bonum, „ quoddam, quod eſt humanæ naturæ „ proportionatum, quoddam vero, quod „ excedit humanæ naturæ facultatem, & „ hæc duo bona, ſi de actibus loquamur, „ non differunt ſecundum ſubſtantiam a„ ctus, ſed ſecundum modum agendi: „ Ut-

„ Utpote iſte actus, qui eſt dare eleemo-
„ ſinam, eſt bonum proportionatum viri-
„ bus humanis, ſecundum quod ex natu-
„ tali dilectione, vel benignitate homo
„ ad hoc movetur: Excedit autem hu-
„ manæ naturæ facultatem, ſecundum
„ quod homo ad hoc inducitur ex chari-
„ ritate, quæ mentem hominis Deo u-
„ nit. Ad hoc ergo bonum, quod eſt ſu-
„ pra naturam humanam, conſtat libe-
„ rum arbitrium non poſſe ſine gratia,
„ quia, quum per hujuſmodi bonum ho-
„ mo vitam æternam mereatur, conſtat,
„ quod ſine gratia mereri homo non pot-
„ eſt: Illud autem bonum, quod eſt hu-
„ manæ naturæ proportionatum, poteſt
„ homo per liberum arbitrium explere;
„ unde dicit Auguſtinus (librum tertium
„ hypognoſticon laudat, qui olim inter
„ Auguſtini opera ferebatur, nunc autem,
„ ut & priores, inter ſpurios rejectus eſt)
„ quod homo per liberum arbitrium pot-
„ eſt, agros colere, domos ædificare, &
„ alia plura bona facere ſine gratia ope-
„ rante. Quamvis autem hujuſmodi bo-
„ na poſſit homo facere ſine gratia gra-
„ tem faciente, non tamen poteſt ea fa-
„ cere ſine Deo, quum nulla res poſſit
„ in naturalem operationem exire, niſi
„ virtute divina, quia cauſa ſecunda non
„ agit, niſi per virtutem primæ cauſæ,
„ ut dicitur in l. de Cauſis &c. "

Secundo, quod idem tradit 2. 2. q. 23. ar. 7. ajens: „ Sicut duplex eſt hominis
„ finis, unus ultimus & alius proximus,
„ ita duplex eſt bonum, unum quidem
„ ultimum, & univerſale, & aliud pro-
„ ximum & particulare: Ultimum &
„ principale hominis bonum eſt Dei frui-
„ tio ſec. illud Pſal. 72. *Mihi autem ad-*
„ *hærere Deo bonum eſt*, & ad hoc ordi-
„ natur homo per charitatem: Bonum
„ autem ſecundarium & quaſi particulare
„ hominis poteſt eſſe duplex, unum qui-
„ dem, quod eſt vere bonum, utpote or-
„ dinabile, quantum eſt in ſe, ad princi-
„ pale bonum, quod eſt ultimus finis, a-
„ liud autem eſt bonum apparens, & non
„ verum, quia abducit a finali bono. Sic
„ ergo patet, quod virtus vera ſimplici-
„ ter eſt illa, quæ ordinat ad principa-
„ le bonum hominis . . . & ſic nulla ve-
„ ra virtus poteſt eſſe ſine charitate. Sed
„ ſi accipiatur virtus ſecundum quod eſt
„ in ordine ad aliquem particularem fi-
„ nem, ſic poteſt aliqua virtus dici ſine
„ charitate, inquantum ordinatur ad ali-
„ quod particulare bonum: Sed ſi illud
„ particulare bonum non ſit verum bo-
„ num, ſed apparens, virtus etiam, quæ
„ eſt in ordine ad hoc bonum, non erit
„ vera virtus, ſed falſa ſimilitudo virtutis:
„ Sicut non eſt vera virtus avarorum pru-
„ dentia, qua excogitant diverſa genera
„ lucrorum, & avarorum juſtitia, qua
„ gravium damnorum metu contemnunt
„ aliena, & avarorum temperantia, qua
„ luxuriæ, quæ ſumtuoſa eſt, cohibent
„ appetitum, & avarorum fortitudo, qua,
„ ut ait Horatius l. 1. epiſt. 1.

„ Per mare pauperiem fugiunt, per
„ ſaxa, per ignes,

„ ut Auguſt. dicit l. 4. cont. Jul. c. 3.:
„ Si vero illud bonum particulare ſit verum
„ bonum, puta conſervatio civitatis, vel
„ aliquid ejuſmodi, erit quidem vera vir-
„ tus, ſed imperfecta, niſi referatur ad
„ finale, & perfectum bonum. "

Eſt in hunc D. Th. articulum peropportuna, & digniſſima, quæ exſcribatur, quippe quæ dicendis multum luminis adfert, Card. Cajet. gloſſa: „ Adverte (ait)
„ hic diſcrete, quid in re, & quid in ſer-
„ monis ratione ſentiendum, ne apud
„ Philoſophos, & mundi hujus Sapientes
„ riſum excites. Secundum rem quidem
„ eſſe poſſunt in homine abſolute conſi-
„ derato ſine charitate veræ virtutes, &
„ perfectæ perfectione requiſita ad virtu-
„ tem humanam; Sed, quoniam quilibet
„ artifex judicare debet ſecundum proprias
„ ſui generis cauſas, medicus quidem ſe-
„ cundum humores, aſtronomus ſecundum
„ aſtra &c. inde diverſa eſt ratio ſermo-
„ nis apud Theologos & alios, Theolo-
„ gus ſiquidem, cujus objectum eſt Deus,
„ & hominem bonum conſtituit ſolum in
„ ordine ad finem ultimum ſimpliciter,
„ qui eſt objectum charitatis, diſtinguen-
„ do dicit, quod perfectio virtutis eſt du-
„ plex, *in genere*, & *ſimpliciter*, & quod
„ ſine charitate, & etiam ſine fide ſunt
„ virtutes perfectæ *in genere*, ſed non *ſim-*
„ *pliciter*. Philoſophus autem, qui homi-
„ nem bonum conſtituit in ordine ad ul-
„ timum finem naturalem, nec ſuperio-
„ rem novit finem, virtutes humanas ſi-
„ ne fide & charitate veras & perfectas
„ *ſimpliciter* dicit: Nec propterea contra-
„ dicunt, ſed imperfecta Philoſophiæ no-

„ ti-

„ titia de hominis bonitate in cauſa eſt ;
„ Quod enim Philoſophus vocat perfe-
„ ctum *ſimpliciter*, quia ejus non eſt al-
„ tiorem finem conſiderare , Theologus
„ vocat perfectum *in genere*, & imperfe-
„ ctum *ſimpliciter*, quia ejus eſt , altio-
„ rem finem conſiderare ; & hæc ſi bene
„ notaveris , & ſciveris applicare, cum
„ reverentia ſuſcipies dicta Theologorum,
„ & Philoſophos non ſpernes . “

Demum , quod Joannes a S. Thoma accurate perpendendum monet , morale ſcilicet opus poſſe dupliciter bonum dici , *ex objecto* primum, *&* *circumſtantiis* , & ex *bonitate operantis* , quod non de ejus intentione accipiendum eſt ; quis enim neſcit, oportere, ut intentio bona ſit , ſi opus eſt bonum , quum inter operis adjuncta, ſeu circumſtantias cenſeatur? Sed de bonitate perſonæ operantis , quæ ad rectum finem ordinata quum ſit , recta eſt, & bene diſpoſita ; nam opus poteſt in unum finem natura ſua referri, in alium vero ex parte perſonæ operantis . Exemplum ille ponit in juſto charitate prædito, & veniale quid admittente , ac in improbo quidpiam boni moralis præſtante : Prior per charitatem & gratiam eſt, ut loquuntur , *habitualiter* converſus ad Deum, ad quem tamen nec refertur , nec referri poteſt culpa venialis: alter vero eſt averſus a Deo , ad quem tamen ceu totius boni auctorem & finem ſuapte refertur eleemoſyna, ac quodvis aliud morale bonum, quod debita adjuncta comitentur.

III. His prænotatis , jam declarandum, quid de quæſtione propoſita ſentiamus . Viſa nobis ſemper eſt , videturque adhuc rationi plurimum conſentanea , veroque proxima eorum opinio, qui ad quodcunque opus moraliter bonum non egere hominem ſpeciali Dei gratia , ſtatuunt, quam Jo. a S. Thoma *communem apud Auctores* ſui ævi etiam extra D. Thomæ Scholam affirmat, Cl. autem Soto l. 1. de nat. & Gr. c. 20. ſcribit : „ Ante Gregorium
„ Ariminenſem (celebrem quarti decimi
„ ſæculi ex Auguſtinienſium familia Theo-
„ logum) neminem legiſſe memini , qui
„ quantum judicio aſſequi poſſum, nega-
„ re hoc cogitaverit . . . poſſe hominem,
„ dum eſt in peccato , ſuapte natura ,
„ citra ſpeciale ſuccurſum Dei, tum poſ-
„ ſe, tum etiam velle & exequi officium
„ aliquod naturali honeſtate præditum . . .
„ Eſt enim opus moraliter bonum, (ut
„ a Scholis nomen recipiamus) illud, quod
„ eo eſt *h*oneſto fine naturali intentum ,
„ ac circumſtantiis veſtitum, ut , quum
„ non ſit gratiæ apud Deum, & gloriæ
„ meritum, nullum ſit tamen peccatum,
„ ſed infra lineam naturalem ſtudioſum
„ . . . Gregorius utrumque negat in 2.
„ ſent. diſt. 26. 27. 28. q. 1. , amboque
„ exiſtimat, non ſolum eſſe contra Au-
„ guſtinum , cujus innumera more ſuo
„ complicat teſtimonia, verum & coinci-
„ dere in errorem Pelagii . Addit , S.
„ Thomam ejuſdem ſecum fuiſſe ſenten-
„ tiæ : Ego vero (quod meum eſt exile
„ ingenium) ut certo aſſentior huic con-
„ tra Gregorium aſſertæ veritati, ita ne-
„ que ſum uſquam ſuſpicatus , vel S.
„ Auguſt., vel S. Thomam contrarium
„ habuiſſe judicium , præterquam quod
„ reliquus Theologorum cœtus nobiſcum
„ ſentit, ut ipſe confitetur Gregorius. “

IV. Si autem , quæ idem Theologus præſtantiſſimus ibid. c. 21. , priuſquam Ariminenſis argumenta dilueret, operæ pretium duxit, *non ſolum propter Gregorianos*, ſed & propter Lutheranos patentius exponere, ante oculos habuiſſet *Diſquiſitionum in S. Proſperi carmen* artifex , tot iis pepercissſet, quæ ad fulciendam ſingularem Ariminenſis opinionem late congeſſit, nec paulo confidentius affirmaſſet , ſententiam ante & poſt Gregorium *communem apud Theologos principium* ſuppeditare ſenſim quidem, ſed recta ducens ad *apertiſſimum Pelagianiſmum* . Quoniam vero eadem omnino tenemus , quæ ad ſuam hanc noſtramque ſententiam , ambiguitatis cujuſcunque vitandæ gratia, Soto appoſuit moderamina atque temperamenta , ad hæc animum advertant , rogamus, qui partium ſtudio veritatem anteferunt, pronuntientque, an in ſententia tam prudenter expoſita ullus eſſe poſſit vel remoto Pelagianiſmi periculo locus . Eadem autem Soto verba dabimus etſi paulo longiora, tum quod nobis aptiora non ſuppetant , tum ne detraxiſſe quidpiam, aut de noſtro adjeciſſe putemur .
„ Quando affirmamus (ait) bonum opus
„ in genere morum naturali facultate fie-
„ ri, primum id intelligimus , ubi nullus
„ præfigitur malus finis, nullaque affigi-
„ gitur circumſtantia mala. Mox neque
„ hujuſmodi opus cenſemus, nuncupamus
„ que *ſimpliciter* aut bonum , aut virtu-

„ tis, ſed contracte, & (quod idiomate
„ ſuo ajunt in Scholis) *ſecundum quid*,
„ quippe opus ex genere, ſeu moraliter
„ bonum; & ideo nos conſulto diſſimu-
„ lavimus particulam, quam Gregorius
„ componit in definitione dicens, quod
„ *actus bonus moraliter ille eſt, qui habet*
„ *omnes circumſtantias, ut ſit vere virtuo-*
„ *ſus*; opus enim moraliter bonum ita
„ eſt ſtudioſum, ut non tamen mereatur
„ *abſolute* nomen virtutis, cujus incogi-
„ tantia ſtatim a definitione Gregorium
„ ſefellit. Etenim Auguſtinus ubicumque
„ loquitur ſimpliciter de bono opere, aut
„ de virtute, ea duntaxat officia compre-
„ hendit, quæ fiunt in charitate, quæ una
„ eſt forma virtutum. Expreſſa eſt ejus
„ ſententia in l. de Grat. & lib. arb.
„ c. 18. ubi ait: *Quidquid ſe putaverit*
„ *homo facere bene, ſi fiat ſine charitate*,
„ *nullo modo fit bene*; Et ideo apud Gen-
„ tiles nunquam cenſet, veras fuiſſe vir-
„ tutes, non ſolum quia pleraque facie-
„ bant propter inanem gloriam, ſed quia
„ cognitione carebant, & charitate veri
„ Dei: Id quod peregregie tum ſæpe
„ alibi, tum l. 4. adv. Jul. c. 3. diſſerit,
„ confirmans, non eſſe vere juſtum, niſi
„ qui *ex fide vivit*, neque veram eſſe ju-
„ ſtitiam, niſi ubi eſt *regnum Dei*, neque
„ veras virtutes, niſi ubi eſt *vera ſapien-*
„ *tia & charitas Dei*, & ideo non eſſe
„ inter Romanos & Græcos, qui eſſent
„ veri ſapientes, ſtudioſique cenſendi. Ex-
„ cipere nihilominus poſſumus aliquos for-
„ te rariſſimos, quibus legitime ſervanti-
„ bus jus naturale, (id quod non credo
„ negaſſe Auguſtinum) Deus peculiariter
„ ferret opem, ut ſecum reconciliaret. Et
„ inde tertio conſequitur, quum diximus,
„ Dei cognitionem poſſe quempiam natu-
„ raliter adipiſci in materia morali, mini-
„ me nos intellexiſſe de vera prudentia,
„ quippe quæ non eſt, niſi ubi veræ con-
„ nectuntur virtutes; At vero ubi Augu-
„ ſtinus negat, veras eſſe virtutes extra
„ charitatem, & fidem, & ubi eas vo-
„ cat falſas, non ſentit, quod ſint iccirco
„ peccata, ſed id tantum, quod non ha-
„ bent legitimum virtutis gradum, & ita
„ gloſſat eum S. Thomas 1. 2. q. 65.
„ ar. 2., ſicuti aurichalcum licet ſit fal-
„ ſum aurum, eſt tamen in genere ſuo
„ res bona.

„ Præterea neque illa opera utcunque
„ bona damus, poſſe hominem multo
„ tempore, aut in materiis vel arduis vel
„ pluribus efficere; Eſt enim homo poſt
„ peccatum imbecillior, & infirmior,
„ quam ut poſſit in bono, neque in eo
„ quidem, quod eſt naturale, durare ſine
„ auxilio Dei; Namque in infidelibus, &
„ in perditis Chriſtianis experimento didi-
„ cimus, quam homines divino favore de-
„ ſtituti in diverſas malorum abyſſos præ-
„ cipites dilabantur. Neque poſtremo diſ-
„ fitemur, quin quandoque in peccato ja-
„ centes inſpirationes aliquas peculiares,
„ favoreſque recipiant; Nam ait loc. ſup.
„ cit. S. Thomas 1. 2., quod *Deus quan-*
„ *doque per ſuam gratiam aliquos inſtruit*
„ *de his etiam, quæ per naturalem ratio-*
„ *nem cognoſci poſſunt*: Quin imo addi-
„ derim, quod nonnumquam recipiunt ali-
„ qua ſupernaturalia ſubſidia, quibus ullo
„ modo molleſcant, & diſponantur ad
„ gratiam: Sed id tantum conſtituere vo-
„ lumus, quod ſine ſpeciali auxilio poteſt
„ peccator multa opera facere, quæ non
„ ſint peccata, neque merita gratiæ, ſed
„ medio modo moraliter bona, neque vero
„ proxima ſint diſpoſitio ad gratiam, ſed
„ remotiſſima, qua ratione ait ille, *prima*
„ *virtus eſt, vitium fugere*.

V. His explanatis fatemur ingenue, complecti nos animo nunquam potuiſſe, qui tam moderatæ, tamque ipſi naturæ lumini conſentienti ſententiæ, non adverſari pugnaciter ſolum, ſed & Pelagianiſmi notam inurere viri docti potuerint, viſumque nobis, quod & dudum ante nos eximiis aliquot Theologis viſum, ſcribit Alvarez Diſp. 50. n. IV., totam *in ſolo nomine* verſari hanc controverſiam. Cæterum quoniam idem ipſe mox ſubdit, *re penitus inſpecta & explicata, apparere, non de ſolo nomine ſed etiam de reipſa* quæſtionem eſſe, atque Ariminenſis ſententiam præfert, jam noſtræ momenta promenda, & refutanda contrariæ. Nonnulla primum ſunt divini eloquii teſtimonia, quæ ad faciendam noſtræ huic ſententiæ fidem a Theologis graviſſimis Soto, & Jo. a S. Th. adhibentur, ex quibus videtur elici hæc, quam ſtatuimus, operum differentia, quæ nimirum ſunt naturaliter bona, citra meritum gratiæ, ut illud Chriſti Matth. 5. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: Eſt ergo *juſtitia* quædam ad regnum cæleſte non ducens, quæ ſcilicet eſt non *abundans*, nec ad finem

qui

qui ſupra naturam eſt, ordinata: Illud item ejuſdem ibidem. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Neque enim Chriſtus officia vituperat, quæ propter honeſtatem humanam, & naturales neceſſitudines fiunt, ſuntque bonis maliſque communia, ſed ait, imperfectas eſſe virtutes, & nullius ad æternam mercedem utilitatis, niſi ex vero germanoque Dei amore proficiſcantur, quo ſe diligit cæleſtis Pater perfectus. Eodem denique referunt illud Pauli ad Rom. 4. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum:* Eſt itaque, auctore Paulo, juſtitiæ humanæ, ſcilicet *ex operibus*, ſua gloria, ideoque ſua honeſtas; nam, ut & Tullius ajebat, gloria virtutem ſicut umbra ſequitur, ejuſque præmium eſt, imperfecta tamen, & nullius *apud Deum* meriti. Nolumus tamen his cauſam noſtram committere, ut nec committunt laudati Theologi, quod non ſint illa ſatis expreſſa ad efficiendum, quod molimur.

VI. Quoniam de SS. Auguſtini & Thomæ mente potiſſimum contentio eſt, locupletiſſimis eorumdem teſtimoniis demonſtrandum ſententiam noſtram cum eorum doctrina plane congruere: Illud primo proferimus Auguſtini l. 4. cont. Jul. c. 3. *Quoniam ſaltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam, regnumque perducere, ſcito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud bonum opus, ſine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei bonum, regnumque perduci; omnia proinde cætera, quæ videntur, habere apud homines aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine ullo facta peccato: Quod ad me pertinet, ſcio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis & impia non eſt bona*. Nonne Auguſtinus opera, quæ ad ſalutem perducunt æternam, ab iis aperte diſtinguit, quæ nullius ad eandem utilitatis ſunt, etſi vitæ hujus honeſtatem habeant, & ſine ullo peccato ſint facta? Ad priora ſolum gratia *Mediatoris* opus eſſe decernit, quod Catholicorum nemo unus negat, ſecus autem ad poſteriora. Quid ſi hæc videtur, negare, bona eſſe, quia a *bona* voluntate non ſunt? Confirmat, quod ſuperius cum Soto & Jo. a S. Th. notavimus, *ſimpliciter* & abſolute bona non eſſe, ſed contracte ſive *ſecundum quid*, *ex parte* ſcilicet *operis*, quod ad rationis normam directum eſt, non item *ex parte perſonæ operantis*, cujus quippe infidelis aut impiæ eſt averſa a Deo voluntas.

Illud ſecundum nobis videtur decretorium, quod in l. de Spir. & lit. c. 27. & 28. tradit, quodque ſolet præcipue a ſententiæ noſtræ Patronis urgeri. Ibi Apoſtoli verba ad Rom. 2.: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*, interpretans ait, intelligi ea primum poſſe de Ethnicis jam fide imbutis, qui dicuntur, *quæ legis ſunt, naturaliter facere*, non quod ſolis naturæ viribus, ſed quod *per fidem* faciunt, quæ legis *naturaliter* ſunt, ſeu ad legem pertinent naturalem. Addit exin, referri laudata Apoſtoli verba ad Ethnicos poſſe nondum fidei luce perfuſos, *quorum*, ait, *aliqua facta ſunt, quæ ſecundum juſtitiæ regulam merito recteque laudamus*, quorum in animis, ſubdit c. 28., non ita Dei deletam imaginem, ut non poſſint, *etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere*, ſicque intelligendum, eos *naturaliter facere, quæ legis ſunt, quia non omnino deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei, quum crearetur, impreſſum eſt*. Quum horum itaque factorum, quæ ſecundum juſtitiæ regulam merito recteque laudamus, originem repetat Auguſtinus a Dei imagine nec in ethnicis, nec in impiis per peccatum omnino deleta, ſeu a gratia creationis omnibus communi, quorſum ab Auguſtini doctrina alieni dicuntur, qui ad hujuſmodi opera gratiæ Mediatoris neceſſitatem negant?

Sed nulla cavillatione appeti, nulla exceptione eludi poſſunt, quæ continenter adjungit: *Nam & ipſi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum* (ideſt ſecundum naturalem legem) *aliquid anima & ſentit, & facit: Sed pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatam, convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur: renovari autem, niſi gratia chriſtiana, hoc eſt, niſi Mediatoris interceſſione non poſſunt, a cujus gratia ſi alieni illi,*

de quibus agimus, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, quid eis proderunt excuſantes cogitationes in die qua judicabit Deus occulta cordium, niſi forte ut mitius puniantur? Sicut enim non impediunt a vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur, ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillime vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur. Quid apertius, quid luculentius? Si anima legitimum aliquid inſita naturæ ſuæ vi & ſentit, & facit, ſi alieni a gratia Chriſti hoc ſolo, quod homines ſunt, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, ſi cujuslibet peſſimi hominis vita difficillime ſine aliquibus bonis operibus invenitur, quæ, tametſi nihil ad æternam vitam proſint, proſunt tamen, ut mitius puniantur, num procul a vero abeunt, qui idem ſtatuunt, quod Auguſtinus? Tametſi proferri alia ſoleant ex Auguſtino teſtimonia, nobis tamen videntur duo iſta ſufficere tranſigendo quod propoſuimus.

VII. Mirum autem nobis ſemper viſum, ab Adverſariis D. Thomam in ſuis duci, & palam jactari. Ea ſibi ante oculos ſtatuant, animoque verſent, quæ n. 11. ex q. 24. de ver. ar. 14., & ex 2. 2. q. 23. ar. 7. exſcripſimus, quibus gemina ſunt, quæ 1. 2. q. 109. ar. 2. docet, eandem paucis rationem complexus, cur bonum aliquod naturalis ordinis facere homo lapſus ſine gratia poſſit, quam Auguſtinus, quod ſcilicet non eſt in eo Dei imago deleta, quod homo adhuc eſt, in cujus naturæ vi ineſt *legitimum* quidpiam, ſeu rationi conſentaneum, ſentire & facere; ait enim: *Quia natura humana non eſt per peccatum totaliter corrupta, ut ſcilicet toto naturæ bono privetur, poteſt quidem homo etiam in ſtatu naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere, ſicut plantare vineas, ædificare domos, & alia hujuſmodi &c.*, quæ ut Cajetano rectiſſime animadverſum, naturalis licet ordinis, virtutis tamen acquiſitæ opera ſunt, & moralia, quippe quæ libere fiunt, ordinarique ad rectum finem poſſunt; ſi ergo hæc & ſimilia ſolis naturæ viribus, & generali Dei moventis auxilio fieri ab homine poſſe, nunquam non docuit D. Thomas, laudari illum ab Ariminenſi, ejuſque aſſeclis velut opinionis ſuæ apertiſſimum ſuffragatorem, quis non miretur? Quare acutiſſimus Cajetanus S. Doctoris mentem quaquaverſius excutiens, penituſque rimatus, ſubdit: „ Ad evidentiam „ hujus difficultatis non intendo aliunde, „ quam ex Auctoris officina ſimul afferre, „ quid ſimpliciter, & ſecundum Doctorem S. tenendum eſt, hominem nempe „ in ſtatu naturæ corruptæ poſſe per ſua „ naturalia, quantum eſt ex ſufficientia „ virtutis operativæ, operari aliquod opus „ moraliter bonum, licet non poſſit univerſum ſuum moraliter bonum facere.“ Capreolus quidem D. Thomam interpretatur ſenſiſſe illum videlicet, poſſe hominem lapſum quidpiam boni moralis facere *ſine habitu gratiæ gratum facientis*, non tamen *ſine ſpeciali auxilio*: Sed, merito reponit Soto, *neſcio, hoc unde elicere potuit*. Præterquamquod hæc Capreoli interpretatio Prælect. VI. n. IV. ſatis refutata eſt, addimus patere ex D. Thoma manifeſtiſſime, divini auxilii nomine, quod ad cognoſcendum quodcumque verum, & faciendum bonum *naturæ proportionatum* homini neceſſarium eſſe, decernit, generale ab eo deſignari auxilium ſive concurſum, *eo quod nulla res exire poteſt in operationem naturalem ſine virtute divina*, movente ſcilicet & applicante; quare ut naturales quæcunque cauſæ ſolo egent ad operandum generali Dei concurſu, idem de homine cenſendum, cui eodem nomine ad bene intra naturæ ordinem agendum divino auxilio opus eſſe pronuntiat.

Quid ſi in hoc art. 2. ad 1., & 2. 2. q. 136. ar. 3. ad 2. ſcribit, *requiri ad bonum humanæ naturæ commenſuratum auxilium gratiæ Dei*? Non aliud ab eo denotari auxilium, quam generale, quod late dici poteſt *gratia*, non ſpecialis illa quidem ſed generalis, annon ſatis indicat cauſa, quam affert, cur ſit hoc gratiæ Dei auxilium neceſſarium, ajens, *quia illud bonum eſt connaturale naturæ humanæ*? Specialis gratia num homini neceſſaria, quia bonum, ad quod datur, ad hominis naturam proportionem habet? Imo quia vel ſupra naturam hominis eſt, vel, quia etſi intra naturæ ordinem ſit, iis tamen eſt obſitum difficultatibus, quæ ſuperari ab homine lapſo, & infirmo non poſſunt, ut infra declarabimus. Nec Adverſariorum ſententiæ favent, quæ tradit ille q. 24. de Ver. ar. 14. in corp. *Quod ſi gratiam Dei velimus dicere, non aliquod naturale donum*, (cujuſmodi eſt generalis Dei concurſus) *ſed ipſam miſericordiam Dei, per*

quam

quam interius motum mentis operatur , & exteriora ordinat ad ſalutem , ſic nullum bonum poteſt homo facere ſine gratia Dei . Qui horum cum ſuperioribus contentionem fecerit, alione quam oculis opus habet , ad intelligendum, Angelicum loqui de bono opere, quod ad ſalutem ordinatum eſt, & conducit ? Hujuſmodi autem bonum fieri ab homine ſine ſpeciali Dei gratia poſſe, quis Catholicorum affirmat?

VIII. Ad hæc rationum momenta , quæ SS. Auguſtini & Thomæ nobis doctrina ſuppeditat, duo adiicere lubet, quibus Gregorii Arim. opinionem doctiſſimus Soto perſtringit, ajens primo, (quod bona pace ſapientiſſimi Doctoris dictum) hanc merum ejus inventum eſſe ; nam fatetur reclamare ſibi omnes Theologorum ſcholas , ex qua ejus confeſſione hoc , quod *Diſquiſitionum &c. in examen &c.* auctori perpendendum exhibemus , argumentum Soto, noſque poſt illum inſtruimus . Minus ſcite minutque recte reiicitur , quod eſt in humana & naturali ratione, & communi Theologorum conſenſione poſitum , niſi aliqua ratione ſcripto aut tradito Dei verbo, aut Eccleſiæ definitionibus adverſetur : ſententiam noſtram Theologorum omnium conſenſu fretam ipſa Gregorii confeſſio probat, humana autem & naturali ratione nixam ſatis oſtendunt , quæ mox ex SS. Auguſtino & Thoma produximus: Quod Scripturæ teſtimonium dabit , cum quo nequeat ſententia noſtra componi ? Multa ille quidem Patrum teſtimonia comportavit : at ea ſunt, ait Cajetanus, *una forte Gloſſa contenta ; quod ſi advertiſſet hic Doctor, non tantum ſe in auctoritatibus fundaſſet* . Quid vero ab Eccleſia definitum ? *neminem* , ut in Conc. Millevit. can. 4. & 5., & explicatius in Aranſ. II. can.7. , *per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ , cogitare aut eligere poſſe abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus S.*, *neminem* item, ut in Trid. ſeſ. 6. in decr. *de juſtific.* can. 1. 2. & 3., *per humanæ naturæ vires , per legis doctrinam abſque divina per Chriſtum gratia poſſe credere , ſperare , aut diligere, prout oportet , ut ei juſtificationis gratia conferatur* . Uſquam ne vero de bonitate moralium operum , quæ nec ullius apud Deum meriti eſſe, nec ad gratiam diſponere , nec ad ſalutem conducere, ſtatuimus, vel Scriptura, vel Eccleſia credere vetuit , quod naturalis ipſa ratio dictaret? Eſt ergo præter legitimam cauſam intruſa auxilii gratiæ ſpecialis ad opera moraliter bona neceſſitas , neque prudenter communis Veterum Theologorum ſecus opinantium ſententia refellitur , & in Pelagianiſmi ſuſpicionem vocatur.

Aliud ejuſdem Soto argumentum, quod ille *urgentiſſimum*, nec immerito vocat , ſic premimus. Quis negarit , poſſe hominem naturæ ſuæ vi , quod ſuapte genere bonum eſt, malo ſine & adjuncto facere? Quidni ergo & idem facere poterit propter honeſtum? Plura ille exempla ponit, in quibus nemo eſt, qui addubitet . Naturali conatu obambulare homo poteſt pravi finis gratia : annon & bonæ valetudinis conſervandæ, aut relaxandi temperate animi cauſa , quod certe bonum morale eſt? Poteſt homo naturaliter veſci , quando ei nocet : poteſt ergo, & quando prodeſt . " Certe , (ait vir ſapientiſſimus) „ riſum tali Theologia moveret, qui diceret, poſſe me comedere ſine ſpeciali „ auxilio pomum , quod eſt ante me , „ dum mihi eſt peſtilens , non autem , „ dum eſt ſalubre. Præterea , dum quis „ veritatem rei, cujus eſt conſcius, interrogatur, poteſt naturaliter, negare (quod „ eſt peccatum mendacii) cur non poterit, quod facilius eſt, citra ſpeciale auxilium affirmare? Poteſt quilibet pro ſuo „ libito denarium proiicere in flumen : cur „ non poterit donare pauperi ſine alia ma„ la circumſtantia , eo quod eſt honeſtum? „ Honorem, quem inique valet quiſque „ naturaliter deferre indigno, cur non poterit eundem legitime deferre parentibus, & urbane probis viris ? " Negari recte conſecutiones iſtæ non poſſunt, niſi aut rationis lumen in homine per peccatum non attenuatum ſolum , ſed plane ponatur extinctum , aut facilius homini eſſe credatur, quod præter , quam quod ſecundum ejus naturam eſt, eique ſoli negatum, quod cæteris tributum ſive inanimis, ſive animantibus , finem nempe ſibi a natura præſcriptum, ſeu *agere ſecundum rationem* , aſſequi quandoque poſſe , quod quam ſit abſurdum , ex iis patet, quæ Prælect. IV. *de variis hominis ſtatibus* nu. II. & III. dicta ſunt ; nam , quod reponere Gregorius, ejuſque aſſectatores ſolent, talia opera bona non eſſe, quod non ſint in ultimum finem relata, nec in eum referri ſine ſpeciali gratia poſſint, infirmum eſſe, & inane mox demonſtrabitur.

Digitized by Google

IX. Speramus tamen, fore, ut ſententiæ noſtræ veritas exploratior fiat, quum diſpulerimus, quæ ad illam convellendam ſunt a Gregorio, aliiſque partim ex auctoritate, partim ex naturali ratione congeſta. Ea primum torquent Chriſti Jo: 15. *ſine me nihil poteſtis facere*, Pauli 1. ad Cor. cap. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*, Ejuſdem ibid. 1. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* & 2. ad Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus, cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Conciliorum Patrumque dicta ab Adverſariis collecta immenſum pene eſſet exſcribere: Horum tamen ſumma quatuor his ſententiis continetur: *Omnia bona opera fiunt ex gratia Dei: Nullum bonum opus ex nobis eſt: Gratia Dei ad ſingulos actus datur: Nemo de ſuo habet, niſi mendacium & peccatum*. Hæc denique e naturæ ratione argumenta cudunt. Bonum opus moraliter naturæ ſanæ ac integræ proprium opus eſt: ab homine ergo lapſo ac infirmo jam edi abſque ſpeciali Dei adjutorio non poteſt. Præterea bonum opus non eſt, cui debiti finis adjunctum, ſeu circumſtantia, deſit: carere autem hac circumſtantia quæcumque ſine Dei gratia fiunt, opera, ut probet Gregorius, ita argumentatur: „ Quicunque opus facit alio „ fine, quam propter Deum, peccat: Qui„ cunque non actu ipſum in Deum refert, „ alio fine facit: ergo peccat: ſine gratia „ autem nullum opus referri in Deum pot„ eſt: ergo nullum ſine gratia bonum eſt." Ejuſdem poſtremum argumentum eſt: Si Deus ſolo nobiſcum generali influxu ad opera moraliter bona concurreret, non aliter nos ad hujuſmodi bona, quam ad contraria mala moveret, ad quæ generalem nobis influxum perinde, ſuppeditat: hoc autem vel cogitare quam abſurdum? Specialem ergo ad opera moraliter bona opem nobis præbere dicendus eſt.

X. Ad divini eloquii teſtimonia perbrevis quidem ſed firmiſſima adhiberi poſſet D. Thomæ reſponſio, qui q. 24. de Ver. art. 14. eadem atque alia ex Paulo ſibi obiicit, moxque diſſolvit, ajens: *Ad ea vero, quæ ſunt in contrarium, patet ſolutio, quia vel procedunt de bono meritorio, vel oſtendunt, quod ſine operatione Dei* (id eſt generali Dei motione, de qua late diſſeruerat in corp. art.) *Homo nullum bonum facere poteſt*. Lubet tamen ſingula perſtringere, quo reſponſi D. Thomæ veritas magis appareat. Quod ex Jo: 15. opponitur, annon ex integra orationis Dominicæ ſerie pater, de opere intelligendum vel meritorio, vel quod diſponit ad gratiam, conducitque ad ſalutem? Præmiſerat Chriſtus, vitem ſe veram eſſe, Diſcipulos autem palmites, &, ut palmes fructum ferre a ſemetipſo non poteſt, niſi in vite manſerit, ſic nec illos, niſi in Chriſto manſiſſent. Myſtici autem hi fructus qui? Annon opera gratiæ, quæ meritorum Chriſti & effectus & fructus ſunt? Quapropter ſubiicit. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine mihi nihil poteſtis facere*. Hoſpes plane in ſacris literis ſit, oportet, qui ignoret, mutuam hanc, quæ eximia & peculiaris eſt, Dei in homine, & hominis in Deo manſionem *per gratiam ſanctificantem & charitatem* eſſe, ut præclare probat D. Thomas 1. p. q. 43., quæ eſt *de Divinarum Perſonarum miſſione*. Quid ergo teſtimonio huic cum operibus intra ſolum naturæ ordinem *ex genere* bonis, quorum nulla eſt utilitas ad ſalutem? Nec contemnenda in eundem hunc locum Soto animadverſio, Scripturæ in more eſſe, ſola ad chriſtianam juſtitiam pertinentia opera reputare aliquid, reliqua vero nihil, ut 1. ad Cor. 7. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei*, & ibid. cap. 13.: *Si habuero prophetiam; . . . & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita, ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt &c. ſcilicet quantum ad meritum vitæ æternæ, quæ ſolis Deus diligentibus repromittitur*, explicat D. Th. ibid lect. 2.

Quamquam Paulum, ut ajunt, in fonte adeunti ſtatim pateat, quum ait, nihil habere hominem, quod *non acceperit &c.*; item non eſſe nos *ſufficientes . . . ſed omnem ſufficientiam noſtram ex Deo* eſſe, loqui illum de his, quæ ad fidem, juſtificationem, æternæque ſalutis negocium pertinent, explicari etiam ejus dicta percommode poſſunt cum D. Thoma ibidem & de his, quæ intra naturæ ordinem bona ſunt; Et hæc enim omnia habet homo a Deo bonorum omnium auctore, a quo homini eſt *inclinatio ad bonum virtutis*, & ad agendum *ſecundum rationem*, *qui & hominem movet ad bene operandum*, ut,

ut, & omnia, quæ agunt, ad actiones ſuas.

Illud demum Apoſtoli *omnia in gloriam Dei facite* interpretantur aliqui, conſilium *eſſe: Sed hoc non eſt verum*, ait D. Th. lect. 3. in c. 3. ep. ad Coloſ., unde, ut & ex doctrina, quam tradit 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2., & alibi, reſponſum exculpimus, quo argumentum, cui maxime Adverſarii fidunt, ſolide diſſolvamus. Quidpiam in Dei gloriam fieri, intelligi, quemadmodum adnotat Soto, non uno modo poteſt, primo, ut opus revera Deo placeat, ſitque ei ad vitam æternam acceptum, ſecundo, ut genere ſuo bonum ſit ac honeſtum, unde videntes ad dandam Deo gloriam excitentur, ut Math. 5. Chriſtus ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*, quam poſteriorem intelligentiam haurimus ex D. Thoma lec. 7. in cap. x. 1. ad Cor.. Si de gloria Dei priori modo ſit ſermo, quum præceptum omnia ſic in ejus gloriam faciendi, *affirmativum* ſit, nec *pro ſemper*, ut loquuntur, obliget, ſed tum ſolum, quum dilectionis præceptum obligat, manifeſtum eſt, quæcumque ad Dei gloriam actu vel virtute per charitatem non referuntur, opera, non iccirco peccata eſſe, quaſi vero ſemper præceptum hoc violetur, ſed tum ſolum, quum illud urget. At ſi poſteriori modo, quod vero propius videtur Soto, Dei gloria accipiatur, idem Soto exponit, Apoſtoli, quum ait: *omnia in gloriam Dei facite*, verborum hunc eſſe ſenſum: Opera veſtra talia non ſint, quæ in Deum referri nequeant, qualia ſunt peccata: Item quæ genere ſuo honeſta feceritis, ne inanis gloriæ ſtudio, ſed qualia genere ſuo ſunt, ita faciatis, ut cedere in Dei gloriam poſſint, ſeu eorumdem naturam nullo pravo vitietis adjuncto, quod impedimento ſit, ne bonorum omnium auctor Deus glorificari ex iis poſſit. Sed de eodem hoc argumento iterum infra.

XI. Prinſquam argumentis e Conciliorum & Patrum auctoritate conflatis ſatisfaciamus, præmittenda Jo: a S. Thoma animadverſio, minus ſcite videlicet adverſus ſententiam noſtram tot illa teſtimonia torqueri. Quis enim neſcit, ea a Conciliis & Patribus adverſus Pelagium conſtituta? Quid autem ſententiæ noſtræ cum Pelagianorum errore? Annon propterea plures Baii propoſitiones ab Apoſtolica Sede confixæ, quod ſententiæ huic noſtræ Pelagianiſmi notam auſus eſſet inurere? Si ergo Apoſtolicæ Sedis judicio longe abſumus a Pelagio, quorſum Conciliorum & Patrum adverſus illum definitiones in nos jactantur? Exin breviſſimo, quod ad ſacrarum literarum oracula D. Thomas adhibuit, reſponſo quæcunque ex Conciliis & Patribus obiiciuntur, facile explicamus. Certum eſt enim, quoties in Conciliorum canonibus & Patrum ſcriptis legimus, *omnia bona opera ex Dei gratia fieri*, ſermonem de operibus eſſe, quæ alicujus momenti meritive ſunt ad juſtitiam, & ad ſalutem, quæ ex Dei gratia eſſe, perlibenter annuimus. At ſi quandoque & bona intra ſolum naturæ ordinem divino videntur auxilio tribuere, puta quum ajunt, ſi *nobis relinquimur, ſemper peccamus*, in promtu eſt altera reſponſi D. Thomæ pars, deſignatam ab eis nimirum generalis, quod Angelicus *operationem* ſeu *motionem Dei*, qua & reliqua omnia ad actiones ſuas indigent, non *ſpecialis* auxilii neceſſitatem.

Quid ſi Pelagium fateri volunt, *gratiam ad ſingulos actus dari?* Exploratum eſt, in quo Pelagius gratiæ nomen poneret, ſcilicet in dono creationis, in libero arbitrio, in lege atque doctrina, quæ gratia non ad ſingulos actus datur, & ſemel data ad plures actus valet. Hinc, qui Pelagii errores minutatim perſecuti ſunt, ex Hieronymo colligunt, & ab eo negatam generalis divini concurſus, ſeu operationis & motionis Dei ad ipſa naturæ opera neceſſitatem: *Si in ſingulis rebus quas, gerimus* (ita Hieronymus Pelagianum ſub Chriſtobuli nomine loquentem inducit in Dial. 1. adv. Pelag.) *Dei utendum eſt adjutorio, ergo & calamum temperare ad ſcribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare literis, tacere, loqui, ſedere, ſtare, ambulare, currere, comedere, jejunare, flere, ridere, & cætera hujuſmodi, niſi Deus juverit, non poterimus*; Et in ep. ad Cteſiph; *audite quæſo, audite ſacrilegum: ſi, inquit, voluero curvare digitum, movere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputum jacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, relevare alvum, urinam digerere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit?* Licet autem Gaſpar Caſalius L. 1. de Quadripart. juſtitia cap. 36. ſcribat, numquam negaſſe Pelagium, *generalem influxum eſſe hominibus neceſſarium ad bene ope-*

Digitized by Google

operandum, Alvarez tamen ex recitatis Hieronymi verbis infert negatum a Pelagio adjutorium, quo Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur: putabat enim ſublatum iri arbitrii libertatem, ſi nihil agere poſſit homo, niſi præmovente ac præoperante Deo, admiſſum vero illum ſolum, quem comitantem ac *ſimultaneum* dicunt, generalem influxum, qui nobis, quum operari volumus, præſto eſt. Ne Pelagius ergo *gratiæ* nomine abuti pergeret, urgebant Patres, ponendam ab eo gratiam non abſolute & generatim, ſed ad actus ſingulos neceſſariam tranſeuntis inſtar auxilii: Ad actus autem intra naturæ ordinem bonos, quorum nullus eſt ad ſalutem ordo, nulla utilitas, ſtatuiſſe Patres præter generalem Dei moventis & applicantis *operationem*, quæ & *gratia* late dicitur, ſpeciali opus eſſe adjutorio, nec probarunt hactenus Adverſarii, nec probare unquam poterunt.

Ejus vero, quod tantopere jactatur, *Nemo de ſuo habet, niſi peccatum & mendacium*, quæ legitima intelligentia? Neminem latet, illum Arauſic. Canonem num. viceſimum ſecundum adverſus Semipelag. eſſe, quorum capitalis error, initium fidei bonorumque operum ex nobis eſſe, conſumationem ex Deo, quem ut confoderet, Synodus declaravit, neminem de ſuo habere, niſi mendacium & peccatum, ſeu quidquid a nobis initium habet, non poſſe, non peccatum eſſe, ideoque cujuſcunque boni operis initium nunquam a nobis, ſed a Deo eſſe excitante, ac movente: Quis enim dubitat, quidquid *de noſtro* eſt, ita ut nec a Deo incipiat, nec ad illum ut Auctorem primumque principium referatur, peccatum eſſe? Nam hujus ſolius non ab alio, quam a nobis, poteſt origo eſſe. Ut autem quidpiam Deo adſcribi poſſit Auctori, num ad illud ſpeciali gratia concurrat, oportet? Et generalis concurſus ab eo incipit, & *operatio* atque *auxilium Dei* a D. Thoma vocatur, quem ſenſum ipſe Auguſtinus indicat tract. 3. in Jo. unde Arauſicani verba depromta ſunt. Cum ejus itaque canone ſententia noſtra belle componitur.

XII. Neque ſolidiora ſunt, quæ obiiciunt e ratione petita. In primo enim quantum hallucinentur Gregorius & Capreolus, perſpicere quilibet facillime poteſt. Ponunt ſiquidem, *reſpectu naturalis boni in materia morum* differre hominem lapſum ab integro, ut mortuum a vivente, ut totum ille naturæ ſuæ viribus poſſet, hic vero nihil, quod plane falſum eſt, & a D. Th. doctrina perquam alienum, qui 1. 2. qu. 109. art. 2. diſerte ait „ quia natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur, poteſt homo etiam in ſtatu naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere... non tamen totum bonum ſibi connaturale: Sicut homo infirmus poteſt per ſe ipſum aliquem motum habere, non tamen perfecte moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ. " Lapſus itaque, auctore D. Th., ab integro differt, non ut a vivo mortuus, ſed ut a ſano & valente infirmus & debilis.

Licet ſecundum, quod eſt Adverſariorum Achilles, a nullo Noſtratium non plene diſſolvatur, omnium tamen optimum, & ad præcidendas omnes difficultatis fibras aptiſſimum viſum nobis ſemper eſt Cl. Cajetani reſponſum in Comment. in hunc D. Th. articulum: „ Deum eſſe ultimum finem (ait) alicujus actus humani, poteſt contingere dupliciter. Primo, ut ſit finis explicite intentus ab operante; & hoc modo poſſibile non eſt, hominem infidelem habere Deum, ut ultimum finem, & perſeverare ſine gratia: ſecundo, ut ſit finis non explicite ſed implicite intentus ab operante, v. g. Si infidelis, vel in mortali exiſtens, nihil cogitans de Deo, honoret Parentem reddat depoſitum, & hujuſmodi faciat, quando, ubi, ſicut oportet, & propter hunc finem, quia debitum eſt quod ſic fiat, tunc ex hoc ipſo, quia nulla mala circumſtantia jungitur, nullus malus finis apponitur ad eſſe debitum & virtuoſum, affirmatur quidem finis, ſed non ultimus impliciter, ſed inter occurrentes, aut cognitos ſibi relinquitur ordo illius finis proximi ad finem ultimum inviolatus, ac per hoc faciens explicite propter finem proximum, facit implicite propter finem ultimum illius finis proximi, quicumque ille ſit, & rurſus agens explicite propter hujuſmodi finem proximum, agit ut dirigens ſeipſum reſpectu illius finis proximi, & ut directus a datore rationis agitur reſpectu finis ultimi. Hoc ſecundo modo ſufficit aliquando, habere Deum pro ultimo fine actus humani ad hoc, ut actus non ſit ma-

Digitized by Google

„ malus ex defectu circumſtantiæ ultimi
„ finis naturalis; Præceptum namque na-
„ turale de habendo Deum pro ultimo fi-
„ ne explicite, quum ſit affirmativum,
„ non obligat ad ſemper, & quum ſit de
„ eo, quod poſt multum ſtudium adim-
„ plendum eſt, poſtquam ſcilicet homo
„ explicite didicit Deum eſſe unum &c.
„ conſtat, quod non obligat pro omni
„ tempore, quo homo operatur humana
„ opera, ac per hoc ſufficit, quandoque
„ habere implicite Deum pro ultimo fine
„ naturali: De Deo autem, ut finis ſu-
„ pernaturalis eſt, non eſt ad præſens ſer-
„ mo. Et quia quilibet ſecundum certas
„ circumſtantias faciens actum moraliter
„ bonum poteſt actus multos ex puris na-
„ turalibus ſic facere, conſequens eſt, ut
„ homo in ſtatu naturæ corruptæ, adjun-
„ cto etiam ſtatu peccati mortalis, poſſit
„ facere aliquem actum moraliter bonum
„ ſecundum omnes circumſtantias, ita ut
„ in nullo deficiat quoad illum actum ſin-
„ gularem. “ Ex his patet, ut etiam ad-
notat Soto, Gregorii argumentationem vi-
tioſam eſſe; falſum enim eſt, quod ille
pro certo ſumit, quicumque opus non actu
ad Deum refert, alio fine facere, quam
propter Deum, quum hoc ipſo, quod opus
ad bonum honeſtum abſque ullo pravo ad-
juncto refertur, ſuapte ac, ut ajunt, im-
plicite ad cujuſque boni auctorem Deum
refertur.

XIII. Quod poſtremo ſententiæ huic no-
ſtræ Gregorius opponit, abſurdum (pace
doctiſſimi Viri) commenticium eſt; nec
enim ignorare poterat, quid D. Thomæ,
ejuſque Diſcipulis in hac quæſtione conſti-
tutum, ad mala nimirum culpæ Deum ſo-
lum concurrere, ut illius, quem *materia-
lem* dicimus, quatenus res naturæ eſt, a-
ctus auctorem, non autem ad actus defor-
mitatem ſive malitiam; ad bona autem
non hac ratione tantum, ſed quatenus ha-
bent virtutis formam rationi congruentem,
dat enim nobis leges, exemplum, & *ſi-
gnatum ſuper nos vultus ſui lumen*, quod
bona nobis oſtendit, quibus ſane modis
auctor ille non eſt, ut oblique a rationis
ſemita divertamus, ſed potius ut eam in-
eamus, ac proſequamur; quare & hoc no-
mine Julianum Auguſtinus coarguebat,
quod hominibus tribueret, ſi boni quid-
piam haberent, quum omnia Deo debea-
mus, etiamnum naturalia. Qui demum,
quæ ſunt a nobis num. II. III. & IV. ad
ſententiæ noſtræ explicationem præmiſſa,
diligenter expenderit, ſperamus fore, ut
facile deprehendat, Cl. Alvarez reipſa a
nobis non diſſentire, quum ſtatuit „ nul-
„ lum actum moralem in natura lapſa
„ ab homine elicitum abſque auxilio gra-
„ tiæ eſſe *vere* bonum, *veræque* virtutis
„ opus, nec quidquam nobis creare incom-
„ modi, quæ confert ad hoc probandum;
„ Titulum enim quæſtionis explicans, at-
„ que caput. in controverſia poſitum, hæc
„ præmittit: Certiſſimum eſt in doctri-
„ na S. Thomæ, imo & juxta decretum
„ Bullæ Pii V., quam in calce ſequ. diſ-
„ putationis allegabimus, poſſe hominem
„ abſque auxilio gratiæ elicere aliquem a-
„ ctum bonum moraliter, qui ſit vere bo-
„ num, ac veræ ſed tamen imperfectæ vir-
„ tutis opus comparatione objecti ſeu bo-
„ ni particularis; nam prædictus actus eſt
„ ordinabilis, quantum in ſe eſt, ad prin-
„ cipale bonum, quod eſt ultimus finis...
„ & in hoc ſenſu non procedit præſens
„ difficultas. “ Ex prænotatis autem ſatis
apparet, nos ſenſum hunc unice perſecu-
tos, nec eſſe ab eo alienos, quem ipſe in
ſtatuenda ac confirmanda poſitione ſua
uſurpavit.

XIV. Quo vero id evidentius ſit, ad
hujus prælectionis calcem opportunum erit
annectere, quibus Soto controverſiam hanc
abſolvit cap. 21. l. 1. de nat. & Grat.
ajens: „ Hæc preſſius, quam quiſpiam
„ forte neceſſarium judicarit, urgere co-
„ natus ſum, quia non poſſum, fateor,
„ non ægre ferre, quam hac ætatis natu-
„ ram humanam nonnulli proſtraverint,
„ affirmantes, nihil prorſus boni in mori-
„ bus liberum arbitrium auxilio Dei gene-
„ rali poſſe, at quidquid ab homine natu-
„ raliter procedat, peccatum eſſe, id quod
„ ſemper abſurdiſſimum exiſtimavi, tamet-
„ ſi Auctores nihilo minoris ſane æſti-
„ mem, Dominum cum primis Roffenſem,
„ Virum ſane cum egregia eruditione,
„ tum maxime omni religionis laude ad
„ mortem uſque præclarum, qui tamen
„ art. 36. contr. Lutherum exiſtimat, hanc
„ quæ a nobis repulſa eſt, fuiſſe ſenten-
„ tiam Patrum, ſed Theologos ſcholaſti-
„ cos eſſe, qui hac parte contra Patres
„ ſentiant, quod forſan ex diſputatione
„ Gregorii ſibi perſuaſit; Etenim de Au-
„ guſtino abunde pro tenui facultate mea
„ commonſtraſſe me arbitror, non fuiſſe
„ in tali opinione: Et quod Chryſoſtomus
ali-

„ aliique Patres crebro repetunt, *extra gratiam Dei*, atque minime *extra fidem* reperiri *bonos mores*, atque *bonam vitam*, nos ultro concedimis, primum quod infideles opera ferme faciant ex ſua falſa fide, aut alio malo fine, mox quod, ſi quæ ſint extra gratiam opera moraliter bona, permixta ſunt cum aliis delictis multis, & tandem, quod opera, uicumque ſint abſque caritate bona, haud tamen mereniur nomen veræ virtutis. “

PRELECTIO IX.

De eodem argumento.

An, & quæ ad diligendum ſuper omnia Deum, ut auctor naturæ eſt, ad totam naturæ legem implendam, graveſque, quæ identidem premunt, ſubigendas tentationes, neceſſaria ſit gratia.

I. TRia hæc jungimus, ſimulque in quæſtionem vocamus, cum brevitatis gratia, tum quod iiſdem ferme principiis propoſita capita tranſigantur. A primo, autem orſi pro certo ſumimus, diſtinctionem a D. Thoma poſitam, jamque dudum in Scholis communiter obtinentem, amorem Dei naturalem inter, & gratuitum, legitimam eſſe, nec poſſe ſine errore reiici; inter confixas enim ab Apoſtolica Sede Baii propoſitiones & hæc damnata occurrit: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana eſt, commentitia, & ad illudendum ſacris literis, & pluribus Veterum teſtimoniis excogitata:* De poſteriore nulla eſt controverſia; jam enim inter omnes convenit, charitatem, quæ, ut ait D. Th, Deum diligit, *ſecundum quod eſt objectum beatitudinis, & ſecundum quod homo habet quandam ſpiritualem ſocietatem cum Deo, diffundi in cordibus noſtris per Spiritum S., qui datus eſt nobis*: tota in priore verſatur; Inter Theologos enim, conſtanter affirmant alii, lapſum hominem poſſe ſine ſpeciali gratiæ auxilio dilectionis Dei, ut naturæ auctor eſt, ſuper omnia actum elicere, quem & abſolutum ab omni peccato abſtinendi propoſitum comitetur, tametſi actus iſte homini integro multo facilior fuerit, & expeditior, alii contra æque conſtanter id pernegant. Priorum opinio anſam Lutheranis dedit, quemadmodum l. 1. de nat. & gr. cap. 22. & 23. memorat Soto, ut Theologorum univerſitatem in Pelagianiſmi crimen vocarent, nobiſque teтram hanc ignominiam intentarent, quod ſtatuamus, homini a natura libertatem cum poteſtate ſuppetere diligendi Deum ſuper omnia, univerſaque ejus ſervandi præcepta abſque divinæ gratiæ adjutorio, „ qua de cauſa inquiunt, inſtituere nos monachatus, aliaſque humanas leges, & phariſaiças ceremonias excogitare, quibus veluti propriis meritis ſubnixi confidimus in amicitiam cum Deo reconciliari, & æternam comparare beatitudinem. “ Eſt tamen, pergit graviſſimus Auctor, cur merito cum Lutheranis expoſtulemus. „ Eſto pars aliqua Scholaſticorum in ſuſpicionem illis veniret de crimine Pelagiano, cur in univerſum Reipublicæ Catholicorum illud impingunt? Habebant S. Th. aliosque complures, qui ſecus cenſent: Et præterea Scotus non aſſeruit dilectionem Dei ſuper omnia naturalem eſſe homini lapſo, niſi loquendo de illo ſimplici actu, quem ſupra diximus, non eſſe ſimpliciter dilectionem; Nam in 3. ſent. diſt. 27., ubi in diſputationem mittit, *an neceſſaria ſit infuſa caritas ad diligendum ſuper omnia Deum*, reſpondet cum temperamento, profecto ut *S. Th.*, ſcilicet, quod homo in ſtatu naturæ inſtitutæ potuit ex puris naturalibus Deum ſuper omnia diligere; Et quamvis in hoc non omnibus ſit probata Scoti ſententia, quod ille dilectionis actus ex facultate naturæ ſit diſpoſitio, & meritum de congruo ad gratiam, non tamen exinde in Pelagianos incurrit, ut ſui interpretantur, quoniam in merito de congruo nihil agnoſcunt debiti, vel juſtitiæ, ut dicebat Pelagius. “

II. Quo autem horum ſententia magis perſpecta fiat, cum eodem Soto ibid., & Alvarez diſput. 51. n. 1. adnotamus, tres ab iis diſtingui conſueviſſe voluntatis actus, primum imperfectum, quem *velleitatem* dicunt, quo quis erga Deum affectus omnia ejus mandata ſervare vellet, nec id tamen abſolute & ſimpliciter vult, quare nec Deum abſolute ſuper omnia diligit, quum Chriſtus Jo. 14. dixerit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*; alterum abſolutum, & efficacem, quo & omnia Dei præcepta implere vult, & reipſa implet; tertium denique medium inter utrumque, quem dilectionem Dei ſuper

per omnia abſolutam vocant, verum inefficacem, quia nimirum, etſi homo ad actum dilectionis Dei ſuper omnia abſolutum univerſa ejus mandata ſervandi, eique in omnibus placendi propoſitum adjungat, poſtea tamen id non exequitur. Primum dilectionis actum edi ab homine lapſo ſine gratiæ auxilio poſſe, Theologi communiter cenſent; neque enim ille eſt peculiaris & proprius naturæ ſanæ actus, nec Dei ſuper omnia vera dilectio, quum eo non fiat, ut homo a lethali culpa ſolutus ad Deum ceu ad finem ultimum convertatur: Secundum nemo unus Theologorum in ſolis naturæ viribus collocat, ſed tertium multi extra D. Th. Scholam, præſertim, qui Molinæ placitis addicti ſunt, cujus ſententiæ etſi ſuffragati ferantur Soto, Cajetanus, & Cano, iis tamen minus recte illam adſcribi, certior ſuis oculis fiet, qui Cajetanum legerit in Commen. in 1. 2. q. 109. art. 3. §. *ad evidentiam*, Soto l. 1. de nat. & Gr. c. 22. concluſ. 3., & Cano in Relect. de Pœnit. par. 2. finem verſus.

III. Nos eam, quæ S. S. Auguſtini & Thomæ eſt, ſententiam eligimus, nequire hominem ſcilicet ſine prævenientis gratiæ ſpeciali adjutorio abſolutum dilectionis Dei, etiam qua naturæ auctor eſt, actum, & abſolutum eidem in omnibus placendi propoſitum edere, cujus declarandi gratia præmittimus, quod D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 10. tradit, etſi nimirum charitatis modus ſub aliarum virtutum præcepto non cadat, neque neceſſario in earumdem actibus includatur, ſub charitatis tamen præcepto cadere, ac in eodem includi; quare ſi jejunandi, aut parentes colendi præceptum urgeat, ſatis utrique fit jejunii, aut pietatis actu, jejunans licet, aut parentibus honorem habens gratia careat gratum faciente, quia modus ſub præcepto non cadit: at ſi naturale præceptum occurrat interiorem Dei ſuper omnia dilectionis actum eliciendi, *ex toto corde* diligendus eſt Deus, quod ipſe ita ſe a nobis diligi juſſerit Deuter. 6. & Math. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. Quid vero Deum *ex toto corde diligere? Eſt*, ait ibid. ad 2., & 2.-2. q. 24. art. 4. & 5. D. Thomas, *ita Deum diligere, ut ſe, & omnia homo referat in Deum tamquam in ultimum finem, & nihil admittat in corde ſuo divinæ dilectioni contrarium*.

Item ex iis Jo. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*, & 1. Jo. 6. *Hæc eſt dilectio, ut mandata ejus cuſtodiamus*, inferimus cum Medina, Alvarez, aliiſque communiter, abſolutam Dei dilectionem, mandatorum omnium obſervationem ſaltem in præparatione, ut loquuntur, animi, virtute complecti. Quandiu propterea dilectio hæc, aut illius virtus permanet, adjunctam habet præceptorum omnium, ſaltem naturalium, ſi naturalis ipſa ſit, ac etiam ſupernaturalium, ſi & ſupernaturalis ipſa fuerit, obſervationem. Cæterum quia charitatis actus, ejuſque virtus interrumpi, dirimique actu contrario poteſt (neque enim, ut Calviniani in Dordracæna pſeudo-ſynodo peſabſurde ſanxerunt, hujus viæ charitas, gratia, ac juſtitia *inamiſſibilis* eſt), hinc, tametſi abſolutum ac efficacem veræ dilectionis Dei ſuper omnia actum habeat, necnon & abſolutum Deo univerſim placendi, & cuncta ejus implendi mandata propoſitum, reipſa tamen, quod pro humana infirmitate non infrequens eſt, præcedentis charitatis actus virtus, eique adjunctum propoſitum gravi alicujus præcepti violatione interrumpitur, ac deletur. Num vero abſolutus ille dilectionis Dei ſuper omnia actus cenſendus inefficax, nec ſincerum habendum propoſitum cum eo junctum, quod utrumque poſtea fuerit lethali culpa interruptum? Ita quidem ſtatuunt Adverſarii, minus ſcite tamen; Nam, ut ſolide diſſerit Alvarez, jam nulla Dei dilectio etiam, quæ ſupra creaturam eſt, utut vehemens & intenſa, efficax cenſenda foret, niſi quæ magnum perſeverantiæ donum haberet annexum: hoc autem quam eſt abſurdum! Sane qui ſinceræ dilectionis Dei ſuper omnia virtute omnia ejus mandata ſolido e. c. menſe ſervavit, annon ejus efficax fuit toto tempore dilectio, quo ejuſdem perſtitit virtus? Quid ſi poſt menſem præceptum aliquod violavit? Dubitari non poteſt, quin antecedens dilectio vere efficax tamdiu fuerit, quamdiu vere ad implendam legem virtus ejus influxit? Quo ergo actui dilectionis Dei ſuper omnia, & abſoluto univerſæ ſervandæ legis propoſito adſcribi efficacitas poſſit, neceſſe non eſt, ut toto vitæ ſuæ curriculo homo nunquam legem refigat, ſed ſatis eſt, ut toto eam impleat tempore, quo dilectionis actus, aut ejus virtus perdurat. Hinc con-

S 2 clu-

cludit Alvarez, abſolutam omnem Dei ſuper omnia dilectionem efficacem eſſe, eo ſaltem, quo elicitur, inſtanti, quum eodem, quo actum hujuſmodi abſolutum homo edit, inſtanti grave aliquod violare præceptum nequeat, *plenitudo* enim, ut ad Rom. 13., inquit Apoſtolus, *legis eſt dilectio:* Semper itaque, aliquo ſaltem inſtanti, aut brevi tempore, actum hunc comitatur mandatorum omnium obſervatio: erit ergo tunc efficax. Hæc neceſſario fuerant prænotanda, ad convellendam diſtinctionem illam n. 11. expoſitam, quam poſitionis ſuæ fundamentum Adverſarii conſtituunt.

IV. Licet in divinis literis apertiſſimum ſit, *charitatem ex Deo* eſſe, eamque *in cordibus noſtris per Spiritum S. diffundi*, in Conciliis item Millevit. can. 4., & Arauſic. II. can. 25., *utrumque prorſus donum Dei* eſſe, *& ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus*, nihil etiam Auguſtinus frequentius inculcet, quam *perdidiſſe* nos *primi peccati granditate liberum arbitrium ad diligendum Deum*, totamque Catholicos inter & Pelagianos controverſiam in hoc ponat, ut, *ſi non ex Deo, ſed ex hominibus dilectio Dei & proximi eſt, vicerint Pelagiani*, ſi autem *ex Deo, vicerimus Pelagianos*, eludere hæc omnia Adverſarii nituntur, contenduntque, vel in ſolam, quæ ſupra naturam eſt, & ex infuſo charitatis habitu proficiſcitur, vel, ſi & de naturali ſit ſermo, in eam, quæ non abſoluta ſolum, ſed efficax etiam ſit, Dei ſuper omnia dilectionem, illa quadrare. Utrumque tamen hoc eorum effugium inane eſſe, facile oſtenditur. Quum enim negare non poſſint, laudatis divini eloquii teſtimoniis Concilia, & Patres, Auguſtinum in primis & Proſperum, adverſus Pelagium depugnaſſe, concedant, oportet, denotatum illis plane fuiſſe, quem refellebant, Pelagii errorem. Quid vero Pelagius? Dilectionem Dei, quam naturæ viribus tribuit, unquam ne docuit, ſupra naturam eſſe, & ex infuſo charitatis habitu proficiſci? Stultus ille fuiſſet, oportet, qui duo hæc directe pugnantia, atque implacabilia ſtatueret, dilectionem Dei ſcilicet ſupra naturam eſſe, & a ſolis oriri naturæ viribus; ſimul enim ſupra naturam eſſet, & non eſſet, quo nihil abſurdius. Quum ergo adverſus Pelagium Dei ſuper omnia dilectionem, abſolutumque nunquam peccandi propoſitum in naturali hominis pollentia collocantem memorata Scripturarum oracula Concilia Patreſque torſerint, viſa iis fuerint, neceſſe eſt, non opportuna ſolum, ſed & efficacia ad conficiendum, abſolutam Dei, non tantum qua gratiæ & gloriæ, ſed & qua naturæ auctor eſt, ſuper omnia dilectionem *non ex hominibus*, ſeu ex naturæ lapſæ facultate, ſed *ex Deo* eſſe. Profecto quum dilectionem Dei ſuper omnia a ſolis naturæ viribus Pelagius repeteret, quam ſibi propoſitam habere Dei dilectionem poterat, niſi unice naturalem, quum mere naturale eſſe, quidquid in ſola naturæ poteſtate eſt, communis ipſe hominum ſenſus dictet? Quæ ergo Pelagium refutant, Concilia, & Patres, ſtatuuntque non poſſe ſolis naturæ viribus diligi ab homine ſuper omnia Deum, & naturalem Dei ſuper omnia abſolutam dilectionem humanæ virtuti ſubtrahunt. Alterum item quam ſit frivolum, ſatis ex dictis patet; demonſtratum enim eſt n. III., abſolutum omnem dilectionis Dei ſuper omnia actum eſſe tamdiu ſaltem efficacem, quamdiu durat ille, aut ejus virtus, quum eodem illo vel inſtanti vel tempore cum præceptorum omnium obſervatione reipſa conjunctus ſit.

V. Quum ſit etiam D. Th. expreſſa ſententia, cum 1. 2. quæſt. 100. art. 10. ad 3., tum q. 109. art. 3. in corp., non poſſe hominem *propter corruptionem naturæ* Deum ſuper omnia diligere, *niſi ſanetur per gratiam Dei*, nec charitatis præceptum, quo & ipſa naturæ lege homo obſtringitur, impleri ſine gratia poſſe, quos pudet a tam manifeſta Angelici doctrina palam diſcedere, reponunt, intelligendum illum de abſoluta Dei dilectione efficaci, quæ toto vitæ tempore duret, neque in ullo deficiat, quæ in hominis quidem integri ac ſani poteſtate erat, ſed jam non in poteſtate hominis lapſi, ac infirmi. Hinc tamen eorum interpretationem ab Angelici mente alienam eſſe, hoc, quod ex ejus doctrina exiſtit, argumento conficitur. Docet, hominem charitatis præceptum implere ſine gratia non poſſe: abſoluto autem Dei ſuper omnia dilectionis actu charitatis præceptum impleri, tametſi poſtea præceptum aliquod violetur, quis negare poſſit, niſi qui immane hoc abſurdum concoquere velint, charitatis præceptum ab iis tantum impleri, quibus per-

perſeverantiæ donum conceſſum eſt? Abſolutus itaque dilectionis Dei ſuper omnia actus elici ſine gratia, D. Thoma auctore, non poteſt, quoniam & illo charitatis præceptum impletur, & eſt ille vere efficax, ut jam probatum eſt, tamdiu ſaltem, quamdiu ipſe durat, aut virtus ejus.

Addi ad hæc poſſunt & momenta rationum, quas ejuſdem Angelici doctrina ſuppeditat. Abſolutus dilectionis Dei ſuper omnia actus nequit cum gravi culpa componi; alioqui eſſet homo ſimul & a Deo ceu ultimo fine averſus, nam in peccato hæreret, & ad Deum, quem abſolute ſuper omnia diligit, ceu ultimum finem converſus, quo quid cogitari poteſt abſurdius? Si ergo poſſit homo ſuis viribus Deum ſuper omnia abſolute diligere, iiſdem poterit a peccato lethali reſurgere, ejuſque excuſſa ſervitute in libertatem filiorum Dei, ac in ejus amicitiam ſe vindicare; hoc autem non D. Thomæ ſolum 1. 2. q. 109. art. 7., ſed & Scripturarum, ac Eccleſiæ doctrinæ contrarium eſſe, quis neſcit? Ad hoc idem confirmandum egregie facit, quod 1. 2. q. 1. art. 5. idem docet, non poſſe nimirum hominem duos *ultimos* fines *ſimul* habere; Si autem homo gravi peccato obligatus Deum poſſit ſuper omnia abſolute diligere, annon duos ultimos ſimul fines haberet? commutabile ſcilicet bonum, ad quod adhæret, nam hominem hunc mente concipimus in peccato manentem, & incommutabile bonum, Deum videlicet, quem quum abſolute ſuper omnia diligat, non poteſt non ultimi finis loco habere: Alterutrum ergo Adverſarii dent, neceſſe eſt, aut nihil obeſſe, quo minus & in Deo ſimul, & in quopiam creato & caduco bono ultimum finem ſuum conſtitutum ſibique propoſitum habeat, aut ſuapte virtute poſſe illum juſtificari, & ab injuſtitiæ ſtatu ad ſtatum juſtitiæ tranſire: Primum nonne Apoſtolo præſertim repugnat 2. ad Cor. 6. clamanti: *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Alterum nonne item cum ejuſdem Apoſtoli & Eccleſiæ doctrina pugnat? Falſum itaque, hominem poſſe ſola ſua virtute Deum ſuper omnia abſolute diligere, quum ab alterutro horum abſurdorum nequeat hæc poſitio divelli.

VI. Suum tamen Adverſarii D. Thomam jactitant, proferuntque ex eo non pauca, quæ ſuæ videntur ſententiæ favere, illud primo quod habet in 4. ſent. diſt. 17. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 6.: *Contritio eſt a ſolo Deo, quantum ad formam, qua informatur, ſed quantum ad ſubſtantiam actus eſt a libero arbitrio, & a Deo, qui operatur in omnibus operibus & naturæ & voluntatis*, unde conſectum putant, ſolo Dei, qui *operatur in omnibus operibus, & naturæ & voluntatis*, generali concurſu adjutum hominem poſſe, & contritionis, & abſolutæ dilectionis Dei ſuper omnia actum, *quoad ſubſtantiam*, elicere. Ex eo etiam, quod 2. 2. q. 171. art. 2. ad 3. idem docet, quidpiam ſcilicet ſupra naturæ humanæ facultatem eſſe *dupliciter, uno modo quantum ad ſubſtantiam actus, ut miracula facere* &c. *& ad hos actus non dari homini donum gratiæ habitualis, alio modo .... quantum ad modum actus, non autem quantum ad ſubſtantiam, ſicut diligere Deum, & cognoſcere eum in ſpeculo creaturarum, & ad hoc dari donum gratiæ habituale*, concludunt, actum dilectionis Dei, qui, auctore D. Thoma, ſolum quoad modum humanum facultatem ſuperat, ſolis naturæ viribus edi poſſe *quoad ſubſtantiam*. In eo etiam trimphant, quod q. 27. de Ver. art. 14. Angelicus tradit: *Nullum præceptum eſt homini ad ſervandum impoſſibile, quia in ſubſtantiam actus poteſt ex facultate liberi arbitrii, & in modum poteſt ex dono gratiæ*. Idem, quod D. Thomæ, & Arauſicani 2., & Tridentini Conciliorum Patribus perſuaſum exiſtimant, quum definientes, ad fidei, ſpei & dilectionis actus opus habere hominem ſpeciali prævenientis divinæ gratiæ adjutorio, conſulto addiderunt, *ad credendum, ſperandum, & diligendum, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur*, quibus haud obſcure ſignificarunt, poſſe hæc ab homine *quoad ſubſtantiam* innata virtute ſua præſtari, non tamen, ſicut oportet ad ſalutem, vel ad obtinendam juſtificationis gratiam ant gloriam; alioqui in utriuſque Concilii definitione dictionis hujus, *ſicut oportet*, additio redundaret.

VII. Ut aberraſſe Adverſarios a recta Conciliorum, quæ laudant, intelligentia, Prælect. VII. n. XI. demonſtratum, ita nec D. Thomæ mentem aſſecutos, facile erit oſtendere. Ejus, quod ex 4. ſent. primum objicitur, D. Thomam ipſum adhibe-

bemus interpretem, qui, quum hoc ſibi argumentum oppoſuiſſet: *Contritio nobis a Deo datur: quod datur non aſſumitur: ergo contritio* (ut eam Scholæ Magiſtri communiter tunc definiebant) *non eſt dolor aſſumtus* &c., reſpondet, etſi charitas, quæ eſt contritionis forma, ex cujus imperio illa oritur, a Deo detur, nam *charitas ex Deo eſt*, dolorem hunc tamen eſſe a nobis *aſſumtum*, *quia voluntarie illum elicimus*, *ſuppoſita operatione divina*. Quæ autem hæc divina operatio? An generalis ille concurſus, qui cauſis omnibus ſecundis ſive naturalibus, ſive liberis, certa lege ſemper præſto eſt? Ipſe ſe D. Thomas exponit 3. p. q. 85. ar. 5. ajens: *De pœnitentia* (qua virtus eſt) *loqui poſſumus dupliciter*, *uno modo quantum ad habitum*, *& ſic immediate a Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus*, *non tamen ſine nobis diſpoſitive cooperantibus per aliquos actus*; *alio modo . . . . quantum ad actus*, *quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur*, *quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor*, *ſecundum illud Thren. ult.*, *Converte nos Domine ad te*, *& convertemur* &c. Quid luculentius? Quod autem de contritionis actu pronunciat D. Thomas, & de abſoluto dilectionis Dei ſuper omnia actu decernit; quum enim 1. 2. q. 109. art. 3. doceat, tametſi Deum ſuper omnia diligere quidpiam ſit homini *connaturale*, quare *homo in ſtatu naturæ integræ dilectionem ſui ipſius & omnium aliarum rerum referebat ad amorem Dei ſicut ad finem*, *& ita Deum diligebat pluſquam ſe ipſum*, *& ſuper omnia*, *ab hoc tamen in ſtatu naturæ corruptæ* deficere, quia *voluntas propter corruptionem naturæ ſequitur privatum bonum*, *niſi ſanetur per gratiam Dei*, manifeſtum eſt, *gratiæ Dei ſanantis* nomine, cujus ad diligendum ſuper omnia Deum neceſſitatem adſtruit, ipſam Dei operationem deſignare *convertentis cor*, quæ voluntate ab inordinato *privati* ſeu proprii boni; ad quod adhæreſcit, amore ad dilectionem convertit & transfert *boni communis totius univerſi*, *quod eſt Deus*; neque enim aliter intelligi poteſt hæc, quam gratia voluntati hominis lapſi adfert, *ſanatio*.

Miſſis, quæ ad alterum ex 2. 2. depromtum Cajetanus & Medina adhibent, reſponſis, facilius breviuſque reponimus cum Alvarez Diſp. 51. n. 14., Angelicum ibi loqui de charitatis quidem ſupernaturalis actu, non eo tamen, quem ipſa elicit; hunc enim, ut & aliarum theologicarum virtutum, necnon & beatæ viſionis actum, & *quoad ſubſtantiam* ſupra naturam eſſe, haud obſcure ipſe docet 1. 2. q. 62. art. 2. in corp., & in quæſt. unica *de Unione Verbi* art. 5. in corp., ſed actu, quem imperat, cujuſmodi eſt fortitudinis, aliarumque moralium virtutum actus, qui, ut a charitate ad finem, qui ſupra naturam eſt, ordinatur ac refertur, charitatis actus dicitur, non *elicitus* tamen, ſed *imperatus*, qui propterea *quantum ad ſubſtantiam* facultatem naturæ non ſuperat, ſed ſolum *quantum ad modum*, quatenus videlicet ex charitate fit. Ita & illud, quod ex quæſt. de Verit. proferunt, intelligendum, ex iis apparet, quæ ibidem declarandi cauſa ſubjungit: *Ut puta iſte actus*, *qui eſt dare eleemoſynam*, *eſt bonum proportionatum viribus humanis*, *ſecundum quod ex quadam naturali dilectione*, *vel benignitate homo ad hoc movetur: excedit autem humanæ naturæ facultatem*, *ſecundum quod homo ad hoc inducitur ex charitate*, *quæ mentem hominis Deo unit*.

VIII. Nihilo melioris ſucci ſunt, quæ ex naturæ ratione Adverſarii petunt, momenta. Quid enim, ſi poteſt homo ſolo naturæ lumine Deum noſſe ſumme bonum, & præ omnibus diligendum, peccatum item malorum omnium ſummum, omniumque idcirco maxime deteſtabile? Num propterea & Deum abſolute ſuper omnia diligere, & peccatum ſuper omnia, ſolis naturæ viribus poterit deteſtari? *Magis eſt natura humana*, reſpondet D. Th. 1. 2. q. 109. art. 2. ad 3., *corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni*, *quam quantum ad cognitionem veri*, quod præjudicatæ rei loco ponimus: Quid tum inde? Quidquid ergo homo naturaliter novit, conſequens non eſt, poſſe ab eodem naturaliter appeti, ac impleri. Falluntur etiam inſigniter, quum perſuadere ſibi aliiſque volunt, non eſſe actum dilectionis hujuſmodi, quum nulla præſertim urgent peccandi incitamenta, & occaſiones, homini lapſo difficilem, totamque poſitam difficultatem in implendo poſtmodum abſoluto Deo in omnibus placendi propoſito, quæ locum in hac quæſtione non habet, quippe quæ de actu quidem dilectionis &c. abſoluto eſt, verum non efficaci. Præterquamquod enim demon-

ſtra-

ſtratum eſt, abſolutum hunc actum eo ſaltem, quo durat ipſe vel ejus virtus, inſtanti, vel tempore efficacem eſſe, adjunctamque omnium Dei mandatorum obſervationem habere, ideoque ſecum pugnare Adverſarios, dum abſolutum illum ponunt, nec tamen efficacem, quid difficilius homini ad privatum bonum adhæreſcenti, quam ab hujus amore ad amorem ſummi & immutabilis boni voluntatem abſolute traducere? Id non difficillime ſolum, ſed *propter corruptionem naturæ quæ ſequitur privatum bonum*, impleri ab eo non poſſe, *niſi ſanetur per gratiam Dei*, n. v. & VII. jam probatum. Nec minus hallucinantur argumentantes: Poteſt homo lapſus alium quemvis actum moraliter bonum elicere, puta alteri reddere, quod ei debet: Quid ergo & debitum Deo reddere, eum ſcilicet abſolute diligere, & pluris omnibus facere? Multum enim, ut doctiſſimo Cajetano animadverſum, actum hunc dilectionis inter alioſque moraliter bonos intereſt; eſt enim iſte omnium hujuſmodi actuum ſummus & perfectiſſimus, aliorumque primum principium: Qui autem inferiores edere actus poteſt, num & ſummum poſſe, conſequitur? Hujus præterea actus, pergit Cajetanus, cæterorum omnium bonorum actuum univerſitas veluti materies, eſt, non autem cujuſcunque alterius actus moraliter boni; Neque enim quicunque mali quidpiam admittit, impedimento ipſe ſibi eſt, ne poſſit, e. c., quando oportet, mutuum reddere, parentes colere &c.: non poteſt tamen, ſe, aliaque a ſe dilecta in Deum ut in ultimum finem referre; nam „ quicunque malum aliquod „ facit, ipſo facto reddit actum illum, & „ ſeipſum illo infectum, ut ſic irreferibi„ lem in Deum ut finem.“

IX. In duobus aliis, quæ propoſita ſunt, quæſtionis capitibus non levis nobis tum cum Hæreticis, tum cum Catholicis concertatio. Pelagius, ut Prælect. I. n. II. ex Auguſtino retulimus, *dixit*, *ad hoc gratiam Dei dari hominibus*, *ut*, *quæ facere per liberum jubentur arbitrium*, *facilius poſſint implere per gratiam*. *Dicendo utique*, *ut facilius poſſint*, *voluit credi*, *etiamſi difficilius*, *tamen poſſe homines divina facere juſſa*. Lutherus contra, ut Prælect. III. n. v. memoravimus, Calvinus, Melancton, aliique axiomatis loco habent, mandata Dei eſſe hominibus *omnino impoſſibilia*, & ne gratiæ quidem adjutorio ſervari ab iis poſſe. Eſt & inter Catholicos de hoc capite pugna. Quidam, ut Gregorius Arim., aliique pauci, ita hominis lapſi vires attenuant, ut negent ullum legis naturæ præceptum ab eo impleri ſine ſpecialis gratiæ auxilio, etiam *quoad ſubſtantiam*, poſſe: Alii contra, qui præſertim in Molinæ veſtigiis inſiſtunt, ita eas attollunt, ut affirment, poſſe hominem lapſum, quamdiu ratione utitur, quodvis non naturale ſolum, ſed & ſupernaturale mandatum, *quoad ſubſtantiam*, quovis tempore, ſine gratiæ adjutorio ſervare, valere item viribus, ad repellendam quamlibet utut gravem ac vehementem quandocunque tentationem, & ad ſubigendam magnam quamcunque difficultatem, quæ intercedit, ne naturæ lex eo ſolo inſtanti ſervetur, licet & mors oppetenda eſſet, quin præter generalem Dei concurſum peculiari odio opus habeat divinæ gratiæ adminiculo. In hoc opinionum diſſidio paucis aperiemus, quid Catholica Eccleſia credi ab omnibus jubeat, quid & ſanior Theologia vero propius habeat.

X. Adverſus Novatores primo ſtatuimus ut catholicæ fidei caput, nullum eſſe ſive in naturæ lege, ſive in ſcripta, ſive in lege gratiæ præceptum, quod vel naturæ ſuæ viribus, vel opitulante Dei gratia implere lapſus homo non poſſit. Mirandum ſane adverſarios, quibus non alia eſt præter ſcriptum Dei verbum fidei ſuæ regula, innumeris, iiſque locupletiſſimis divini eloquii teſtimoniis, quibus ad comprobandam hanc veritatem uſi ſunt veteres Eccleſiæ Patres, Auguſtinus præſertim in l. *de Nat. & Grat.* c. 69., Cyrillus Alexandr. *l. 3. cont. Jul.*, Gregorius M. *in 17. c. Ezechiel.*, Beda *in c. 5. ep. 1. Jo.*, Procopius *in cap. 30. in Deuter. &c.* non fuiſſe a tam peſtilenti commento deterritos. Annon diſertiſſimum illud Deut. 30. *Mandatum hoc*, *quod ego præcipio tibi hodie*, *non ſupra te eſt*, *nec procul poſitum*, *neque in cœlo ſitum*, *ut poſſis dicere*, *qui noſtrum valet ad cœlos aſcendere*, *ut deferat illud ad nos*, *ut audiamus*, *atque opere compleamus? neque trans mare poſitum*, *ut cauſeris*, *& dicas*, *quis ex nobis poterit transfretare mare*, *& illud ad nos uſque deferre*, *ut poſſimus audire*, *& facere*, *quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo*, *valde in ore tuo*, *& in corde*

tuo,

tuo, ut facias illud. Ulla ne in iis Chriſti verbis ambages : *Tollite jugum meum ſuper vos . . . . jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve : Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata : Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit ?* Num mentitus Pſaltes, qui ajebat : *Servavi mandata tua, & teſtimonia tua . . . . Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer &c.?* Deſcribendis aliis idem inculcantibus Scripturæ teſtimoniis plures paginæ vix ſufficerent. Quorſum vero Romanorum Pontificum & Conciliorum definitiones, nec non Græcorum Latinorumque Patrum teſtimonia premamus, quæ inſolentiſſimi Novatores nihili pendere, in more habent?

Momentis e naturæ ratione ductis eorum caſtiganda veſania, ſi forte eos pudeat, & ab ipſo communi hominum ſenſu diſcedere. Nihil ſane validius eo, quod in tract. *de malis doctoribus, & operibus fidei* Sixtus III., aut alius quilibet ejus opuſc. auctor ajebat : *Humana conditio iniquum putat, cuiquam contra poſſibilitatem aliquid imperare : Quæ ergo perverſitas, hoc ſentire de Deo, quod nec mortalium quidem natura ſuſcipiat ?* Quid reponere Adverſarii poſſunt adverſus veritatem patentiſſimam, & in cujuſque oculos inſilientem ? Item plura a Deo hominibus mandari, exploratiſſima facti veritas : Aut ergo ſerio vult ille impleri, quæ præcipit, aut non : Si poſterius : ludere ergo, & nugatorie jubere dicendus : ſi prius, ipſis ergo hominibus iniquior, quorum *natura non ſuſcipiat, ut quidquam alicui contra poſſibilitatem imperent*.

XI. Adverſus Pelagianos autem jamdudum ab Eccleſia definitum, non poſſe hominem lapſum omnia legis præcepta ſolis naturæ viribus abſque divinæ gratiæ adjutorio ſervare. Notiſſimæ Conciliorum, Africani c. 80., Millev. cap. 5., Cartaginienſis in Ep. ad Innocent. 1., Arauſ. II. can. 10. 18. 23. & 24., & Valentini definitiones, pervulgatæ & Romanæ Sedis Antiſtitum, Innocent. 1. ep. 31., quæ eſt ad Cartag. Concilium, Cæleſtini 1. in ep. *ad Epiſcopos Galliæ*, Gelaſii 1. ep. 5., aliorumque ſanctiones : maxime demum trita Scripturarum oracula, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam : Vivifica me, & cuſtodiam ſermones tuos : Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas : Sine me nihil poteſtis facere : Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum : Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei : Quid habes, quod non accepiſti ? Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere &c.* quæ cum Græci, Gregorius Nazianzænus hom. in illud Matth. *Quum conſumaſſet Jeſus ſermones*, Chryſoſtomus hom. *de Adam & Eva*, Cyrillus Alex. *l.* 5. *in Jeſaiam cap.* 60. Maxentius in *confeſſione fidei*, Maximus Martyr *de charitate* Cent. 2. cap. 28., Damaſcænus *l.* 3. *de fid. orth. c.* 30., tum Latini Patres, Cyprianus *l.* 3. *teſtim. ad Quirinum c.* 4., Ambroſius *ſerm.* 11., Hieronymus *ad Cteſiph. l.* 1. *c.* 3., Auguſtinus innumeris in locis, Fulgentius *de fide ad Petrum c.* 72., Iſidorus Hiſpal. *l.* 2. *de ſummo bono c.* 5., Bernardus *ſerm.* 2. *in Pentec.*, ad veritatem hanc adſtruendam præclare verſant. Qui ad ſcripti traditique Dei verbi auctoritatem rationum momenta velit adjicere, habet in ſuperius dictis, unde valide argumentetur : Inter divinæ legis præcepta quædam ſupra hominis naturam ſunt, ut præcepta fidei, ſpei, & charitatis, naturæ autem lege jubetur homo Deum, quia naturæ auctor eſt, ſuper omnia diligere : Quum ergo prioris ordinis præcepta impleri ab homine ſine peculiaris ope gratiæ non poſſe Prælect. VII. late probatum ſit, Deum item, ut eſt naturæ auctor, non poſſe ſuper omnia diligi *propter corruptionem naturæ, niſi ſanetur per gratiam Dei*, in eadem hac Prælect. n. 11., & ſeqq. ſatis oſtenſum, implere totam legem ſine auxilio gratiæ lapſus homo non poteſt.

XII. Quid vero de Gregorii Arim., aliorumque ejus opinioni addictorum placito ſentiendum, ex iis, quæ Prælect. VIII. adverſus eundem, ejuſque aſſeclas diſputata ſunt, patet ; quare ad ibi expoſita poſitionem hanc diligentes conſtituimus, poſſe hominem lapſum unum aut alterum legis naturæ præceptum, ut parentes colere, vitæ ſuæ conſervationi ſtudere, aliaque hujuſmodi, quæ gravi non ſunt obſita difficultate, ſolius naturæ facultate ſervare, nec non & leviores tentationes vincere, quæ ſe offerunt, ut obſervationem eorumdem vel impediant, vel retardent ; quum enim liberum hominis arbitrium debilitatum quidem peccato fuerit, at non extinctum, poteſt opera quædam moraliter bona ſuapte virtute edere, ut demonſtra-

ſtratum eſt; Si ergo quidpiam hujuſmodi agendi præceptum occurrat, implere illud poterit, opus quod jubetur, eliciens, & leviora ſubmovens impedimenta, ſeu tentationes. Quæcunque adverſus poſitionem hanc objici poſſent, ſatis nobis videntur Prælect. VIII. diſpulſa.

XIII. Reliquum eſt, ut judicium feramus de Illorum ſententia, qui tantum libero arbitrio tribuunt, ut valere illud ſtatuant ad quodcunque etiam ſuperioris ordinis præceptum, *quoad ſubſtantiam*, implendum, & gravem quamlibet ſubigendam tentationem, quæ ad afferendum obſervationi hujuſmodi impedimentum occurrit. Qui S.S. Auguſtini & Thomæ doctrinam callent, continuo ſentiunt, opinionis hujus auctores ab illa quam longiſſime abire; Negat enim D. Thomas expreſſe tum l. 2. qu. 109. art. 4., tum q. 24. de Ver. ar. 14. ad 7., *in ſtatu naturæ corruptæ* poſſe hominem *implere omnia mandata divina ſine gratia ſanante, quantum ad ſubſtantiam operis*, atque ex Aug. in l. de hæreſ. c. 18., *hoc pertinere ad hæreſim Pelagianorum, ut credant, ſine gratia hominem poſſe facere omnia divina mandata*: Auguſtini autem integri pene deſcribendi eſſent libri plures, in quibus diſertiſſime inculcat, *præcepta non poſſe ſine gratia ſervari; Deum ipſum facere, ut homines faciant, quæ præcepit, non homines facere, ut ipſe faciat, quod promiſit; unumquemque fidelem teneri confiteri, quando contra tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus liberam voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam*. Qui etiam non ſit harum controverſiarum plane jejunus, probe tenet, eamdem hanc Eccleſiæ doctrinam eſſe in Conciliis Palæſtino, & Carthaginienſi, & a Summis Pontificibus Innocentio I., & Cæleſtino I. definitam, quorum prior in ep. ad Conc. Carthag. ait: *Pars nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium, ſed Dei ſolius poteſt facere auxilium*, alter in ep. 1. cap. 6., ſcribit, *neminem etiam baptiſmatis gratia renovatum idoneum eſſe ad ſuperandas Diaboli inſidias, & vincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum Dei adjutorium perſeverantiam bonæ converſationis acceperit*.

Quis etiam ignorat, a Proſpero acriter reprehenſum Caſſianum, quod diceret, non ex Dei gratia, ſed ſuis viribus Job ſuperaſſe diaboli tentationes, *gratiam autem ſolum prohibuiſſe, ne violentiſſimus inimicus animam ejus amentem faceret, & impotem ſenſus, atque impari eum & iniquo certaminis pondere prægravaret? Quod dicis*, ait l. cont. Collat. c. 35., *ex eo intelligendum, gratiam Dei ab Job non penitus receſſiſſe, quod tentatori ejus tantam Deus tribuit poteſtatem, quantam & illum reſiſtendi noverat habere virtutem, nonne rectius veraciuſque loquereris, ſi ubi dixiſti, quantam illum reſiſtendi noverat habere virtutem, diceres potius; quantam & illi reſiſtendi noverat ſe dediſſe virtutem? Unius enim verbi correctio totam iſtam gloriam, quam humanis viribus aſſignare voluiſti, ſobrietate aliqua temperaſſet, ut illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adjutorio, & libero hominis attribueretur arbitrio: Sed veritus es, naturæ humanæ minuere laudem, ſi ei profitereris, a Deo datam eſſe virtutem. Itaque conflictus illius non vis cooperatorem eſſe Deum, ſed tantummodo ſpectatorem*. Item Definit. 10. inquit: *Si ipſe Deus ſcivit, tantummodo, quod Job poſſet, non etiam donavit, ut poſſet, teſtis patientiæ ejus, non auxiliator fuit: Et in quo erit neceſſarium gratiæ adjutorium, ſi humanis ſolum viribus tanta illa eſt parta victoria?* Splendidiora erant hæc Proſperi verba, quam ut prætermitti a nobis poſſent.

XIV. Duplex in promtu habent Adverſarii reſponſum, quo ab his feliciter, ut putant, ſe expediant: Reponunt primo, Pontifices, Concilia, Patreſque de tentationum victoria, ac mandatorum obſervatione agere, quas veræ virtutis laus, æternæque vitæ meritum comitatur, non autem de iis, ut nihil hujuſmodi adjunctum habent: Secundo de mandatorum omnium complexione, omniumque tentationum victoria, quæ ſola eſt victoria *ſimpliciter*; neque enim uſquam legere eſt, definitum adverſus Pelagium, non poſſe unam aut alteram, utut moleſtam & gravem, modo diuturna non ſit, tentationem ſolis naturæ viribus ſuperari, quamvis negari non poſſit, faciliorem promtioremque fore victoriam, ſi ad nativas hominis vires Dei adjutorium acceſſerit. Utrumque tamen inaniter eſt quæſitum effugium; Jam enim, ut primo occurramus, affirmare quis poterit, poſſe hominem toto vitæ ſuæ tempore ſine gratia omnium divinæ legis mandatorum collectionem implere, ſine æternæ vitæ merito tamen,

quod Catholicorum nemo conceſſerit. Quidni & affirmare quis poſſit, iis hominem lapſum pollere viribus, ut ſine gratia poſſit ſeſe ad juſtificationem imperfectæ contritionis, quam *attritionem* dicimus, actu diſponere, Chriſtianæ fidei informis actum edere, quum neuter æternæ vitæ meritum habeat? Ab utroque tamen piorum, & Sapientum aures abhorrent. Quo tamen iſta perſequimur? Pervulgatum eſt, hoc a Conciliis, & Patribus Pelagianos oppugnantibus hominem integrum inter, & lapſum diſcrimen ſtatui, quod poterat ille ſuapte virtute omnia naturalia ſervare mandata, non autem iſte, niſi medicinali Chriſti gratia ſanetur, & adjuvetur: Cui autem in mentem veniet, ſolam ab eiſdeſignatam legis obſervationem, quæ æternæ vitæ meritum parit? Nonne Catholicis omnibus conſtitutum, quod D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 4., & q. 114. art. 2. docet, nec hominem integrum potuiſſe ſine auxilio gratiæ mandata legis implere *quantum ad modum agendi*, *ut ſcilicet ex charitate fierent*, eſſentque vitæ æternæ merita? Conciliorum itaque ac Patrum doctrina eſt, hominem integrum quidem potuiſſe naturalia præcepta omnia, *quantum ad ſubſtantiam*, ſine gratiæ adjutorio ſervare, non autem lapſum; *quantum* enim *ad modum operis* nec ille poterat.

Secundi veritas quamquam ex dictis patere ſatis poteſt, patebit evidentius tamen, ſi quis ejus conſectaria perpenderit; Si enim in naturali hominis lapſi poteſtate ſit, cuilibet, etſi vehementiſſimæ tentationi, diviſim, & brevi tempore occurrenti, ac impellenti reſiſtere, annon conſequens eſt, opus homini lapſo non eſſe, ut quotidianum a Deo auxilium efflagitet, quo confirmetur, ad graviſſimas tentationes quovis inſtanti ſingulatim, aut brevi tempore prementes, rametſi in ipſo vitæ exitu occurrant, *ſimpliciter* ſuperandas, ſed ſatis eſſe illud poſcere ad *facilius* reſiſtendum? Quantum autem in hoc conſectario abſurdi ſit, quot in ſuorum operum locis demonſtrat Auguſtinus! Nihil opportunius tamen, nihil ad revincendam hujus Adverſariorum reſponſi levitatem iis efficacius, quæ habet in l. *de dono Perſever. c.* VII. Quum ad ſexti capitis calcem Cypriani ea orationis Dominicæ verba *& ne nos inferas in tentationem* exponentis teſtimonium, quod alibi deſcripſimus, præmiſiſſet, pergit cap. VII. *Si ergo alia documenta non eſſent, hæc Dominica oratio nobis ad cauſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret, quia nobis nihil reliquit, in quo tanquam in noſtro gloriemur; Siquidem & ut non diſcedamus a Deo, non oſtendit dandum niſi a Deo, quum poſcendum oſtendit a Deo: Qui enim non non infertur in tentationem, non diſcedit a Deo. Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt: Fuerat in homine, antequam caderet . . . Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam . . . Deus voluit pertinere, ut non recedat ab eo.* Jam nunc adverſarii reſpondeant: Quum homo gravem quamlibet tentationem repellens, pro brevi, quo eam vincit, tempore illo, aut inſtanti, certe non peccet, nec diſcedat a Deo, ſi hoc præſtare ſola ſua virtute poſſit, qua ratione opinionem hanc ſuam cum Auguſtini doctrina, quæ & Eccleſiæ eſt, conciliabunt? Annon neceſſario conſequitur, falſo ab Auguſtino ſcriptum, *ut non diſcedamus a Deo, non dandum niſi a Deo, non eſſe hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt, nec niſi ad Dei gratiam pertinere, ut homo non recedat ab eo* tentationi manus dans? Quum etiam Innocentius I. & Cæleſtinus I. aperte ſanciant, homini lapſo *quotidiano* opus eſſe Dei auxilio ad vitandas diaboli inſidias, & carnis concupiſcentias ſubigendas, annon ſenſiſſe dicendi ſunt, non totius ſolum vitæ, aut longo, ſed & brevi, quale eſt unius diei ſpatium, tempore, lapſum hominem graviores tentationes vincere ſine gratiæ ope non poſſe?

XV. Plura tamen habent, quæ regerant, ut hoc ab opinione ſua amoliantur abſurdum, maximam imo ei concilient veri ſimilitudinem: I. Ex quo D. Thomas 1. 2. q. 10. ar. 2. & 3. docet, nullam rem exterius objectam, nullam item utut vehementem paſſionem poſſe voluntati hominis viatoris neceſſitatem inferre, quin ſit ille ſemper ſuorum actuum dominus, & agere pro libito poſſit vel non agere, colligunt, quum nulla tentatione cogatur voluntas aſſentiri peccato, poſſe ſuis hominem viribus quodcumque vitare peccatum *pro inſtanti*, quo ejus vitandi præceptum urget, ideoque & præceptum illud implere: II. Niſi hoc detur, ſequi contendunt, cauſas ſecundas, quæ vehementes tentationes excitant, graveſque difficultates injiciunt, voluntatem innata ſua libertate privare, eamque in peccato con-

conſentiendi neceſſitatem conjicere, niſi divinum ſuperioris ordinis auxilium præſto ſit ad impediendum, item ſuperiorem hominis partem inferiori non dominari, niſi quum levis tentatio fuerit, inferiorem contra ſuperiori dominari, ſi tentatio ſit vehemens, demum hominem gravi tentatione pulſatum, eique conſentientem non peccare, nec propterea dignum eſſe ſupplicio, quum *nullus peccet in eo, quod vitare non poteſt*: III. Probare exequique, quod tentatio proponit, vel repudiare, quidpiam eſt mere naturale & liberi arbitrii proprium, ut mentis intelligere, & oculi videre: Quovis ergo temporis momento alterutrum præſtare ſuapte virtute homo poterit:

XVI. Ad ſingula refutanda aggreſſi, damus primo perlibenter, quod docet Angelicus, nulla ſcilicet objecta re, nulla ut vehementi tentatione cogi voluntatem poſſe, aut neceſſario impetu ad peccandum impelli. Num vero conſequens, voluntatem ſolis ſuis viribus poſſe quodcunque peccatum, quæcunque tentationes urgeant, devitare? Ut voluntas creata vere ſit libera, ſatis eſt, quovis eam momento agere poſſe aut non agere, conſentire vel diſſentire, aut ſuapte virtute, aut Dei adjutorio. Quum ergo a ſe creata voluntas habeat, ut, niſi abſorptum fuerit rationis judicium vehementia paſſionis, libere peccato conſentiat; poſſit etiam impedimentum apponere, ne gratiæ neceſſario adjutorio donetur, quum ſit enim ex nihilo facta, ex ſe habet, ut deficere atque peccare poſſit, quemadmodum poſt Auguſtinum D. Thomas non ſemel docet, poſſit etiam, quæcunque tentatio ſollicitet, peccato reſiſtere divino auxilio confirmata, abſolute ſemper eſt libera, vere utrumlibet ſemper poteſt; nam ut ſolide probat D. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 4. ad 2., & ar. 8. ad 1., & 2. 2. q. 2. ar. 5. ad 1., necnon 3. cont. G. c. 159., ut aliquis quidpiam agere poſſit & debeat, neceſſe non eſt, ut nativa ſolum, ſed vel nativa, vel divinitus adjuncta virtute poſſit. Quid vero, ſi poſt voluntarium neceſſariæ ad peccatum vitandum gratiæ appoſitum impedimentum, vehementi tentatione preſſus homo jam non peccare non poteſt? Non eſt illa peccandi neceſſitas abſoluta, quæ libertati infeſta eſt, ſed, quam Theologi neceſſitatem vocant *ex ſuppoſitione, infallibilitatis, & conſequentiæ*, quæ libertati non officit, quod eam ipſe ſibi homo ſua voluntate conſciſcat, de qua non attinet plura iterum dicere, quum ſatis de ea Par. 1. Prælect. IX. n. 111.

Hinc nullo negotio diſpelluntur, quæ adverſarii commiſcuntur, abſurda; Quum enim voluntas poſſit ſe ipſa tentationi cedere, & peccatum admittere, reſiſtere autem & abſtinere a peccato poſſit prævenientis ac præoperantis divinæ gratiæ ope fulta, hac vero non deſtituatur ope, niſi quia obſtitit ipſa, quominus divinitus adjuvaretur, falſo infertur, velut legitimum ſententiæ noſtræ conſectarium, naturales cauſas, ex quibus acres perſæpe tentationes exiſtunt, voluntati neceſſitatem inferre, & innatam adimere libertatem. Nec minus frivolum eſt alterum, nam & quum inordinati ſenſualitatis motus adverſus rationem vehementer inſurgunt, abſolute eos comprimere poteſt homo *per auxilium* gratiæ, & ſpiritui carnem ſubjicere; Semper propterea eſt ſuorum actuum dominus, vereque poteſt experimento proprio comprobare, quod Deus olim ad Cain ait: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, niſi appetitui ipſe velit ſua ſe ſponte ſubjicere, & ipſe ſe impedire, ne divino roboretur auxilio ad coercendos præpoſteros concupiſcentiæ motus.

Tertium, quod in ſententiæ noſtræ conſectariis ponunt, abſurdum, quam eſt inane! Nemo ſane in eo peccat, quod nec naturæ ſuæ nec divinæ gratiæ viribus vitare poteſt; ſicut & nemo tenetur *ad impoſſibile* tam naturæ quam gratiæ: *At illud, quod poſſumus cum divino auxilio*, ait D. Thomas, *non eſt nobis omnino impoſſibile, ſecundum illud Philoſophi in tert. Eth. c. 3. Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus*.

In poſtremo denique multum peccant, quod lapſi hominis libero arbitrio tribuant, quod integri & ſani proprium erat. Quid ſi hominis eſt, poſſe currere, ambulare &c. Num quia ſanus, valenſque corpore facile expediteque ſine alieno adminiculo hæc præſtat, idem & æger poterit, viribuſque aut fractus aut imminutus? *Homo in ſtatu integræ*, ait D. Thomas, *potuit omnia mandata legis implere, . . . ſed in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt implere omnia mandata divina ſine gratia ſanante*. Ad hujus dicti veritatem comprobandam

quis argumentatione egeat, niſi qui ignoret, ſanum inter ac infirmum, integrum ac vulneratum quantum interſit?

XVII. Cæterum quum D. Thomas expreſſe doceat, non poſſe hominem lapſum Deum etiam qua naturæ auctor eſt, ſuper omnia diligere, *niſi ſanetur per gratiam*, nec poſſe omnia mandata legis implere *ſine gratia ſanante*, diſputant Theologi, quid ſanantis gratiæ nomine intelligendum, & cujuſmodi hæc ſit. Breviter cum Jo. a S. Th. animadvertimus, gratiam dupliciter *ſanantem* dici, primo quia vitium additione recreat infirmitatem, ſecundo quia averſionem a Deo & peccatum excludens reſtituit ſanitatem: Prima ſanatio gratiæ auxiliatricis ſeu *actualis* eſt, qua intellectus excitatur ad bonum, & voluntati boni ſpiritus ſubminiſtratur affectio: altera ejus, quam *habitualem* ſanctificantem dicimus: Priorem ad ea, quæ hactenus perſecuti ſumus, neceſſariam eſſe non videtur in dubitationem vocari poſſe quum enim ad ea præſtanda homo *propter corruptionem naturæ* viribus careat, gratia opus habeat, quæ infirmitati medeatur, vireſque addat: hujuſmodi autem gratiam *auxiliantem* eſſe, quæ ad agendum datur, extra controverſiam eſt; nam, etiamſi ſanctificante gratia quis eſſet a peccato ſanatus, niſi & adjutorium hoc, quod ad ſingulos actus datur, haberet, nec poſſet difficilia illa, de quibus agimus, opera implere, quod erit inferius demonſtrandum.

Cujuſmodi autem hæc gratia? Specialis ne intra, an etiam ſupra naturæ ordinem? Eſt ne a gratia gratum faciente & a peccato ſanante, Sejuncta, an cum ea neceſſario connexa? Cum eodem Jo. a S. Th. reſpondemus, *per ſe loquendo, & quantum eſt ex parte objecti*, ad diligendum ſuper omnia Deum, ut eſt naturæ auctor, ejuſque mandata omnia *quoad ſubſtantiam* implenda, opus non eſſe homini ſuperioris ordinis adjutorio, neque gratia ſanante a peccato; ſunt enim hæc opera intra naturæ ordinem; ſuapte ergo natura nonniſi ſpeciale ejuſdem ordinis auxilium exigunt, *per accidens* tamen, quoniam noſtra ad ſuperioris ordinis ſtatum eſt elevata natura, neceſſarium eſſe ſpeciale altioris ordinis adjutorium, illudque cum gratia gratum faciente, & a peccato ſanante conjunctum; Poſita enim naturæ humanæ ad ſuperiorem ſtatum elevatione, non eſt, nec eſſe poteſt averſio a Deo ut naturæ principio atque fine ſine averſione ab eodem, ut beatitudinis auctor & finis eſt: nec ergo ad eum ut naturæ auctorem & finem converſio eſſe poteſt, quin & ad eumdem qua auctor & finis eſt gloriæ, converſio ſit, ideoque nec diligi ille ſuper omnia poteſt, ut naturæ quin & ut gratiæ & gloriæ auctor & finis diligatur; nequit propterea abſolute ſuper omnia diligi ſine ſupernaturali adjutorio. Hæc perſtrinxiſſe ſatis, quæ ſunt apud Scholæ Doctores late & ſubtiliter diſputata.

PRÆLECTIO X.

De neceſſitate gratiæ ad emergendum, & abſtinendum a peccato.

I. AD utrumque, quod propoſuimus neceſſariam eſſe Dei gratiam, jam dudum ab Eccleſia adverſus Pelagium definitum. Dejectos ab Adamo omnes homines, nec *quempiam per liberum arbitrium poſſe conſurgere* (quod primum eſt propoſitæ quæſtionis caput), *niſi Dei gratia illum erexerit*, veritas eſt in Millevit. Synodo, in Innocentii I. ad eamdem reſcripto, & in ep. Cæleſtini I. ad Epiſcopos Gall. conceptis verbis expreſſa: Eamdem Arauſicana II. locupletiſſimis divini verbi teſtimoniis communivit: Can. 13. *Arbitrium hominis in primo homine infirmatum niſi per gratiam non poteſt reparari, quæ amiſſa, niſi ab eo, a quo potuit dari, nec poteſt reddi: & de ipſa veritas dicit: Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis*: Can. 14.: *Ab eo, quod formavit Deus mutatur Adam, ſed in pejus per iniquitatem ſuam: Ab eo, quod operata eſt iniquitas, mutatur fidelis, ſed in melius per gratiam Dei: Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi, hæc ſecundum Pſalmiſtam eſt mutatio dexteræ excelſi*. Can. 15. *Nullus miſer de quacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur, ſicut dicit Pſalmiſta: Cito anticipet nos miſericordia tua Domine, & illud: Deus meus, miſericordia ejus præveniet me*. Acceſſit & Trident. confirmatio ſeſſ. 6. cap. 1. *Omnes homines in prævaricatione Adæ uſque adeo ſervi erant peccati, & ſub poteſtate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, ſed nec Judæi quidem per ipſam literam legis Moyſi inde liberari,*

ri, aut ſurgere poſſent, tametſi liberum arbitrium in eis minime extinctum eſſet, viribus licet attenuatum & inclinatum. Eamdem hanc veritatem copioſe, valideque adverſus Pelagianos tum alibi ſæpe, tum præſertim l. 4. contra Jul. c. ſacrarum literarum oraculis tutatus eſt Auguſtinus, eo maxime Pauli ad Gal. 2., ex quo & D. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 7. preſſum hoc inſtruit argumentum: „ *Si data* „ *eſt lex*, ait Paulus, *quæ poſſet juſtificare, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*, ſea „ ſine cauſa: Si homo ergo naturam „ habet, per quam poſſit juſtificari, *Chri-* „ *ſtus gratis*, ideſt ſine cauſa, *mortuus eſt*: „ ſed hoc eſt inconveniens dicere: Ergo non poteſt homo per ſe ipſum ju- „ ſtificari, ideſt redire de ſtatu culpæ ad „ ſtatum juſtitiæ. “

II. Nihil autem firmius ratione, qua ad hoc idem confirmandum ibidem utitur, præmittens, quid ſit a pecceto emergere; Quum enim peccatum, quod *actuale* dicimus, actu tranſeat, maneatque reatu, idem profecto non eſt, a peccato reſurgere, ac a peccati actu ceſſare. Quid ergo? *Reſurgere a peccato eſt, reparari hominem ad ea, quæ peccando amiſit*, ſeu quorum bonorum jacturam peccando fecerat, plene ſarcire. Triplicis autem boni damnum homo peccando facit, triplexque ſibi malum ipſe conſciſcit, *maculam, corruptionem naturalis boni, & pænæ reatum*, *maculam* quidem, quatenus eum decore gratiæ privat peccati deformitas, *naturalis* autem *boni corruptionem*, quatenus voluntatem hominis Deo non ſubjectam naturæ inordinatio ſive perverſitas ſequitur; debito enim voluntatis ad Deum ſublato ordine *conſequens eſt, ut tota natura peccantis inordinata remaneat*, *reatum* denique *pænæ*, quia homo graviter delinquens damnationis æternæ fit reus. Annon autem manifeſtum eſt, nihil horum reparari, niſi per Deum, poſſe? Decor gratiæ unde, niſi ex divini luminis illuſtratione? Nequit ergo animæ decor ille reſtitui, niſi illam Deus gratiæ ſuæ lumine, quod eſt *habituale donum*, iterum illuſtret. Qui poteſt etiam naturæ pravitas corrigi, & in ordinem adduci, niſi Deo voluntas hominis, ut par eſt, ſubiiciatur? Hoc vero fieri poteſt, niſi Deus, a quo ſolo *præparatur voluntas*, illam ad ſe convertat, & trahat? Tolli denique reatum pænæ non poſſe, niſi a Deo, in quem offenſa commiſſa eſt, & qui eſt hominum Judex, perſpicuum eſt: *Ad hæc ergo*, recte concludit Angelicus, *quod homo a peccato reſurgat, requiritur auxilium gratiæ & quantum ad habituale donum*, quo ſcilicet macula peccati deletur, *& quantum ad interiorem Dei motionem*, voluntatem nempe hominis a ſe averſam ad ſe trahentis & convertentis.

III. Videtur tamen D. Thomas his contraria docuiſſe in 2. ſent. diſt. 28. in expoſit. literæ ajens: *Homo per poteſtatem naturalem, quam accepit a Deo, poteſt voluntatem mutare in melius*. Cæterum optime ſibi conſtitiſſe Angelicum, dudum demonſtrarunt præclariſſimi ejus Interpretes, Cajetanus, Alvarez, aliique poſt eos, cum quibus dicimus, tribuiſſe illum naturali hominis poteſtati mutationem voluntatis in melius, non *ſimpliciter*, ſive perfectam, qua voluntas a caduco, ad quod præpoſtere adhæret, ad immutabile, verumque bonum abſolute convertitur, illud omnibus præferens, ac ſuper omnia diligens, quam mutationem a ſola Dei operatione *liberum hominis arbitrium ad ſe convertentis* perpetuo petit, ſed imperfectam, quamque vocant *ſecundum quid*, quatenus homo ſuapte virtute aliquod morale bonum naturalis ordinis agere, puta actum temperantiæ, juſtitiæ &c. elicere poteſt, etſi nec ſit illud verum ſimpliciter bonum, nec veræ perfectæque virtutis opus, quemadmodum prælect. VIII. jam declaratum. Hinc etſi poſſe hominem, demus, ſuis ſe viribus Deo aliqua ex parte ſubiicere, & aliquod naturalis legis præceptum, *quoad ſubſtantiam actus*, implendo obtemperare, nequit ei tamen ſeſe *ſimpliciter*, ſeu perfecte ſubiicere, quum abſolutum edere nequeat dilectionis Dei ſuper omnia actum, qui virtute mandatorum omnium continet obſervationem; quare nequit in rectum illum, a quo peccando deflexit, ordinem etiam naturalem ſua ſe facultate redigere.

IV. Quid vero ſi virtuti peccatum perinde, ac ſanitati morbus, opponitur? An, ut æger poteſt naturali vitæ principio, quo viget, abſque exterioris medicaminis ope morbum depellere & convaleſcere, ita ſe ipſo poterit homo abſque divinæ gratiæ adjutorio de ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ redire? Falli eos qui ita argumentantur, oſtendit D. Thomas, quod ſatis non ſit naturalis ratio ad afferendam ſanitatem, quæ in homine eſt a gratia juſtifi-

can-

cante; Quum enim ſanitatis hujus principium ſit a gratia, quæ tollitur per peccatum, gratia autem nonniſi a Deo ſit, ipſe ſe reparare & ſanare homo non poteſt, ſed nova luminis gratiæ infuſione opus habet, *ſicut ſi corpori mortuo reſuſcitando denuo infunderetur anima*. Quid etiam, ſi natura quælibet ad actum ſibi conſentaneum, a quo dimota fuerat, redire ſuapte poteſt, ut aqua calefacta naturaliter iterum frigeſcit, ſurſumque projectus lapis naturæ ſuæ vi deſcendit? Num & a peccato, quod contra naturam hominis eſt, naturalis erit ad ſtatum juſtitiæ reditus? Natura integra, ait egregie D. Thomas, recuperare vi ſua poteſt, quod ſibi convenit, & ad quod proportionem habet: ſiquid tamen ſupra ejus proportionem ſit, aſſequi illud ſine exteriori auxilio nequit. Quum ergo humana natura *per actum peccati defluens* a ſui integritate excidat, & naturalis boni jacturam faciat, *non poteſt per ſeipſam reparari neque etiam ad bonum ſibi connaturale, & multo minus ad bonum ſupernaturale juſtitiæ*.

Quid ergo eſt, ajunt, quod ad Eph. 5. clamat Apoſtolus: *Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus?* Itane hominem hortaretur, ſi peccati ſomnum ſine gratia excutere abſolute non poſſet? Breviſſime, ſed pereximie reſpondet D. Thomas lect. 5. in laudatum Pauli caput. „ Numquid poſſumus per nos a „ peccato reſurgere, quia dicit: *Surge*, „ *& illuminabit te Chriſtus?* Dicendum, „ quod ad juſtificationem impii duo re„ quiruntur, liberum ſcilicet arbitrium Deo „ cooperans ad ſurgendum, & ipſa gra„ tia: Et certe hoc ipſum (nempe ſur„ gere) habet liberum arbitrium a gra„ tia præveniente, & poſtea meritorie „ operari a gratia ſubſequente, unde di„ citur Thren. ult.: *Converte nos Domine* „ *ad Te, & convertemur*." Neceſſario itaque & non libere hærebit homo in peccati luto, nec jam poterit ei in culpa poni, quod non emergat, ſi abſque ſpeciali Dei auxilio, quod in manu ſua non habet, exire inde non poſſit. Argumento huic jam non ſemel ſatis eſt factum; quare paucis reſpondemus, non neceſſario ſed libere hominem in peccato perſtare, quia, etſi non propria, addita tamen divinitus virtute poteſt a ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ tranſire, ipſumque in culpa eſſe, quod adjutorio careat, ſine quo fieri tranſitus iſte non poteſt; ſua enim voluntate impedimentum affert, ne hoc adjutorio donetur.

V. Priuſquam alterum quæſtionis caput expediamus, præclara D. Th. doctrina præmittenda videtur, quod ſit inde plurimum luminis in dicenda derivandum. Quoniam autem inſtitui quæſtio de homine poteſt tum peccato adhuc obſtricto, tum ab eodem per gratiam liberato, abſtinere ne ſcilicet a peccato ſuis viribus poſſit, in utrumque D. Thomas inquirit, ac de primo quidem q. 24. de Ver. ar. 12. ſermonem habens, ait, de hoc contrarias hæreſes erupiſſe; quidam enim humanæ mentis naturam ex rebus corporeis æſtimantes opinati ſunt, ab homine totum id *ex neceſſitate* fieri, in quod humanæ mentis inclinatio fertur, quapropter in contrarios errores prolapſi ſunt; Nam quum duæ in homine ſint oppoſitæ inclinationes, altera ad bonum ex inſtinctu rationis, altera ex inferioribus viribus, præſertim qua ſunt originaria noxa corruptæ, ad ea eligenda, quæ delectatione corporeos afficiunt ſenſus, priorem cogitans Jovinianus ſtatuit, hominem *non poſſe peccare*, alteram in oculis habentes Manichæi dixerunt, hominem *neceſſario peccare*, nec vitare ullo modo poſſe peccatum, ambo propterea diverſas licet vias ingreſſi, in idem abſurdum devoluti ſunt, ut liberum ſcilicet arbitrium tollerent; jam enim non eſt homo liber, ſi neceſſitate vel ad bonum, vel ad malum impellitur: hoc autem falſum eſſe & abſurdum, non divina auctoritate ſolum, ſed & Philoſophorum doctrinis, & experimento conficitur; quare Pelagius ab horum errore declinans, volenſque liberum tutari arbitrium, *gratiæ Dei adverſatus eſt*, hominem docens abſque Dei gratia peccatum vitare poſſe, qui quidem error utpote doctrinæ Evangelicæ manifeſto contrarius, fuit *per Eccleſiam condemnatus*. Catholica vero Eccleſia *mediæ via incedit* ita libertatem arbitrii ſartam tectamque ſervans, ut *neceſſitatem gratiæ non excludat*.

Ad hoc declarandum animadvertit, liberum arbitrium vim quandam animi eſſe, quæ infra rationem eſt, & ſupra potentiam exequentem; quocirca dupliciter quidpiam extra poteſtatem liberi arbitrii eſſe contingit, primo quia potentiæ exequentis, *quæ ad imperium liberi arbitrii operatur*, efficacitatem excedit, ut volare

libe-

Digitized by Google

libero hominis arbitrio non ſubeſt, quia eſt ſupra *vim potentiæ motivæ in homine;* ſecundo quia ſub rationis actu non cadit; quum enim liberi arbitrii actus ſit electio, quæ conſilium ſequitur, ſive rationis deliberationem, illud in liberi arbitrii poteſtate non eſt, quod rationis deliberationem fugit, cujuſmodi ſunt, quæ ex inopinato occurrunt, antevertuntque rationis meditationem. Hoc præjacto definit, peccare vel non peccare extra liberi arbitrii facultatem primo modo non eſſe; Licet enim exterior peccati actus *executione virtutis motivæ peragatur*, peccatum tamen ante exteriorem ipſam operis executionem intra voluntatem ſolo conſenſu perficitur. *Virtutis motivæ defectus* propterea non obeſt, quo minus peccare aut peccatum vitare liberum arbitrium poſſit, etſi non ſemel peccati executionem impediat, *ut quum quis vult occidere, vel fornicari, vel furari, nec tamen poteſt*. Cæterum ſecundo modo peccatum aut ejus declinatio poteſt libero arbitrio non ſubeſſe, quia videlicet peccatum aliquod *ſubito, & quaſi repente occurrit*, liberique arbitrii ſic prævenit electionem, quamvis & hoc libere admittere, vel repudiare homo poſſet, ſi *ad hoc attentionem ſuam dirigeret vel conatum*.

Pergit adnotans, dupliciter quidpiam nobis quaſi repentinum accidere, uno modo *ex impetu paſſionis*, cujus, puta iræ vel concupiſcentiæ inordinatus motus rationis deliberationem quandoque prævertit . . . Alio modo *ex inclinatione habitus;* nam ut 3. ethic. c. 8. ait Philoſophus „ fortioris eſt in repentinis timoribus impavidum, & imperturbatum eſſe, quam in præmaniſeſtis; ab habitu enim eſt magis operatio, quanto minus eſt ex præmeditatione; præmaniſeſta enim, (ideſt præcognita,) aliquis præeliget ex ratione & cogitatione ſine habitu, ſed repentina ſunt ſecundum habitum. " Monet tamen Philoſophi dictum non ita intelligendum, quaſi vero operatio ſecundum habitum virtutis ſine ulla deliberatione eſſe poſſit, eſt enim *virtus habitus electivus*, ſed quia determinatus finis jam *eſt in habentis habitum electione*, quotieſcumque iccirco quidquam ſe offert cum fine illo congruens, *ſtatim eligitur*, niſi attentior aliqua, majorque deliberatio electionem ejus impediat.

Hæc ſapientiſſime perſecutus, ad finiendum primum poſitæ quæſtionis caput accedit, decernens, *hominem in peccato mortali exiſtentem gratia deſtitutum omnia peccata mortalia non poſſe vitare, niſi gratia ſuperveniat, quamvis ſingula poſſit vitare, & hoc propter adhæſionem habitualem voluntatis ad finem inordinatum*. Mire plane, tantique Doctoris ingenio digna eſt ratio hæc, qua ibidem propoſitum efficit, cujus hæc ſumma: Qui peccato mortali obligatus eſt, ad illud *habitualiter* adhæreſcit; etſi enim vitii habitum non ſemper habeat, quum vitioſo uno actu vitii habitus non gignatur, peccatis tamen voluntas, incommutabili relicto bono, ad commutabile, velut ad finem, adhæſit, hæretque in pravæ hujus adhæſionis ac inclinationis luto, quouſque a caduco, quod elegit, bono ad incommutabile velut ad finem, iterum convertatur: Homo itaque ſic diſpoſitus, ſi quid faciendum occurrat, quod præcedenti electioni conveniat, repente illud probat, & eligit, ideoque peccat, niſi *multa deliberatione* ipſe ſe a prava electione *cohibeat*: At, licet tantam adhibere deliberationem poſſit, *quanta requiritur ad hoc vel illud* ſingulatim vitandum peccatum, *facere* tamen non poteſt, quin tantam deliberationem conſenſus in peccatum mortale aliquando præveniat; neque enim poteſt homo *ſemper aut diu* tantum vigilare, quantum oportet, *propter multa, in quibus mens hominis occupatur*: Poſita ergo liberi arbitrii *ad peccatum mortale, ſive ad finem indebitum adhæſione*, jam non poteſt omnia peccata gravia vitare, etſi vitare unumquodque poſſit, *ſi contra nitatur*; hæret enim in voluntate prava diſpoſitio ſeu habitudo, *a qua non removetur, niſi per gratiam, per quam ſolam efficitur, ut mens humana incommutabili bono tanquam fini per charitatem adhæreat*.

At, ſi homo quidpiam perverſo fini, quem ſibi præſtituit, conveniens *repente eligit*, graviter ergo non peccat; non eſt enim ſine aliqua deliberatione lethale peccatum: Aut, ſi deliberat, ideoque a gravi peccato non excuſatur, *repente* ergo non eligit, ſemper iccirco poteſt a novo peccato deliberate abſtinere. Reſpondet Angelicus, eam, *qua perpenditur, id, quod eligitur, peccatum eſſe mortale, & contra Deum*, deliberationem ſatis quidem eſſe, ut graviter quis delinquat, nec tamen ſufficere ad *retrahendum eum, qui eſt in pec-*

peccato mortali; Neque enim quiſpiam ab eo, in quod propenſus eſt, agendo abducitur, niſi quia illud ei proponitur tanquam malum: qui autem pro caduco atque fluxo bonum incommutabile jam repudiavit, a Deo averti, in quo mortalis culpæ ratio perficitur, mali loco non habet: Hoc ipſo ergo, quod aliquid conſiderat, grave eſſe peccatum, non retrahitur a peccando, verum ejus conſideratio procedat oportet, donec aliquid obverſetur animo, quod revera malum eſſe, non exiſtimare non poſſit, *ſicut eſt miſeria, vel aliquid hujuſmodi*; Quare, antequam tantam deliberationem adhibeat, quanta *homini ſic diſpoſito* opus eſt ad delictum grave vitandum, deliberationem prævenit conſenſus in novam culpam, *& hoc propter adhæſionem voluntatis habitualem ad finem inordinatum, quæ duo Auguſtinus in l. de Perfectione juſtitiæ comparat curvitati tibiæ, ex qua ſequitur neceſſitas claudicandi*.

Ex dictis patere, concludit, hanc, quæ inter Catholicos communis eſt, ſententiam ſua cum gratiæ, tum libero arbitrio jura ſervare, huic quidem, nam poſſe hominem quodcunque peccatum ſingulatim vel admittere, vel vitare, contendimus, illi autem, ſiquidem affirmamus, non poſſe illum vitare *omnia, niſi gratia ſuperveniat*, quæ a commutabili, ad quod adhæret, ad incommutabile bonum voluntatem transferat, & convertat. Exin varia de hoc capite veterum Doctorum placita conciliat, oſtenditque, eorum *rationes verum aliquo modo concludere, & aliquo modo falſum*, ajens. „ Quidam dicunt, hominem abſque habituali gratia gratum faciente, poſſe peccatum mortale vitare, quamvis non ſine divino auxilio, quod hominem ſua providentia ad bona agenda, & mala vitanda gubernat: hoc verum eſt, dum contra peccatum conari voluerit, ex quo contingit, quod poſſint vitari ſingula. Alii vero dicunt, quod non poteſt homo ſine gratia diu ſtare, quin mortaliter peccet, quod quidem verum eſt, quantum ad hoc, quod non diu contingit, hominem eſſe habitualiter diſpoſitum ad peccandum, quin occurrat ſibi repente aliquid operandum, in quo ex inclinatione mali habitus labitur in conſenſum peccati mortalis, quum non ſit poſſibile, hominem diu eſſe vigilem ad hoc, ut ſufficientem ſolicitudinem adhibeat ad vitandum peccatum mortale.“

VI. Poſtremo tria & viginti ſibi objicit argumenta, quibus poſterioris opinionis Auctores nituntur, efficere, hominem peccato inquinatum abſtinere a peccato ſine gratia non poſſe, & ad ſingulorum refutationem aggreſſus, ſtrictim peræque ac nitide demonſtrat, iis confirmari quod communis ſententia fert, non poſſe ſcilicet hominem &c. peccata omnia gravia ſine gratia vitare, non concludi tamen, non poſſe illum a ſingulis abſtinere. Quoniam autem, quod Auguſtinus ait in l. *de Perfect. juſtitiæ, malitiam* nempe *ad animam ſe habere, ſicut curvitas ad tibiam; actumque peccati claudicationi comparari*, ſpecialem affert difficultatem, ut enim nullus etiam ſingulatim rectus eſſe poteſt greſſus altero pede læſi, niſi ante ſanetur, ſic nullus videtur mali hominis actus eſſe poſſe non malus ſine gratia ſanante, digna eſt, quæ ſpeciatim exſcribatur, adhibita ab Angelico ad hoc Auguſt. dictum interpretatio: „ Exemplum Auguſtini (ait) de curvitate quantum ad aliquid non eſt ſimile, quia ſcilicet non eſt in poteſtate tibiæ, ut utatur curvitate, vel non utatur, ideo oportet, omnem motum tibiæ curvæ claudicationem eſſe: Liberum autem arbitrium poteſt uti, vel non uti ſua curvitate, & ideo non oportet, ut in omni actu ſuo peccet, ſed poteſt quandoque vitare peccatum. Eſt autem ſimile quantum ad hoc, quod non eſt poſſibile, omnia vitare, ſicut dictum eſt.“ Quoniam autem, quæ Pelagianorum errori fundamento erant, eo demum recidunt, non peccare ſcilicet hominem, ſi abſtinere a peccato ſine gratia nequeat, quum nullus in eo peccet, quod vitare non poteſt, piget iterum hæc refellere, quæ n. III., & etiam alibi jam refutata ſunt. Lubet addere præclaram D. Th. doctrinam l. 3. c. G. c. 160.: „ Quamvis illi, (ait) qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, ut cap. præced. oſtenſum eſt, niſi auxilio gratiæ præveniantur, nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur, ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur,

„ quod

„ quod per ebrietatem committit, quam „ ſua culpa incurrit. Præterea, licet ille, „ qui eſt in peccato, non habeat hoc in „ propria poteſtate, quod omnino vitet „ peccatum, habet tamen poteſtatem, „ nunc vitandi hoc vel illud peccatum, „ ut dictum eſt c. 155., unde quodcun- „ que committit, voluntarie committit, „ & ita non immerito ei imputatur ad „ culpam. “

VII. Hæc ſi ita ſint, jam certo ſcire quis poterit, gratia ſanctificante ſe præditum; Si enim qui in peccato eſt, a novo peccato diu cavere ſine gratia *ſanante* non poteſt, ut quis poteſt ſibi certo conſcius eſſe, nullum diu a ſe deliberate admiſſum grave peccatum, ita noſſe certo poterit, ſe Deo acceptum gratumque eſſe, ſine cujus ſanctificante gratia non potuiſſet a gravi ejus offenſa diu abſtinere. Inſulſa tamen hæc Scoti & Durandi adverſus D. Thomæ rationem exceptio. Nolumus in peccata, quæ *commiſſionis* dicuntur, inquirere, nec ſubtilius excutere, an certo ſcire homo poſſit, ſe nihil hujuſmodi diu ſcientem volentemque admiſiſſe. Quid iis tamen facias, quæ *omiſſionis* dicimus? Hæc enim, ut Cajetano prudenter animadverſum, *poſitiva*, ut ajunt, deliberatione non egent, ſed ſatis eſt, hominem non deliberare, quum debet, de quibus maxime ſcriptum idem Cajetanus veriſſime putat Pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* delictum enim proprie omittentis eſt, ideoque ſubjicitur: *ab occultis meis munda me Domine*. Addi etiam cum eodem Cajetano poteſt, ex quo dudum ſe non deliquiſſe, habet quis exploratum, ſcire poſſe, ſe non eſſe ad peccatum lethale prave affectum, non autem ſe juſtum eſſe, & peccati gravis expertem; nam & Apoſtolus ajebat, *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*, 1. ad Cor. 4.

VIII. Aliter tamen D. Thomas q. 24. de Ver. ar. 13. de homine a peccato jam per gratiam liberato pronuntiat, poſſe illum docens mortalia omnia vitare peccata, atque ex eo primum, quod reſpondiſſe ſibi Dominum Paulus memorat 2. ad Cor. c. 12., argumentum inſtruit: Paulo Dominus ait: *ſufficit tibi gratia mea;* An vero ſufficeret, ſi per eam nequiret homo grave omne peccatum vitare? Per gratiam itaque ab omni peccato hujuſmodi abſtinere homo poteſt. Addit & rationem ad hoc confirmandum efficaciſſimam. Habenti gratiam non ineſt *habitualis* ad peccatum inclinatio, ſed potius ad oppoſitum, ſcilicet ad non peccandum, quod & ex iis colligi poteſt, quæ Jo. ep. 1. c. 3. legimus: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, quoniam ſemen ipſius* (nempe gratia) *in eo manet, & c. 5. Scimus, quia omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum*: Quando ergo juſto quidpiam ſe offert gravem malitiam annexam habens, illud *ex habituali inclinatione* repellit, *niſi in contrarium nitatur concupiſcentias ſequendo*: At iſtas non ſequi libere poteſt; nullus enim liberi arbitrii motus *ad peccatum quaſi inclinatione* pravi *habitus pertrahens* plenam ejus deliberationem antevertit: mortalia ergo omnia peccata vitare poteſt. Pluribus opus non eſt ad hoc illuſtrandum; ſoli enim ſtultiſſime diſſentiunt Novatores, quorum intolerandum errorem, hominem videlicet juſtum in omni bono opere peccare, ſeſ. 6. de Juſtif. c. 25. Synodus Tridentina confixit: *Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema ſit.*

IX. Idemne vero de iis, quæ venialia dicimus, ſtatuendum? Catholicæ Eccleſiæ doctrina non videtur nobis exponi melius poſſe, quam ipſis ejuſdem Angelici verbis ibid. art. 12. Quum prænotaſſet, quidpiam nobis *quaſi repentinum* accidere dupliciter poſſe, *ex inclinatione* ſcilicet *habitus*; *& ex impetu paſſionis*, cujus inordinati motus deliberationem rationis quandoque præveniunt, hoſque *in illicitum tendentes* motus *ex corruptione naturæ* peccata eſſe venialia, pergit: „ Et ideo „ poſt ſtatum naturæ corruptæ non eſt in „ poteſtate liberi arbitrii omnia hujuſ- „ modi peccata vitare, quia ejus actum „ effugiunt, quamvis poſſit impedire ali- „ quem iſtorum motuum, ſi contra co- „ netur: Non eſt autem poſſibile, ut „ homo continue contra conetur ad hu- „ juſmodi motus vitandos propter varias „ humanæ mentis occupationes, & quie- „ tem neceſſariam, quod quidem contin- „ git, quia inferiores vires non ſunt to- „ taliter rationi ſubjectæ, ſicut in ſtatu

„ innocentiæ, quando homini hujuſmodi „ peccata omnia & ſingula vitare, facillimum erat per liberum arbitrium, eo „ quod nullus motus inſurgere poterat in „ inferioribus viribus, niſi ſecundum dictamen rationis. Ad hanc autem rectitudinem homo in præſenti per gratiam „ non reducitur communiter loquendo, „ ſed hanc rectitudinem expectamus in „ ſtatu gloriæ: Et ideo in hoc ſtatu miſeriæ poſt reparationem gratiæ non poteſt homo omnia peccata venialia vitare, quum tamen hoc in nullo libertati „ arbitrii præjudicet, " quia ſcilicet vitare ſingula poteſt, peccata autem non omnia conjunctim vitanda vel admittenda ſe offerunt, ſed ſingulatim.

X. Etſi autem Durandus putet, hanc D. Thomæ rationem in ſola, quæ *ex ſubreptione* dicuntur, quæ nimirum propter defectum plenæ deliberationis admittimus, venialia quadrare, non autem in ea, quæ talia ſunt ex objecto, ut mendacium ex joco, verbum otioſum &c., ac priora quidem vitari omnia non poſſe, non idem de poſterioribus cenſendum, a quibus omnibus & ſingulis, ut & a mortalibus, abſtinere juſtus homo poteſt, veriſimilior tamen eſt Cl. Soto ſententia l. 3. de nat. & gr. c. 4., neque ab his omnibus poſſe nos pene cavere, tum quod & iſtorum occurant occaſiones crebriores, quam ut poſſimus univerſas repellere, tum quod hoc ipſo, quod levia peccata ſunt, quibus a Dei gratia non dejicimur, ſegniores ad ea cavenda, remiſſioreſque efficiamur. „ Verum eſt tamen, ſubdit „ Soto, quod poſſunt multo facilius vinci, imo ſunt provectæ virtutis homines, tam ſe vigilanter ab illis tuentes, „ ut ſerventur nonnullo tempore incolumes. " Hanc autem non Scholaſticorum opinionem, ſed Patrum collectionem ex divino eloquio eſſe, monet ibidem ſapientiſſime Soto; Prophanam enim & temerariam Cæleſtini vocem, *poſſe* ſcilicet *hominem ſine omni peccato vivere, ſi velit, per liberum arbitrium*, velut a Pythagoricis & Stoicis dicentibus, *non cadere in ſapientem paſſiones*, derivatam acerrime caſtigarunt Hieronymus præſertim in ep. ad Cteſiphontem, & in dial. contra Pelagianos, & Auguſtinus in l. *de Perfect. juſtitiæ, de Spiritu & litera, & de nat. & gr.*, retuleruntque locupletiſſimis utriuſque fœderis teſtimoniis. In poſtremo tamen libro Deiparam Virginem meritiſſime Auguſtinus excepit, nolens, quum de peccatis agitur, facere de illa mentionem propter honorem Domini; *ſcimus enim*, ait, *quod plus ei gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere Deum meruit, quem conſtat, nullum habuiſſe peccatum*. Hinc auctoritate Auguſtini factum eſſe, notat ibidem Soto, ut Patres deinceps omnes, univerſique Theologi unanimes jure optimo prædicarint, Virginem glorioſiſſimam nullum unquam actuale, vel leviſſimum admiſiſſe peccatum, *quidquid ſenſerit Chryſoſtomus* hom. 25. in Math., & 20. in Jo., quem D. Thomas 3. p. q. 27. art. 4. ad 3. modeſte ait, *in verbis illis*, quibus ſcilicet Mariam inanis gloriæ, & imperfectæ fidei vitio notavit, *exceſſiſſe*, pro ſua tamen pereximia adverſus Patres reverentia ſubdens, poſſe Chryſoſtomi verbis benignam, quam ipſe addit, interpretationem aptari. Hinc & Trid. Synodus ſeſ. 6. de Juſtif. anathemare eos percellens, qui dixerint, aliquem *in tota vita peccata omnia venialia vitare poſſe, niſi ex ſpeciali Dei privilegio*, privilegio hoc ſingulari Deiparam donatam fuiſſe, ſtatim declarat, *quemadmodum*, ajens, *de B. Virgine tenet Eccleſia*.

XI. Conſulto autem Tridentinum, neminem utut juſtum ſine ſpeciali Dei privilegio peccata omnia venialia *in tota vita* cavere poſſe definit; neque enim Eccleſiæ Patres docuiſſe credendi ſunt, nullo unquam, vel brevi, tempore, poſſe hominem abſque omni peccato eſſe. Audiendus Hieronymus, qui in laud. Dial. l. 3. urgenti Critobulo, an egreſſus homo aquas baptiſmatis ſine peccato ſit, Atticum reſpondentem inducit: *Ego impoſſibile in homine eſſe reſpondeo, ſine peccato eſſe, ſi velit, non quia ſtatim de baptiſmate egreſſus homo peccato non careat, ſed illud tempus, quo ſine peccato eſt, nequaquam poſſibilitati humanæ, ſed Dei gratiæ deputatur*. Mox illud explicans, *inveni David filium Jeſſe virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, non dubium eſt*, inquit, *David fuiſſe Sanctum, & in hoc electum, ut faceret omnes voluntates Dei, ſed tamen illas non fecit in perpetuum: Hoc & nos dicimus, poſſe hominem non peccare, ſi velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea*,

quam-

quamdiu intentus eſt animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cythara: Quod ſi paululum remiſerit, quomodo qui adverſus flumen lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retro labitur, & fluentibus aquis, quo non vult, ducitur, ſic humana conditio, ſi paululum ſe remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe non poſſe cognoſcit. Hæc perpendens Soto ſcite ait: „ Ecce quo pacto Sancti intellexerunt, hominem non poſſe ſine peccato vivere, non quidem quod omne opus noſtrum peccatum ſit, ita ut per nullum opus ſatis faciamus legi, ut adverſarii (Lutherani) perverſe philoſophantur, ſed quod vita non poteſt tranſigi, quin ſæpe homo cadat, ſaltem in leviora plus minuſve, pro cujuſque vel cura & diligentia, vel negligentia & incuria. “

XII. Qui ſponte non ſit averſus a vero, non poteſt non ex dictis inferre, abeſſe quam longiſſime ab Eccleſiæ doctrina poſitionem Harduini & Beruyer, eam nimirum communium gratiæ auxiliorum vim eſſe, ut afferre homini poſſint, *peccatorum omnium etiam levium immunitatem, reque ipſa Chriſtianos eſſe*, qui communibus his rantum auxiliis fulti *vitam tranſigunt ſine peccato*. At quæ iſthæc graria, cujus tam exquiſita virtus? Num gratia ſuapte efficax? *In hæreticis*, habent, quotquot pro ea ſtant. *Vera Catholicæ Eccleſiæ doctrina nonniſi verſatilem gratiam tradit*. At quæ demum hæc, quam ipſi unice retinent, gratia? *Chriſti doctrina & exempla*, ad quæ varia gratiarum genera adjungunt, puta ſignorum viſum, prædicationis auditum, inflictas a Deo hominibus pœnas, mentis illuſtrationes, voluntatis excitationes, quarum tamen non alia vis, quam invitandi & alliciendi ad bonum; quare *immanis erroris* loco habent, *etſi multum communis* ſit, Spiritum S. *Paracletum* appellare; venir etiam hoc nomine efficax operatio, quum nonniſi *hortatoris* nomen in eum quadret. Qui in iſtis addubitet, vereaturque, ne quidquam eis iniquo affinxerimus, evolvat Harduini in Evang. Jo. & in epiſt. Pauli commentarios, ejuſque Diſcipuli Beruyer nuper ab Apoſtolica Sede tetris adeo notis compuncta opera, necnon & celeberrimam *Paſtoralem inſtitutionem* fato nuper functi Sueſſionenſis Epiſcopi, qui intolerandos utriuſque errores ex eorumdem operibus depromtos ſolidiſſime coarguit damnavitque, atque ſuis fiet ipſe oculis certior nihil iis a nobis tributum, quod in eorum ſcriptis non ſit teſtatiſſimum: Sed hæc leviſſime, & veluti per tranſcurſum.

PRÆLECTIO XI.

Diſpoſitio ad gratiam num a naturæ viribus ſit, an a gratia ipſa.

I. DIſpoſitionem ad gratiam Theologi duplicem ponunt, aliam, ſi lubet, *impropriam*, & remotiſſimam, quæ neque ſufficit, nec plane neceſſaria eſt, cujuſmodi eſt quodvis moraliter bonum opus ſolis naturæ viribus factum honeſti finis gratia, quod, quum imperfectæ virtutis opus ſit, non poteſt non aliquo modo viam ſternere ad charitatem, præſertim ſi in hujuſmodi operibus, ait Soto, ſeſe peccator exerceat, flectere Deum intendens, ut ablato *corde lapideo*, det ſibi *cor carneum*, ſeu flexibile ad pœnitendum, quem finem, ut & honeſtos alios, præſtituere ſibi poteſt, aliam propriam, ſufficientem, & ad juſtificationis gratiam neceſſariam. Hanc proficiſci a ſola natura poſſe ſentit olim Scotus in 2. ſent. diſt. 28., ubi de præcepto dilectionis Dei ſuper omnia agens ait: „ Quandocunque voluntas actum hujus præcepti exequitur, licet informis, diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblatæ vel reſiſtet, & peccabit, vel conſentiet, & juſtificabitur „ & in 4. ſent. diſt. 14. q. 2. “ Poteſt homo ex naturalibus cum communi influentia habere attritionem, quæ ſit diſpoſitio & meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis. “ In hanc Scoti opinionem præter Nominales ferme omnes, Durandum, & Adrianum, tranſierunt Molina, ejuſque aſſeclæ, quibus perſuaſum eſt, poſſe hominem naturali virtute eam ad gratiam diſpoſitionem afferre, cui certo gratia reſpondeat *non ex debito, ſed ex pacto & ordinatione divina*. At quæ hæc divina ordinatio, quod pactum? Deus, ajunt, *ſecundum legem ordinariam* prævenientis & excitantis gratiæ, qua ad ſalutem homo diſponitur, auxilia dare non ſolet, niſi libero arbitrio bene utentibus, totumque, quod in ſe eſt, facultate naturæ facientibus: his certiſſime hæc

auxilia dantur, ex certa lege, quam inito cum Chriſto pacto ob ejuſdem Merita Pater ſanxit. Hinc decernunt, ut Deus generali ſuo concurſu homini ſemper præſto eſt, ut naturaliter velit, aut nolit, prout libuerit, ita ſufficiente gratiæ auxilio eidem ſemper adeſſe, ut, quoties naturæ viribus quidpiam moliri velit ad juſtificationem pertinens, illud exequatur perficiatque, *ut ad ſalutem oportet*; *ſtat* enim continenter Deus *ad oſtium* cordis, & *pulſat*, ingredi cupiens, & nunquam non paratus ad juvandos promovendoſque conatus noſtros; quare præveniente & excitante Dei gratia opus non habet homo *ſimpliciter*, ſeu abſolute, ut *quoad ſubſtantiam* ſe diſponat ad gratiam, ſed duntaxat, ut ea præparatio ſit, *ſicut oportet*, ideſt ſupra naturam aſſurgat, habeatque ad finem altioris ordinis proportionem.

II. Nos contra hæc omnia negamus, & refutamus ut falſa; „ Neque profecto „ (ait Soto l. 2. de nat. & gr. c. 3.) „ negatio hæc (niſi meus me fallit ſcru„ pulus) cenſenda eſt, vel S. Thomæ, „ vel Theologorum cujuſpiam opinio, „ ſed concluſio, quæ ita colligitur ex ſa„ cris locis, ut ægre poſſit a viro ortho„ doxo refutari, neque S. Thomas hanc „ tenet concluſionem tanquam opinio„ nem, ſed revera tanquam fidem Chri„ ſti; " quod priuſquam demonſtramus, præmittenda, quam ille ponit 1. 2. q. 109. art. 6., duplex voluntatis ad bonum præparatio, una *ad bene operandum & Deo fruendum*, quæ nequit ſine gratiæ gratum facientis habitu fieri, de quo Catholicis omnibus convenit adverſus Pelagium, *alia ad conſequendum ipſum habitualis gratiæ donum*, quæ, alio licet habitu præcedente non fiat, alioqui & ad hunc præmittendus alius eſſet, ſicque foret in infinitum abitio, fieri tamen nequit abſque *gratuito auxilio Dei interius animam moventis, & inſpirantis bonum propoſitum*, ad quam veritatem confirmandam rationem adtexit e natura petitam. Hanc Scotus & Durandus, quibus ſolemne, prætermiſſo capite plerumque curare reduviam, ſeu, quod D. Thomas ratum certumque ſtatuit, negligere, & in ambiguis, probabilibus, vel ſolum ſuadendi gratia poſitis, arrodendis hærere, more ſuo carpunt, & non concludere, oppoſito alio naturali exemplo, cauſantur. Toti contra in ejus tuenda efficacitate D. Thomæ Interpretes, & quo illam infirmare Adverſarii moliuntur, exemplo confirmari potius, demonſtrant. „ Sed quid„ quid ſit de ratione naturali (ait veriſ„ ſime Soto) hoc eſt, unde iſti fallun„ tur, quod putant, S. Thomam illa „ ſola naturali ratione conniti, quum ta„ men res longe aliter ſit; ſupponit enim „ veritatem illam tanquam Evangelicam, „ quæ omni porro naturali ratione fir„ mior eſt, adducit autem rationem dun„ taxat explicationis gratia. "

Revera quid firmius argumentis, quæ ex divino eloquio ibidem inſtruit? Ad gratiam ſe præparare, ait, eſt ad Deum converti, ut, qui a ſole averſam faciem habens, hoc ſe præparat ad ejus fruendum lumine, quod ad ſolem oculos vertit; quum ergo converti hominem ad Deum, *niſi Deo ipſum convertente*, non poſſe, in ſacris literis ſit apertiſſimum, ut Jerem. 31. *Converte me Domine, & convertar, quia tu Dominus Deus meus*, & Thren. ult. *Converte nos Domine ad te, & convertemur* &c. præparare ſe homo ad gratiam nequit abſque *gratuito auxilio Dei interius animam moventis, ſeu inſpirantis bonum propoſitum*. Quid ſi ordine converſo legimus Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, & Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos?* Reſpondet ibidem ad 1., homini præcipi, ut ſe convertat ad Deum, quia hæc ejus converſio libere fit, at non ſolis naturæ viribus, ſed prævenientis gratiæ virtute; Converti enim homo ad Deum nequit, *niſi Deo ipſum ad ſe convertente*, ut ex laudatis Jeremiæ, aliiſque, quæ proferri poſſent, Scripturæ teſtimoniis conſtat; quare Tridentina Synodus ſeſ. 6. de Juſtif. cap. 5. hæc ſacrarum literarum dicta concilians ait: *Quum dicitur, Convertimini ad me &c. libertatis noſtræ admonemur: Quum reſpondemus, Converte nos Domine ad Te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur*.

Quid & eo magis invictum, quod ex verbis Chriſti Jo. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, ibidem urget? Si homo, inquit, ſua ſe virtute præparare ad gratiam poſſit, jam neceſſe non eſt, illum ab alio trahi, quod eſt tam ſe ipſo perſpicuum, ut probatione non egeat; Si ergo *nemo* venire ad Chriſtum poteſt, niſi trahatur a Patre,

tre, præparare ſe nemo poteſt ad gratiam, niſi hæc illum præveniat & attrahat. Hoc tamen & ſimilibus teſtimoniis nihil ſibi creari negotii, reponunt Adverſarii, quod *ad infuſionem gratiæ* hæc referri putent, perperam tamen & falſo; Neque enim infuſio gratiæ, ut ſcite animadvertit Soto, motio, tractatio, & converſio eſt, ſed terminus ipſius motus; quare ſi diſpoſitio ad gratiam naturaliter a nobis eſſet, Deo illam tantum infundente, Deus vere proprieque nos non traheret aut converteret, ſed nos ad Deum virtute propria reverteremur, ab eo gratiam ſuſcepturi, ut dum ego ſolem verſus faciem verto, non me convertit ſol, ſed illuminat. Quum itaque Deo non illuminatio ſolum, quæ eſt inſtar termini, ſed & motus ipſe, qui eſt tractio ſeu converſio, tribuatur, inanis & falſa eſt adverſariorum interpretatio ad eludenda verius quam explicanda Scripturarum teſtimonia excogitata, quam dudum a Pelagianis iiſdem pene verbis adhibitam nervoſe diſpulit Auguſtinus in l. de lib. arb. & gr. c. 5.: *Talia de Scripturis colligunt* (Pelagiani), *quale eſt hoc unum, quod ante dixi*, *Convertimini ad me* &c. *ut ſecundum meritum converſionis noſtræ ad Deum detur gratia ejus, in qua ad nos & ipſe convertitur: Nec attendunt, qui hoc ſentiunt, quia, niſi donum Dei eſſet etiam ipſa ad Deum noſtra converſio, non ei diceretur, Deus virtutum converte nos* Pſal. 79. & Pſal. 84. *Deus tu convertens vivificabis nos*, & ibid. *Converte nos Deus ſanitatum noſtrarum, & hujuſmodi alia, quæ commemorare, longum eſt; Nam & venire ad Chriſtum quid eſt aliud, niſi ad eum credendo converti? Et tamen ait: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.*

III. Quoniam immenſæ pene operæ, vel ſummatim complecti, quæ idem D. Thomas q. 24. de Ver. art. 15., in 2. ſent. diſt. 5. q. 2. art. 1. & diſt. 28. art. 4., quodlib. 1. art. 7., & 3. c. G. c. 149. ad hoc idem demonſtrandum cum e divini eloquii auctoritate, tum e ratione conſert, deliberare, ſat fuerit, quæ lect. 3. in c. 13. ep. ad Hebr. habet, ubi illud Apoſtoli explicans: *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placet coram ſe per Jeſum Chriſtum*, inquit: „ Dupliciter aptatur homo ad benefaciendum, „ uno modo exterius operando, & ſic „ unus homo aptat alium perſuadendo, „ vel comminando, alio modo aliquid in- „ terius exhibendo, & ſic ſolus Deus „ aptat voluntatem, qui ſolus poteſt il- „ lam immutare, ſecundum illud Prov. „ 21.: *Cor Regis in manu Domini: quo-* „ *cunque voluerit, vertet illud:* unde ſub- „ dit: *faciens in vobis*; *Deus* enim *eſt*, „ *qui operatur in nobis velle, & perficere* „ ad Phil. 2. Quid autem faciet? *Quod* „ *placitum eſt coram ſe*, ideſt faciat, vos „ velle, quod placet ei, hæc autem ſunt „ fides &c. “ Ex his, ut & ex aliis, quæ mox præmiſerat, hæc demonſtratio exiſtit: Ut res naturalis apta ad illud dicitur, ad quod ejus inclinatio fertur, ita & homo ad bonum aptus dicitur, quando *benefaciendi habet voluntatem*, *quæ eſt inclinatio rationis*; Benefaciendi autem voluntatem ſolus Deus immittit, qui ſolus voluntatem præparat, eamque in manu ſua habens, quocunque ei lubet, inclinat & flectit: Solius ergo Dei eſt, hominem ad bonum *aptare*, *ideſt aptum* facere, quod in idem redit, ac diſponere & præparare: non poteſt ergo e naturæ penu præparatio ad gratiam promi.

IV. Reclamat tamen Salomon Prov. 16. ajens: *Hominis eſt, præparare animam* &c. *Cor hominis diſponit viam ſuam* &c. Non ſemel D. Thomas hæc ad Eccleſiæ mentem exponens, docet, his erudiri nos, præparationem ad gratiam opus eſſe Dei ſimul & noſtrum, Dei ſcilicet ſpeciali beneficio prævenientis, noſtrum autem libere conſentientium, atque cooperantium, quam interpretationem ex Auguſtino hauſit, qui l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 8., ſaltem a nobis cupiditatem boni incipere contendentem Pelagium acriter ſic refellit; *Nam tunc ſine Dei gratia cæptum eſſet meritum, cui tanquam ex debito veniat gratiæ adjutorium, contra illud, ſine me nihil poteſtis facere, & illud Pauli ad Phil. 1. Ipſe, qui incæpit in vobis opus bonum, ipſe perficiet uſque in diem Chriſti, & non quod idonei ſumus, cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis. Quare abſit, ut legens in Proverbiis, Hominis eſt præparare cor, fallatur, ut exiſtimet, hoc poſſe ſine adjutorio gratiæ Dei; nam ideo ſubditur, quod Domini eſt, gubernare linguam, quaſi ipſe incipiat* (idem & de illo dicendum, *Cor hominis diſponit viam ſuam*, nam protinus additur,

tur, *Sed Domini eſt, dirigere greſſus ejus*) .... *Quis poteſt bona cogitatione ad bonum cor præparare? Abſit, ut ſic intelligant, niſi ſuperbi ſui arbitrii defenſores, & Catholicæ fidei deſertores*. Quid his efficacius ad revincendam & refutandam diſpoſitionem ſufficientem ad gratiam abſque præveniente Dei auxilio? Hæc itaque Dei & noſtrum eſt opus, Dei ſcilicet prævenientis, noſtrum autem aſſentientium operamque conferentium, quum idem ipſe, qui per Ezech. ait: *auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*, pulſando nihilominus liberum arbitrium, clamet, *hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ut c. 14. l. de gr. & lib. arb. Auguſtinus ipſe notavit; quo fit, ut Deus diſpoſitionum noſtrarum prima ſit cauſa, nos autem obdurationis noſtræ, ut Oſee 13. ſcriptum eſt: *Perditio tua, Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.*

V. Verum ſi nequit homo proxime, &, ut loquuntur, ſufficienter, num remote ſaltem, deſiderando, petendo, conando &c. ſe ad gratiam poteſt ſuapte virtute diſponere? Pernegant conſtanter S. S. Auguſtini, & Thomæ Diſcipuli eorumdem tutiſſima & inconcuſſa doctrina freti; nam ſtatuit ille perpetuo, nullum, etiam imperfectum, juſtificationis & ſalutis initium a natura eſſe, ſed tantum a gratia, ac præſertim l. 4. contra Jul. c. 6., unde pauca hæc deſcribimus: *Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare, ut iis meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur a Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum, fruſtraque ſit ſcriptum: Miſericordia ejus præveniet me.* Quis autem negare poſſit, diſpoſitionem remotam ad gratiam imperfectum ſaltem juſtificationis & ſalutis initium eſſe? Alienum itaque ab Auguſtini doctrina, diſpoſitionem hujuſmodi viribus naturæ tribuere. Alter vero cum l. 3. c. G. c. 149., tum lect. 1. in cap. 5. Ep. ad Hebr. in illa verba: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem &c.* præter divinarum literarum teſtimonia a ratione etiam argumentatur. Nihil ad ſtatum natura ſua altiorem ſe præparat, aut perducit, niſi a ſuperiori cauſa eo promoveatur; quum ergo gratia ſupra totam naturam creatam ſit, nequit hæc ſua ſe virtute ad gratiam, etiam remote, diſponere; cujuſque enim mali diſpoſitio ejuſdem cum forma ordinis ſit, oportet. Idem multo expreſſius tradit 1. 2. q. 112. art. 3., cujus titulus: *Utrum neceſſario detur gratia ſe præparanti ad gratiam*; Reſpondet enim, præparationem hominis, *ut eſt a libero arbitrio, nullam* habere *ad conſecutionem gratiæ neceſſitatem, quia donum gratiæ omnem virtutis humanæ præparationem excedit*, ut autem a Deo movente eſt, neceſſitatem *infallibilitatis* habere; quum enim deficere Dei, utpote omnipotentis, intentio non poſſit, ſi hominem, *cujus cor tangit*, gratiam conſequi, (efficaciter) velit, gratiam *infallibiliter* ille conſequitur, ſecundum illud Jo. 6., *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Nullam itaque, etſi remotam, præparationem ad gratiam in ſolis liberi arbitrii viribus collocat. Etſi autem, dum in Magiſtri libros junior commentarios adornaret, aliter ſenſerit, & docuerit, rata hæc tamen, atque germana hæc quam verbis ejus deſcripſimus, ſententia cenſenda eſt. Quod ille in 2. ſent. diſt. 28. q. 1. ar. 4. ſcripſit: *Ad gratiam ex ſolo libero arbitrio poteſt ſe homo præparare; facienti enim, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, Jo. a S. Thoma ita intelligendum putat, ut D. Thomas neceſſitatem excluſerit auxilii divini non *actualis*, ſed *habitualis*, ſine quo ad gratiam homo diſponitur, de in quo corp. art. adverſus aliquos egerat, qui egere hominem ſtatuebant infuſo divinitus lumine, quo diſponeretur ad gratiam. Cajetanus tamen in comment. in art. 6. q. 109. 1. 2. aperte pronunciat, quod in 2. ſent. de hoc capite Angelicus tradidit, minus fuiſſe *digeſtum*, ibique dicta ab eodem *in ſumma meliorem ad ſenſum reducta, declarando, & addendo*: Soto vero l. 2. de nat. & gr. c. 3. explicatius ait: „ Quum D. Thomas 2. ſent. diſt. 27. & 28. opinionem
„ communem inſecutus affirmaſſet, tum
„ quod homo ex naturalibus poſſit ſe ad
„ gratiam diſponere, tum quod diſpoſitio
„ illa eſſet meritum de congruo, poſtmo-
„ dum in ſumma eloquia ſacra, & Pa-
„ trum, cum primis Auguſtini, ſenten-
„ tias meditatius explorans, utrumque re-
„ tractavit. "

VI. Multa congerunt adverſarii, quibus opinioni ſuæ faciant fidem, nec eam ab Auguſtini & Thomæ doctrina abhor-

rere

Digitized by Google

rere perſuadeant. 1. Quum ad juſtificationem homo diſponitur, quidpiam *ex ſe* operatur, niſi cum Luthero velimus, liberum arbitrium *mere* in hoc negotio *paſſive ſe habere* inſtar cujuſdam inanimis: *Ex ſe* ergo quidquam efficit, quo diſponatur ad gratiam. 2. Deo vocanti aſſentiri ultima eſt ad gratiam diſpoſitio: Unde autem aſſenſus iſte, niſi ab innata arbitrii libertate? Ab ea ergo & ad gratiam diſpoſitio. 3. Quis negat, improbum ſolis naturæ viribus poſſe eleemoſinas naturalis pietatis inſtinctu largiri, ut & infirmos viſitare, afflictos ſolari &c.? Hæc autem agentibus nonne Deus prævenientis gratiæ auxilia ſuppeditare conſuevit? Exemplo ſit Cornelius Centurio propter preces ac eleemoſynas exauditus a Deo, & ad fidem Chriſti vocatus: Unus ergo præ alio propter opera moraliter bona prævenientis gratiæ auxilio juvatur. Per eadem ergo opera aliquis ad gratiam ſe diſponit. 4. Annon rationi valde conſentaneum, bonis hujuſmodi vacantem operibus a Deo trahi præ alio, qui libero abutens arbitrio in nova quotidie ſcelera fertur? 5. Sane, qui *ſortitus animam bonam*, & ad bonum a natura propenſus in hujus generis operibus ſe exercet, annon minus a gratia abeſt, quam alter indocili pravoque ingenio, & moribus omnino corruptis? Eſt ergo in eo a natura aliqua ad gratiam diſpoſitio. Demum idem ſibi ex Parabola Math. 15. propoſita videntur evincere, qua uni data dicuntur *talenta quinque*, *alii duo*, *alii vero unum*, *unicuique ſecundum propriam virtutem*; Pro cujuſque enim virtute videtur Deus ſua ſingulis diſtribuere dona, talis propterea virtus non poteſt nonnulla non eſſe ad gratiam diſpoſitio.

VII. Cæterum in his multo plus ſpeciei, quam roboris; ac primi quidem vanitas incurret in oculos, ſi cum D. Thoma 1. p. q. 105. art. 4. ad 2. & 3. duplicem diſtinguamus ſenſum, qui propoſitioni huic ſubeſt: *Liberum arbitrium ex ſe operatur, & quidquam efficit, dum conſentit*: *Ex ſe nimirum operatur*, ideſt intra ſe principium agendi habet, & *ex ſe operatur*, ideſt a nulla exteriori cauſa ad agendum movetur, determinatur, & applicatur. Primo modo liberum arbitrium Deo vocanti conſentiens ex ſe operari, concedimus; liberum enim non eſſet, ſi intraneum motus actioniſque ſuæ principium non haberet, nec ipſum ſe moveret atque determinaret: Negamus tamen, illud ſecundo modo *operari ex ſe*; neque enim eſt prima ſuorum motuum cauſa, ſed proxima, atque ut non a ſe, ſed ab alio, Deo ſcilicet, habet, ut ſit, ita nec a ſe, ſed ab alio habet, ut operetur, quod ut prajudicatum in D. Th. ſchola ſumimus, & demonſtratum. *Ex ſe* itaque Deo vocanti conſentit, quia liberum eſt, & pro indole ſua ita a Deo movetur, ut & ſe moveat, non tamen *a ſe*, quia a præveniente Dei gratia habet, ut conſentiat; *Deus* enim *eſt*, ut ad Phil. 2. ait Apoſtolus, *qui operatur in nobis velle, & perficere &c.*

Secundum perinde leve eſt; neque enim diſſentire vel conſentire Deo vocanti, in hominis poteſtate ac libertate eodem modo poſitum eſt: Diſſentire quidem habet homo a ſola innata ſua libertate, cujus eſt, deficere & peccare, quod ex nihilo facta ſit: conſentire autem ab eadem libertate habet, non nuda, ſed efficaci prævenientis gratiæ auxilio mota & applicata: Sola itaque innata libertate ſua nequit homo ſe ad gratiam conſentiendo diſponere.

Poſſe hominem impium quidpiam moraliter bonum ſola naturæ facultate agere, non abnuimus: pernegamus tamen, hujuſmodi opera alicujus ad obtinendam gratiam momenti eſſe; impio enim non debetur, niſi æterna pœna, cui ſi largitur gratiam Deus, non largitur, niſi miſericorditer: Neque Cornelii exemplum ad rem eſt; quum enim *religioſus* ille eſſet, *ac timens Deum cum omni domo ſua*, pronum maxime eſt intelligere, non ex ſolius naturæ viribus, ſed ex ſpeciali Dei motione preces ejus ac eleemoſinas proceſſiſſe, iiſque permotum Deum, ut hominem interiori ſuo numine implicite jam credentem in Chriſtum explicita in eumdem fide per Petrum imbueret. Ita Auguſtinus diſertiſſime in l. de Prædeſt. S.S. c. 7. ajens: *Cornelii acceptæ ſunt eleemoſynæ & exauditæ orationes, antequam credidiſſet in Chriſtum, nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat; nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? . . . . . Quidquid igitur, & antequam in Chriſtum crederet, & quum crederet, & quum credidiſſet, bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne forte quis extollatur.*

Quartum iis ſolum facere fucum poterit, qui germanam gratiæ naturam minus habeant exploratam. Si bene libero utentem arbitrio velit Deus ſpeciali gratiæ ſuæ adju-

adjutorio juvare, erit id rationi valde conſentaneum ſecundum ordinem divinæ providentiæ, quia, qui prima totius bonitatis & convenientiæ regula, Deus ita voluit: Item ſi Deus occulto licet, recto tamen, divinæ ſapientiæ ſuo conſilio eumdem efficaci auxilio ſuo promovere nolit ad bonum, ſed peccato, in quo hæret, æternæque damnationi relinquat obnoxium, quis negare audeat, & id rationi valde conſentaneum ſecundum ejuſdem Providentiæ ordinem? Quum enim gratia nulli ſit debita, non eſt magis cum ratione congruens, huic illam dari, quam alteri, ſed totum hoc negotium, ut in ſola Dei voluntate poſitum eſt, ita a ſola ejus miſericordia petendum, quum *non ſit volentis, neque currentis* hominis, *ſed miſerentis Dei*; alioqui *gratia jam non eſt gratia*. Ab ipſa itaque ratione alienum eſt, magis conſentaneum rationi æſtimare, quod Deus operibus moraliter bonis vacantem potius, quam ſceleribus indulgentem gratia ſua donet, quum nulla ſit operum hujuſmodi ad gratiam proportio, & hæc, *ſi ex operibus, jam* non ſit *gratia*.

Quid etiam, ſi ſortitus animam bonam, & ad virtutum moralium opera facilis, minus a gratia præ flagitioſo remotus eſt? Num eſt in hac ejus indole, & velut ingenita quadam ad bonum morale pronitate *poſitiva* aliqua, ut loquuntur, ad gratiam diſpoſitio? Abſit, ut hoc affirmet, qui negare non poteſt, quamcunque naturæ virtutem & operationem diſtare a gratia quam longiſſime, nullamque propterea habere ad gratiam proportionem. Saltem ne vero in naturæ viribus, *negative* ad gratiam ſe diſponere? Negant Sancti Auguſtinus & Thomas: Prioris notiſſima confeſſio Deum alloquentis: *Miſericordiæ tuæ deputo peccata, quæ non commiſi*: Alterius autem pervulgatà doctrina, quam l. 3. c. G. c. 160. & alibi tradit. *Quod dictum eſt, in poteſtate liberi arbitrii eſſe, ne impedimentum gratiæ præſtet* (quod eſt, ad gratiam ſe negative diſponere) *competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit: Si autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum* (cujuſmodi eſt homo, in quem inquirimus) *non erit omnino in ejus poteſtate, nullum impedimentum gratiæ præſtare*.

Legitima demum Evangelicæ, qua abutuntur adverſarii, parabolæ interpretatio ex eodem D. Th. petenda, qui in quæſt. *de Virtutibus* q. 2., quæ eſt *de charitate*, art. 7. ad 9. laudatum Math. locum ſic explicat: „ Quod autem dicitur, dedit „ unicuique ſecundum propriam virtutem, „ non eſt referendum tantum ad virtu- „ tem naturalem (erroneum eſt enim, „ dicere, quod dona gratiæ & gloriæ den- „ tur ſecundum menſuram naturalium) „ ſed intelligenda eſt virtus, quæ eſt etiam „ per gratiam &c. “ Clarius 2. 2. q. 24. ar. 3. ad 1. „ Illa virtus, ſecundum quam „ Deus dat unicuique dona ſua, eſt diſ- „ poſitio vel præparatio præcedens, ſive „ conatus gratiam accipientis: Sed hanc „ etiam diſpoſitionem & conatum præve- „ nit Spiritus Sanctus mentem hominis „ movens plus vel minus ſecundum ſuam „ voluntatem; Unde & Apoſtolus dicit „ ad Coloſ. 1. *Qui dignos nos fecit in par-* „ *tem ſortis Sanctorum in lumine*, & ad „ Eph. 4. *Unicuique noſtrum data eſt gra-* „ *tia ſecundum menſuram donationis Chri-* „ *ſti*, & 1. ad Cor. c. 12. *Hæc omnia ope-* „ *ratur in nobis unus atque idem Spiri-* „ *tus, dividens ſingulis, prout vult*. „ Alia, quæ opponi ab Adverſariis ſolent, diluta ſatis jam ſunt Prælect. VII. n. VI. & Prælect. IX. n. VII. & VIII.

VIII. Jam nunc ad celebre effatum *facienti, quod in ſe eſt &c.* & ad jactatam legem, ictumque cum Chriſto a Patre pactum &c. convertenda oratio. Accurate quæſtio hæc in Congreg. 9. de Auxiliis coram Clem. VIII. pridem excuſſa, demonſtratumque evidentiſſime, commenticiam hanc legem, commenticium hoc pactum; Tantum enim abeſt, ut ſcripti, vel traditi Dei verbi auctoritate, aut ſolida ratione nitantur, ut utrique potius manifeſto repugnent. Multa Prælect. VII. a n. VII. ad finem uſque de hoc argumento jam diximus; quare pauca nunc ex Jo. a S. Th. promemus. Vel opera inter ſolius naturæ viribus facta, quibus gratia certa hac lege & pacto reſpondet, & gratia aliqua eſt, aut nulla connexio vel proportio: Si *poſterius*, eſt itaque pactum hoc inſulſum, & futiliter excogitatum: Quodnam ejus in veneranda antiquitate, niſi forte in Caſſiani & Fauſti ſcriptis, veſtigium? Si vere extat, qui fit, ut impiis quidpiam boni moralis haud raro operantibus gratia non detur? Præterea: Lege hac atque pacto gratiam Deus largiri ſtatuit, vel propter opus, quodcunque illud fuerit, moraliter bonum, vel

pro-

propter omnia, vel propter aliqua definite: Primum a ſana doctrina abhorrere, quis non perſpicit? Quiſquis enim eleemoſynam e. c. ſola naturali pietate motus conferret, parentes coleret &c. juſtificationis gratiam jam certo obtineret, quod quam eſt abſurdum & falſum! Alterum fieri plane ſola naturæ virtute non poteſt; neque enim fieri *omne* opus moraliter bonum poteſt, quin & tota lex impleatur: Credi ne vero ſine errore poteſt, lapſum hominem poſſe ſolis naturæ viribus ſine medicinalis gratiæ adjutorio totam legem implere? de quo plura Prælect. IX. Tertium demum annon ridiculum? Quis enim definierit, quibus & quot operibus naturæ facultate elicitis certa hac lege Dei gratia reſpondeat? Annon etiam a ratione alienum eſt, cogitare, potuiſſe Chriſtum mereri, quod ipſam gratiæ naturam evertat? Si enim meruit, naturæ operibus a Patre certa lege rependi gratiam, meruit gratiam, quæ non eſt gratia, ſed merces; nam *ei, qui operatur* (ſuapte nimirum virtute) ait Apoſtolus, *merces non imputatur ſecundum gratiam, vel ſecundum debitum, & gratia, ſi ex operibus, jam non eſt gratia.*

Si autem prius eligant, affirmentque, opera hujuſmodi & gratiam diſparata non eſſe, ſed aliqua ratione connexa, erit ergo eorum aliqua ad gratiam proportio: In iis itaque aliquod, imperfectum licet, juſtificationis initium, aliqua ſalutis occaſio ab homine libero arbitrio bene utente oblata Deo ad gratiam conferendam, quod a Caſſiano aſſertum a Proſpero vehementer improbatum eſt, & rejectum. Quid ſi monentur improbi, eleemoſynas facere &c. quoniam hæ *a morte liberant & faciunt, invenire miſericordiam?* Præterquamquod hæc & ſimilia nullam certam legem aut pactum indicant, quo nitatur rata rependendæ hujuſmodi operibus gratiæ promiſſio, at ſummam in ſpem erigunt, fore, ut Deus pro infinita benignitate ſua opera hæc non deſpiciat, ſi vere tale promiſſum extet, non cadit illud in opera ſolius naturæ viribus facta, ſed Spiritu S. movente, & auxiliante, ne in natura aliquod noſtræ ſalutis initium, aut occaſionem, quod Semipelagianum eſt, collocemus.

IX. Videtur tamen hæc lex tam legitime e ſacris literis, & ex SS. Auguſtini & Thom. doctrina colligi, ut commenticia haberi, niſi inique, non poſſit. 1. Salutem æternam in hominis, quamdiu vivit, poteſtate locatam eſſe, dubitare non ſinunt ea Pſ. 118. *Anima mea in manibus meis ſemper*, ſeu in poteſtate mea, & Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.... Appoſuit tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem bonum, & malum, vita, & mors; quod placuerit ei, dabitur illi*, & Jo. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Num vero in poteſtate hominis eſſet æterna ſalus, niſi ad illam viribus, ut poteſt, ſuis conantem Deus prævenientis gratiæ ſuæ auxiliis certa lege juvaret? Si nihil conatus hujuſmodi momenti afferant ad ſalutem, jam hæc erit in Dei ſolius poteſtate poſita, quod cum laudatis Scripturæ teſtimoniis componi nequit. 2. Sed & legem hanc apertius indicare videntur ea Jo. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, 2. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvas fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, & Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Hæc ne vera, ſi facienti totum quod in ſe eſt, Deus gratia ſua preſto non ſit? 3. Hujus etiam legis quis Auguſtino locupletior teſtis? *Deus dedit hominibus*, ait l. 19. de Civ. Dei c. 13. *quædam bona huic vitæ congrua, ideſt pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ in ipſa ſalute, & incolumitate, ac ſocietate ſui generis, & quæcumque huic paci vel tuendæ, vel recuperandæ neceſſaria ſunt, ſicut lux iſta viſibilis, auræ ſpirabiles, aquæ potabiles &c. eo pacto æquiſſimo, ut quicumque mortalis talibus bonis recte uſus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem, & convenientem gloriam, & honorem in vita æterna ad fruendum Deo, & proximo in Deo: Qui autem perperam & iniuſte nec illa accipiat, & hæc amittat.* 4. In D. Thomæ libris autem quot legis hujus apertiſſima teſtimonia! „ Si quis in ſilvis eruditus (ait q.
„ 14. de ver. ar. 11. ad 1.) ductum na-
„ turalis rationis ſequeretur in appetitu
„ boni & fuga mali, certiſſime tenendum
„ eſt, quod ei Deus, vel per internam in-
„ ſpirationem revelaret ea, quæ ad creden-

,, dum ſunt neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium act. 10. ,, *Certiſſime* ne vero id *tenendum*, ſi nulla ſe lege obſtrinxiſſet Deus ad juvandum gratia facientem quod in ſe eſt? Id confirmat ibidem ad 2. ,, Quamvis non ſit in poteſtate noſtra, cognoſcere ea, quæ ſunt fidei, ex nobis ipſis, tamen ſi nos fecerimus, quod in nobis eſt, ut ſcilicet ductum naturalis rationis ſequamur, Deus non deficiet nobis in eo, quod nobis eſt neceſſarium. ,, Gemina habet q. 24. de ver. ar. 1. ad 2. ajens. ,, Gratiam, quæ opera meritoria facit, quamvis homo acquirere non poſſit ex libero arbitrio, poteſt tamen ad gratiam habendam ſe præparare, quæ ei non denegabitur, ſi fecerit, quod in ſe eſt, & ideo non eſt omnino extra poteſtatem liberi arbitri, opera meritoria agere, quamvis ad hoc per ſe poteſtas liberi arbitrii non ſufficiat. ,, Huc faciunt, quæ & 3. c. G. c. 89. docet. ,, Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt, omnibus gratiam dare, ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant, ,, quod ille ſane non præſtat, qui totum, quod in ſe eſt, naturali conatu facit.

X. Verum nihil ex his minus elicitur, quam quod Adverſarii pertendunt, quod ex ſingulorum refutatione perſpicuum fiet, captoque a tribus prioribus divini eloquii locis reſpondendi initio, vitam & mortem, ſalutem, æternumque interitum in hominis manu eſſe, concedimus, nec tamen ſimiliter: ipſe mortis exitiique ſui homo prima & ſola cauſa eſt, ut Oſee 13. ſcriptum eſt: *perditio tua ex te*, Iſrael: vitæ autem & ſalutis prima cauſa Deus ſolus, ut l. *de dono Perſev.* c. 8. docet Auguſtinus, & teſtimonio Ambroſii confirmat; nam quum in Deo *tantummodo* ſit *auxilium* noſtrum, ipſe negotium ſalutis noſtræ inchoat & perficit, qui *operatur in nobis velle, & perficere*, præveniente ſua gratia hominem movens ad aſſentiendum libere, atque cooperandum, *opere* tamen *individuo*, ut Bernardus explicat in l. de grat. & lib. arb., quia *quod e ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficitur ut mixtim, non ſigillatim, ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa, ſed ſicut totum in illo, ſic totum ex illa.*

Ad illud Jo. *Dedit eis poteſtatem &c.* nihil aptius adhibita ab Auguſtino interpretatione loc. mox cit. *de dono perſev. Non itaque*, ait, *in hominum ſed in Dei eſt poteſtate, ut habeant homines poteſtatem, filios Dei fieri. Ab ipſo quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur per dilectionem, ad quod bonum ſumendum, & tenendum, & in eo perſeveranter uſque in finem proficiendum, non ſumus idonei cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, in cujus eſt poteſtate cor noſtrum, & cogitationes noſtræ.* Nec contemnenda Cajetani animadverſio, non dictum, *Dedit eis poteſtatem, filios Dei ſe facere*, ſed *fieri*, quo intelligeremus, nullam in libero arbitrio poteſtate ineſſe, qua ſe faciat homo Dei filium, ſed totam eſſe a prævenientis gratiæ dono.

Neque etiam ex aliis, quæ afferunt, ſcripturæ teſtimoniis poſſunt quidpiam melioris ſucci exprimere, ex duobus enim prioribus non aliud colligi poteſt, quam Deum ſincere omnibus lumen ſuum offerre, omnibus, quæ ſufficientia dicimus, auxilia parare: Legis autem aut pacti de certo conferendis gratiæ auxiliis homini ſuapte virtute ad ea obtinenda conanti, ſeque diſponenti, quod in divinis literis veſtigium deprehendent? Meminiſſe porro debuerant, Apoſtoli præſertim dictum a D. Thoma, omnibuſque poſt eum Theologis de *antecedente*, quæ *ſigni eſt*, non de *conſequente*, quæ eſt *beneplaciti*, & ſemper impletur, Dei voluntate paſſim exponi, ſecum etiam animo reputare, multos *innata ſua libertate* opera moraliter bona facere, nec tamen *illuminari*, nec *ad agnitionem veritatis venire*, *nec ſalvos fieri*, itque hinc vel maxime intelligere, perperam ex his Scripturæ locis peti legis hujus ac pacti confirmationem. Illud autem Apocal. quorſum probemus, de eo ſolum intelligendum, qui gratia, quæ dat velle, & aperire, præveniente permotus, audit, vocationi reſpondet, & aperit, quum nihil ſit hac veritate in divino eloquio frequentius & apertius inculcatum, ex quo plura ſæpe dedimus, ut ad ſubjectam rem erat? Quin & ex ipſis, quæ objiciuntur, Domini verbis, haud obſcure confici, notat Alvarez, vocationem & gratiam Dei omni-

omnibus naturæ conatibus anteire; Quid enim illud, *Ego ſto ad oſtium & pulſo?* niſi ultro venio, non vocatus: vocatum ipſe, pulſando, prævenio: quid autem ſequitur, *ſi quis audierit &c.* libertatem arbitrii indicat, vocatione ſcilicet etſi efficaci non cogi hominem, ſed libere auſcultare, & conſentire.

XI. Satis autem mirari non poſſumus, & Auguſtinum legis hujus & pacti excitati teſtem, atque ſuffragatorem, quem nemo neſcit, in iis, quos a ſuſcepto Epiſcopatu edidit, libris totum perpetuumque fuiſſe in oſtendendo, *Deum ipſum facere, ut homines faciant, quæ præcepit, non homines facere, ut ipſe faciat, quod promiſit, gratiam non dari niſi ſecundum placitum voluntatis Dei in laudem & gloriam ipſius gratiæ, ut qui gloriatur, nullo modo in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur, qui hominibus dat, quibus vult, quoniam miſericors eſt, quod etſi non det, juſtus eſt, & non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ; dando enim quibuſdam, quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit, non omnibus dando, quid omnes mererentur oſtendit*, in l. dono Perſev. c. 12., quæ omnia falſa ſunt, oportet, poſita lege, atque pacto ab Adverſariis excuſo. Vehementius tamen miramur, opinionis ſuæ præſidium in teſtimonio ab eis poni, quod, ſi intelligatur, ut volunt, Auguſtinum immanis erroris manifeſto convincit, quem non Eccleſia univerſa ſolum in Pelagio damnavit, ſed & ipſe invictis argumentis ſæpiſſime diſpulit, ac protrivit, operibus videlicet ſolius naturæ viribus factis æternæ vitæ præmium certiſſime reſpondere, ideoque poſſe hominem ſine gratia æternæ ſibi felicitatis meritum comparare, nec jam *gratiam* Dei, ut ad Rom. *6.* aiebat Apoſtolus, *vitam æternam*, ſi enim *æquiſſimum*, de quo Auguſtinus loc. cit. ex l. 19. de Civ. Dei, *pactum* illud eſt, quod ipſi procudunt, Auguſtinus docuiſſe dicendus neceſſario erit, *æquiſſimo* pacto conſtitutum a Deo, *ut quicumque mortalis temporalibus bonis recte uſus fuerit*, ſola liberi arbitrii innata virtute (hoc enim ſenſerit Auguſtinus, neceſſe eſt, ſi poſitioni faverit Adverſariorum) *accipiat ampliora atque meliora, ſcilicet gloriam, & honorem in vita æterna*; ideoque in Pelagii errorem toties, tamque nervoſe ab ſe exagitatum ſub vitæ ſuæ extum conceſſiſſe. Uſque adeo vero deſipuiſſe Auguſtinum, tamque inſigniter a catholicæ fidei norma aberraſſe, quis credat? Nihil ergo verbis ejus cum futili illa, quam tetellimus, Dei lege atque pacto. Quid ſibi itaque voluit? Quod perpetuo docuit, docetque Eccleſia, quodque idem ipſe non ſemel tradiderat apertiſſime, homini *temporalibus bonis recte utenti* non ſuapte, ſed divina per Chriſti merita virtute, *quæ bona ejus opera ſemper antecedit, comitatur & ſubſequitur, ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent, a juſto Judice, cujus tanta eſt erga homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſua ſunt dona, repoſitam eſſe coronam juſtitiæ*, æternamque *mercedem in cælis*, cui veritati fidem faciunt celebres illæ Eccleſiæ preces: *Protector in te ſperantium, Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut, Te Rectore, Te Duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.*

XII. In explicandis D. Th. teſtimoniis ex quæſtionibus de Verit. laborandum non eſſet, ſi Cajetani, Soto, Driedonis, Ruardi Tapperi, aliorumque vellemus adoptare reſponſum, Angelicum nempe cum 1. 2. q. 109. ar. 6. ad 2., & q. 112. ar. 3., tum l. 3. contr. G. c. 149. *ad meliorem clarioremque formam reduxiſſe*, quod in quæſtionibus de ver. docuerat, atque ex utriuſque ſummæ locis, quos indicavimus, germanam ejus petendam mentem, & legitimam effati, *facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, explicationem. Cœterum quoniam alii haud minus inſignes D. Th. aſſeclæ Medina in primis & Alvarez, nituntur oſtendere, utrobique ſibi conſtitiſſe Angelicum, lubet aliud hoc ab eis mutuari reſponſum, quod eo videtur ſolidius, & ad D. Thomæ mentem exactius, quod ipſemet lect. 3. in c. 10. ep. ad Rom. illud ſuppeditat, ib enim ad Apoſtoli verba: *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum &c.* hanc adhibet gloſſam: „ Numquid ergo illi, ad quos non pervenit,
„ utpote ſi fuerunt nutriti in ſylvis, excuſationem habent de peccato infidelitatis?
„ Ad hoc dicendum, quod ſecundum ſententiam Domini Jo. 15., qui loquentem
„ Dominum vel per ſe, vel per ejus Diſcipulos non audierunt, excuſationem ha-
„ bent de peccato infidelitatis, non ta-

„ men beneficium Dei conſequantur, ut
„ ſcilicet juſtificentur ab aliis peccatis,
„ vel quæ naſcendo contraxerunt, vel ma-
„ le vivendo addiderunt, & pro his meri-
„ to damnantur: Si qui tamen eorum fe-
„ ciſſent, quod in ſe eſt, Dominus eis ſe-
„ cundum ſuam miſericordiam providiſſet
„ mittendo eis prædicatorem fidei, ſicut
„ Petrum Cornelio, act. 10., & Paulum
„ Macedonibus, act. 16. Sed tamen hoc
„ ipſum, quod aliqui faciunt, quod in
„ ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum,
„ ex Deo eſt movente corda ipſorum ad
„ bonum, Thren. 5. *Converte nos Domine*
„ *ad Te & convertemur*.

Quo vero pateat, Angelicum in iis, qui obiiciuntur, locis nihil his non conſonum docuiſſe, prænotandum, quod in corpore articuli, unde nobis negotium faceſſitur, docet, aliquid ſcilicet eſſe in fide, ſeu ad fidem ſpectare, *ad quod omnes, & omni tempore explicite credendum tenentur... & hæc duo eſſe, quæ dicit Apoſt. ad Heb.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt; unde quilibet tenetur, explicite credere, & omni tempore, Deum eſſe, & habere providentiam de rebus humanis*. His complanata eſt ad reſpondendum via, eo ſcilicet morali inſtanti, quo incipit homini rationis uſus illuceſcere, una cum naturali, quæ eſt *a ſignato ſuper nos divini vultus lumine*, illuſtratione, Deum ſufficientis gratiæ auxilio pueri mentem, & voluntatem movere, & excitare, ut ſe convertat ad Deum velut ad ultimum finem, eo modo cognitum, quo fert ætas; quum enim ejuſdem S. Doctoris perpetua ſententia ſit, teneri primo illo inſtanti puerum, ad Deum velut ad finem ultimum ſeſe pro cognitionis modo convertere, abſolutum concipiendo propoſitum, in omnibus Deo placendi, & naturalia omnia mandata ſervandi, divinæ providentiæ eſt, auxilium illi, quo hoc vere poſſit, quod ſufficiens dicimus, ſuppeditare; jam enim Prælect. IX. ex eodem S. Doctore probatum eſt, non poſſe hominem ſolis ſuis viribus *propter corruptionem naturæ* ita ſeſe ad Deum convertere, ſeu illum etiam, qua naturæ autor eſt, ſuper omnia abſolute diligere. Hujuſmodi autem ſuperioris ordinis adjutorio ſi bene utatur puer, faciens quod in ſe eſt, Deus vel exteriori hominis inſtitutione, vel interiori afflatu lumen ei præferet, ut alia credat, quorum eſt ad ſalutem æternam obtinendam neceſſaria explicita fides; ratum enim omnibus, plura ad obtinendam gloriam, quam gratiam eſſe creditu neceſſaria.

Reſponſum hoc ad Angelici mentem plane directum eſſe, illud ipſum, quo ad confirmandam doctrinam ſuam ibidem utitur, Cornelii exemplum probat, ad quem fidei myſteriis imbuendum miſſus eſt Petrus; feciſſe enim illum prius, *quod in ſe erat*, non ſola naturæ, ſed addita prævenientis gratiæ virtute, D. Thomas ubique tradit, ut ex iis conſtat, quæ ex lect. 3. in c. 10. ep. ad Rom. mox deſcripta ſunt, & ex iis, quæ 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. ſcribit: „ De Cornelio autem ſcien-
„ dum eſt, quod infidelis non erat; alio-
„ quin ejus operatio non fuiſſet Deo ac-
„ cepta, cui ſine fide nullus placere po-
„ teſt: Habebat autem fidem implicitam,
„ nondum manifeſtata Evangelii veritate;
„ Unde, ut eum in fide plenius inſtrue-
„ ret, miſſus eſt ad eum Petrus. „ Eadem adhibenda interpretatio ad illud, quod ex q. 24. de ver. ar. 1. ad 2. petitum eſt, poſſe nimirum hominem ſe ad gratiam præparare, *quæ ei non denegabitur, ſi fecerit, quod in ſe eſt*, ſcilicet, ut D. Thomas ipſe ſui Interpres exponit, *ſecundum quod eſt motus a Deo*. In poſtremo ex 3. c. G. deprompto nihil eſt difficultatis; Quum enim D. Thomas ibidem ſtatuat, *in poteſtate liberi arbitrii eſſe; impedire gratiæ receptionem, vel non impedire*, nullum autem gratiæ impedimentum afferre, non naturalis hominis lapſi virtutis, ſed divinæ gratiæ eſſe, non ſemel doceat, hoc ipſo, quod qui facit, quantum in ſe eſt, nullum gratiæ impedimentum præſtat, neceſſario concludendum, non ſuapte virtute, ſed divina opitulante gratia facere illum, quantum in ſe eſt.

XIII. At ſi non auctoritate, ſaltem ne ratione lex iſta conſiſtit? Fidenter affirmant adverſarii, idque hac ſibi videntur argumentatione conficere. Deus facienti quod in ſe eſt, gratiam reipſa ſemper confert; legem ergo de hoc faciendo poſuit, quum nihil tempore faciat, quod facere non ex æternitate decreverit. Verum quo momento, id ſemper ab eo fieri, perſuadebunt? Et non facientibus, ajunt, quod in ſe eſt, gratiam confert, *alioqui deficeret in neceſſariis ad ſalutem:* quo æquius ergo totum quod in ſe eſt, facientibus?

Secus,

Secus jam multo melius iis, quam his conſulere, dicendus eſſet: fruſtra & monerentur improbi, bene pro viribus agere: eſſent & quæ, dum in peccato ſunt, faciunt.. bona opera plane inutilia: hæc autem quis a ratione abhorrere non perſpicit? Sed & ſi lex iſta negetur, graviora alia concoquenda abſurda ſunt, adultum ſcilicet aliquem *neceſſario* perire, & poſſe quandoque cum ſolo originali peccato veniale componi, quæ duo non a ratione ſolum, ſed & a S. Th. doctrina aliena ſunt quam longiſſime, nam ſi *facienti &c.* prævenientis gratiæ auxilia certa lege non dantur, quoties homo totum præſtabit, quod in ſe eſt, nec tamen Deus ſuis ei auxiliis praſto erit? Hunc autem nonne perire neceſſe eſt; neque enim ſalutem aſſequi ſine gratiæ adjutorio poteſt, quod tamen ei denegat Deus, quidquid ipſe moliatur. Alterum haud minus perſpicuum eſt: Si puer nondum baptiſmate tinctus, quum primum uti ratione incipit, totum faciat, quod in ſe eſt, ut ſe convertat ad Deum, præceptum ſeſe ad Deum tunc convertendi non violat, graviter propterea actu non peccat, nec tamen juſtificatur; ponitur enim, carere illum gratia, ſine qua culpæ remiſſio non fit: Adhuc autem originaria noxa obſtrictus annon poteſt leviter prius peccare, quam graviter? Si leviter ergo reipſa peccet, jam tunc in illo erit cum ſolo originali veniale peccatum, quod D. Thomas expreſſe negat.

XIV. Sunt tamen hæc ad faciendum minus ſcientibus fucum, quam ad hanc infirmandam veritatem aptiora. Recolenda primum Auguſtini, quæ Scripturarum, & Eccleſiæ eſt, doctrina n. xii. ex l. de dono Perſev. c. 12. deſcripta, *gratiam* nempe *non dari niſi ſecundum placitum voluntatis Dei.... qui hominibus dat, quibus vult, quoniam miſericors eſt ... & quibus non vult, non dat ... & non omnibus dando, quid omnes mererentur, oſtendit*. Si ergo Deus *ſecundum placitum voluntatis* ſuæ gratiam dat, pro ejuſdem voluntatis arbitrio, & facientibus, & non facientibus, quod in ſe eſt, quandoque dat. Cæterum quum naturæ virtute facientibus &c. gratiam largitur, non certa lege, non ex pacto & convento, alioqui daret, quia fidelis & juſtus eſt, ſed, *quibus vult*, tribuit, *quia miſericors eſt*, iiſque *dando*, *quod non merentur*, *gratuitam*, *& per hoc veram ſuam gratiam eſſe vult*, *quæ gratia non eſt*, *ſi ex operibus* naturæ viribus factis, ſi hæc ratio ſint, *propter quam* datur gratia, ut Adverſariis placet, & conditio, *ſine qua regulariter non daretur*. Quod vero addunt, ad probandum & non facientibus &c. gratiam ſemper dari, Deum alioqui deficere homini in neceſſariis ad ſalutem, quam eſt inane! Auguſtinum ibidem audiant. c. 11. *Non eſt iniquitas apud Deum*, *ſed inſcrutabilia ſunt judicia ejus*, *& inveſtigabiles viæ ejus: Univerſæ autem viæ Domini miſericordia & veritas: Inſcrutabilis ergo miſericordia, qua cujus vult, miſeretur, nullis ejus præcedentibus meritis: & inveſtigabilis veritas, quia, quem vult obdurat* (*gratiam non largiendo*) *ejus quidem præcedentibus meritis*, *ſed cum eo*, *cujus miſeretur*, *plerumque communibus .... In eo ergo*, *quod aliis gratiam dat*, *aliis non dat*, *cur nolunt* (Maſſilienſes) *cantare Domino miſericordiam*, *& judicium? Cur autem illis potius*, *quam illis detur*, *quis cognovit ſenſum Domini? Quis inſcrutabilia ſcrutari valeat? Quis inveſtigabilia veſtigare ſufficiat?* Qui tantum non audemus, in eo conquieſcimus ut veriſſimo, quod non ſemel ex D. Th. 2. 2. q. 2. ar. 5. ad 1. recitavimus: *Auxilium gratiæ*, *quibuſcumque datur*, *miſericorditer datur*. *Quibus autem non datur*, *ex juſtitia non datur in pœna præcedentis*, *aut ſaltem originalis peccati*, *ut Auguſt. dicit in l. de Correp. & Gratia*.

XV. Hinc nemo non colligit, inepta eſſe, quæ in ſententiæ noſtræ abſurdis conſectariis Adverſarii ponunt; Si enim dat Deus gratiam, *quibus vult*, *quia miſericors eſt*, *& quibus non vult*, *non dat*, *quia juſtus*, vanum eſt, perſonarum acceptionem jam in eo fingere, niſi controverſa lex adſtruatur, quaſi vero non facientibus &c. quam facientibus melius provideret: vanum item jactare, ſupervacua jam ſore monita, hortationeſque ad bene agendum, ſupervacua & quævis moraliter bona opera. Quid enim, ſi de his rependenda gratia nulla Dei lex, nullum pactum? Fruſtrane propterea his vacant homines, & ad ea exertenda excitantur! Etſi nec diſpoſitio ſint etiam remota ad gratiam, nec conditio, ſine qua gratia non datur, quidquam tamen utilitatis habent; nam & improbi ea facientes, quum ſub præcepto cadunt, novi peccati immunes ſunt, &, imperfectum licet, virtutis moralis habitum, qui multipli-

tiplicatis actibus gignitur, ſibi comparant, majorem propterea ſimilia agendi facilitatem : hoc demum, auctore Aug. in l. de Spir. & lit., cujus teſtimonium jam deſcripſimus, inde commodi ferunt, ut *apud inferos mitius puniantur*.

Quamquam vero neceſſario perire, an legitimum noſtræ ſententiæ conſectarium? Piget, ſæpe dicta repetere: Huc revocanda D. Th. doctrina non ſemel adhibita, Deum nempe, *quantum in ſe eſt*, *paratum eſſe omnibus gratiam dare ; vult enim, omnes homines ſalvos fieri &c.* eosque *ſolum gratia privari, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant, ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis præveniatur*. Neque veniale cum ſolo originali peccato eſſe poſſe, ex poſitione noſtra conſequitur; Jam enim, quum D. Thomæ teſtimonia n. XII. explicaremus, oſtenſum eſt, divinæ providentiæ, eſſe hominem, quum primum, illuceſcente rationis uſu, ſeſe ad Deum pro cognitionis modo convertendi præceptum urget, ſufficiente, quo id vere poſſit, auxilio juvare : Si ergo fultus eo auxilio puer faciat, quod in ſe eſt, ab originaria labe mundabitur, ſin faciat, jam erit violati præcepti, gravis iccirco criminis, reus. Hoc ipſe nobis D. Thomas reſponſum ſuppeditat 1. 2. q. 89. ar. 6. in corp. ajens: *Si puer ille ordinaverit ſe in inſtanti uſus rationis ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati*. Qui vero ſenſiſſe putet Angelicum, poſſe puerum eo inſtanti ſolis naturæ viribus abſque addita divinæ gratiæ ope ad debitum finem ſe ordinare? Neceſſario ponendum eſſet, docuiſſe D. Thomam, poſſe hominem abſque ullo prævenientis gratiæ adminiculo *habitualem*, ſeu gratum facientem qua ſola culpæ remiſſio ſit, gratiam conſequi, quod & cum Eccleſiæ dogmatis, & cum perpetua ejuſdem D. Th. doctrina aperte pugnat, ut in comment. in laudatum articulum ſolide probat Medina.

PRÆLECTIO XII.

An, & quæ juſto ad pietatis opera, & ad perſeverandum neceſſaria ſit gratia.

I. HActenus de homine peccato obſtricto, Deique inimico : Jamnunc de juſto, Deique per gratiam gratum facientem, & charitatem amico. Eo felici loco jam poſitus ſeipſo num poteſt, bene pieque vivere, peccata cavere, & in bono perſeverare, quin ſpeciali opus habeat Dei opitulantis auxilio? De primo dicere inſtituentes, quo controverſa & incerta ab exploratis ſecernamus & certis, ut ratum ponimus cum Cajetano in comment. in 1. 2. q. 109. art. 9., & Soto l. 3. de nat. & grat. c. 4., quos aſſectantur Joannes a S. Th., aliique plures, D. Thomam, quum ſtatuit, hominem *gratiam jam habentem alio egere, ut recte vivat, & a peccato abſtineat*, *gratiæ auxilio*, non ad ſingula, quæ homini agenda, aut vitanda occurrunt, ſpecialis auxilii neceſſitatem extendere, quaſi vero nihil omnino boni præſtare ſine eo homo juſtus poſſit, nec ab ullo peccato abſtinere; alioqui a ſe ipſo palam diſceſſiſſe dicendus eſſet, iiſque contraria docuiſſe, quæ 2. ejuſd. quæſt. art. jam docuerat, poſſe ſcilicet hominem *etiam in ſtatu naturæ corruptæ*, & necdum per gratiam reparatum *per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere, etſi non totum ſibi connaturale, ita ut in nullo deficiat*, quod Prælect. VIII. copioſe perſecuti ſumus : Annon ergo ſecum ipſe pugnaſſet, ſi, quod homini infirmo, & nondum per gratiam ſanato conceſſit, id denegaſſe credatur juſto, & ſaltem mente jam ſano? Imo Cl. Soto conſtituit, nec ad *ſingula opera meritoria*, præter gratiam gratum facientem, opus juſto eſſe ſpeciali alio adjutorio, ad quod probandum hoc *judicio ſuo validiſſimum* argumentum informat : Omne opus ſuapte bonum abſque pravo ullo adjuncto, quod extra gratiam factum moraliter bonum eſt, ſi ab homine Deo grato fiat, vitæ æternæ eſt meritorium : Hunc autem ſolo generali Dei concurſu fretum multo melius, quam certe poterat extra gratiam, implere aliquando præcepta poſſe, aliaque moraliter bona opera facere, compertum eſt : erunt hæc itaque æter-

æternæ vitæ meritoria. Aſſumtam priorem propoſitionem, qua potiſſimum concluſionis veritas nititur, tam certam habet, ut *hæſitare* de ea *nunquam ſe potuiſſe*, ſcribat; neque enim aliud requiri ſtatuit, ut ſit ad vitam æternam acceptum opus, quam quod ſit genere ſuo, & circumſtantiis bonum; nam *reſpexit Deus*, inquit Scriptura, *ad Abel*, & *ad munera ejus*, ideſt quia erat grata Deo perſona, fuit & ei acceptum opus & a Dei amico fiat.

Neque ut opus hujuſmodi ad Deum etiam ut gratiæ & gloriæ auctorem referatur, alio putat, opus eſſe, quam quod procedat ex gratia; nam opus ex objecto bonum, ad Deum natura ſua refertur, & quum quis ſe ad illum convertit, omnia ſua ad eumdem virtute refert. „ Quocirca, ait, id, quod nonnulli comminiſcuntur, ſcilicet, quod poteſt opus procedere ab illo, qui eſt in gratia, non tamen ex gratia, approbare non poſſum, niſi de peccatis venialibus; Nam ſi opus ſit bonum, & ſit ab illo, qui eſt in gratia, virtualiter, quod ajunt, proficiſcitur ex gratia. Gregorius autem & Capreolus, quia hallucinantur, S. Thomam in illa fuiſſe opinione, quod ad ſingula opera moraliter bona requiritur extra gratiam ſpeciale auxilium, bene inde conjiciunt, quod, ſecundum eumdem, ad ſingula opera meritoria, idem ſit etiam requiſitum auxilium: Nos tamen, qui ſupra pateſecimus contrarium de opere moraliter bono, contrarium etiam dicimus de operibus meritoriis, ſcilicet quod præter gratiam non eſt requiſitum aliud ſpeciale auxilium ad ſingula, quæ ante nos ſententia probatiſſima fuit Cajetano loc. cit. ſuper S. Thomam. “ Pro hac tamen Soto opinione in vadimonium non venimus.

II. Quæ ergo D. Thomæ mens? Quid de hoc capite, eo Auctore, tenendum? *Simpliciter* ad non peccandum, ad implendam legem, ad recte operandum præter ſanctificantem gratiam egere juſtum ſpeciali Dei adjutorio. Neque hæc ſingularis D. Thomæ, ſed communis Eccleſiæ doctrina; nam Concilium Arauſ. II. cap. 25. declarat, ſecundum fidem Catholicam, credendum accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizatos, *Chriſto auxiliante & cooperante*, poſſe, & debere, ſi fideliter laborare voluerint, ea, quæ ad ſalutem pertinent, *adimplere* .... hoc etiam ſalubriter profitendum & credendum, Deum nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & amorem ſui, & fidem prius inſpirare, ut & baptiſmi ſacramentum fideliter requiramus, & poſt baptiſmum, *cum ipſius adjutorio* (quæ verba Soto notanda monet) quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus. Idem commendant ea Trident. ſeſſ. 6. cap. 16.: *Chriſtus Jeſus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.* Nullum tamen veritatis hujus illuſtrius ac firmius argumentum, quam quod ex publicis Eccleſiæ precibus ducitur, quibus exſcribendis plures vix paginæ ſatis eſſent. Quid iis luculentius? *Tua nos, quæſumus Domine, gratia ſemper præveniat, & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos*. Quid & iis apertius? *Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis, ut cogitemus, Te inſpirante, quæ recta ſunt, & Te gubernante, eadem faciamus .... Largire nobis, quæſumus, Domine, ſemper ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius, & agendi, ut, qui ſine Te eſſe non poſſumus, ſecundum Te vivere valeamus* &c. Si ergo *legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi*, quid de hoc capite Catholica Eccleſia teneat, quidque tenendum, ex his ejuſdem precibus perſpicuum cuique eſt.

III. Quorſum Auguſtinum advocemus veritatis hujus ſuffragatorem, de cujus mente dubitare non alii poſſunt, quam qui ejuſdem adverſus Pelagianos, & Semipelag. opera nec extremis, ut ajunt, digitis attigerunt? Locupletiſſimum in primis illud, quod ex c. 26. l. de nat. & grat. recitat D. Thomas: *Sicut oculus corporis pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere, ſic & homo perfectiſſime etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere*: Ex quo concludit Angelicus; Quum ergo juſtificatio per gratiam fiat, ut ad Rom. 3. docet Apoſtolus, *juſtificati gratis per gratiam ipſius*, & homo juſtus jam gratiam habens alio indiget gratiæ, ut recte vivat, auxilio. Pariſque locuples, quod l. de grat. & lib.

arb.

arb. c. 6. ait : *Neceſſarium eſt homini, ut gratia Dei non ſolum juſtificetur impius, id eſt ex impio fiat juſtus, ſed etiam, quum fuerit jam juſtificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat ſuper ipſam, ne cadat : Propter hoc ſcriptum eſt in* Cant. Cantic. *de ipſa Eccleſia : Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, incumbens ſuper fratruelem ſuum ? Dealbata eſt enim, quæ per ſe ipſam alba eſſe non poſſet. Et a quo dealbata eſt, niſi ab illo, qui per Prophetam dicit Iſ. 1. : Si fuerint peccata veſtra ſicut phœnicium, quaſi nivem dealbabo ? Quando ergo dealbata eſt, nihil boni merebatur : jam vero alba facta bene ambulat, ſed, ſi ſuper eum, a quo dealbata eſt, perſeveranter incumbat : Propter quod & ipſe Jeſus, ſuper quem incumbit dealbata, dixit Diſcipulis ſuis* Jo. 15. *, Sine me nihil poteſtis facere*. Cæterum quo plura ? Quid notius ejuſdem effato illo, quod tantum ſtomachi Pelagio movit, *Domine da, quod jubes, & jube, quod vis ?*

IV. Accedunt momenta, quæ D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 9. ad hoc idem probandum confert, ſapientiſſime animadvertens, hominem divino ad recte vivendum auxilio egere *dupliciter, uno quidem modo quantum ad habituale donum*, quo naturæ humanæ corruptio ſanetur, jamque ſanata elevetur ad æternæ, quæ ſupra naturæ proportionem eſt, vitæ merita comparanda, alio modo gratiæ egere adminiculo, *ut a Deo moveatur ad agendum, primo modo* opus homini juſto non eſſe *alio auxilio gratiæ, quaſi aliquo alio habitu infuſo* (quod ſatis ſe ipſo perſpectum eſt) ſed alio modo, *ut ſcilicet a Deo moveatur ad recte agendum*. Hujus exin duas rationes reddit, *generalem* aliam inde petitam, quod nulla poteſt creata res in quemcunque actum (quod in D. Thomæ Schola axioma eſt) niſi divinæ motionis virtute, prodire, *ſpecialem* aliam ex ipſo humanæ naturæ ſtatu & conditione. Quid enim, ſi homo per gratiam mente ſanatur ? Reliqua in eo eſt corruptio & infectio *quantum ad carnem*, per quam, ut ad Rom. 7. ſcriptum eſt, *ſervit legi peccati* : remanet & in ejus intellectu quædam ignorantiæ caligo, qua fit, quemadmodum ad Rom. 8. ait Apoſtolus, ut, *quid oremus, ſicut oportet, neſciamus*; Tum enim, quod tam varii ſint rerum eventus, totque ærumnoſæ hujus vitæ viciſſitudines, tum quod ipſi nos non perfecte noſcamus, quid nobis expediat, ſcire, plene non poſſumus, quemadmodum Sap. 9. legimus : *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ providentiæ noſtræ* : A Deo itaque, qui omnia novit, & omnia poteſt, dirigamur, & protegamur, neceſſe eſt, quo ſpectant Eccleſiæ ad Deum preces, ut, *quæ ipſo Auctore facienda cognovimus*, eodem *operante impleamus, ut fideles divino* munere *& quæ agenda ſunt, videant, & ad agenda, quæ viderint, convaleſcant*, ut, quia *ſine eo labitur humana mortalitas, ejus ſemper auxiliis & abſtrahatur a noxiis, & ad ſalutaria dirigatur* &c. *Propter hoc*, concludit Angelicus, *etiam renatis per gratiam in Filios Dei convenit dicere, & ne nos inducas in tentationem, & : fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra* &c., *quæ in oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia*.

V. At ſi homo gratia ſanctificante jam præditus, nec bene vivere, nec ab omni abſtinere peccato ſine alio divinæ gratiæ adjutorio ſimpliciter poteſt, erit ergo gratia ſanctificans aut inutilis aut imperfecta; quorſum enim datur, niſi ut poſſimus bonum facere & vitare peccatum ? Annon autem ſupervacuum & imperfectum, quod non efficit, ad quod datur ? Rurſus : Spiritus S. in juſtis habitare per gratiam, 1. ad Cor. 2. teſtatur Paulus, quum ait : *Neſcitis, quia templum Dei eſtis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis ?* Hic autem quum ſit omnipotens, annon ſatis eſt, ut nos ad bene agendum inducat, & a peccato cuſtodiat ? Qui ergo Spiritum S. inhabitantem habet, quorſum egere ad utrumque alio gratiæ adminiculo, ponitur ? Annon jam erit in infinitum abitio ? Si enim jam gratiam habens novo Dei auxilio eget, ut peccata caveat, pieque vivat, hoc donatus egebit alio, ſicque in infinitum uſque. Sed & nec ipſe ſibi D. Thomas conſtare videtur, nec, quæ hic tradit, conciliari cum iis poſſe, quæ 3. p. q. 70. art. 3., *minimam gratiam poſſe reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale* : Quæ ergo novi ſpecialis auxilii neceſſitas, ſi gratia ſanctificans, etiam *minima*, ſatis ſe ipſa eſt ?

VI. Ad priora tria non petendum aliunde reſponſum, quam ex D. Thoma, qui illa ſibi objecit. Si poſt acceptam

gra-

gratiam homo divino adhuc eget auxilio, gratia iccirco num fruſtra data, aut imperfecta? Habitualis gratiæ donum num eo confertur, ut eo affectus homo divino adjutorio ultra non egeat? Annon indiget quælibet creata res, ut in bono, quod jam accepit a Deo, ab eodem jugiter conſervetur? Quid quod & *in ſtatu* gloriæ, in quo erit conſumata gratia, & omnino perfecta, egebit homo Dei conſervantis & moventis auxilio? Quo magis in ſtatu viæ, in quo imperfecta eſt aliqua ratione gratia, quod perfectam & integram homini non afferat ſanitatem, quemadmodum n. IV. ſatis declaratum? Ad hoc illuſtrandum peropportuna, quæ loc. cit. habet Soto, latius evolvens, quæ paucis perſtrinxit Angelicus. „ Eſt deni„ que, (ait) analogia quædam & pro„ portio inter naturalia, ac ſupernatura„ lia, quod ſicut dat Deus non naturales „ ſolum formas agendi, ſed generali in„ fluxu concurrit cum illis, ita, quos ſibi „ gratos fecit, juvat ſpeciali auxilio ad „ opera ſupernaturalia, ut utroque modo „ verum ſit, *Pater meus uſque modo ope„ ratur*, (ideſt aſſidue & continenter) „ *& ego operor*, ex quo colligit Hierony„ mus ad Cteſiph. in hanc ſententiam „ hæc verba: *Semper largitor ſemperque „ donator eſt. Non mihi ſufficit, quod ſe „ mel donavit, niſi ſemper donaverit.* “

Num etiam Spiritus Sancti juſtum inhabitantis operatio, *habitualis doni*, quod nobis tribuit, effectu circumſcribitur, & definitur? *Præter hunc effectum*, ait D. Thomas; *nos movet, & protegit ſimul cum Patre & Filio*, quod eſt in ipſis Eccleſiæ precibus teſtatiſſimum. Tertium inane eſſe, D. Thomas breviſſime oſtendit; eo enim efficitur, non egere juſtum *alia habituali gratia*, quod ille præmittit ut ratum, non autem opus non habere ſpeciali auxilio, quo a Deo, *qui ſolus omnia novit, & omnia poteſt, dirigatur*, quemadmodum ipſum quotidie rogat Eccleſia, *& protegatur*.

Cum iis autem, quæ hic docet Angelicus, non pugnare, quæ 3. p. &c. ſcripſit, ſcite demonſtrat Cajetanus in hunc locum ajens: „ Licet minima gratia ſuf„ ficiens ſit, *quantum eſt ex ſe*, reſiſtere „ omnibus emergentibus tam ex infirmi„ tate carnis, quam ex obſcuritate intel„ lectus, quia tamen poſita in tali ſubje„ cto non tollit hæc duo ſibi adverſantia „ (non defectu virium, ſed occulto divi„ næ ſapientiæ conſilio), ideo eget ho„ mo inter hæc contraria conſtitutus no„ vo etiam auxilio, ut ſequatur operatio„ nem bonorum, & vitationem malo„ rum, ut non declinet ipſe in hæc con„ traria. Et, ſi contemplatus fueris, „ quod obſcuritas intellectus eſt ignoran„ tia expedientium ad vitam æternam, „ videbis, quod non ſolum in ſtatu natu„ ræ corruptæ, ſed & integræ homo ege„ bat hoc auxilio tantum ex una parte, „ ſcilicet ex ignorantia ſupervenientium „ &c. “

VII. Alterum caput multo plus a nobis requirit operæ. Si in quæſtionem tantum veniret, quod dudum eſt ab Eccleſia rato judicio definitum, brevi confecta res eſſet; Tot enim tamque luculenta ſunt ſcripti Dei verbi teſtimonia, quibus ab Eccleſia in Conciliis Milevit. & Arauſic. II., necnon ab invicto divinæ gratiæ Defenſore Auguſtino in toto maxime libro *de dono Perſever.* adverſus Pelagianos & Semipelagianos tranſactum eſt, hominem utut juſtum ſpeciali, quod Trid. Synodus *magnum* vocat, Dei dono egere *ad perſeverandum*, nec *perſeverare ſine eo poſſe*, ut jam adverſus veritatem patentiſſimam nec hiſcere impietas poſſit. Multum nobis negotii eſt a Scholæ controverſiis, quas nondum ſolenni certaque ſententia finire Eccleſia voluit, quibus incertum valde, an bene, cum ejuſdem doctrina cohæreat. Priuſquam autem ad eas pro virili excutiendas aggrediamur, operæ pretium eſt notionem rei, quæ in quæſtione verſatur, evolvere, & in quo perſeverantiæ nomen ponitur, explicare; nam & hoc Auguſtinus operæ pretium duxit c. 1. libri mox laudati. *Perſeverantiam* tripliciter dici, notat Angelicus 1. 2. q. 109. art. 10., primo habitum mentis, quo homo firmiter ſtat, ne ab eo, quod ſecundum virtutem eſt, triſtitiis irruentibus removeatur, quem 2. 2. q. 137. art. 2. & 3., poſt Tullium l. 2. de Invent., *partem fortitudinis* ponit, potioremque *conſtantia*, ſecundo habitum item mentis, quo homo perſtandi in bono ad finem uſque propoſitum habet: neutrum horum tamen in controverſiam vocari, compertum eſt; nam *utroque iſtorum modorum*, ſubdit, *perſeverantia ſimul cum gratia infunditur, ſicut & continentia, & cæteræ virtutes*, juſtiſque icirco omnibus eſt com-

communis. Tertio perſeverantia quandam boni ad finem uſque vitæ continuationem ſignificat, ſeu ut loc. cit. 2. 2. art. 4., ſcribit, ipſum *perſeverantiæ actum durantem uſque ad mortem*, de quo ſolo, quippe qui difficultatem non levem affert, futura nobis diſputatio.

VIII. Quo vero & perſeverantiæ ſic acceptæ ſit explicatior intelligentia, nec in verbis quidquam ſuperſit ambagis, deſcribenda, quæ loc. mox laud. prænotanda cenſuit Auguſtinus: *Jam de perſeverantia diligentius diſputandum eſt . . . . . Aſſerimus ergo, donum Dei eſſe perſeverantiam, qua uſque in finem perſeveratur in Chriſto, finem autem dico, quo vita iſta finitur, in qua tantummodo periculum eſt, ne cadatur. Itaque, utrum quiſque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum eſt; Si enim, priuſquam moriatur, cadat, non perſeveraſſe, utique dicitur, & certiſſime dicitur. Quomodo ergo perſeverantiam, qui non perſeveraverit, accepiſſe, vel habuiſſe dicendus eſt? Nam ſi habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat, & incontinens fiat, ſi juſtitiam ſimiliter, ſi patientiam, ſi ipſam fidem, recte dicitur habuiſſe, & non habere; Continens enim fuit, vel juſtus fuit, vel patiens fuit, vel fidelis, quamdiu fuit, quum vero eſſe deſinit, non eſt, quod fuit: qui vero non perſeveraverit, quomodo perſeverans fuit; quum perſeverando quiſque ſe oſtendat perſeverantem, quod iſte non fecit? Sed ne quiſquam reluctetur, & dicat, ſi ex quo fidelis quiſque factus eſt, vixit v. g. decem annos, & eorum medio tempore a fide lapſus eſt, nonne quinque annos perſeveravit? Non contendo de verbis, ſi & illa perſeverantia putatur eſſe dicenda tanquam temporis ſui: hanc certe perſeverantiam, de qua nunc agimus, qua in Chriſto perſeveratur uſque in finem, nullo modo habuiſſe dicendus eſt, qui non perſeveravit uſque in finem, potiuſque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari poteſt, ſi, donec moreretur, fideliter vixit, quam multorum annorum, ſi exiguum temporis ante mortem a fidei ſtabilitate defecit.*

IX. *Quo conſtituto*, pergit c. 2., *videamus, utrum hæc perſeverantia, de qua dictum eſt, qui autem perſeveraverit, uſque in finem, hic ſalvus erit, donum ſit Dei*: eſſe autem Dei donum, eo primum Apoſtoli probat ad Phil. 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum, ut credatis in eum, ſed etiam ut patiamini pro eo*, quorum unum pertinet *ad initium*, nempe credere, alterum *ad finem*, ſcilicet *pati* & *mori* pro Chriſto, *utrumque autem eſt donum Dei, quia utrumque dictum eſt, eſſe donatum*: Exin oratione, quæ Dominica, quia eam Dominus docuit, nuncupatur, *nihil pene aliud, quam perſeverantiam*, a Sanctis, nec certe *irriſorie*, poſci, ideoque illam a ſolo Deo, a quo petitur, dari, Cypriani, qui eamdem expoſuit in l. cujus eſt titulus *de oratione Dominica*, auctoritate confirmat ad quinti capitis finem uſque. Hinc cujuſmodi ſit hoc donum, inquirens c. 6., quid Maſſilienſes, de quibus ad eum Hilarius & Proſper ſcripſarant, ſentirent, ita aperit: *Sed nolunt, ut ſcribitis, iſti fratres, ita hanc perſeverantiam prædicari, ut non, vel ſuppliciter emereri, vel contumaciter poſſit amitti*, ſeu, ut ad eum Hilarius ſcripſerat, *quidquid libet, donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe & amittere & retinere propria voluntate, contendunt*. Perſeverantiam itaque donum Dei eſſe, Semipelagiani non abnuebant: negabant tamen, tale eſſe, quod nec ſub optantis, petentis, conantis merito cadere, nec propria contumacis voluntate amitti poſſet: volebant denique, ut ex ejuſdem Hilarii ad Auguſtinum literis conſtat, hoc donum, quippe ejus, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, non *iis tantum, qui ad Sanctorum numerum pertinebunt*, ſed *omnibus omnino, ut nullus habeatur exceptus*, commune eſſe, atque ita in cujuſque poſitum voluntate, ut illud quiſque proprio *amittere*, *aut retinere* arbitratu poſſit. Hæc Maſſilienſes, quæ & in Caſſiani collatione 13., & in Fauſti *de lib. arbitrio* libris multo ſunt apertiora.

X. Jam nunc promovendum, quid nonnullis extra S. S. Auguſtini & Thomæ Scholam de hoc capite placeat; nam & perſeverantiam a Deo donari, nemo eorum unus negat. Necdum tamen controverſiæ ſtatus ſatis velut ſub oculis poſitus, neque ſatis præcluſus ambagibus locus, niſi cum Alvarez, & Jo. a S. Thoma animadvertamus, triplex ſolere a Theologis adjutorium gratiæ diſtingui, aliud ſpeciale, quod ad ſingulos pietatis actus datur, aliud potius, & inſignius, quo poſt acceptam juſtitiam confirmatur homo, ut diu in bono perſtet, non tamen ad exi-

tum

tum vitæ uſque, alind denique eximium, quod *ſpecialiſſimum* dicunt, & nonniſi electorum proprium, quibus datur, ut ait Auguſtinus, *non ſolum, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint*. Etſi late Theologi diſputent, ſitne donum hoc a dono confirmationis in gratia reapſe diſtinctum, annon, ſatius tamen ducimus, hanc quæſtionem mittere, quod videatur illa plus ſubtilitatis & contentionis, quam ſucci & utilitatis habere; duo enim hæc dona revera diſtingui, quæ D. Thomæ 1. p. q. 100. ar. 2. ad 1., omniumque ejus Diſcipulorum ſententia eſt, cui veritatis ſtudioſo non hac una demonſtratione perſuadeatur? Donum confirmationis &c. Deiparæ Virginis, Apoſtolorum, & ſi qui alii perpauci feruntur, eximium privilegium fuit, prædeſtinatis autem omnibus perſeverantia communis, nec dubitare quiſquam poteſt, quin, etſi confirmatorum in gratia nemo unus divino munere non perſeveret, prædeſtinatorum tamen & ad finem uſque perſeverantium plurimi non fuerint in gratia confirmati: Idem ergo non eſt confirmationis in gratia, ac perſeverantiæ donum. Illud utilius & opportunius obſervamus, perſeverantiæ doni non eumdem eſſe, nec æqualem in omnibus, quibus datur, effectum. Nonnullis affert mortis accelerationem, ut ei, de quo Sap. 4.: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus . . . . . Placita enim erat Deo anima illius: Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*, & pueris a baptiſmo recentibus præmatura morte ſublatis, de quibus non ſemel Auguſtinus. Aliis contra vitam producit, ut pœnitentiæ ſpatium habeant, pluraque ſecum habet auxilia, quibus adjuti ab iniquitate emergant, & in bonum conſtanter incumbant; Ab aliis graviſſimas ſubmovet tentationes, quibus infirmitate ſua ſuccumberent: Alios contra ſpeciali auget robore, quo eas viriliter ſubigant &c.

XI. Excuſſa, ut potuimus, & evoluta perſeverantiæ notione, ſupereſt, ut varia Recentiorum placita proferamus, eaque poſtmodum, ad Auguſtini & Thomæ doctrinam directa ne ſint, an ſecus, inveſtigemus. Aliqui (cujus ſcholæ ſint, maxime pronum eſt, intelligere) perſeverantiam ex libero hominis arbitrio pendere pronuntiant; Perſeverantiæ numque donum in duobus collocant, in Dei ſcilicet voluntate, qua ex æternitate ea adulto largiri auxilia ſtatuit, quibus adjutum præſciebat, pro innata ſua libertate perſeveraturum, quum non perſeverare pro eadem poſſet, & in bono liberi arbitrii uſu eam cum hujuſmodi auxiliis operam conferentis, ut perſeveret, unde habet, ut in hoc homine efficax ſit, tamquam a conditione, ſine qua perſeverantiæ donum in eo non eſſet. Fidem duo perſeverantiæ dona adſtruunt, aliud in ſpeciali adjutorio poſitum, quo Deus ita quibuſdam adeſt, ut *indeclinabiliter & inſuperabiliter* in gratia ad mortem uſque perſiſtant, quale Deiparæ, Apoſtolis poſt Spiritus S. illapſum, aliiſque in gratia confirmatis, tributum eſt, quod propterea eorum proprium fuit & peculiare, aliud, quod neceſſarium ad ſalutem, juſtiſque omnibus *immediate in actu primo* conferri docent in quadam protectione ſitum, qua Deus ita omnibus præſto eſt, ut poſſint in gratia perſeverare, ſi velint. Hinc contendunt, ſi duo ponantur paribus omnino prævenientis gratiæ auxiliis inſtructi, fieri poſſe, quin & aliquando contingere, ut alter convertatur, perſeveret in gratia, & ſalutem obtineat, alter vero ad peccatum adhæreſcat, & pereat; ei tamen, qui ad meliora ſe recipit, novum largiuntur gratiæ influxum *ſimultaneum*, ex qua & libero arbitrio velut ex duabus *partialibus* cauſis liber hominis conſenſus exiſtit. Sunt denique, qui, quod ab Eccleſia definitum eſt, ad perſeverandum *uſque in finem* egere hominem eximio, ſive *ſpecialiſſimo* Dei munere, interpretantur, dictumque volunt de homine, cui longum vitæ curriculum fuerit in ſtatu gratiæ conficiendum, non autem de eo, inter cujus vitæ exitum, & acceptam juſtitiam perbrevis mora intercedit. In ſingula hæc inquirendum, & de ſingulis ferendum pro veritate judicium.

XII. Facto a primo dicendi initio, abhorrere illud a S. S. Auguſtini & Thomæ doctrina, facile perſuaſum habebunt, qui probe norunt, alienum utrumque a ſcientia media fuiſſe quammaxime, nec umquam ab humanæ voluntatis aſſenſu, aut ab adjunctis congruis divinæ gratiæ efficacitatem, ſed a Dei, cujus inſtrumentum eſt, omnipotentia repetiviſſe. Non a libera itaque humanæ voluntatis cooperatione, velut a conditione, ſed a Deo ſolo donum hoc pro ſua miſericordia, cui vult, lar-

giente perſeverantia pendet, quod non obſcure docuit Tridentinum ſeſ. 6. de Juſtif. c. 13. ajens: *Similiter de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt Math.* 10. *&* 24. *Cui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit, quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui poteſt, eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere, nemo ſibi certe aliquid abſoluta certitudine polliceatur: Si ergo non aliunde, niſi a Deo*, perſeverantiæ munus *habetur*, non pendet illud a libero ejus, cui datur, arbitrio; alioqui haberi aliunde poſſet, quam a ſolo Deo, quod perſpicuum eſt. Quid Adverſarii? A Deo ſolo munus hoc eſſe, reſpondent, quod ſolus ille ſupernaturalis auxilii autor atque largitor eſt, quo adjutum hominem præſcit, innata ſua libertate perſeveraturum. Cœterum quia hujuſmodi auxilio inſtructus homo perſeverare, & non perſeverare perinde poteſt, quoties prænoſcit Deus, eo donatum hominem perſeveraturum, tale auxilium doni perſeverantiæ rationem induit: Si oppoſitum Deus præſcierit, retinebit illud communem ſupernaturalis auxilii, quod perſeverando ſufficiens eſt, indolem ſive naturam: ex futuro itaque, quem Deus ſcientia media præcepit, arbitrii conſenſu velut a neceſſaria conditione pendet perſeverantiæ donum, qua tale eſt.

Verum reſponſo hoc argumenti e Trident. ducti vis non infringitur; Concilium enim perſeverantiæ munus, qua tale eſt, ſeu quo in finem uſque perſeveratur, *non aliunde*, quam a Deo, haberi decernit: ejus itaque efficacitatem uni Deo, qui ſolus & ſtantem, *ut ſtet perſeveranter, ſtatuere*, & lapſum *reſtituere poteſt*, adſcribit: Etſi ergo, quos hoc dono affectus homo elicit, pietatis actus & a libero ejus arbitrio ſint, ab hoc tamen bono ejus uſu ſive *cooperatione* tanquam a conditione non pendet doni perſeverantiæ energia, cum eo ſolo, ut Tridentinum poſt Apoſtolorum docet, vere efficacitur, ut *perſeveranter ſtet*, ſeu pietatis operibus ſtabiliter vacet *qui ſtat*, ideoque bonus liberi arbitrii uſus ſive cooperatio ab eo ſolo pendeat tamquam a prima cauſa. Debuerant etiam, qui hæc regerunt, meminiſſe, nec Maſſilienſes perſeverantiæ donum aliter explicaſſe, ut ex eorumdem verbis patet, quæ ex Auguſtino in l. de dono perſev. c. 6., & ex Hilarii ad eumdem literis n. 111. & alibi jam deſcripſimus, ſeu contendiſſe, *quidquid libet, donatum ſit prædeſtinatis, propria* id eos poſſe *voluntate & amittere, & retinere*, ſeu perſeverantiæ donum, ſine quo perſeverare hominem non poſſe, annuebant, ita in libera ejus poſitum facultate, *ut illud vel ſuppliciter emereri, vel contumaciter poſſit amittere*. Auguſtinus autem quam copioſe, quam valide hanc eorum commentationem coarguit, & refellit, oſtendens, eos, *quid dicerent, parum diligenter attendere! Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam, quod poſſet amitti?*

XIII. Mox eorumdem cavillationibus occurens pergit: *Sed ne forte dicatur, perſeverantiam uſque in finem non amitti quidem, quum data fuerit, ideſt quum perſeveratum fuerit uſque in finem, ſed tunc amitti quodammodo, quando agit homo per contumaciam, ut ad eam pervenire non poſſit, ſicut dicimus, hominem, qui non perſeveraverit uſque in finem, amiſiſſe vitam æternam, vel regnum Dei, non quod jam acceperat, & habebat, ſed quod acciperet, & haberet, ſi perſeveraſſet, verborum controverſias auferamus, & nonnulla etiam, quæ non habentur, ſed haberi ſperantur, poſſe dicamus amitti. Dicat mihi, quiſquis audet, utrum Deus dare non poſſit, quod a ſe poſci imperavit? Hoc certe qui ſapit, non dico, deſipit, ſed inſanit. Imperavit autem Deus, ut ei Sancti dicant orantes: Ne nos inferas in tentationem: Quiſquis igitur exauditur hoc poſcens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua poſſit, vel dignus ſit, perſeverantiam ſanctitatis amittere.*

Exin eos iterum argutantes inducens ait: *At enim voluntate ſua quiſque deſerit Deum, ut merito deſeratur a Deo. Quis hoc negavit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat, etſi exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit, ut fiat; Nihil enim fit niſi quod, aut ipſe facit, aut fieri ipſe permittit. Potens ergo eſt, & a malo in bonum flectere voluntates, & in lapſum pronas convertere, ac dirigere in ſibi placitum greſſum, cui non fruſtra dicitur* Pſal. 84. *Deus tu convertens vivificabis nos....* Pſal. 65. *Ne des ad movendum pedes meos....* Pſal. 139. *Ne tradas me Domine a deſiderio meo peccatori: Poſtremo... ne nos inferas in tentationem; nam quiſquis in tentionem non infertur, profecto nec in tentationem malæ ſuæ voluntatis infertur; & qui in tentationem ſuæ malæ voluntatis non infertur, in nullum prorſus infertur; Unuſquiſque*

quiſque enim tentatur, ut ſcriptum eſt. Jac. 1., *a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, Deus autem neminem tentat, tentatione ſcilicet noxia .... Tutiores igitur vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus, quod vidit iſte venerabilis* Martyr (Cyprianus) *Nam quum eumdem orationis locum exponeret, ait poſt cætera: Quando rogamus, ut in tentationem non veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat .... ut dum præcedit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & totum Deo datur, quidquid ſuppliciter cum timore Dei poſcitur, ipſius pietate præſtetur,*

XIV. Hæc adverſariis ſerio perpendenda proponimus, num cum iſtis eorum opinio cohæreat: Quum Auguſtinus expreſſe doceat, perſeverantiæ dono fieri, ut non amittatur etiam, quod poſſet *amitti*, gratia ſcilicet & juſtitia, ut non inferatur homo in contumaciæ tentationem, qua poſſit, aut dignus ſit, perſeverantiam ſanctitatis amittere, iiſne belle cum illo convenit, quibus conſtitutum eſt, non ab eo ſolo, *qui ſtatuere poteſt eos, qui ſtant, ut perſeverantiſſime ſtent, vel reſtituere qui ceciderint*, ſed & ab innata arbitrii ſui libertate, cui propterea *ſua laus, ſua induſtria*, habere hominem, ut perſeveret, gratiam ſuapte mollem atque flexibilem tunc reipſa efficacem fieri, ac rationem doni perſeverantiæ ſortiri, ſi libera hominis cooperatio ſe ad illam adjunxerit, futuram alioqui inefficacem, effectuque vacuam, nec aliam ejus conditionem, quam ſufficientis auxilii? *Deo* ne in præcipuo hoc omniumque graviſſimo negotio *totum datur*, cui ſolum *ex parte*, homini item *ex parte committitur*? Imo, ſi libera hominis cooperatione fit, ut perſeverantiæ donum reapſe tale ſit, ſive efficax, & cum effectu conjunctum, annon ſe ipſe ſibi homo magis, quam Deo *committit*, *tutiorque vivit* ſe ipſo potius, quam Deo fretus? Niſi enim ipſe velit, donum Dei non efficit, ad quod datur, quippe perſeverantiæ donum non eſt, niſi ille, cui datur, perſeverare, pro innata ſua libertate voluerit. Jam ergo in Deo ſolo non erit homini gloriandum; habet enim quidpiam ipſe ſuum, in quo glorietur, nempe velle perſeverare, quod a ſe habet, quo præterea efficit, ut, quod a Deo accipit, ſit fructuoſum, ſterile cœteroqui ac inane futurum. Quid eſt autem, contra Auguſtinum apertiſſime dicere, ſi hoc non eſt? Ait enim in l. de Corrept. & grat. c. 12. *Nec de ipſa perſeverantia boni Deus voluit, Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, qui eis non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo perſeverare non poſſint, ſi velint, ſed in eis etiam operatur, & velle, ut quoniam non perſeverabunt, niſi poſſint & velint, perſeverandi eis poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe per Spiritum S. accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur, ut velint.* Quibus hæc non ſatis aperta videntur, cauſari poterunt, nec ſolem meridie lucentem ſatis ſibi eſſe ad videndum.

XV. Ex his etiam Auguſtini verbis loc. cit. *de Corrept. &c.* invictum aliud argumentum exiſtit, quo adverſariorum poſitio profligatur. Collatum primo Adæ *adjutorium tale erat*, Auguſtino autore, *quod defereret, quum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet*; Si ergo & tributum homini lapſo per ſecundi Adæ ſeu Chriſti merita perſeverantiæ donum tale ſit, ut a libero hominis arbitrio pendeat, habeatque, ut adverſariis placet, a bono ejus uſu efficaciam, jam nullum erit inter gratiam primi, & ſecundi Adæ diſcrimen; dabit enim, ut primo homini poſſe perſeverare, ſi velit, non autem faciet, *ut velit*, *meritumque* erit hominis, *ſi permanere voluerit*, *culpa ejus* contra, *ſi noluerit permanere*, quæ non poſſunt Adverſarii, ſi velint ſuis ſtare principiis, non habere explorata. Cœterum quid Auguſtini doctrinæ magis adverſum? Annon ille ibidem c. 11. & 12. totus in oſtendendo, quantum gratiam inter, *quæ data eſt primo Adam*, & eam, *quæ eſt in ſecundo Adam*, interſit? Primam ait, eam eſſe, *qua fit ut habeat homo juſtitiam, ſi velit, ſecundam plus poſſe qua etiam fit, ut velit ...*, nec illam quidem *parvam* fuiſſe ..., *quoniam ſic adjuvabatur liberum arbitrium, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret, ſed hoc adjutorium, ſi vellet, defereret*, hanc autem *tanto majorem* eſſe, *ut parum ſit homini, per illam reparare perditam libertatem, parum ſit, non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, ſi velit, niſi etiam efficiatur, ut velit ... fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe,*

quod

quod volumus, *verum etiam velle*, *quod poſſumus*, *quod in homine primo non fuit*; *unum enim horum in illo fuit*, alterum *non fuit*. Adverſariorum eſt, demonſtrare, non falſo hæc & inſcite ab Auguſtino inculcata, ſi ea fuerit doni perſeverantiæ indoles, quam ipſi cuderunt.

XVI. Etſi plurima eaque validiſſima ex ejuſdem l. de dono Perſev. peti argumenta poſſint, unum ſat erit, quod ex c. 9. depromimus, ubi ait: *Ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur, ille aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem ſequatur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem piis cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe; Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait unus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum, manſiſſent utique nobiſcum* 1. Jo. 2. *Quid eſt quæſo, non erant ex nobis, quia ſi fuiſſent, manſiſſent utique nobiſcum? Nonne utrique a Deo creati . . . vocati . . . vocantem ſecuti, utrique ex impiis juſtificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed ſi hæc audiret, qui ſciebat procul dubio, quod dicebat, reſpondere poſſet & dicere: vera ſunt hæc: ſecundum hæc omnia ex nobis erant: Veruntamen ſecundum aliam quandam diſcretionem ex nobis non erant; Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Quænam eſt tandem iſta diſcretio? Patent libri Dei, non avertamus aſpectum: Clamat ſcriptura divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant ſecundum propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi, non erant in eo ſortem conſecuti, non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui univerſa operatur; Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent.*

Difficultate hac Auguſtinus poſt homines natos acutiſſimus impeditur? Uſque ne adeo implexus hic nodus, cur duorum ſcilicet piorum uni perſeverantia uſque in finem donetur, non autem alteri, ut non alia ſit ejus expediendi via, quam ſi *ad inſcrutabilia Dei* judicia confugiamus? Feliciores certe acutioreſque Auguſtino, qui facillime explicant, cujus ille extricandi rationem *penes* Deum ſolum eſſe putavit. Æquale duobus piis impertitum auxilium, quod perſeverando vere ſufficit, efficax in altero eſt, ac in eo rationem obtinet doni perſeverantiæ, quod perſeverare ipſe velit, collatoque ſibi adjutorio bene utatur: non eadem ejus in altero conditio, quod perſeverare ille nolit, ſuamque operam, qua gratia fieret efficax & fructuoſa, conferre. En *diſcretionis*, quæ Auguſtinum tantopere torſit, nitidiſſimam, aptiſſimamque explicationem. Cœterum nova hæc non eſt, ſed ab iis, quos ibi Auguſtinus refutat, excogitata, qui *nolebant*, *ita perſeverantiam prædicari*, *ut non vel ſuppliciter emereri*, *vel contumaciter poſſit amitti*, *nec cuiquam talem dari perſeverantiam*, *a qua non permittatur prævaricari*, *ſed a qua poſſit ſua voluntate deficere* . . . ut hominis *culpa* ſit, *quia noluit permanere*, *cujus meritum fuiſſet*, *ſi permanere voluiſſet*. Auguſtinus tamen in *patentes Dei libros aſpectum* intendens, adhibenſque ad *Scripturam divinam* clamantem auditum, quæſtionis hujus ſolvendæ viam non aliam invenit ipſe, nec inveniri aliam poſſe præter *inſcrutabilia judicia Dei*, iterum iterumque pronuntiat: *Et iſti quidem utrique in bonis ſunt; verumtamen quantum ad juſtitiam ſpectat & gratiam, poteſt & de eo, qui liberatur, recte dici ei, qui damnatur: Tolle, quod tuum eſt, & vade: huic autem volo, quod non debetur, donare. Annon licet mihi facere, quod volo? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Hic ille ſi dicat, cur non & mihi? Merito audiet: O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? quum certe in uno veſtrum largitorem benigniſſimum, in te vero exactorem juſtiſſimum, in nullo tamen cernis injuſtum . . . . . Sed in eadem cauſa, inquit, cur me potius, quam illum, puniet, aut illum, quam me, potius liberabit? Hoc non dico, ſi quæris quare, quia fateor, me non invenire, quid dicam: Si & hoc quæris quare? quia in hac re, ſicut juſta eſt ira ejus, ſicut magna eſt miſericordia ejus, ita inſcrutabilia judicia ejus.* Qui ergo quæſtionem hanc habent expeditiſſimam ad diſſolvendum, intelligant, ſe ab Auguſtino plurimum diſſidere, qui ſemel iterumque *fatetur*, *ſe non invenire*, *quid dicat*. Quorſum vero alia congeramus, quum ad eamdem hanc veritatem confirmandam faciant tot illa ex eodem Auguſtino derivata, quibus intrinſecam, ut ajunt, divinæ gratiæ efficacitatem adſtruximus? Sed erit illa exploratior, quum præ-

Digitized by Google

prælect. ſeq. omnia convellerimus, quibus adverſariorum poſitio ſubnititur.

PRÆLECTIO XIII.

De eodem argumento.

I. AUctoritate & ratione opinionem ſuam firmiter niti, perſuaſum habent Adverſarii, auctoritate quidem eorum maxime, qui primas in his quæſtionibus omnium conſenſu habent, Auguſtini nimirum & Proſpeti; Prior enim in l. de dono perſev. c. 6. ait: *Perſeverantiam uſque in finem, quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeveraverit uſque in finem, multi eam poſſunt habere, nullus amittere; neque enim metuendum eſt, ne forte, quum perſeveraverit homo uſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeveret uſque in finem: Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt; ſed quum datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt*. Agnoſcit ergo pendere a libero hominis arbitrio perſeverantiam, quam *multi poſſunt habere*. Clarius in l. *de* corrept. & grat. c. 6. *Si dixerimus, iſtam perſeverantiam tam laudabilem, tamque felicem ſic eſſe hominis, ut ei non ſit ex Deo; illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro* Lucæ 22., *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; Quid enim ei rogavit, niſi perſeverantiam uſque in finem?* Etſi ergo a Deo ſit perſeverantia, & quidem præcipue, non negat tamen, & ab homine illam eſſe, ac pendere. Magiſtri mentem probe aſſecutus Proſper propterea ſcripſit l. 2. *de vocat. gent. c.* 26. *Sive igitur initia, ſive profectus fidelium, ſive uſque in finem perſeverantium conſideremus genus, nulla ſpecies cujuſque virtutis occurrit, quæ vel ſine dono divinæ gratiæ vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur*. Quid demum iis diſertius, quæ auctor l. de Eccleſ. dogmatibus habet c. 21.? *Ut non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis eſt noſtræ & divini pariter adjutorii*.

II. Priuſquam hæc legitime exponimus, nonnulla cum Alvarez prænotanda, 1. intelligi perſeverantiæ nomine poſſe & ipſum prævenientis gratiæ auxilium, quo Deus vere efficit, ut perſeverare in finem uſque velit, reque ipſa homo perſeveret, & auxilii donique hujus, ut eſt adultis collatum, effecta, perſeverandi ſcilicet voluntatem, omneſque pietatis actus, quibus impletur divina lex, 2. perſeverantiæ donum, ut & quodvis aliud ſuperioris ordinis adjutorium, efficax poſſe dupliciter dici *in actu* ſcilicet, ut loquuntur, *primo*, quatenus prius, non tempore, ſed natura, ac intelligentia noſtra, quam volunras operetur, efficaciſſimas eidem volendi, & agendi vires ſuppeditat, & *in actu ſecundo*, quatenus liberum ejuſdem voluntatis aſſenſum una cum ea cooperante actu efficit, ac, ut loquuntur, *exercite*. Jam facilis eſt eorum, quæ ex Patribus objecta ſunt, diſſolutio. Primum Auguſtini teſtimonium de ſolis doni perſeverantiæ effectis accipiendum, quæ quum a libera hominis a Deo moti voluntate proficiſcantur, *habere* illa poteſt, & *ſuppliciter emereri*; eſt enim omnino certum, quod & ſeſ. 6. de Juſtific. can. 14. Tridentina Synodus definivit, & S. S. Auguſtinus & Thomas diſertiſſime, nec ſemel affirmant, charitatis, & gratiæ, quæ inter perſeverantiæ effecta ponuntur, augmentum poſſe ſub hominis Deo grati merito cadere. Ipſum autem perſeverantiæ donum priori modo intellectum, cui in mentem cadat, ab Auguſtino in libeto hominis arbitrio collocatum veluti quidpiam a bono ejuſdem uſu pendens, tamquam a neceſſaria conditione, ſine qua eſſet illud inane? Non vacat, multa ex ſæpe laudato l. de dono perſev. (totus enim pene exſcribendus eſſet) ad præpoſteram hanc commentationem explodendam conferre: Satis ſuperque erunt, quæ ex multis, quæ prius dixerat, colligens ait c. 13. *Unde ſatis dilucide oſtenditur, & inchoandi, & uſque in finem perſeverandi gratiam . . . dari ſecundum Dei ſecretiſſimam, eamdemque juſtiſſimam, beneficentiſſimam, ſapientiſſimam voluntatem, quoniam, quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit, vocatione illa, de qua dictum eſt ad Rom.* 11. *Sine pænitentia ſunt dona Dei, & vocatio, ad quam vocationem pertinere, nullus eſt homo ab hominibus certa aſſeveratione dicendus, niſi quum de hoc ſæculo exierit: In hac autem vita humana, quæ eſt tentatio ſuper terram, qui ſtare videtur, videat, ne cadat; Ideo quippe, . . non perſeveraturi perſeveraturis providentiſſima Dei voluntate miſcentur, ut eſſe diſcemus non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, & cum timore & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur; Deus eſt, enim, qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle, nos ergo operemur, ſed Deus in nobis operatur operari pro*

bona

bona voluntate. Hoc nobis expedit, & credere & dicere, hoc eſt pium, hoc verum, ut ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo, (quæ Cypriani verba ſunt). *Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quidquid agimus: quod autem adtinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non ſumus idonei, cogitare aliquid a nobis tamquam ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* 2. ad Cor. 3. *Non enim eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes* (quod ex Ambroſio promtum eſt in l. de fuga ſæculi c. 1.)

In alterum ejuſdem teſtimonium eadem plane quadrat interpretatio, perſeverantiæ nimirum effectus ſuperius explicatos ita Dei moventis eſſe, ut & hominis ſint divinæ motioni libere conſentientis, atque cooperantis; Cæterum horum effectuum primam cauſam, ipſum nempe perſeverantiæ donum, unde Auguſtinus arceſſit, niſi a Deo ſolo, eodem illo, qui nobis objicitur, loco ajens: *Negare non poſſumus, etiam perſeverantiam in bono proficientem uſque in finem magnum eſſe Dei munus, nec niſi ab illo eſſe, de quo ſcriptum eſt* Jac. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum?* quod ad capitis finem uſque perſequitur pluribus Scripturæ teſtimoniis probans, perſeverantiam a Deo eſſe, quia a Deo petitur, *quæ ſi ab homine homini eſſet, profecto a Deo poſcenda non eſſet*. Auctoris librorum de vocat. Gent. (nec enim eſt Proſper) & Gennadii, cujus eſt liber *de Ecclеſ. dogm.* olim Auguſtino perperam attributus, verba eamdem ſuſcipiunt explicationem.

III. Diſpiciendum, an ſint adverſarii a ratione melius inſtructi. Ajunt 1.: Quo Dei adjutorio quiſpiam donatus non perſeverat ad finem uſque, poteſt perſeverare, ſi velit, eo etiam, quo perſeverat, non perſeverare poteſt, ſi velit: utrumque ergo in libera ejus poteſtate conſtitutum: pendet itaque ab ejus arbitrio perſeverantiæ donum. 2. Nonne, ut ſeſſ. 6. de juſtific. can. 22. declarat Tridentinum, homo ipſe eſt, qui perſeverat? In ejus itaque facultate poſitum, perſeverare. 3. In finem uſque quum non perſeveret homo, niſi quatenus eo uſque Dei legem implet, quis negare poſſit, perſeverantiam a libero ejus influxu pendere, quum legem Dei non impleat, niſi libera voluntatis ſuæ obedientia? 4. Si perſeverantiæ donum, ut a Deo eſt, ponatur ſe ipſo efficax ante bonum liberi arbitrii uſum, actum plane de humana libertate; jam enim perſeveraret homo abſque propriæ libertatis uſu, ideoque neceſſario, non libere, *mere* etiam *paſſive*, ut Lutherus ajebat, ſe haberet; nam ſi donum hoc ante humanæ voluntatis aſſenſum ſuapte ſit efficax, quidpiam efficiat, oportet: Quid autem, niſi velle perſeverare? Ante ergo arbitrii conſenſum operatur, ut perſeverare homo velit. Quid tunc reliquum homini? velle perſeverare a Deo ſolo effectum recipere: *mere* ergo *paſſive* ſe habebit, recipiens, non agens. Demum fac, perſeverantiæ donum a libero humani arbitrii aſſenſu non pendere, quædam tamen in homine ſupponatur diſpoſitio, quam *negativam* vocant, neceſſe eſt, ſive non reſiſtentia; nam ſi obnitatur homo, nec ſe a Deo moveri ſinat, Dei motio efficax plane non erit, nec certo efficiet, quod haberi ſine libera humani arbitrii aſſenſione non poteſt. Annon autem homini maxime integrum, divinæ motioni reſiſtere, ac diſſentire? Ait enim D. Thomas 3. c. G. c. 159. *Eſt in poteſtate liberi arbitrii, impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire:* Qui erit ergo perſeverantiæ donum per ſe efficax, ſi non eſt ejus ſine hujuſmodi in homine, cui datur, diſpoſitione energia?

IV. Quamquam nihil novi in medium afferant, quod non ſupra dilutum non ſemel fuerit, breviter tamen ſingulorum depulſionem ſuſcipimus, ac incipientes a primo damus perlibenter, quo homo Dei auxilio inſtructus ad finem uſque perſeverat, poſſe non perſeverare, ſi velit, quia illud idem Dei donum, quo fit, *ut perſeverantiſſime ſtet, quo & ſubventum eſt infirmitati humanæ ut indeclinabiliter, & inſuperabiliter agatur, & ideo quamvis infirma non deficiat, & nulla adverſitate vincatur*, intactam omnino ſervat arbitrii libertatem, qua abſolute, & *in ſenſu*, ut loquuntur, *diviſo* poteſt non perſeverare, ſi velit; *Quod* enim, præclare ait Auctor librorum de vocat. Gent. l. 2. cap. 28., *eos Deus voluit, velle, voluerunt, qui ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, ut etiam a perſeveraturis illam mutabilitatem, qua poſſunt nolle, non auferat*. Plura non damus; ſatis enim, ut putamus ſuo loco efficacitatem divinæ gratiæ cum

liber-

libertate hominis compoſuimus, retulimuſque omnia, quæ etſi millies obtrita, torquere tamen Adverſarii, non deſinunt. Ex quo vero homo eſt, qui *perſeverat*, qui mandata Dei libere ſervat, an propterea perſeverantiam in manu habet? *Nos volumus*, ait Auguſtinus poſt Apoſtolum, *ſed Deus in nobis operatur*, & *velle: nos operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate*. Homo perſeverat: a quo tamen habet, ut perſeveret, ait idem Auguſt., *niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt: omne datum optimum &c.* Dei juſſu libera voluntate perficit, ſed a Deo adjutorium accipit, ait Auguſt. l. de grat. & lib. arb. c. 15., *ut faciat, quod jubetur*, atque ea perpendens Ezech. 18. *facite vobis cor novum ... & dabo vobis cor novum*, egregieque concilians inquit: *Quomodo, qui dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quare jubet, ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt, niſi quia dat, quod jubet, quum adjuvat, ut faciat, cui jubet. Semper eſt autem in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona ... Gratia vero Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius erat voluntatis malæ.*

Quarti, quod confidentius exaggerant, vanitas ex iis patet, quæ num. 11. præmiſimus. Si perſeverantiæ nomine veniat ipſum Dei adjutorium ſuapte efficax *quaſi in actu primo*, ſive efficaciſſimas voluntati vires ſubminiſtrans, liberum prædeſtinati aſſenſum non tempore, ſed efficientia præcedit, liberumque ejus arbitrium ſic determinat, ut habeat, quemadmodum ait Auguſt in l. de corrept. & gr. c. 8., *fortiſſimam, invictiſſimam, & perſeverantiſſimam voluntatem*, *liberrimam* tamen; gratia enim naturam perficit, non evertit, ejuſque *largitor* Deus *unumquodque movet ſecundum naturam ejus*, de quo toties evidentiſſime demonſtrato non attinet ultra dicere; quare inania ſunt, quæ adverſarii in abſurdis numerant ſententiæ noſtræ conſectariis. At ſi perſeverantiæ nomen ponimus in effectu libero, quem Deus in nobis ac nobiſcum operatur, non diffitemur, illum a libero arbitrio a Deo moto & excitato efficienter eſſe velut a veri nominis cauſa, quæ ita a prima & ſumma cauſa movetur, & applicatur operi, ut & ipſa ſe moveat, applicetque; *Ideo enim hæc* (opera ſcilicet bona, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria,) ait Auguſtinus in l. de Prædeſt. SS. c. 11., *& nobis præcipiuntur, & dona Dei, eſſe monſtrantur, ut intelligatur, quod & nos ea faciamus, & Deus facit, ut illa faciamus, ſicut per Ezechielem apertiſſime dicitur. Quid enim apertius, quam ubi dicit Deus, faciam, ut faciatis? Locum ipſum Scripturæ attendite, & videbitis, illa Deum promittere, ſe facturum, ut faciant, quæ jubet, ut fiant. Non ſane ibi tacet merita eorum, ſed mala, quibus oſtendit, ſe reddere pro malis bona hoc ipſo, quod eos facit habere deinceps opera bona, quum ipſe facit, ut faciant divina mandata.*

Fatemur denique, ut adjutorium Dei ſit efficax, idque, ad quod datur, obtineat, oportere, ut moventi Deo voluntas hominis non reſiſtat: Unde autem hæc ipſa, quam *negativam* vocitant, diſpoſitio? Eam ne gratia in homine invenit, an vero facit? *Quomodo dicitur*, ſcribebat ad Vitalem Auguſtinus, *quod per legem Dei, & doctrinam ſcripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit, præparatur voluntas a Domino, ac non potius per occultam inſpirationem gratiæ, quandoquidem pro eis, qui eidem doctrinæ contradicentes nolunt ei credere, ipſum Deum fide recta rogamus, ut velint? Quomodo expectat Deus voluntates hominum, ut præveniant eum, quibus det gratiam, quum gratias ei non immerito agamus de iis, quibus non ei credentibus, & ejus doctrinam voluntate impia perſequentibus miſericordiam prærogavit, eoſque ad ſe ipſum omnipotentiſſima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit? Ut quid ei inde gratias agimus, ſi hoc ipſe non fecit &c.?* Quod itaque non reſiſtat homo, ſeque a Deo moveri ſinat, ipſius Dei ſecretum opus eſt, cujus gratia, ait idem Auguſt. in l. de Prædeſt. S.S. c. 8., *a nullo duro corde reſpuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Quid autem *cor lapideum*, quod aufert ab homine gratia? *Non ſignificat*, inquit ipſe in l. de grat. & lib. arb. cap. 14., *niſi duriſſimam voluntatem, & adverſus Deum omnino inflexibilem*, quæ licet *conſervet ſæculi creaturam*, ideſt ad peccatum tenaciſſime adhæreſcat, *ita eſt in Dei poteſtate, ut eam, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari*: ibid. c. 20. De Angelici teſtimonio non eſt, cur dicamus; Prælect. enim XI. nu. VII. Eumdem ſui ipſius Interpretem adhibuimus, hominem ſcilicet innata ſua libertate poſſe gratiæ impe-

impedimentum apponere, non eſſe autem *omnino in ejus poteſtate*, *nullum impedimentum gratiæ præſtare* ſine ſpeciali Dei adjutorio.

V. Nunc inquirendum in duo illa perſeverantiæ dona, quæ adverſarii diſtinguunt, eximium alterum, Deiparæ, Apoſtolorum, & quorundam inſignioris ſanctitatis hominum proprium, alterum juſtis omnibus commune, iiſdemque in actu, ut ajunt, primo collatum. Quum novitia ſit hæc diſtinctio, antiquis quibuſque Eccleſiæ Patribus, & priſcis ſcholæ Magiſtris hactenus inaudita, & *chriſtianis auribus inuſitata*, ab Apoſtolo moniti depoſitum cuſtodire, & prophanas devitare vocum novitates, *priſcæ auctoritatis robore inſtructi* novam doctrinam e *medio profligamus*; *Nobis* enim, ut præclariſſime Tertullianus in l. de Præſcript. Hæret. c. 6., *nihil noſtro arbitrio inducere licet, ſed neque eligere, quod aliquis ex ſuo arbitrio induxerit. Apoſtolos Domini habemus Auctores, qui neque ipſi quidpiam, ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignarunt*. Quæ autem de hoc capite Eccleſiæ doctrina a Chriſto Apoſtolis tradita, & ab Apoſtolis *fideliter nationibus adſignata*? Unum eſſe perſeverantiæ donum, de quo Chriſtus Math. 10. & 24. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*, illudque non juſtis omnibus commune, ſed prædeſtinatorum omnium proprium, ſive præcellentiſſima ſanctimonia ſint, ſive vulgari & mediocri probitate. Tridentini primum verba, quæ Prælect. ſuper. n. VI. jam excuſſimus, iterum huc revocanda: *De perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt, qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit, quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi a ſolo Deo . . . nemo ſibi certo aliquid abſoluta certitudine polliceatur; & can.* 16.: *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certo habiturum, abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit*. Aliam ne Tridentinum agnoſcit, commendatque perſeverantiam, quam, de qua Chriſtus, eorum, ſcilicet, qui ſalvi revera fiunt? Hi autem num juſti omnes? Annon ſoli prædeſtinati, quum Apoſtolus ſcribat: *Quos prædeſtinavit . . . illos & glorificavit*? Si præter hoc & aliud eſt perſeverantiæ donum juſtis omnibus, etiam reprobis, divinitus impertitum, eccur Concilium tam ſevere interdicit, ne quiſpiam *ſibi certi aliquid de perſeverantiæ munere abſoluta certitudine polliceatur?* Annon polliceri ſibi juſtus quiſque certiſſime poteſt, præſto ſibi futurum Deum, ut perſeverare poſſit, ſi velit? At novum hoc perſeverantiæ genus in hominis poteſtate locatum, futurumque pro bono ejus uſu efficax, Tridentino prorſus ignotum, quum definiat, perſeverantiæ donum, quod iis, quibus conceſſum eſt, ſtabilitatem in bono adfert ad finem uſque, haberi *aliunde* non poſſe, *niſi ab eo, qui potens eſt, eum, qui ſtat ſtatuere, ut perſeveranter ſtet*. Hi autem annon ſoli prædeſtinati?

VI. Eſſet cum infinitus, tum forte minus utilis labor, ſi vel perſtringere vellemus omnia, quæ ad refellendam diſtinctionem hanc depromi ex Auguſtino poſſunt. Cui non notum diſcrimen, quod ille perſeverantiam inter collatam primo homini integro, & eam, quæ per Chriſtum lapſis tribuitur ac infirmis, in l. de corrept. & grat. c. 12. ſtatuit? ei nimirum datum, ut perſeveraret, ſi vellet, ſed non donatum, ut vellet, his autem dari per Chriſtum, & ut perſeverare velint, & re ipſa perſeverent, *perſeverare vel non perſevreare in ejus relictum arbitrio, fortiſſimo dimiſſum & permiſſum facere, quod vellet, ſervatum infirmis, ut, Deo donante, invictiſſime, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere invictiſſime nollent, ſubventum denique infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideo, quamvis infirma non deficeret, nec adverſitate aliqua vinceretur*. Felices hi autem qui? An juſti omnes? *Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædiſtnatis non tale* (quale nimirum primo homini) *adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint*. Cæterum, num Deiparæ, Apoſtolis, & ſi qui alii fuerunt in gratia confirmati, *tale adjutorium* datum, ut eis fuerit ſolum *perſeverantia ipſa donata*? Donum hoc Auguſtinus univerſim ait *ſervatum infirmis*, eoque *ſubventum infirmitati voluntatis humanæ*: hæc autem electis omnibus, *& in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis* annon communis? Ab Auguſtini itaque mente abeunt quam longiſſi-

giſſi-

giſſime, qui duo illa perſeverantiæ dona diſtinguunt; alterum peculiare, nec niſi quibuſdam datum ſanctitate maxime inſignibus, quo *indeclinabiliter* & *inſuperabiliter* ad vitæ finem uſque in bono permaneant, alterum juſtis omnibus commune, quo poſſint perſeverare, ſi velint.

VII. Etſi autem hanc Auguſtini doctrinam *moleſte*, ut ad eum ſcripſit Hilarius, *ferrent* Maſſilienſes, *nollentque, ita hanc perſeverantiam prædicari*, num ab ea diſceſſit Auguſtinus, aut quidquam adverſariorum expoſtulationi conceſſit? Næ il le harum quæſtionum plane rudis, qui animum inducat, ut credat. Dedit ille duas ad Hilarium & Proſperum libros, alterum *de Prædeſt. S. S.*, *alterum de dono perſev.*, in quibus hanc, quam perſequimur, veritatem non omni argumentorum genere ab eodem confirmatam, dubitare non alii poſſunt, quam qui vel ad eorum lectionem oculos, vel ad eorumdem intelligentiam animum nunquam admoverint. Multa ex l. de dono perſev. Prælect. XII. a nu. VI. ad X. uſque nervoſe preſſimus, quibus evinceremus, non eam eſſe doni perſeverantiæ indolem, quæ, ut Adverſariis placet, a libera pendeat hominis cooperatione velut a conditione, ſine qua neque efficax nec donum vere eſſet perſeverantiæ &c.; quæ & adverſus binum hoc ab iiſdem excogitatum perſeverantiæ donum torqueri aptiſſime & validiſſime poſſunt. Unum tamen eſt ejuſdem Auguſtini teſtimonium, quo nullum deſiderari poteſt illuſtrius, atque, ad efficiendum, quod propoſuimus, efficacius. *Nec nos moveat*, ait in l. de Correp. & grat. c. 9., *quod filiis ſuis quibuſdam non dat Deus iſtam perſeverantiam; Abſit enim, ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundum propoſitum vocatis, qui vere ſunt filii promiſſionis; Nam iſti, quum pie vivunt, dicuntur filii Dei, ſed quoniam victuri ſunt impie, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præſcientia Dei: Sunt enim filii Dei, qui nondum ſunt nobis, & ſunt jam Deo, de quibus ait Joannes c. 11.: Quia Jeſus moriturus erat pro gente, nec tantum pro gente, ſed etiam ut filios Dei diſperſos congregaret in unum, quod utique credendo futuri erant per Evangelii prædicationem, & tamen antequam eſſet factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris ſui inconcuſſa ſtabilitate deſcripti: Et ſunt quidam, qui filii propter ſuſceptam temporaliter juſtitiam dicuntur a nobis, nec tamen ſunt Deo, de quibus ait idem Jo. ep. 1. c. 2.* Ex *nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Non ait, ex nobis exierunt, ſed, quia non manſerunt nobiſcum, jam non ſunt ex nobis: Verum ait: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, hoc eſt, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Et tanquam ei diceretur, unde id oſtendis? Quod ſi fuiſſent, inquit, ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, filiorum Dei vox eſt: Joannes loquitur in filiis Dei loco præcipuo conſtitutus. Quum ergo filii Dei dicunt de his, qui perſeverantiam non habuerunt, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, & addunt, quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, quid aliud dicunt, niſi non erant filii, etiam quando erant in profeſſione & nomine filiorum? Non quia juſtitiam ſimulaverunt, ſed quia in ea non permanſerunt? Erant utique in bono, ſed quia in eo non permanſerunt, hoc eſt uſque in finem non perſeveraverunt, non erant, inquit, ex nobis .... hoc eſt non erant ex numero filiorum, quoniam qui vere filii ſunt, præſciti & prædeſtinati ſunt conformes imaginis filii ejus, & ſecundum propoſitum vocati ſunt, ut electi eſſent; Non enim perit filius promiſſionis, ſed filius perditionis .. Fuerunt igitur iſti ex multitudine vocatorum, ſed ex electorum paucitate non fuerunt. Non igitur filiis ſuis prædeſtinatis Deus perſeverantiam non dedit, haberent enim eam, ſi in eo filiorum numero eſſent: Et quid haberent, quod non accepiſſent, ſecundum Apoſtolicam, veramque ſententiam? &c.* Etiamne ad tam locuples tamque perſpicuum teſtimonium noſtris erit notationibus ac animadverſionibus opus? Cujus non in oculos, niſi meditatio eos clauſerit, ſponte inſilit, ſolis *filiis ſuis prædeſtinatis dare Deum perſeverantiam*, non autem iis, qui, licet, *quum pie vivunt, dicantur, & nobis ſint filii Dei*, non dicuntur tamen, neque ſunt ſecundum Dei præſcientiam, *quia victuri ſunt impie, & in eadem impietate morituri*, donum propterea perſeverantiæ filiorum *promiſſionis*, quos *Pater filio dedit, ut non pereant, ſed habeant vitam æternam*, proprium eſſe, non item commune juſtis omnibus, tametſi futuri ſint filii perditionis? Chriſto autem a Patre dati, ut *non pereant, ſed habeant vitam æter-*

nam, num ſoli cum Deipara Apoſtoli, aliique pauci ſingularis ſanctimoniæ homines?

VIII. At eſt, ait quidam, & ipſa ad gloriam prædeſtinatio omnibus, ſaltem juſtis, communis. Ita ne? Scilicet, inquit; eſt enim prædeſtinatio duplex, *completa* alia, alia *incompleta*: *completam* dicit, quæ totam mediorum, quibus homo ad finem uſque in bono permanet, reque ipſa vitam æternam conſequitur, ſeriem complectitur, de qua in l. de dono Perſev. c. 14. Auguſtinus: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur*: alteram vocat, quæ aliqua homini beneficia confert, quibus ad ſalutem tenditur, & ad ipſam uſque juſtificationis gratiam pervenitur, nec tamen ſtabilitas in bono uſque ad vitæ exitum obtinetur. Poſteriorem hanc juſtis omnibus communem ſtatuit, priorem non item, quam eorum vult tantum eſſe, qui prævenientis & excitantis gratiæ ope fulti ad extremum uſque perſeverant, & ſalvi fiunt, quæ tamen ex meritorum prævenientis gratiæ adminiculo comparatorum præſcientia pendet; neque enim electi, Joannes ipſe Baptiſta, Apoſtoli, aliique Sancti eximii abſoluta & efficaci Dei voluntate prædeſtinati ad gloriam ſunt, niſi ſub conditione, ſi ad finem uſque in bono perſtiterint: honoris tamen & reverentiæ cauſa Deiparam cenſuit excipiendam. Hinc & duplex perſeverantiæ donum diſtinguit, alterum *incompletum*, quo poteſt homo perſeverare, ſi velit, quod efficax vocat *in actu primo*, & juſtis omnibus commune ponit, alterum *completum*, quo actu perſeveratur in finem, prædeſtinatorum proprium, & efficax *in actu secundo*, cujus tamen energia a libera hominis cooperatione pendet; ſentit enim, nullum prævenientis gratiæ, qua præveniens eſt, adjutorium liberam hominis cooperationem efficientia ſua prævertere.

IX. Unde hanc ille doctrinam hauſerit, facillimum eſt, non conjectura ſolum, ſed certa intelligentia aſſequi. Non mirari tamen non poſſumus, exceptam ab eo *reverentiæ cauſa* Deiparam, quum Molina, in cujus ille veſtigiis inſiſtit, *ad exaltationem* potius, *laudem & honorem*, non Dei genitricis, ſed & *Chriſti*, Filii ejus, ſpectare ſcripſerit, *ſacratiſſimis eorum duorum animabus non ſolum excellentiora dona Deum conferre decreviſſe, ſed etiam eaſdem prævidiſſe, melius, quam cæteras pro innata ſua libertate uſuras ſuo arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius, quam cæteras electas fuiſſe*. Cæterum hoc miſſo, duplicis hujus prædeſtinationis ad gloriam, non apud Sanctos Auguſtinum & Thomam ſolum, ſed & apud probatum aliquem, gravemque Doctorem, quodnam eſt reperire veſtigium? Diſtinctio hæc cum tradita ab Auguſtino & Thoma prædeſtinationis finitione num congruit? Utrique, & omnibus ſuo nomine dignis Theologis non alia ad gloriam prædeſtinatio, quam quæ commendatur a Paulo, qua prædeſtinati vocantur, juſtificantur, glorificantur, ſeu ad gloriam, ad quam abſoluto divinæ voluntatis propoſito electi ſunt, perducuntur: Quam ille *incompletam* vocat, prædeſtinatio non eſt, ſed communis ſupernaturalis ordinis providentia, qua Deus reprobos non conſequente, ſed antecedente illa, qua vult omnes homines ſalvos fieri, ac generali voluntate, ad vitam ordinat, non efficaciter, ſed ſufficienter, & ſi prædeſtinationem vocare velis, prædeſtinationem dicito ad gratiam, non ad gloriam, qua Deus gratiæ dona illis tempore largiri ex æternitate decrevit, quibus gloriam poſſint adipiſci, ſi velint. Hanc juſtis omnibus communem eſſe, ut & auxilia, quæ perſeverando ſufficiunt, non diffitemur; pernegamus tamen, vocari illam recte poſſe prædeſtinationem ad gloriam; neque enim fas eſt, receptiſſimas rerum notiones pervertere, & conſecrata Patrum Theologorumque conſtanti uſu vocabula arbitratu noſtro mutare.

Sed miſſo etiam nominis abuſu, quid abſurdius, quam conſtituere, Electorum neminem, nec Præcurſore, Apoſtolis, aliiſque inſignioribus Sanctis exceptis, efficaciter & abſolute a Deo prædeſtinatum ad gloriam, niſi ſub conditione perſeverantiæ ad finem uſque, quæ in libero ejus arbitrio poſita a bono pendeat ejuſdem uſu? Potiores ergo in ſalutis negotio partes hominis, infimæ Dei, quod completum, & perfectum eſt, hominis, Dei autem, quod inchoatum ſolum & imperfectum. Annon enim inde conſequitur, Deum prædeſtinationem hominum duntaxat inchoare, hos autem excitante & præveniente gratia, quæ ſuapte verſatilis eſt, eorumque arbitrio ſubdita, pro innata ſua libertate ad finem vitæ uſque bene utentes inchoatam a Deo prædeſtinationem ſua induſtria complere at-

que

que perficere ? Imperfecta itaque prædeſtinatio Dei, completa & perfecta hominis opus. Qnid ſi pietatis opera, quæ ſunt prædeſtinationis effectus, in quibus ad finem uſque vitæ ſe ſe exercenres electi, æternam, ad quam prædeſtinati ſunt, vitam conſequuntur, a libero hominis arbitrio pendent tanquam ab efficiente veri nominis cauſa? Iterum ne inculcanda ſæpius dicta, Deum nempe *operari in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, incipere in nobis opus bonum, & perficere uſque in finem*, nos quidem *velle, & facere*, ſed ipſum *facere, ut velimus, & faciamus?*

Non pigeat Auguſtinum audire in l. de Prædeſt. S.S. cap. x.: *Quod dixi, ſalutem .... nulli unquam defuiſſe, qui dignus fuit, & dignum non fuiſſe, cui defuit, ſi diſcutiatur, & quæratur, unde quiſque ſit dignus, non deſunt, qui dicant, voluntate humana: nos autem dicimus, gratia vel prædeſtinatione divina. Inter gratiam porro, & prædeſtinationem hoc tantum intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; gratia vero jam ipſa donatio. Quod itaque ait Apoſtolus* ad Eph. 2.: *Non ex operibus, ne forte quis extollatur: ipſius enim ſumus figmentum creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, gratiæ eſt, quod autem ſequitur, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, prædeſtinatio eſt ... Quocirca prædeſtinatio ... gratiæ eſt præparatio: gratia vero eſt ipſius prædeſtinationis effectus. Quando ergo promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem gentium ... non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit; Promiſit, quod ipſe facturus fuerat, non quod homines: Quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, ut ipſe faciat, quod promiſit; alioquin, ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod a Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ. Non autem ſic credidit Abraham, ſed credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promiſit, potens eſt & facere*, ad Rom. 4., *non ait prædicere, non ait, præſcire, nam & aliena facta poteſt prædicere & præſcire, ſed ait, potens eſt & facere, ac per hoc facta non aliena, ſed ſua.* Qui intento in veritatem animo, hæc voluerit paulo diligentius expendere, multa inde habebit, quibus commentitiam hanc binæ prædeſtinationis & perſeverantiæ diſtinctionem profliget.

Nonnulla proferunt Adverſarii, quibus ſuſtentare illam nituntur. Quorſum tamen in iis diſiiciendis laboremus, quæ quum ſint falſo ſubnixa, ſponte concidunt? falſo enim ponunt, & prædeſtinationem ex meritorum præſcientia, & perſeverantiæ efficacitatem ex libera hominis gratia molli & flexibili recte utentis cooperatione pendere, quorum prius in Prælectionibus *de Deo uno*, quum de Prædeſtinatione eſſet ſermo, alterum Prælect. ſuperiori a n. vi. uſque ad finem, & in hac ipſa a nu. 1. uſque ad iv. procul a vero abeſſe, nec cum Auguſtini doctrina conciliari poſſe, ſatis, ut credimus, evictum eſt. Supereſt, ut diſquiramus, an poſtremis duobus eorumdem dictis melius cum veritate cohæreat.

PRÆLECTIO XIV.

De eodem argumento.

I. TErtia eorumdem poſitio, fieri nimirum poſſe, imo & aliquando evenire, ut duorum, qui paribus omnino præditi ſunt prævenientis gratiæ ſive exterioris, ſive interioris auxiliis, alter convertatur ad Deum, in bono ad finem uſque permaneat, fiatque ſalutis æternæ compos, alter a malo non reſiliat, ſed in eo ad exitum vitæ uſque contumaciter perſtans in æternum exitium incurrat, quam ſit falſa, præterquam quod ex dictis ſatis patere poteſt, uno illo momento, quod Auguſtino ipſi viſum ſemper eſt omnium efficaciſſimum, lubet evincere, notiſſimo ſcilicet Apoſtoli dicto 1. ad Cor. 4. *Quis enim te diſcernit?* Unius ab altero, ſeu perſeverantis a non perſeverante diſcretio a gratia jam non eſſet, quæ in ambobus æqualis omnino ponitur; eſſet ergo a natura, ab innata ſcilicet bonum conſtanter perſequentis, & in eo perſeverantis libertate: Hoc autem quantum ab Apoſtoli mente abhorret? *In hac Apoſtoli evidentiſſima intentione*, ait Auguſt. in l. de Prædeſt. S.S. cap. 5., *qua contra humanam ſuperbiam loquitur, ne quiſquam in homine, ſed in Domino glorietur, dona Dei naturalia ſuſpicari* (cujuſmodi eſt innata libertas, & bonus arbitrii uſus) *nimis, quantum exiſtimo, abſurdum eſt; Numquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt*

homi-

hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit, quis enim te diſcernit, & poſtea addidit, quid autem habes, quod non accepiſti? Poſſet quippe dicere homo inflatus adverſus alterum, diſcernit fides mea, juſtitia mea, vel ſi quid aliud (bonus liberi arbitrii mei uſus, meaque induſtria ad gratiam adjuncta, ſive cooperatio). *Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: Quid autem habes, inquit, quod non accepiſti? A quo, niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? Si autem & accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Numquid quæſo aliud agit, niſi, ut qui gloriatur, in Domino glorietur? Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quam de ſuis meritis ſic gloriari quemquam, tamquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei, ſed gratia quæ diſcernit bonos a malis, non quæ communis eſt bonis, & malis.*

II. Tametſi ſint hæc patentiſſima, liceat ex iis tamen, pauca preſſius urgere. Quid Apoſtoli *intentioni* contrarium magis, quam hæc, quam exagitamus, opinio? Totus ibi ille eſt, ut omnem homini in altero, præterquam *in Domino*, *gloriandi* anſam præcidat: Toti contra adverſarii, ut anſam homini dent gloriandi non in Domino, ſed in ſe ipſo; non perſeveranti & perſeveranti communis gratia, eadem in utroque & prorſus æqualis: Perſeverat ille, non iſte, quod eadem æqualiſque gratia pro innata ſua libertate bene utatur iſte, non ille: bonus hic gratiæ uſus a libero arbitrio eſt, non a gratia: Ab hoc itaque, non ab illa, ab homine, non a Deo hujus ab illo diſcretio: Er in ſe itaque gloriari poterit homo, non ſolum in Domino, imo in ſe ipſo magis, quam in Domino, a cujus gratia ſalutis inchoationem habens, & perſeverandi pollentiam, addit ipſe induſtria ſua, quod perſectum eſt, & expletum, perſeverandi nempe actum, & ſalutis conſumationem. Annon jam de cooperatione ſua *ſic gloriari* poterit homo, *tamquam ipſe ſibi eam fecerit, non gratia Dei*? Quid, ſi & a gratia illam eſſe fateatur? A gratia, *quæ communis eſt bonis, & malis, non quæ diſcernit bonos a malis*, a gratia ſuapte molli & flexibili, libero arbitrio ſubdita, quæ bonum ejus motum non prævenit, ſed comitatur & ſequitur, cujus nullus in voluntatem, ſed totus unice in opus bonum influxus, quæ voluntatem non præparat, ſed ad jam ſe ipſa præparatam, & ad recte agendum ſuopte arbitrio determinatam comitem ſe adjungit, & auxiliariam, quæ propterea, quum in perſeverantiæ negotio partem ſibi ſumat, partem, eamque potiorem hominis relinquat arbitrio, æquum non eſt, ut totam ſibi vendicet gloriam; nam ut *ſua libero arbitrio induſtria*, ita non poteſt *ſua laude fraudari*. Hæc ne vero cum Apoſtoli ſenſu concordant? Num & cum iis, quæ ex eodem Auguſtinus premit? *Quid autem habes, quod non accepiſti? Quo, niſi ab illo, qui Te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod Tibi donavit?* Quum Apoſtolus doceat, a ſolo Deo hominem ab alio diſcerni, hanc autem diſcretionem Auguſtinus in peculiari quodam dono uni collato non alteri veriſſime collocet, (ipſa enim naturæ ratione compertum eſt, non a communibus, ſed a propriis & ſingularibus rerum differentias oriri) qui ſentiunt, non a gratia, ſed ab innata hominis libertate bonum eſſe ejuſdem uſum, nihil ne Deo non acceptum referunt? Deum ne ſolum habent perſeverantem inter, & non perſeverantem diſcretionis Auctorem, a quo nihil plus donatum uni, quam alteri, volunt?

III. Nec horum argumentorum vis enervatur trito illo reſponſo, gratiam utrique collatam æqualem *phyſice*, non *moraliter*, impertita eſt enim perſeveranti *major in ratione beneficii atque doni*; quippe in opportunis iis tributa temporis, loci, aliiſque ejuſcemodi adjunctis, in quibus ex æternitate præcognitus eſt, eidem aſſenſurus, ſuamque cum illa ad perficiendum ſalutis ſuæ negotium operam collaturus &c. Gratiam hanc *congruam*, ideoque *in ratione beneficii majorem* Par. I. Prælec. x. quum late refellerimus, non vacat, alibi dicta repetere. Animadvertimus ſolum, Auguſtinum eodem in l. de Prædeſt. S. S. c. *6.* non hinc repetiviſſe diſcretionis hujus cauſam, ſed a Dei electione, qui hujus voluntatem preparavit, non illius, huic, non illi dedit, ut crederet, perſeveraret, & ſalvus eſſet, quum elegit, *non quia fidelis erat, ſanctus &c.* ſeu quia fidelis, & perſeveraturus prævjſus eſt, ſed *ut fidelis eſſet, ſanctus & immaculatus ad finem uſque. Multi*, ait, *audiunt verbum veritatis; ſed alii credunt, alii contradicunt, volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed, quum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat*

niat de miſericordia ejus, quid de judicio: *Quod quærebat Iſrael*, ait *Apoſtolus* ad Rom. 11., *hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt, cæteri vero excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt* Jeſ. 6.: *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant uſque in hodiernum diem: Et David dicit*: Pſal. 68. *fiat menſa eorum in laqueum, & in ſcandalum, & in retributionem illis: obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. Ecce miſericordia, & judicium; miſericordia in electionem, quæ conſecuta eſt juſtitiam Dei, judicium vero in cæteros, qui excæcati ſunt, & tamen illi, quia voluerunt, crediderunt, iſti, quia noluerunt, non crediderunt. Miſericordia igitur, & judicium in ipſis voluntatibus facta ſunt: Electio quippe iſta gratiæ eſt ... Cæteris autem, qui excæcati ſunt ... in retributione factum eſt. Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas: Inveſtigabiles autem ſunt viæ ejus: inveſtigabiles ergo, & miſericordia, qua gratis liberat, & veritas qua juſte judicat.*

Multorum idem veritatis verbum audientium quod alii credant, alii contradicant, Auguſtino quæ ratio? An quod illorum gratia ſit *congrua*, horum, eadem licet & plane æqualis, non congrua? Hujus generis gratia Auguſtino prorſus incognita, qui eam ſemper gratiam inculcat, quæ *voluntates hominum prævenit, facitque ut bonum velint homines, quod nolebant*. Inde rationem petit, quod illis *præparetur, his non præparetur voluntas a Domino*. Quæ autem hæc præparatio? An gratiæ ſubminiſtratio, quæ tametſi natura ſua tenera, & in quamcumque partem ductilis, efficax tamen erit, quod cum illorum indole, ingenio, affectionibus congruat, vel opportuno tempore, & loco donetur? Næ ille ridiculus, qui hæc in Auguſtino quæſierit, apud quem non alia voluntatis *præparatio*, quam per eam Dei gratiam, qua voluntatem humanam *in melius mutat, & ad ſe omnipotentiſſima facilitate convertit, faciens ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes &c.*. Quod ergo credant aliqui, ad bonum ſe applicent, illudque ſtabiliter uſque ad vitæ exitum teneant, *electio gratiæ* eſt, atque *miſericordia in ipſis voluntatibus facta*, quæ *a Domino præparatæ* ſunt, *ut indeclinabiliter, & inſuperabiliter divina gratia* ſuapte efficaci *agerentur*; & in bono ad extremum uſque perſtarent: quod autem veritati contradicant alii in malitia obdureſcant, & pereant, *judicium* Dei eſt *in ipſis voluntatibus factum*, quas *præparare* noluit, iiſque *donare, quod donavit aliis*. Quidpiam ergo multo præſtantius, ſuaque natura efficax a Deo, qui ſolus, teſte Apoſtolo, unum ab alio diſcernit, qui perſeverat, accepit. Merito itaque ab omnibus Auguſtini, & Thomæ Diſcipulis hæc adverſariorum poſitio reiicitur, ceu quæ ab eorumdem tutiſſima & inconcuſſa doctrina palam diſcordet.

IV. Tantum tamen abeſt, ut dent, opinionem ſuam cum Auguſtini doctrina pugnare, ut illum contra producant ejuſdem apertiſſimum ſuffragatorem. Exemplum primo arripiunt, quod ille in Pharaone, & Nabuchodonozore ponit, & in l. de Prædeſt. & Grat. cap. 15. ita perſequitur: *Quantum ad naturam ambo homines erant: quantum ad dignitatem ambo Reges: quantum ad cauſam, ambo populum Dei captivum poſſidentes: quantum ad pœnam ambo flagellis admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?* Annon hinc manifeſto colligitur, ſentire illum, etſi eſſent hi æqualibus gratiæ auxiliis adjuti, alterum manum Dei ſenſiſſe, & ſalutariter ingemuiſſe, quia voluit, alterum non reſipuiſſe, quia noluit? Et illud captant, quod l. 12. de Civ. Dei cap. 6. in duobus hominibus corpore & animo peræque affectis, eademque tentatione pulſatis ſtatuit, de quibus ait: *Si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat, alter idem, qui fuerat, perſeveret, quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe, a caſtitate deficere? Unde, niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio?* Duorum itaque æqualiter affectorum hominum quum alter perſeveraverit, Judice Auguſtino, quia voluit, alter pro ſua libertate peccato conſenſerit, quidni & aliquando continget, ut duorum æqualibus prævenientis gratiæ auxiliis prædītorum alter ad meliora animum revocet, & ad bonum, quod elegit, conſtanter ad finem uſque adhæreſcat, alter contra a perverſa, quam inivit, via non recedat, ſed eamdem uſque ad obitum perſequatur?

V. Primum teſtimonium neminem debet habere ſolicitum; promptum eſt enim

ex

ex libro, qui eruditorum judicio Auguſtino ſuppoſitus eſt, quod noſtris in *exercitationibus ad Danielem* Exercitat. XIII. oſtendimus, ubi & notationem exſcripſimus Doctiſſimorum e S. Benedicti familia Monachorum, qui noviſſimam Auguſtini operum editionem curarunt, viſum ſcilicet opuſculum hoc Bellarmino, Poſſevino, aliiſque, non Auguſtino ſolum, ſed & Fulgentio, cui olim tribuebatur, Auguſtini doctrinæ addictiſſimo indignum, quod aliqua in eo ſint conſtanti Auguſtini doctrinæ contraria, & quæ Caſſiani ſenſa redolent, præſertim quod in quæſtione de Pharaone & Nabuchodonozore poſita *non aliam reſponſionem adfert, quam quæ a Caſſiano redderetur*. Quicunque ſit tamen libri hujus parens, non habere Adverſarios in ejus verbis, quo opinionem ſuam ſuſtentent, probat Alvarez ſequentibus ejuſdem verbis *: Hic quicunque reſpondet, illi* (ſcilicet Nabuchodonozor) *ut mutaretur, adſuiſſe divinum, huic* (nempe Pharaoni), *ut induraretur, defuiſſe præſidium, & hoc contendit injuſtum, propter quod rerum ipſarum fines in Dei voluntate conſtituens Apoſtolus dixit : Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat, dicente Domino, ſine me nihil poteſtis facere, intelligat, illa omnia, vel adjuvante Domino perfici, vel deſerente permitti*. Divino itaque præſidio fretus Nabucadnozor *in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit*, quod juſto Dei judicio Pharaoni negatum eſt, qui obduruit in impietate.

In eo autem, qui ex 12. l. de Civ. Dei laudatur, loco quid eſt, quod Adverſariorum poſitioni ſuffragetur? Caput illud ſextum qui legerit, quid inde extundet, niſi eorum, in quibus Auguſtinus exemplum ponit, alterum *eumdem, qui fuerat, perſeveraſſe*, alterum tentationi *ceſſiſſe* nonniſi *propria voluntate*, quæ illius bona, hujus mala fuit, quo nihil verius? C. 7. In malæ voluntatis cauſam requirens ſtatuit, ejus non quærendam cauſam *efficientem*, ſed *deficientem*, quæ non alia præter liberum arbitrium, quod, quia *non ſumme eſt*, ſed eſt *de nihilo factum, deficere ab eo poteſt, quod ſumme eſt, ad id, quod minus eſt, hoc eſt incipere habere malam voluntatem, non quia malum eſt* (phyſicum ſeu naturale) *quo ſe convertit, ſed, quia mala eſt ipſa converſio*. Verum ut propriæ voluntatis malæ non alia cauſa, quam ipſe ſibi homo, vel Angelus, ita num & bonæ? C. 9. diſerte probat, bonam voluntatem *non ex nobis eſſe, ſed ex Deo, a quo eſt voluntas*, quod ſemper ſibi conſtans innumeris aliis in ſuorum, quæ a ſuſcepto Epiſcopatu edidit, operum locis perpetuo adſtruxit. Alter ergo corpore animoque ſimiliter affectus *idem ſuggeſtioni, & qualicunque ſuaſioni non conſenſit propria voluntate*, ſed bona, quam non ipſe fecit, ſed Deus: alter *conſenſionis, & malæ, quam mali ſuadenti adhibuit, voluntatis* ſolus ipſe cauſa, non *efficiens*, ſed *deficiens*.

VI. An vero naturali rationi hæc eorum poſitio magis conſona? In hanc ipſi perſuaſionem adducti his potiſſimum argumentis ſunt. Quum fidei dogma ſit a Trid. definitum, *liberum arbitrium motum & excitatum a Deo* conſentire *poſſe*, & *diſſentire, ſi velit*, hoc eis inde videtur argumentum exiſtere : *Poſſibili*, ut ajunt, Philoſophi, *poſito in eſſe, nullum ſequitur inconveniens :* Si duos itaque ponas æqualibus inſtructos auxiliis, quid jam erit abſurdi, ſi alter ab iniquitate traducat ad pietatem animum, eamque amplexus ad mortem uſque retineat, ſicut revera poteſt, alter contra diſſentiat, & in malo hæreat uſque ad extremum, quemadmodum reipſa illum poſſe, certiſſimum eſt? Interdum ergo continget, ut duorum, qui æqualiter a præveniente Dei gratia parati, atque inſtructi ſunt, alter convertatur, pie vivat &c. alter contra animum ab iniquitate non abſtrahat &c. Nonne haud raro evenit, ut duorum, qui a Deo juſtificati æqualiter ſunt, alter in accepta juſtitia perſeveret, vitamque aſſequatur æternam, alter a juſtitia excidat, æternumque in interitum ruat? Quidni ergo & ex duobus præveniente gratia æqualiter adjutis, alter convertatur, ut vivat, non item alter? Solent & illud Chriſti Math. 11., *Si in Tyro & Sidone* &c. in opinionis ſuæ præſidium trahere.

VII. Quum divinæ gratiæ efficacitatem cum humani arbitrii libertate componeremus, multa ex D. Thoma protulimus, quibus veri amantibus perſuaderi firmiter potuit, humanæ libertati a divinæ gratiæ energia nihil imminere periculi, quod Deus omnia moveat, prout cujuſque natura poſtulat, ejuſque virtus & motio, hoc ipſo, qood infinite efficax eſt, in actionibus rerum, quas ad agendum movet, & applicat, non ſubſtantiam ſolum, ſed & modum attin-

attingat; Qui ergo a Deo efficaciter permovetur ad bonum, poteſt eo ipſo, quo movetur, inſtanti, repugnare, ſi velit, re tamen ipſa non repugnabit, quia Dei gratia, ut abſolutæ voluntatis & omnipotentiæ ejus inſtrumentum eſt, efficit, ut, qui innata ſua libertate repugnare poteſt, non repugnet, ſed certiſſime, libere tamen, conſentiat, ſicut prædeſtinatus perire poteſt, nec tamen unquam peribit, quod videmur nobis, ad liquidum deduxiſſe Par. I. Prælect. IX. Quod autem ex hominis a Deo moti libertate, & pollentia diſſentiendi, argumentum cudunt, inane eſt; Illud enim ipſe ſibi D. Thomas objicit I. p. q. 23. art. 6., & ſolidiſſime ibidem extricat ad 2. reſpondens, magnum ſequi *inconveniens, ſi poſſibile ponatur in eſſe, poſito alio*, quod componi cum illo non poſſit; ſequeretur enim, contraria duo, & mutuo pugnantia ſimul vera eſſe quod plane abſurdum eſt. Solent Noſtrates ad hoc declarandum exempla conferre: Tenebroſum e. c. cubiculum illuminari poteſt, nec quidquam abſurdi concipere eſt, ſi revera illuminetur: At, ſi animo fingas, jacere illud in tenebris ſimul, & luce perfundi, quidpiam commentaris perabſurdum; Conſequens enim eſſet, idem tenebroſum eſſe ſimul, & lucidum, ſeu luce carere ſimul, & non carere, quod quantum a communi hominum ſenſu abhorreat, ſtipes, oportet, ſit, qui non percipit. Ad rem ergo: Poteſt Petrus abſolute non converti, eumque re non converti, abſolute ſi ponas, nihil abſurdi invehis: At ſi, qui abſolute poteſt, e malitia non emergere, ad meliorem frugem a Deo efficaciter moveatur, eumdemque velis reipſa diſſentire, nec a via ſua mala recedere, quantum abſurdum concoquas, neceſſe eſt! aut efficacem ſcilicet Dei motionem non eſſe efficacem, aut abſolutam omnipotentis voluntatem inefficacem eſſe, & infirmam: Alterutro autem quid abſurdius?

Nec minus inane alterum; latum enim eſt *habitualem* inter, qua juſtificatur homo, & *actualem* gratiam, qua ad pie vivendum, aut ad perſeverandum, adjuvatur, diſcrimen; Illa enim homini tribuit poſſe ad finem uſque perſeverare, non autem actu, neque ipſa perſeverare. Quid mirum ergo, ſi duorum æque juſtificatorum alter juſtitiam voluntatis ſuæ vitio deſerit, æternæque ſalutis diſpendium facit, alter ſingulari Dei miſericordia acceptam juſtitiam ad exitum uſque conſervat, æternæque vitæ ſit compos? Huic perſeverantiæ donum a Deo collatum eſt, qui, *quos vult, gratis liberat*, negatum illi occulto, æquiſſimo tamen, Dei judicio, apud quem *nulla eſt iniquitas*, ſed *veritas, qua juſte judicat*. At efficax gratiæ adjutorium, quod *actuale* dicitur, & *actionis*, homini dat, bene agere, aut ad finem uſque perſeverare; quare, qui recte operatur, aut ad finem uſque in bono perſtat, non poteſt non aliquo hujuſmodi adjutorio fultus eſſe, quo caret ille, qui aut prave agit, aut in impietate perſiſtit. In verbis Chriſti Math. 11. explicandis non eſt, cur iterum laboremus, quorum genuinam interpretationem ex Auguſtino jam dedimus Par. I. Prælect. X. n. IX.

VIII. Quid tandem de illorum opinione cenſendum, qui ſpeciali perſeverantiæ dono egere hominem, ſtatuunt, cui longum ſit vitæ curriculum in accepta juſtitia conficiendum, non item eum, cujus inter juſtificationem & mortem exiguum eſt temporis intervallum? Videtur nobis cum Sapientiſſimo Jo. a S. Thoma & Theologorum pleriſque *ſatis periculoſa*, & *parum tuta* hæc opinio; quare ut ratum ponimus, conjunctionem omnem gratiæ cum vitæ exitu donum eſſe providentiæ ſpecialis, & præcipuum prædeſtinationis effectum, opus propterea habere ſpeciali, exterioris ſaltem divinæ protectionis, auxilio. Hæc nobis videtur Eccleſiæ doctrina, ab Arauſic. II. cap. 10. & a Trid. ſeſ. 6. de juſtif. can. 22. definita: Primum enim ait, *adjutorium Dei etiam renatis & ſanctis ſemper eſſe implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono poſſint opere perdurare*, alterum anathema in eum fert, qui *dixerit juſtificatum ſine ſpeciali Dei auxilio in accepta juſtitia perſeverare poſſe*, utrumque autem ſpecialis hujus divini adjutorii neceſſitatem abſolute ſanciens perſeverantiam inter brevis, ac longi temporis non diſtinguit: quæ ergo a nonnullis adhibetur, exceptio ab Eccleſiæ mente videtur aliena. Sed omnem de veritate hac dubitationem e medio tollunt S. S. Auguſtini & Thomæ auctoritas, & momenta. Nihil illuſtrius Auguſtini teſtimonio, quod ex l. de dono Perſev. c. I. Prælect. XII. n. VIII. deſcripſimus, *hanc* ſcilicet, *de qua nunc agimus, perſeverantiam, qua in Chri-*

Chriſto perſeveratur uſque in finem, nullo modo habuiſſe dicendum eum, *qui non perſeveraverit uſque in finem, potiuſque hanc habuiſſe unius anni fidelem, & quantum infra cogitari poteſt*, (ideſt unius menſis, diei, ac etiam horæ) *ſi donec moreretur fideliter vixit, quam multorum annorum, ſi exiguum temporis ante mortem a fidei ſtabilitate defecit*. Qui ergo paulo ante mortem juſtificatus, quam mox accepit, juſtitiam ad mortem uſque retinet, hanc, de qua agimus, perſeverantiam, qua in Chriſto perſeveratur in finem, Auguſtino judice, habuit : unde autem, niſi a Deo, cujus eximium donum eſſe hanc *unius anni, & quantum infra cogitari poteſt*, Auguſtinus ad finem libri uſque & divini eloquii teſtimoniis, & orationis Dominicæ, cujus ex Cypriano interpretationem profert, petitionibus luculentiſſime probat ?

C. 2., etſi multo difficilior eorum perſeverantia ſit, qui pro Chriſto neci dantur, quam eorum, quos morbi vis, aut repentinus aliquis caſus e mundo rapit Chriſto gratia & charitate conjunctos, utramque tamen a Deo donari, ſcribit : *Sed quis dicat, iſtis non donari hanc perſeverantiam, qui ægritudine corporis, aut quocunque caſu moriuntur in Chriſto, quum longe difficilior donetur illis, a quibus ſuſcipitur & mors ipſa pro Chriſto ? Multo quippe difficilius perſeveratur, ubi hoc agit: qui perſequitur, ne perſeveretur, & propterea uſque ad mortem ſuſtinetur, ut perſeveretur. Illam proinde difficilius perſeverantiam, iſtam facilius habere, ſed cui nihil difficile eſt, facile eſt utramque donare : Hanc enim promiſit Deus dicens*. Jer. 32. *Timorem meum dabo in cor eorum ita, ut a me non recedant. Quod quid eſt aliud, niſi talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perſeveranter adhæreant ?* Annon videtur Auguſtinus animo complexus eſſe, & refelliſſe ratiunculam, qua nonnulli permoti ſunt, ut eorum perſeverantiam, quorum eſt a ſuſcepta juſtitia perbrevis vita, in eximiis Dei beneficiis non numerarent, nimirum quod ſit iſta facilior, quam ut ſingulari Dei ope indigeat, quippe quæ neque tot, neque tantis tam brevi temporis ſpatio patere poteſt ſive exterioribus ſive interioribus ad peccandum incitamentis, nec tanta premi operum, quæ præſtanda ſe offerant, difficultate ? *faciliorem* eſſe, cum Auguſtino concedimus : verumtamen & a Deo eximia providentia donari, cum eodem conſtanter aſſerimus; Quis enim & anguſto illo tempore tentationes arcet, ſubmovetque peccandi pericula, niſi ille, qui nunquam non rogandus eſt : *Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo ?* Etſi naturales cauſæ mortem afferant, quis tamen eas ita temperat, applicatque, ut tunc homo vivendi finem faciat, quum eſt illi obitus maxime conducibilis & ſalutaris, niſi illa, de quo Pſal. 67. ſcriptum eſt : *Et Domini Domini exitus mortis ?* Quare in eod. l. c. 17. ajebat Auguſtinus : *Videte, quantum ſit a veritate alienum, negare, donum Dei eſſe perſeverantiam uſque in finem, quum vitæ huic, quando voluerit, ipſe det finem, quem ſi det ante imminentem lapſum, faciet hominem perſeverare uſque in finem*.

IX. Sed præſtat, eumdem audire in l. de Prædeſt. SS. c. 14. veritatem hanc eo Sap.4., quo & Cyprianum in l. de *Mortalitate* uſum memorat, nempe *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, egregie confirmantem : *Illud teſtimonium*, ait, ... *a me quoque poſitum, fratres iſtos* (Maſſilienſes) *ita reſpuiſſe dixiſtis, tamquam non de libro canonico adhibitum, quaſi, & excepta libri hujus atteſtatione, res iſta non clara ſit, quam volumus hinc doceri. Quis enim audeat negare Chriſtianus, juſtum, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum ? Quilibet hoc dixerit, quis homo ſanæ fidei reſiſtendum putabit ? Item ſi dixerit, juſtum, ſi a ſua juſtitia receſſerit, in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua non dico unum annum, ſed unum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil ſibi ſua præterita juſtitia profutura, huic perſpicuæ veritati, quis fidelium contradicit ? Porro ſi quæratur, utrum ſi tunc eſſet mortuus, quando erat juſtus, pœnas eſſet inventurus, an requiem, numquid requiem reſpondere dubitabimus ? Hæc eſt tota cauſa, cur dictum eſt, a quocunque ſit dictum, Raptus eſt* &c. *Dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, ideſt quod ei mortem immaturam largitus fuerat, ut tentationum ſubtraheretur incerto, non quod peccaturus eſſet, qui in tentatione manſurus non eſſet . . . . Sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ peri-*

cu-

culis, dum juſti ſunt, auferantur, alii vero juſti, donec a juſtitia cadant, in eiſdem periculis vita productiore teneantur, quis cognovit ſenſum Domini? Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis juſtis, qui bonos & pios mores uſque ad ſenectutis maturitatem, & diem vitæ hujus ultimum ſervant, non in ſuis meritis, ſed in Domino eſſe gloriandum, quoniam qui vitæ brevitate rapuit juſtum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipſe in quantacunque vitæ longitudine cuſtodit juſtum, ne malitia mutet intellectum ejus. Annon Auguſtinus ad eximiam & præcipuam Dei providentiam perinde refert, & quod alicui *mortem immaturam largiatur, ut tentationum ſubtrahatur incerto, vitæque brevitate rapiat juſtum, ne malitia mutet intellectum ejus*, & quod *in quantacunque vitæ longitudine cuſtodiat juſtum, ut bonos & pios mores uſque ad ſenectutis maturitatem, & diem vitæ ultimum ſervet*? Palam ergo ab Auguſtino diſſentiunt, qui perſeverantiam brevis temporis ſpeciale Dei donum non eſſe contendunt.

X. Nemo propterea dubitarit, eos & a D. Thoma Fideliſſimo Auguſtini Diſcipulo diſſentire. Multis ille l. 3. c. G. c. 155. rationum momentis demonſtrat, egere hominem ad *finaliter* perſeverandum auxilio gratiæ, hocque non ita intelligendum ait, quaſi vero *ſuper gratiam habitualem prius infuſam ad bene operandum alia deſuper infundatur ad perſeverandum, ſed quod habitis omnibus habitibus gratuitis adhuc indiget homo divinæ Providentiæ auxilio exterius gubernantis*. Cur vero? Aliqua ſolum ex eo delibabimus, quæ dubitare cordatus nemo poteſt, quin & in unius diei, ac horæ etiam perſeverantiam quadrent, efficiantque, & hanc eximium eſſe Dei donum. Quod eſt ſuapte variabile, ait, ut in uno figatur, moventis, ſive cauſæ alicujus immobilis auxilio eget; quum ſit ergo homo de malo ad bonum, & de bono ad malum natura mutabilis, ut bonum immobiliter teneat, *quod eſt perſeverare*, ſingulari ejus, qui ſolus eſt abſolute immutabilis, Dei nempe, opus habet auxilio. Quid ergo, ſi hominis juſtificationem inter, & mortem unius tantum, vel alterius horæ ſpatium interfluit? Quum ſit ejus & tantillo tempore mutabilis voluntas, ne bonum deſerat, in eo divinitus firmetur, neceſſe eſt. Facit ad idem conſtabiliendum altera hæc ejuſdem ratio, cujus veluti ſummam damus: Quis negarit, ad ea, quæ ſuas ſupra vires ſunt, egere hominem divinæ gratiæ adjutorio? Perſeverare autem in bono ad finem uſque, ſeu diu, ſeu brevi, annon liberi arbitrii viribus longe præſtat? Hoc ſe ipſo non poteſt, niſi quæ ſub electione cadunt: Num autem ſub electione cadere perſeverantia poteſt? Quod eligitur, quodque propterea liberæ voluntatis electioni ſubeſt, non eſt, niſi ſingulare quidpiam hic & nunc agendum; Quum itaque perſeverantia non ſingularem aliquem actum hic & nunc eliciendum ſignificet, ſed *continuationem operationis per totum tempus*, quod, quantumcunque fuerit, ad mortem uſque decurrit, *effectus iſte, qui eſt perſeverare, eſt ſupra poteſtatem liberi arbitrii*: ad perſeverandum itaque in bono liberum arbitrium divinitus adjuvetur, oportet.

Demum: Tametſi homo ſit actionum ſuarum dominus, non item naturalium ſuarum virium, ſeu facultatum, quæ ſunt agendi principia; quare etſi poſſit homo quidquam libere velle, vel nolle, efficere tamen, quum vult, ſuapte virtute nequit, ut voluntas in eo, quod eligit, immobiliter hæreat; quum itaque in hoc perſeverantiæ notio ſit poſita, ut voluntas ſtabiliter ad mortem uſque in bono permaneat, non eſt illa in liberi arbitrii poteſtate: *Oportet ergo, adeſſe homini auxilium divinæ gratiæ ad hoc, ut perſeveret*. Qui hæc, & alia, quæ tum ex naturæ ratione, tum ex Scripturarum oraculis, & ex petendæ a Deo perſeverantiæ neceſſitate ibidem urget Angelicus, voluerit diligentius expendere, non poterit non aſſentiri, iis perinde confici, & diuturni, & modici temporis perſeverantiam Dei ſolius inſigne donum eſſe. Cæterum ex quo idem D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 10. egere hoc dono hominem ſtatuit, ut *protegatur contra tentationum incurſus*, inferunt adverſarii, ſaltem non eo egere parvulos baptiſmate tinctos, quos ex humanis rebus ante rationis uſum immatura mors eximit, quippe qui nihil hujuſmodi pati pro ea ætatula poſſunt; minus ſcite; tamen; neque enim D. Thomas adæquatam neceſſitatis hujus cauſam, omneſque doni hujus effectus ibi complexus eſt, ſed eum duntaxat, qui plerumque in hominibus locum habet. Prælect. XII. n. IX. monuimus, non unum eumdemque eſſe doni hujus effectum, nonnullis afferre

mortis accelerationem, ut parvulis a baptiſmo recentibus, aliis contra vitam producere &c.

PRÆLECTIO XV.

An & homini integro opus ad perſeverandum fuiſſet ſpeciali Dei adjutorio.

I. ÆGerrime ad quæſtionem hanc verſandam adducimur, quod adverſus ipſos Auguſtini Diſcipulos nobis pugnandum ſit; quos enim hactenus ferme conſentientes habuimus, in hac quæſtione non aperte a nobis diſſident ſolum, ſed & nobis vitio vertunt, palamque de nobis expoſtulant, quod ab Auguſtini doctrina diſceſſerimus quam longiſſime. Neminem latent, a Janſenio adverſus Scholæ Thomiſticæ aſſeclas non audacter ſolum ſed & injuſte ſcripta l. 8. *de Gratia Salvat.* c. 2., *gratiam* ſcilicet *efficacem ad omnes humanæ naturæ ſtatus dilatatam ab Auguſtini ſenſibus eſſe remotiſſimam, & vi potius humanæ philoſophiæ, quam Auguſtinianæ theologiæ expreſſam, atque inventam . . . . totum fundamentum gratiæ medicinalis Chriſti ſubverti, & Scripturam ſubnervari, dum gratiæ neceſſitas, non ex vulnere voluntatis, ſed naturali ejus indifferentia, & omnium cauſarum ſubordinatione ſuſpenditur . . . . qui medicinalem Chriſti gratiam ſic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominum, lapſorum, & innocentium, ex vi cauſæ primæ, & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profecto Ariſtotelicos eſſe, quam Auguſtinianos* &c. In hoc judicio quantum veritatis limites Janſenius tranſilierit, ii facile dijudicabunt, qui non ſunt D. Thomæ doctrinæ omnino rudes; Quoties enim ille non a *naturali* voluntatis *indifferentia*, & *cauſarum omnium ſubordinatione* ſolum, ſed & ab ejuſdem vulnere, vitio, corruptione, infirmitate, gratiæ, quam *ſanantem* perſæpe vocat, neceſſitatem repetit patentiſſime? Neque hoc ignorare potuit Janſenius, qui eumdem ſæpe *Auguſtinum contractum* non aſſentatorie vocat, de quo & in l. 2. Proœmiali de ratione & auctoritate c. 22. ſcripſit: „ Quidquid veræ theologiæ in ſcholaſtica S. Thomæ „ continetur, uſque ad ipſorum articulorum fundamenta, ex Auguſtino ita mutuatum eſt, ut, quemadmodum novum „ teſtamentum, nihil eſt aliud, niſi vetus revelatum, & Auguſtini de gratia „ Dei doctrina nihil præter fidei principia „ in ſuas deducta concluſiones, ita S. „ Thomæ ſumma, ubi theologiam tractat, pro magna parte nihil ſit aliud, „ quam *Auguſtinus contractus*, certaque „ proportione naturalibus principiis alligatus. “

II. Sed hominis & ſui ipſius immemoris, & in Auguſtini doctrina explicanda non raro errore capti judicium nec leviter nos permoveret, niſi illud probarent non pauci fidei integritate, & doctrina ſpectabiles, quamque mox expoſituri ſumus, Scholæ noſtræ ſententiam pronuntiare pergerent ab Auguſtini mente prorſus alienam; quare cogimur, paulo operoſius inquirere, jure ne, an injuria, de hominibus non Thomæ magis, quam Auguſtini ſtudioſiſſimis judicium hoc feratur. Omnium, quos legerimus, copioſiſſime, atque accuratiſſime provinciam hanc ſuſcepit, ſuſtinuitque eodem hoc ſæculo Hiacynthus Serry Patavinus Anteceſſor in opuſculo, cui titulum fecit: *D. Auguſtinus D. Thomæ, ejuſque Angelicæ Scholæ conciliatus in quæſtione de gratia primi hominis, & Angelorum*, quod anno 1727. ſeorſim editum, ab Auctore poſtea magna rerum acceſſione illuſtratum, & adverſus obſcuros aliquos prioris oppugnatores aſſertum vi vindicatum, Venetiis an. 1742. iterum impreſſum, in tertium *Prælectionum* ejus volumen inſertum eſt. Qui veri amantes ſunt, in eo abunde habent, quo dijudicare tuto poſſint, an D. Thomæ, Diſcipulorumque ejus *de gratia Adæ* ſententia Auguſtini doctrinæ conſentanea ſit, an ſecus, ſirmiterne perpetuis ejuſdem Auguſtini principiis conſtituta, num demum, quæ ex Auguſtini l. de corrept. & grat., quem doctrinæ ejus *clavim* eſſe volunt, opponi ſolent, ſolide & feliciter, an inaniter diſſoluta. Nobis propoſitum eſt, pauca perſtringere, atque ea maxime, quæ majoris ſemper nobis viſa ſunt efficacitatis ad perſuadendum, eguiſſe hominem integrum, ut actu perſeveraret, etſi non omni eo nomine, quo lapſus & æger, ſpeciali divinæ gratiæ, ejuſque ſuapte efficacis, adjutorio, & legitimam locorum, quæ ex Auguſtino objiciuntur, intelligentiam evolvere, quod, prinſquam adorimur, ut ratum ſumimus, ſi ulla vetu-

Digitized by Google

tuſtis iiſque probatiſſimis monumentis fides, quæ & Adverſarii ipſi penes ſe *authentica* ſervant, in notiſſimis iis Congregationibus *de auxiliis* & hanc de Angelorum, & Adæ gratia agitatam fuiſſe quæſtionem, & in Auguſtini de ea ſententiam diligenter inquiſitum, coram Paulo V. die 22. Nov. an. 1605., eum, qui Molinæ cauſam orabat, probatis ex c. 11. & 12. l. de corrept. & grat. teſtimoniis conatum evincere, ſenſiſſe Auguſtinum, *Adamum & Angelos non indiguiſſe, ut perſeverarent, alio adjutorio Dei, præter illud, quod habuerunt*, ſufficiens nempe, ac in libero eorumdem arbitrio poſitum . . . . . *cum hoc auxilio ſine alio prædeterminante Adamum* fuiſſe revera *perſeveraturum, ſi voluiſſet, juxta doctrinam Auguſtini* &c. die tamen ejuſd. menſis 29. a Congregatione decretum, duobus exceptis, quos in Molinæ partibus fuiſſe, pervulgatum, *perſiſtendum in ſententia*, de gratia nimirum ſe ipſa efficaci, *non obſtantibus ex adverſo productis ex Scripturis, quæ ad rem non ſpectant, & ex Conc. Trid., quod non adverſatur veritati aſſertæ, aut teſtimoniis S. Auguſt. de corrept. & grat.* c. 12., *quo potius firmatur concluſio explicata, quod Deus* &c. Hæc quum Adverſarii in manibus & oculis non habere non poſſint (ſunt enim apud ipſos Romæ depoſita) a doctiſſimo inſtituti ſui Viro, eodemque teſte, in quem nulla cadit exceptio, literis conſignata, qui fieri potuit, ut hac in quæſtione Molinæ opinionem D. Thomæ ſententiæ præoptarint, illamque cum Auguſtini doctrina belle congruere, hanc vero ab ea abhorrere cenſuerint, cenſeantque ?

III. Gregorius Ariminenſis, qui apud ſuos Doctoris *authentici* nomen obtinet, in 2. ſent. diſt. 29. q. 1. concl. 3., innocentem hominem ſanctificante gratia, & virtutum infuſarum habitibus exornatum nativis liberi arbitrii viribus, quibus ſuberat horum habituum uſus, potuiſſe ſentit, æternam mereri vitam, & in accepta juſtitia perſeverare, quin actualis gratiæ adjutorio opus haberet, quod lapſis ſolum & infirmis hominibus eſt maxime neceſſarium licet ejuſdem inſtituti Scriptores communiter velint, excluſiſſe illum ab innocentiæ ſtatu cujuſcunque actualis gratiæ neceſſitatem, P. Berti tamen l. 12. de Theolog. Diſcipl. c. 8. putat, explicari illum commode recteque poſſe de actuali gratia efficaci, qua fieret, ut Adam juſtitiæ habitu recte uti vellet, reque ipſa uteretur, moxque, in qua ipſe ſententia ſit, proferens, donatum a Deo Adamum præter ſanctificantem etiam actuali gratia *poſſibilitatis* ſeu *ſufficiente*, quam in mentis illuſtratione, & ad bonum ſuperioris ordinis *inclinatione* conſtituit, Prop. 1. decernit, non eguiſſe tamen *ad perſeverandum adjutorio gratiæ prædeterminantis, & victricis*, Prop. 11. ponit, quod ab Auguſtino expreſſe traditum, habet ipſe perſuaſiſſimum. Pro ea, quam in rebus nondum rato ſolemnique judicio ſuo finitis cuique permittit Eccleſia, libertate, ſtamus ex adverſo, & pro conſtanti, communique Scholæ noſtræ ſententia pugnamus, nec putari poſſumus, officio adverſus eximium librorum *de Theologicis Diſciplis* Auctorem deeſſe, ſi ea, quæ ad confirmandam ſecundam propoſitionem ſuam contulit, potiſſimum refellenda ſuſcipimus. Pro illuſtri namque, in qua apud omnes eſt, fama & laude, & quod omnium noviſſimus argumentum hoc retractavit, jure credendus eſt, Scholæ ſuæ opinionem omnium ſolidiſſime communiſſe, &, ſi forte ab aliis dicta uſurpavit, & majori ingenio verſaſſe, & validiori contentione torſiſſe. Nihil tamen nobis de phyſica, ut vocant, præmotione, qua ſumma & prima cauſa alias infra ſe omnes ſeu liberas, ſeu naturales ad ſuos actus prædeterminat, applicatque pro cujuſque natura ; Ut enim ille hoc a ſe *alibi diſcuſſum* ſcribit, ita & nos Divi Thomæ univerſæque ejus Scholæ ſententiam tanquam præjudicatam ad cauſam hanc deferimus. Nihil etiam de gratia Angelorum ; non enim præſentis eſt inſtituti.

IV. Age dum, & primo nonnullis Auguſtini principiis propoſitum nitamur efficere. Ponit ille ut exploratum, omnique a dubitatione remotum in l. de corrept. & grat. c. 6. *etiam ipſam perſeverantiam in bono proficientem uſque in finem magnum eſſe Dei munus, nec niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt Jac. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt &c.* Quis & in Adæ perſeverantiam, ſi hanc ille habuiſſet, hoc quadrare negavit? Annon & illa fuiſſet quidpiam *optimum, & perfectum? Nec niſi ergo ab illo fuiſſet de quo ſcriptum eſt: omne datum optimum &c.* Qui autem a ſolo Deo fuiſſet, ſi ad actu perſeverandum eo non ege-

non egebat ille adjutorio, quo fieret, ut perſeverare vellet, neque perſeveraret? Jam ſi velint ipſi ſibi conſtare Adverſarii, ea omnia ponant in homine innocente, admittantque, neceſſe eſt, quæ in homine lapſo Molinæ aſſeclæ actuale illud ſcilicet Adæ collatum perſeverandi adminiculum molle ſuapte fuiſſe & flexibile, ejuſdem libertati ſubditum, cujus nullus in voluntatem influxus, ſed unice in opus, non ab eo propterea tanquam a prima cauſa, ſed cum eo duntaxat tanquam liberi arbitrii comite, & pediſequo, velut a duabus *partialibus* cauſis, quarum neutra alteram impelleret ac moveret, futurum fuiſſe bonum ejuſdem adjutorii uſum, ſeu *actualem*, ut loquuntur, perſeverantiam. Hæc ne vero tunc *magnum Dei munus, nec niſi ab illo*, a quo ſolo *omne datum optimum?* Ab eo quidem habuiſſet *poſſe perſeverare, ſi vellet*: Quod autem *optimum*, quod *perfectum* revera ſcilicet velle, & perſeverare, a ſe ipſo habuiſſet Adam; nam bonus liberi arbitrii uſus, non eſt ab adjutorio natura ſua verſatili, & duntaxat ſufficiente, *ſine quo aliquid non fit*, non autem, *quo aliquid fit*, cujus eſt *ſolum poſſe*, *quod volumus*, *non etiam velle, & operari*, *quod poſſumus*. Si ergo præter hoc non alio egebat Adam adjutorio, quod ſe ipſo efficax eſſet, non fuiſſet perſeverantia ejus *Patris luminum*; bonorumque omnium primi & unici Auctoris *magnum munus*; ſed liberi ejus arbitrii, ac induſtriæ opus. In conſecutione hac, qua nulla legitima magis, quam & ipſi, quum adverſus Molinianos diſputant, maxime legitimam eſſe, contendunt, nihil forte abſurdi deprehendunt Adverſarii: nobis tamen, qui certe non tam acute videmus, hoc tamen Auguſtini principium ad ipſam naturæ rationem, & communem hominum ſenſum exigimus, nihil ea videtur abſurdius, ſi concedatur, ut non concedi reipſa non poteſt; ratio enim connexi, ſi ſuperius conceſſeris, concedere & inferius cogit.

V. Aliud premimus, quod Auguſtinus ſæpiſſime ad manum habet, & validiſſime torquet, in ſalutis videlicet negotio diſcretionis unius ab alio non alium præter Deum, auctorem fac (quod contigere potuiſſe, cordatus nemo inficias iverit). Protoparentum noſtrorum alterum *eam gratiam*, qua uterque donatus eſt, *in qua, ſi permanere voluiſſent, nunquam mali fuiſſent, & ſine qua, etiam cum libero arbitrio, boni eſſe non poterant*, alterum, inquam, *per liberum arbitrium deſeruiſſe*, & propterea fuiſſe *deſertum*, alterum, quod facillime poterat, in ea *permanſiſſe, quia voluit*, ſive hunc perſeveraſſe, non illum: Annon magna inter utrumque diſcretio? Unde autem illa? Non a Deo profecto, qui nihil amplius huic, quam illi *donaſſet*, quod, polita Adverſariorum opinione, certiſſimum. *Poſſet* ergo *dicere alter inflatus adverſus alterum: diſcernit fides mea, juſtitia mea, aut ſi quid aliud* (bonus liberi arbitrii mei uſus, & cum *perſeverantiæ adjutorio*, *ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poteram*, provide juncta voluntatis meæ opera, ſive libera cooperatio). Reſponſum hic num pacate ferret Apoſtolus? *Quid autem habes*, *inquit*, *quod non accepiſti? A quo, niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi?* Quum de homine lapſo ſermo eſt, mirum, quam nervoſe adverſus Molinæ diſcipulos argumentum hoc ſane invictum urgeant Adverſarii, multo tamen magis mirum, illos quum de homine innocente agitur, non eamdem ejus adverſus opinionem ſuam efficacitatem agnoſcere. Quid enim? Annon evidens, protoparentum alterum ab altero tunc longiſſimo intervallo diſcretum, nec tamen gratiæ vi, quæ fuiſſet communis ambobus? non enim differentia ſive diſcrimen a communibus petitur, ſed a peculiaribus, ſive propriis: Eo itaque, quod proprium habuiſſet, bono nempe libertatis ſuæ uſu, perſeverans a non perſeverante ſe diſcreviſſet: A quopiam ergo naturali, quod ſcilicet non a gratia, quippe quæ non ſuapte efficax, non *prædeterminans*, non *victrix*, tota contra verſatilis ac indifferens, ſed ex nativa liberi arbitrii virtute fuiſſet, arceſſenda foret unius ab alio in ſalutis negotio diſcretio, quo quid a recta ratione magis alienum? *In hac Apoſtoli evidentiſſima intentione*, ait Auguſt., *qua contra humanam ſuperbiam loquitur, ne quiſquam in homine, ſed in Domino glorietur, dona naturalia ſuſpicari, nimis, quantum exiſtimo, abſurdum eſt*.

VI. Hinc & illud ſponte fluit, quod Auguſtinus ipſe perſæpe verſat, potuiſſe alterum præ altero non in Domino, ſed in ſe ipſo, gloriari, quo *nihil Apoſtoli ſenſui* magis *contrarium* viſum eſt Auguſtino.

no. Quid P. Berti? Dat, celebre Apoſtoli dictum, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, ad omnem prorſus hominem pertinere, *ſed diſpari quadam ratione*. Quæ iſthæc? Ad innocentem, *quia habuit adjutorium, ſine quo perſeverare non poterat, ideoque ſi ſtetiſſet, gloriandum ei fuerat in Domino, a quo accepit poſſe perſeverare &c.* At ſi innocens homo *ſtetiſſet*, quo ſtetiſſet? Non adjutorii, quod acceperat, vi; tale quippe illud erat, ſine quo perſeverare non poſſet, non quo fieret, ut perſeveraret. Sua ergo innata libertate ſtetiſſet, & auxilium, a quo duntaxat *acceperat poſſe perſeverare*, reddidiſſet induſtria ſua, bonoque liberi arbitrii ſui uſu re ipſa efficax & fructuoſum, quod negare Adverſarii non poſſunt, niſi ſuam ipſi funditus poſitionem evertant; Si *ſtetiſſet* itaque, & potuiſſet *in ſe ipſo* gloriari, ſtetiſſet utique & divino adjutorio fretus at tali, ſine quo ſtare non poterat, non quo efficeretur, ut ſtaret, quod propterea non præveniens, ſed concomitans, non voluntatem determinans applicanſque, ſed ad eamdem ſuapte vi jam determinatam comitis inſtar & auxiliaris accedens, non prima, & *totalis*, ut ajunt, perſeverantiæ cauſa, ſed *partialis* una cum libero hominis innocentis arbitrio, in quod nullus ejus fuiſſet influxus, in ejuſdem effectus, nempe perſeverantiæ, partem veniens. Num exaggeramus, num quidquam efferimus, quod non habeant ipſi, ſi velint ſua tenere principia, maxime conſtitutum? Si *ſtetiſſet* ergo, partim ei *gloriandum* fuiſſet *in Domino, a quo acceperat poſſe perſeverare*, partim tamen & in ſe ipſo, qui operam ſuam, bonum nempe arbitrii ſui uſum, huncque non a gratia (quomodo enim, quum eſſet illa verſatilis, & libero arbitrio ſubdita?) ſed ab innata ſua libertate profectum, ad idem opus, nimirum ad ſtandum, ſimul cum gratia contuliſſet, imo in ſe ipſo eo potius *gloriandum*, quam *in Domino*, quo præſtantius eſt ſtare, quam poſſe ſtare, quorum poſterius a gratia, prius a ſe ipſo habuiſſet. Hoc ne vero probaret Auguſtinus, qui axiomatis loco habet illud Cypriani ex Apoſtolo ſumptum, *nobis in nullo gloriandum, quandoquidem noſtrum nihil eſt*? Qui velint non ad præjudicia, ſed ad rationem animum revocare, multa ne contentione opus habent, ut clare perſpiciant, aut non fuiſſe in ſtatu innocentiæ huic Apoſtoli effato, ut illud Cyprianus & Auguſtinus explicant, locum, quod affirmare Berti non audet, aut falſum illud eſſe, ſi ab Adverſariorum poſitione ſtet veritas?

VII. Næ ipſi tamen inepti, qui telo pugnamus, quo in nos retorto conficimur. Ut explicavit Berti diſparem rationem, qua Apoſtoli dictum *ad omnem prorſus hominem* pertinere exiſtimat, pergit: „ Nego itaque minorem (potuiſſe ſcilicet gloriari Adamum, perſeverantiam liberi arbitrii ſui viribus ſe habere, quam non accepit a Deo) nego conſequentiam, & retorqueo argumentum; Ut enim homo gloriari non poſſit, ſe in hoc ſtatu habere robuſtum libertatis arbitrium, in quo conditus eſt primus homo, *virtus in infirmitate perficitur*, eique perſeverandi poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donatur. *In hoc loco miſeriarum* (ait eodem loco Auguſtinus), *ubi tentatio eſt vita humana ſuper terram, virtus in infirmitate perficitur: quæ virtus, niſi, ut qui gloriatur in Domino glorietur?* Ergo dictum iſtud Apoſtoli in hoc infirmitatis ſtatu peculiarem vim habet, propterea quod gratia Chriſti non ſolum dat adjutorium, quale dederat primo homini, ſine quo non poſſumus perſeverare, ſed etiam operatur & velle, & in infirmitate propter elationem comprimendam virtus perficitur, & ideo non ſpectat ad ſtatum innocentiæ eadem ratione, neque in illo erat gratiæ largitate donanda tam perſeverandi poſſibilitas, quam voluntas. “ Verum, aut plumbei adeo ſumus, ut nec argumentandi vim teneamus, aut ſunt hæc certe paulo confidentius elata. En argumentum, quod ipſe ſibi obiicit Berti: „ S. Auguſtinus de corrept. & Grat. c. 12. docet, ad omnes homines pertinere, quod ſcriptum eſt, *Ut non glorietur omnis caro coram ipſo*, & ad omnes juſtos illud, *qui gloriatur in Domino glorietur*: At ſi Adam perſeverare potuiſſet abſque prædeterminante adjutorio, potuiſſet gloriari, quod a viribus liberi arbitrii haberet perſeverantiam, quam a Deo non accepit: ergo perſeverare abſque gratia prædeterminante non potuit. “ Priorem propoſitionem dat explicatam, ut ſupra: poſteriorem una cum conſecutione conſtanter negat: at eſt illa veriſſima, & negari ſine rationis injuria nequit, hæc autem legitima eſt, & neceſſario fluens: utrumque

que preſſe demonſtramus. Apoſtoli, Cypriani, & Auguſtini pronunciatum eſt, homini *in nullo gloriandum*, quia hominis *nihil eſt*, quod a Deo ſcilicet non acceperit; Adam ergo, ſi ſtetiſſet, potuiſſet in ſe ipſo gloriari, non in Domino, quandoquidem perſeverantiam a ſe ipſo habuiſſet, non accepiſſet a Domino, ut ex dictis n. VI. patet. Rurſus: Auguſtinus ante verba a Berti laudata hæc habet: *Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipſo; Non enim gloriantur injuſti, quia non habent unde: nec juſti, quia ex ipſo habent unde, nec habent gloriam ſuam niſi ipſum, cui dicunt* Pſal. 3. *Gloria mea, & exaltans caput meum, ac per hoc ad omnem hominem pertinet, quod ſcriptum eſt, ut non glorietur omnis caro coram ipſo, ad juſtos autem, qui gloriatur, in Domino glorietur;* ex quibus argumentamur. Adam juſtus ſola *perſeverandi poſſibilitate*, non item *voluntate* a Deo donatus in juſtitia ſtetiſſet, non *habuiſſet ex ipſo unde*, gloriaretur, *nec habuiſſet gloriam ſuam niſi ipſum*, quum ab eo ſolam, quod minus eſt, *perſeverandi poſſibilitatem*, a ſe autem, a bono videlicet liberi arbitrii ſui uſu, quod majus eſt, & perfectius, habuiſſet, *voluntatem* nempe & ipſum perſeverandi actum: aut ergo falſo Auguſtinus intulit, *per hoc*, ſeu propterea, *ad omnem hominem pertinere, quod ſcriptum eſt, ut non glorietur &c.*, aut confitendum, *ſi Adam ſtetiſſet*, ejus perſeverantiam non ſoli *adjutorio, ſine quo perſeverare non poterat*, verum & *adjutorio, quo fieret, ut perſeveraret*, fuiſſe adſcribendam.

VIII. Ut autem minus recte negata ſecunda connexi pars, & conſecutio inde manans, ita nec recte contortum in nos argumentum; Nullam de priori propoſitione volumus Berti litem intendere: Verum aliqua (pace doctiſſimi Viri) inde concludit, quæ nec res, nec veritas ipſa concedit. Damus, in *hoc infirmitatis ſtatu* Apoſtoli dictum *peculiare habere vim, propterea quod &c.* nec repugnamus, non ſpectare illud ad innocentiæ ſtatum *eadem ratione*; præter eas namque ſtatui utrique communes rationes, quæ hominem, quocumque ille loco & ſtatu ſit, niſi in Domino, gloriari vetant, habet hominis lapſi conditio, ut per primi hominis noxam imminutus viribus & acciſus peculiari ratione ſanantis gratiæ egeat adjutorio, novoque nomine gloriari in ſe ipſo non poſſit. Quid tum inde? An quod ultimo loco concludit Berti, *neque in illo* (innocentiæ ſtatu) *erat gratiæ largitate donanda tam perſeverandi poſſibilitas, quam voluntas?* Nolumus alia nomina urgere, quibus omnes D. Thomæ Diſcipuli cum eo docent probantque, efficacem ac prædeterminantem gratiam homini in quocumque ſtatu ad recte agendum, & perſtandum in bono neceſſariam. Viam quam ingreſſi ſumus, conſtanter perſequimur, a qua nos ſola poterit manifeſta ratio deducere; Quare adverſus poſtremam hanc concluſionis partem inſiſtimus: *Si Adam ſtetiſſet*, ut poterat, a ſe perſeverandi voluntatem, & perſeverantiam habuiſſet; neque enim, Autore Berti, *in illo ſtatu donanda erat gratiæ largitate tam perſeverandi poſſibilitas, quam voluntas:* in ſe ipſo itaque gloriari potuiſſet, non tantum in Domino, a quo ſolum acceperat *poſſe*, ipſe autem innata ſua libertate addiderat actu perſeverare. Argumentum hoc nunquam ſibi e manibus elabi ſinent Thomiſtæ, donec fuerit illud idoneo reſponſo fractum & comminutum, fidemque omnium, qui ſunt a præjudiciis vacui, implorant, quinam cum Auguſtino vere ſentiant, an qui dicta ſua ad immota ejuſdem principia dirigunt, an qui convincuntur, ea ſtabiliter non tenere.

IX. Paucis his ex Auguſtino perſtrictis ad hoc idem confirmandum nonnulla ex D. Thoma addimus, quæ nemo dubitarit, Auguſtini doctrinæ apprime conſentanea eſſe; ac primo illud arripimus, quod 1. p. q. 94. ar. 4. ad 5. de primi hominis tentatione agens ſcribit: *In tentatione non fuit ei ſubventum, ne deciperetur, licet tunc maxime indigeret, quia jam præceſſerat peccatum in animo, & quia recurſum ad divinum auxilium non habuit;* & q. 18. de Verit. ar. 6. ad 13. *In ſtatu, quo peccavit, divinum ei auxilium non defuiſſet, ne ſeduceretur, ſi ad Deum ſe convertiſſet* (orando), *quod quia non fecit, in peccatum & ſeductionem cecidit*. Quod hinc argumentum exiliat, in oculos ſtatim incurrit. *Quod homini* ab *homine*, ideſt a ſe ipſo, *eſt, poſcendum a Deo* non eſſe, ſciſcit Auguſtinus de Correpi. & Grat. c. 6. *& inaniter ac perfunctorie potius, quam veraciter*, ait idem Ep. 217. ad Vitalem, *Deo fundimus preces, ſi ad ejus non pertinet gratiam . . . quod oramus:* Actu perſeverare Adæ innocenti non *a Deo* fuiſſe, ſed a ſe ipſo, nec *ad Dei gratiam, qua creditur facere, quod rogatur*, ſed ad libe-

rum

rum Adæ arbitrium, bonumque ejus uſum *pertinuiſſe*, conſtans eſt Adverſariorum poſitio, aut ſaltem, ſi tam expreſſe loqui vereantur, poſitionis eorum legitimum conſectarium. Orandum itaque Adæ innocenti non erat, nec perſeverantiæ donum a Deo implorandum; *Nam quid ſtultius*, ait Auguſtinus l. de Nat. & Grat. c. 18., *quam orare, ut facias, quod in poteſtate habeas?* Falſo itaque & imperite ſeductionis & lapſus Adæ inde potiſſimum arceſſivit Angelicus cauſam, quod *recurſum* non *habuerit ille in tentatione ad divinum auxilium*, quo *tunc maxime indigebat*, nec *ad Deum ſe* orando *converterit*. Ecquæ enim novi auxilii poſtulandi neceſſitas homini, cujus ab habitibus gratiæ & virtutum, & ab actuali adjutorio *ſine quo* affatim inſtructi voluntati, quod in negotio ſalutis reliquum erat, tametſi gravius & difficilius, bonum ſcilicet acceptum tenere, ac in eo perſeverare, commiſſum erat, & in libero ejus omnino relictum arbitrio?

X. Si forte Adverſariorum quiſpiam (neque enim omnium honorifica perinde eſt de D. Thoma opinio, licet vix ac ne vix quidem proferre ullam poſſint doctrinæ Magni Auguſtini ſtudioſiorem peritioremque) poſtremam conſecutionem haud gravate conceſſerit, meminerit, rogamus, dudum ante D. Thomam, hoc idem a Gelaſio I. Rom. Pontifice luculentiſſime traditum, a quo ignorare nemo poteſt, Auguſtini doctrinam & probatam ampliſſime, & adverſus ejus obtrectatores ſtrenue aſſertam: *Illa primæ conditionis integritas*, ait in libello *adverſus Pelag. hæreſim*, *dum ita de ſe fidit, tamquam ipſo, qui condiderat, non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec de conſervandis, quæ ſumpſerat, poſcit auxilium, nec ad eum etiam pulſata tentatoris acceſſu devota cucurrit, & conſulit, ſuæque ſe credit inter proſpera voluntati, facile ſine præſidio Creatoris patuit inſidiis deceptoris, & in prævaricationem tracta conſequenter illiciti conditionem præfixæ mortis invenit*: Item ibidem: *Si in ipſis primis hominibus, dum ſua nimium felicitate confidunt, ea tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nuſquam feciſſe referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem immerata durarent, ſuppliciter implorando, incolumes conſtare nequiverunt: quanto magis poſt prævaricationis ruinam, in quam mala ſui confidentia, Creatorem nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, abſque divino munere ſuis viribus ægri ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt?* Quum eadem habeat ille paulo latius ac ornatius, quæ D. Thomas preſſius & anguſtius, manifeſtum eſt, idem argumentum inſtrui ex iis poſſe. Qui duo hæc Gelaſii loca animo in veritatem unice intento perpenderint, facile dijudicabunt, an adhibita ad ea a Berti l. 4. c. 9. interpretatio probari poſſit.

XI. Quo autem illud ſolide refellamus, quo infirmari hoc argumentum poſſet, petitum ex Auguſtino l. 6. Op. Impert. c. 15. ſcribente: *Si* (non facere malum) *ita eſſet in poteſtate, quomodo fuit ante peccatum, priuſquam eſſet humana natura vitiata, non utique poſceretur orando, ſed agendo potius teneretur*: & ex D. Th. q. 3. de malo ar. 1. ad 9. affirmante, hominem integrum ad vitanda peccata gratia non eguiſſe, ponimus ut exploratum, hominem lapſum pluribus nominibus opus habere ſpeciali gratia, ne bonum deſerat, & declinet ad malum; Præter enim exteriorum hoſtium inſidias incurſioneſque, quibus numquam non patet, *ſentit* perpetuo *legem in membris* ſuis *repugnantem legi mentis ſuæ*, & *captivantem illum in lege peccati*, cum qua propterea contentione non intermiſſa pugnandum, divinam iccirco opem enixius poſtulet, neceſſe eſt, ad frangendum tam interiorum, quam exteriorum hoſtium impetum: Quum autem Adæ innocenti pacata domi eſſent omnia, nec quidquam in ſe haberet, quo urgeretur ad malum, perfecte enim ſuberant & corpus ſpiritui, & ſenſus menti, non erat ei ex hac parte precibus opus. Cæterum, quoniam & erat ejus voluntas ſuapte inſtabilis, ſeu de bono ad malum lubrica ac volubilis. & exteriorum hoſtium incurſibus ſemper expoſita, ut in bono firmiter ſtaret, nec ab eo hoſtium ſe valentiorum impetu aut fraudibus removeretur, divino opus habebat ſpeciali adjutorio, quod iccirco enixe flagitaret, neceſſe erat. Id ſibi voluiſſe Auguſtinum laudato loco, ex iis, quæ præmiſit, apparet. *Dominica*, ait, *teſtatur oratio, ubi non ſolum dicimus, dimitte nobis debita noſtra, propter mala, quæ fecimus, verum etiam, ne nos inferas in tentationem, propter hoc utique, ne mala faciamus; Unde & Apoſtolus dicit, oramus autem ad Deum, ne mala faciamus: Quod ſi ita eſ-*

ſet in poteſtate noſtra, quomodo fuit ante peccatum, priuſquam eſſet humana natura vitiata, non utique poſceretur erando &c. Precandum ergo homini innocenti non erat, ut ſibi dimitterentur debita, quoniam nullo obſtrictus erat, nec ut in carnis, a quo nulla prorſus ei moleſtia, tentationem non inferretur. Annon vero ei divinæ protectionis poſtulandum auxilium adverſus exterioris adverſarii machinationes, a quo dejectum illum affirmant Gelaſius & Thomas, quod *ad Deum* ſe non *converterit*, nec *tentatoris acceſſu pulſatus Creatoris præſidium* flagitarit? Audiendus Auguſtinus ipſe in l. de dono Perſev. c. 5. *Quum dicunt Sancti, ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo, quid aliud, quam ut in ſanctitate perſeverent, precantur? Nam profecto . . . concesso ſibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo Sanctorum eſt, qui non teneat uſque in finem perſeverantiam ſanctitatis; Neque enim quiſquam in propoſito perſeverare deſiſtit, niſi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei, quod orat, ut non inferatur in tentationem, utique in ſanctificatione, quam Deo donante percepit, Deo donante perſiſtit.* Hinc argumentari licet: Non inferri in tentationem, Auguſtino judice, donum Dei eſt, illudque eximium, ideoque poſcendum a Deo: Etſi non interiori, exteriori tamen tentationi patuiſſe hominem integrum, extra controverſiam eſt: In hanc itaque non inferri, ſive ab ea non deiici, inſigne fuiſſet Dei donum. Illud ergo debebat Adam *ſuppliciter implorare*: *In ſanctificatione ergo, quam Deo donante perceperat*, non poterat, niſi *Deo donante*, *perſiſtere*, ſeu ſingulari Dei protectione & adjutorio egebat, ut *teneret uſque in finem perſeverantiam ſanctitatis*.

Nec aliud D. Thomæ propoſitum, ex integro ejus reſponſo patet: *Dicendum*, ait, *quod aliter loquendum eſt de homine ſecundum ſtatum naturæ conditæ, & aliter ſecundum ſtatum naturæ corruptæ: Quia ſecundum ſtatum naturæ conditæ homo nihil habebat* (intra ſe nimirum) *impellens ad malum, licet bonum naturæ non ſufficeret ad gloriæ conſecutionem. Et ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum, non autem indigebat ad peccata vitandum, quia per hoc, quod naturaliter acceperat, poterat ſtare: Sed in ſtatu naturæ corruptæ habet impellens ad malum* (non exterius ſcilicet tantum, ſed & interius) *& ideo indiget auxilio gratiæ ne cadat*. Qua parte ergo Adam tutus erat, omnique peccandi periculo vacuus, opus non habebat ad peccata vitanda auxilio gratiæ, nam ab integritatis dono interius omne peccandi incitamentum perfecte cohibente ſtandi viribus ſatis inſtructus erat: Perinde ne vero, qua parte ab humanæ ſalutis hoſte extrinſecus appeti, pulſari, & ad malum propelli poterat? Quid de hoc Angelicus ſenſerit, duo ejus, quæ n. IX. deſcripſimus, teſtimonia ſatis produnt.

XII. Peræque efficacia ſunt ad hoc idem, quod propoſuimus, demonſtrandum duo illa ejuſdem D. Th. momenta, quæ ex l. 3. c. G. c. 155. petita Prælect. XIV. n. X. jam verſavimus. Quod ſuapte flexibile eſt, & mutabile, ut in aliquo figatur, moventis immobilis auxilio eget, quod videtur ille ſumſiſſe ex Fulgentio l. 2. ad Thraſimundum Regem c. 2., ſcribente, Angelos omnes perinde fuiſſe ruituros, niſi Deus, quos voluiſſet, ita virtute ſua firmaſſet, ne cum cœteris ruerent: *Profecto*, ait, *cognoſcitur, uniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi, quos vellet, a caſu pravitatis virtus illa defenderet, quæ ſola mutari depravarique non poſſet*: Hominis integri arbitrium inconſtans fuiſſe, & de bono ad malum flexibile, annon ſatis ſuperque lapſus ejus oſtendit? Ut ſtaret itaque, moventis omnino immutabilis virtute firmandum erat. Communem autem ipſum hominum ſenſum appellamus, an arbitrio ſuapte mobili firmitatem afferre potuerit virtus, ſeu adjutorium natura ſua molle, & verſatile, totumque in Adæ arbitrio relictum, a quo, ſi bonum tenere vellet, efficacitatem haberet: Non videtur itaque adverſariorum poſitio cum ipſa naturæ ratione congruere. In idem ferme recidit alterum ejuſdem D. Th. momentum: Etſi homo, qua liber eſt, ſuorum ſit actuum Dominus, naturalium tamen facultatum ſuarum non item, quare, etſi libere velle poſſit & nolle, efficere tamen volendo nequit, ut voluntas ad illud, quod libere eligit, immobiliter adhæreſcat. Quid autem perſeverantia? Nonne voluntas bonum ad finem uſque ſtabiliter tenens? Non eſt ergo illa in liberi arbitrii poteſtate: Divinæ itaque gratiæ homo opus habet adjutorio, ut perſeveret. Hoc autem quale? Satiſne ad firmandam in bono voluntatem adjutorium ſuapte flexibile, & voluntatem, in quamcumque prius illa partem ſe dederit, ſe-

ſequens? Hoc it ſoli conceſſerint, qui perſuadere ipſi ſibi potuerint, poſſe effectum potiorem eſſe ſua cauſa, & a quopiam natura ſua indifferenti, nec efficiendi vim habente, quidpiam certum & conſtans oriri poſſe. Dubitavit ne vero aliquis, an & in hominem integrum hæc D. Thomæ ratio conveniat? Utut ille liber fuerit, & donis naturæ & gratiæ cumulatus, num efficere libero arbitrio ſuo poterat, ut voluntas bonum, in quo creatus ille fuerat, immobiliter retineret, Ad dubitationem omnem abigendam alio opus non eſt, quam ut eventum in animum revocemus: Ut in illo ergo firmiter permaneret, divino egebat auxilio, eoque efficaci.

XIII. Addit Alvarez Diſput. 106. n. VI. & momentum illud, quo penes nos ut nullum notius, ita & certius nullum, quod D. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 1. & 9. ad probandum aſſumit, hominem gratia juſtificante jam præditum ſpeciali opus habere Dei adjutorio, ut bonum operetur, & in bono permaneat, *quia nulla creata res poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ*. Momento huic & in ſtatu innocentiæ locum fuiſſe, contendit Alvarez, & nonnullorum id negantium reſponſum apertiſſimo ejuſdem D. Th. teſtimonio convellit. Idem hoc D. Th. principium ſibi opponit Berti, præfatuſque, ſe *Magni Thomæ Aquinatis præceptiones pluris, quam aliqui faciant, æſtimare, nihil* tamen ſe eo, quod objectum eſt, *deterreri*, ſubdit, quod *viri docti, quibus ſubſcribit, arbitrentur, Doctoris hujus præclariſſimi his limitibus contineri doctrinam* „ quos deſcribit, & ab eodem D. Th. variis in ſuorum operum locis poſitos putat. Hos tamen limites doctrinæ Angelici minus perite fixos, jam pridem ſolidiſſime evicit Alvarez Diſp. XXII., XXIII. & XCI., demonſtravitque, Sanctorum Auguſtini & Thomæ *doctrinam* eſſe, *quam unanimi conſenſu defendunt omnes Thomiſtæ & cæteri Theologi, qui veram intelligentiam doctrinæ S. Auguſt., & S. Th. ſunt aſſecuti*, „ Deum nempe ad „ modum cauſæ phyſicæ prædeterminare „ omnes cauſas ſecundas tam naturales, „ quam liberas ad operationes ſuas, ſalva „ earum natura, & libertate, item phyſice „ movere, applicare, ſeu prædeterminare „ ad *omnes ſuos actus bonos in particulari* „ voluntatem creatam., ſalva ipſius liber„ tate, denique Deum per auxilium effi„ cax præoperantis gratiæ ad modum cauſæ „ phyſicæ, ideſt vere efficienter, prædeter„ minare liberum arbitrium ad conſenſum „ &c. “ quæ omnia locupletiſſimis utriuſque teſtimoniis comprobat, & ad liquidum plane deducit, ea præterea dilucide explicans, quæ poſtea Joſeph a Vita ad novi ſui ſyſtematis ab univerſa D. Thomæ ſchola improbati, & a Berti adoptati præſidium ex Angelico corraſit, & præpoſtere torſit, eadem illa, quibus Berti *cum viris doctis* cenſet, germanam D. Thomæ doctrinam *contineri*. Alvareſium itaque adeant, qui veritatem hanc volunt penitius habere perſpectam; Prætetquamquod enim initio monuimus, nulla nobis futura in hac quæſtione verba de phyſica, ut loquuntur, præmotione, quam præjudicatæ rei loco ponimus pauca, quæ ex Auguſtini, & Thomæ principiis cudimus, argumenta, adeo nos in ſententiæ inter noſtrates communis veritatis perſuaſione ſtabiliunt, ut numquam paſſuri ſimus, ab ea divelli, donec reſponſis convicta fuerit epidicticis eorumdem infirmitas.

XIV. Hinc nec adverſariorum opinioni novitatis notam obiicimus, nec eam in ſuſpicionem adducimus, quod pro ea Janſenius acerrime ſteterit. Damus Berti, opinionem hanc novam non eſſe; quartodecimo enim ſæculo primus, quod ſciamus, eam invexit in ſcholas Gregorius Ariminenſis. Quid & ſi eam probavit impenſe. Janſenius, & velut Auguſtinianæ doctrinæ fundamentum poſuit? Num ſuſpecta omnia, quæ Janſenio placuerunt? Nemo cordatus velit, hoc ſolo nomine eam habere ſuſpectam, & affinitatis cum Janſenii erroribus accuſare. Nec ea proferimus ſcripturarum teſtimonia, quæ ab Antonio Boucat ad Thomiſticæ ſententiæ confirmationem adhibita ſibi diluenda ſuſcipit Berti, de quorum interpretatione nolumus cum eo contendere; firmioribus enim & certioribus momentis cauſa noſtra ſubnititur quæ numquam diſiectum iri, confidimus. Non pudet tamen, noſtram fateri inſcitiam, & palam dicere, nos non intelligere, quæ ad exponenda aliqua ab eodem Bouçat objecta Auguſtini loca ipſe addit: „ Sed hæc „ (ait) noſtram ſententiam non impetunt; „ Gratiam enim *præmoventem* etiam in „ ſtatu naturæ innocentis admittimus, & „ ſine ea fatemur, non fuiſſe bonam An„ gelorum voluntatem: Sed negamus, in „ hac bona voluntate perſeveraſſe gratia „ efficaciter prædeterminante excitatos,

„ Non enim quælibet gratia præmovens „ eſt victrix: alioqui non daretur auxilium „ ſufficiens ab efficaci diſtinctum, quod „ hæreticum eſt affirmare. “ Neque lumen nobis præferunt, quæ Propoſit. 1. præmiſerat ajens: „ Nos ergo in hoc latiſſimam diſcrepantiam invenimus, quod in „ hoc ſtatu gratia præmovet ad hoc vel „ illud bonum particulare, inſpiratque de„ terminatam delectationem ...... Au„ xilium actualis gratiæ collatum Adæ „ erat illuminatio mentis, & quædam in„ clinatio voluntatis ad bonum in com„ muni, qua poterat liberum arbitrium „ hoc vel illud bonum ſpecialiter eligere, „ & in bona voluntate permanere, ſi vel„ let, illuminatio autem & inclinatio ad „ bonum ſupernaturale, ut donum gratiæ „ diſtinguatur a proprietate naturæ. “

XV. Omnes ingenii noſtri, quod perexiguum eſſe, non diffitemur, nervos intendimus, germanas vocum notiones, quam maxime potuimus, excutere, & intelligentiam evolvere conati ſumus, nec tamen, quod tarditatis noſtræ fuerit, aſſequi mente potuimus, qui ſecum ita cohæreant. Occurrit nobis animo primum, quod alibi jam conſtituimus, & Berti ipſe concedit, illud Auguſtini l. 12. de Civ. Dei cap. 9.: *Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, ideſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*, quod D. Thomas & de Adamo affirmat, nec Berti diſſentit, ideoque una cum ſanctificante gratia, & bona voluntate ſeu amore caſto, reliquis virtutibus tum quæ ad illuſtrandam mentem, tum quæ ad perficiendam voluntatem pertinent, ornatum illum fuiſſe, ut docet D. Thomas 1. p. q. 95. art. 3., ita conſentit Berti l. 12. cap. 7. ajens: „ Juſtitia ori„ ginalis præter gratiam habitualem alia „ dona complura importabat ... Itaque „ primus homo ita conſtitutus eſt bonus, „ & rectus, ut in anima ſuperni luminis „ illuſtrationem, & beatitudinem partici„ paret, imperfecte tamen. “ Hinc ſtatim difficultas emergit, in qua plurimum impedimur. Adam a Deo una cum natura accepit *ſuperni luminis illuſtrationem, & inclinationem ad bonum ſupernaturale in communi*; quid enim voluntas bona, ſeu amor caſtus, cum quo creatus eſt, niſi inclinatio ad bonum hujuſmodi? Supernum autem hoc lumen, hancque inclinationem &c. in mente & voluntate Adæ quum primum creatus eſt, a Deo infuſam, quis gratiam dixerit *actualem*, niſi velit abuti verbis, & receptiſſimas rerum notiones evertere? Aut ergo præter ſanctificantem gratiam *actuali* non indigebat Adam, *ut caritatis habitus in actum ſanctæ dilectionis exiret*, quod Berti Propoſit. 1. negat, aut *gratiæ actualis*, qua egebat, *auxilium* ſola non eſt, ut ipſe ibidem affirmat, *mentis illuminatio, & quædam mentis inclinatio ad bonum ſupernaturale in communi, qua poterat liberum arbitrium hoc vel illud bonum ſpecialiter eligere &c.*; Qui enim ab ipſo ſuæ creationis exordio ſuperno perfuſus lumine *ſupernaturale bonum in communi* perfecte jam norat, & ad illud item *in communi* erat perfecte inclinatus, quorſum novo lumine ad idem cognoſcendum, quorſum nova ad idem proſequendum opus habuiſſet inclinatione, ſi actualis gratia, cujus neceſſitatem ſtatuit Berti, nihil aliud eſt præter hanc illuſtrationem, atque inclinationem? Doceri vehementer cupimus, quid ad ſuperioris ordinis dona, quæ una cum natura Deus Adæ largitus eſt, adjecerit actualis gratia ſic explicata.

At illud nobis videtur captu difficilius, quod idem Berti ſcribit, *eguiſſe primum hominem gratiæ præmotione, & excitatione aliqua, ut habitus caritatis &c.*. Scilicet: Ita omnes D. Thomæ Diſcipulis, quibus tamen non videri non poteſt plane novum & abſonum, præmotionem excitationemque hanc in mentis illuſtratione, & voluntatis *ad bonum in communi* inclinatione locari; Eſt enim in ipſo hominum communi ſenſu conſignatum, præmotionem atque excitationem ad quidpiam ſingulare, ac, ut loquuntur, in individuo dari, nec cadere in mentem poteſt, qui *inclinatio ad bonum in communi* ſit, ac recte dici poſſit *præmotio*, & gratia *præmovens*. Rurſus: maximam nobis afferunt difficultatem, hæc ejus, quæ expendimus, verba, & ea, quæ Propoſ. 11. in Reſp. ad 1. arg. habet: „ Ea propter in utroque ſtatu, integræ „ ſcilicet corruptæque naturæ auxilio Dei „ tribuendam putamus ſanctam delecta„ tionem, ſed diſparem, tunc *præmoven„ tem*, ut poſſet homo in bona voluntate „ perſiſtere, nunc autem, ut velit, & tan„ tum velit, ut adverſantem cupiditatem „ viriliter ſuperet; Non primi hominis vo„ luntas, ut Auguſt. ſcribit l. 14. de Civ. „ Dei cap. 13., *illuſtrabatur, ut videret*, „ *&*

„ *& accendebatur, ut amaret*. “ Ex horum omnium contentione ea menti noſtræ caligo offunditur, ut, qua ratione conciliari invicem poſſint, plane non videamus; Si eguit primus homo *gratiæ præmotione & excitatione aliqua, ut habitus caritatis in actum ſanctæ dilectionis exiret, ſi illuſtrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret*, non erat ergo actualis illa Adæ gratia *præmovens* tantum, *ut poſſet*, ſed *præmovens* etiam, ut ageret, *ut in actum ſanctæ dilectionis exiret, ut videret, ut amaret*; alioqui quo teſtimonium hoc Auguſtini ad confirmandum, *auxilio Dei tribuendam ſanctam delectationem in ſtatu naturæ integræ præmoventem, ut poſſet homo in bona voluntate perſiſtere*? Neque enim Auguſtinus ait, *illuſtrabatur*, ut videre, *accendebatur*, ut amare poſſet, ſed *ut videret, ut amaret*, quibus non *poſſibilitas*, ſed actio denotatur.

Multo minus complecti animo poſſumus, quod ille tam conſtanter affirmat, *non quamlibet gratiam præmoventem victricem* eſſe, ſeu efficacem; Si *præmovens* eſt, non *poſſibilitatis* ergo gratia eſt, ſed *actionis*, non adjutorium *ſine quo*, ſed *quo fit ad quod datur*: Hujuſmodi autem gratia, quæ non victrix & efficax? *Secundum quod eſt a Deo movente*, ſeu præmovens, ait D. Th. in Auguſtini, cujus plura teſtimonia contulimus, quum de efficacitate gratiæ ageremus; veſtigiis religioſiſſime inſiſtens, *habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt ... Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quod homo, cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur &c.* Illa ergo Adæ gratia, aut præter rationem *præmovens* dicta, aut ſi *præmovens*, & *victrix*, ſive efficax. Nam propterea, *non daretur*, ut infert Berti, *auxilium ſufficiens ab efficaci diſtinctum, quod eſt hæreticum aſſirmare*? Qui & Catholici ſumus, & S.S. Auguſtini & Th. doctrinæ addictiſſimi, duo hæc adjutoria non ſolo reſpectu, ſeu ab adjunctis & eventu, ſed & natura reque ipſa diſtinguimus: at ſit autem, ut auxilium ſufficiens *præmovens* appellemus; hoc enim nomen in illud ſolum auxilii genus vere proprieque quadrare ſtatuimus, quod *actionis* eſt, ſeu, ut Auguſtini verba uſurpemus, *quo fit, propter quod datur*; Quare ne germanas rerum ideas pervertamus, auxilium ſufficiens, quod *poſſibilitatis* eſt, a quo ſcilicet habet homo poſſe, non autem agere, *præmovens* dicere, alienum a ratione cenſemus. Cæterum, quoniam in ea ſententia ſumus, quæ pleriſque, iiſque antiquioribus ac doctioribus inter Noſtrates ſeder, de qua plura I. P. Prælect. V. num. X. & Prælect. VI. num. item X., idem ſcilicet auxilium, ut diverſa reſpicit, ſufficiens ſimul & efficax eſſe, qua parte ſufficiens eſt, ſeu edendi perfecti & conſumati actus vires ac potentiam præbet, Thomiſtarum nemo unus illud *præmovens* dixerit, quod ratio vetet, nomen hoc in eo adjutorio ponere, quod *poſſibilitatis* eſt, non *actionis*: qua vero imperfectum aliquem actum conjunctum habet, puta *quandam velleitatem*, ait Antoninus Reginaldus, *& imperfectum boni deſiderium*, *præmovens* non abſurde dici poteſt *ex generali ratione motionis*, quæ *propter adiunctum aliquem actum efficax aliquo modo eſt*. Hinc patet, quam merito probari nobis non poſſit, actualem Adæ gratiam *præmoventem* dici, *ut poſſet in bona voluntate perſiſtere*, item *præmoventem*, ſed non *victricem*, ſeu nullo modo efficacem.

Hæc ſunt, quæ in Viri Cl. poſitione ſe ſe nobis offerunt intellectu explicatuque tam ardua, ut de iis percipiendis componendiſque pene, propter inſcientiam certe noſtram, deſperemus: Erunt hæc forte acutioribus aliis plana, aperta, necnon ſecum & cum ratione mirifice cohærentia, ad quos propterea perlibenter transferimus nodos iſtos expediendi provinciam. Si hæc fuerint a nobis imperite animadverſa, inſcitiæ reprehenſionem non gravate feremus: Erit tamen ſemper, quo nobis ipſi gratulemur, ſi *auxilium actualis gratiæ collatum Adæ erat illuminatio mentis, & inclinatio voluntatis ad bonum in communi, qua poterat per liberum arbitrium hoc vel illud bonum ſpecialiter eligere, & in bona voluntate permanere, ſi vellet*, nec ſuapte efficaci ad actu perſeverandum eguit, nunquam de momentis, quibus ſententiam conſtabilivimus noſtram, quidquam firmitatis detractum iri, neque hoc efferentes vereremur, ne plus æquo confidentes audiamus.

PRÆLECTIO XVI.

De eodem argumento.

I. SEd jam excutienda decantatiſſima Auguſtini teſtimonia ex cap. 11. & 12. l. de Corrept. & Grat. prompta, quibus ceu ſundamento tota incumbit Adverſariorum opinio. *Iſtam gratiam*, air ibidem cap. 11. Auguſtinus, *non habuit homo primus, qua nunquam vellet eſſe malus, ſed ſane habuit, in qua, ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Neque ipſum ergo Deus voluit eſſe ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab Omnipotenti bono, quod adjutorium, ſi homo ille per liberun non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus, ſed deſeruit, & deſertus eſt: Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret, quum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet.* Et cap. 12.: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt ei adjutorium perſeverantiæ non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint . . . . Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id eſt in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil ei ex ſe ipſo concupiſcentialiter reſiſtebat, ut digne tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium . . . Nunc vero, poſtquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas . . . Sanctis ſuis Deus nunc non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare, ſi velint, ſed in eis etiam operatur, ut velint ut quoniam non perſeverabunt, niſi poſſint, & velint, perſeverandi eis & poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur.* Hæc videntur Adverſariis tam perſpicua, tam decretoria, ut mirari ſatis non poſſint, aliquos eſſe Auguſtini ſtudioſos, qui ſibi perſuaderi non ſinant, hoc ab eo inter ſani & lapſi hominis gratiam conſtitutum aperte diſcrimen, quod daret illa ſolam bene agendi, & perſeverandi *poſſibilitatem* hæc præterea *voluntatem &c.* ſufficiens iccirco illa tantum eſſet, flexibilis, & cujus uſus a primi hominis libertate penderet, hæc efficax, liberum hominis arbitrium invicte, *quandocunque & quocunque vult*, inclinans, bonumque ejus uſum *omnipotenti facilitate* efficiens.

II. Quoniam non ii ſumus, qui ad expediendam difficultatem hanc audeamus de nobis quidpiam novi promittere, nonnulla ſolum animadvertimus, quæ ad plenam argumenti diſſolutionem viam veluti parant. D. Thomam præmoventis, ac victricis gratiæ neceſſitatem a ſtatu naturæ integræ removiſſe, quis dixerit, niſi, qui ejus opera aut nunquam, aut oſcitantiſſime legerit? *Virtute gratuita*, ait 1. 2. q. 109. art. 2., *ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantum ad unum, id eſt ad operandum & volendum bonum ſupernaturale . . . Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino, ut ab ipſo moveatur ad bene agendum;* & ibid. ad 1.: *Mens hominis etiam ſani non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moveri a Deo.* Item nono ejuſd. quæſt. artic.: *Homo in gratia exiſtens . . . indiget auxilio gratiæ . . . ut a Deo moveatur ad recte agendum:* Et hoc *propter duo: Primo quidem ratione generali propter hoc, quod, ſicut ſupra dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ &c.* Demum q. 27. de Verit. art. 5. ad 3.: *In ſtatu naturæ conditæ . . . magis tunc poterat homo ſtare per ſe ipſum; quam nunc poſſint habentes gratiam, non quidem propter defectum gratiæ, ſed propter infirmitatem naturæ, quamvis etiam tunc indigerent homines divina providentia eos dirigente, & adjuvante.* Quis etiam abnuat, D. Thomam doctrinæ Auguſtini aſſectatorem fuiſſe cultoremque omnium maxime fidelem, & religioſum? Nec quemquam ea temeritate eſſe putamus, ut velit admirabilis ingenii, exquiſitiſſimique judicii hominem Auguſtini ſenſa aut intelligentia non aſſecutum,

Digitized by Google

tum, aut ſuis placitis poſthabuiſſe. Quo iſta? Ut veri amantes intelligant, nihil in laudatis Auguſtini teſtimoniis eſſe, quo ſuam poſſint opinionem Adverſarii ſuſtentare; D. Thomas enim eadem in quæſtione 109., in qua non ſemel neceſſitatem divinæ motionis efficacis in ſtatu innocentiæ adſtruxit, art. x, in quo conſtituit, egere hominem ad perſeverandum ſpeciali Dei adjutorio, eadem illa ſtrictim deſcribens ait: „ Sicut Auguſtinus dicit
„ in l. de nat. & gr. cap. 48. & in l. de
„ Corrept. & grat. cap. 12., homo in pri-
„ mo ſtatu accepit donum, per quod per-
„ ſeverare poſſet, non autem accepit, ut
„ perſeveraret: nunc autem multi per gra-
„ tiam Chriſti accipiunt, & donum, quo
„ perſeverare poſſunt, & ulterius eis da-
„ tur, quod perſeverent, & ſic donum
„ Chriſti eſt majus, quam delictum Adæ:
„ Et tamen facilius homo per gratiæ do-
„ num perſeverare poterat in ſtatu inno-
„ centiæ, in quo nulla erat rebellio car-
„ nis ad ſpiritum, quam nunc poſſumus,
„ quando reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit
„ inchoata quantum ad mentem, nondum
„ tamen eſt conſumata quantum ad car-
„ nem, quod erit in patria, ubi homo
„ non ſolum perſeverare poterit, ſed et-
„ iam peccare non poterit. “ Et 2. 2. q.
137. art. 4. ad 2. „ Dicendum, quod, ſi-
„ cut Auguſtinus dicit in l. de Corrept.
„ & grat. cap. 12., primo homini datum
„ eſt, non ut perſeveraret, ſed ut perſe-
„ verare poſſet per liberum arbitrium,
„ quia nulla corruptio tunc erat in huma-
„ na natura, quæ perſeverandi difficulta-
„ tem præberet: ſed nunc prædeſtinatis
„ per gratiam Chriſti non ſolum datur,
„ ut perſeverare poſſint, ſed etiam ut per-
„ ſeverent: Unde primus homo, nullo
„ terrente, contra Dei terrentis imperium
„ libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta
„ felicitate cum tanta non peccandi faci-
„ litate: iſti autem ſæviente mundo, ne
„ ſtarent, ſteterunt in fide. “

III. Ex quo autem Auguſtinus & Thomas docent, majus nobis collatum fuiſſe per Chriſtum donum, quam Adæ innocenti, cui datum duntaxat eſt perſeverare, ſi vellet, non autem actu velle,. & reipſa perſeverare, quum nunc prædeſtinatis per Chriſti gratiam utrumque donetur, infert Doctiſſimus Alvarez Diſput. cvt., Eos revera ſenſiſſe, homini integro ad perſeverandum ſpeciali opus fuiſſe Dei auxilio, ſeu dono, quod tamen non fuit ei conceſſum, ſicut nunc prædeſtinatis per gratiam Chriſti confertur, quod veriſſimo illo Auguſtini effato confirmat: *Ipſius* (Dei) *eſt non ſolum poſſe, quod volumus, ſed etiam velle, quod poſſimus*: ſi Adam ergo perſeveraſſet, ut potuit, ſingulari Dei munere perſeveraſſet: Ut reipſa ergo perſeveraret ſpeciali opus habebat auxilio. Quoniam vero nonnulli reſpondent, quod nunc prædeſtinati per Chriſtum accipiunt, majus tantum *ex parte effectus* ab Auguſtino & Thoma dici, quia nunc in adultis ad finem uſque vitæ perſeverantibus, ſuam tamen cum gratia operam libere conferentibus, major eſt gratiæ Chriſti effectus, quam gratiæ Adæ, qui, quod gratiæ cooperari noluerit, voluntatis ſuæ vitio non perſeveravit, non negaſſe tamen, nec negare potuiſſe, Adæ gratiam utrumque ſortiri effectum reipſa potuiſſe, nec ſecundo effectu, niſi Adæ culpa fraudatam, ita reſpondentibus occurrit præclariſſimus Scriptor, probatque, reſponſum hoc ab Auguſtini & Thomæ mente alienum eſſe; Præterquamquod enim Auguſtinus ipſa gratiæ adjutoria expreſſe diſtinguit, *ipſa*, ajens, *adjutoria diſtinguenda ſunt: aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit*, gratiam ſecundi Adæ gratia primo Adæ conceſſa *potentiorem* ibidem affirmat: Sentit ergo illam, quæ prædeſtinationis per Chriſtum, & in finem uſque perſeverantibus datur, gratiam *ex parte ipſius gratiæ & non ſolum ex parte effectus* gratia Adæ innocentis majorem fuiſſe, ac potentiorem.

Præterea: Duobus hominibus ſi eadem tributa gratia in uno puta in Adamo perſeverandi in finem uſque effectum habuiſſet, non autem in Eva, quod ille pro innata ſua libertate voluiſſet gratia tam bene uti, ut fieret æternæ ſalutis compos, non item illa, annon manifeſto & neceſſario conſequitur, quod Prælect. ſuper. n. v. demonſtratum eſt, Adæ perſeverantiam, ejuſque ab Eva in ſalutis negotio diſcretionem naturæ viribus, & innatæ arbitrii ejus libertati adſcribendam? Quid ſi naturales Adæ vires *habituali*, ac etiam *actuali*, tametſi non prædeterminante, neque victrici gratia, confirmatæ? Jam probatum eſt, nec ſemel evictum, ſi velimus Auguſtini principia tenere, ſalutem noſtram ad gratiam, non ut ad

par-

Digitized by Google

partialem, etſi præcipuam, ſed ut ad integram, & *adæquatam*, ut vocant cauſam eſſe referendam; Quamvis enim liberum arbitrium Deo excitanti ac moventi vere cooperetur, *Deus* tamen *operatur velle*, & *perficere*, ejuſque gratia ſola efficit, ut voluntas libere cooperetur. Damus itaque perlibenter, concludit Alvarez, per ſolum Adam ſtetiſſe, quin *adjutorium ſine quo*, ſeu qua perſeverare poterat, gratia ſuum obtineret effectum: fatendum tamen, ſi revera perſeveraſſet, effectum hunc non ſoli tribuendum adjutorio *ſine quo*, & generali Dei concurſui una cum libera primi parentis opera, ſed ſpeciali adjutorio, quod liberum Adæ arbitrium ad perſeverandum determinaſſet, eique contuliſſet, non ſolum poſſe, ſed & velle perſeverare. Hæc ſummatim ex Alvarez.

IV. Secundo animadvertimus, eadem ipſa argumenta, quæ ex laudatis Auguſtini teſtimoniis Adverſarii, Berti maxime, conflant, preſſa fuiſſe a Moliniano Theologo in Congregatione, cujus Prælect. ſuper. n. 11. meminimus, ut in earumdem Congregationum actis, quæ penes ſe habent, perſpicere Adverſarii poſſunt. Qui autem ea diluit eximius ille cauſæ noſtræ Defenſor Thomas de Lemos? „ Illud eſt (repoſuit, ut in iiſdem
„ actis legere eſt) attente conſiderandum,
„ quod D. Auguſtinus l. de Corrept. &
„ grat. c. 12., conſtituit differentiam in-
„ ter hominem ſanum . . . . & lapſum
„ etiam cum gratia ſanctificante, in hoc,
„ quod homo in illo primo ſtatu, & an-
„ te peccatum habebat naturam integram
„ in ſuis naturalibus, ita quod non erat
„ cum rebellione carnis: unde per gratiam
„ juſtificantem talis erat, quod ad perſe-
„ verandum non indigebat aliquo alio au-
„ xilio gratiæ dante efficaciores, vel ma-
„ jores vires voluntati. At vero quum
„ juſtificatur in natura corrupta, quia ha-
„ bet rebellionem carnis, quæ non tollitur
„ per gratiam juſtificantem, indiget ho-
„ mo, ut perſeveret, auxilio dante ma-
„ jores & efficaciores vires. Et iſta eſt
„ differentia, quam S. Auguſtinus in utro-
„ que ſtatu conſtituit, non vero negat,
„ hominem in illo primo ſtatu indiguiſſe
„ divina motione applicante ipſum ad ope-
„ randum, quia iſta generalis motio in
„ omni ſtatu etiam perfectiſſimo neceſſa-
„ ria fuit, ex eſſentiali ſubordinatione,
„ quam habet cauſa ſecunda, ut movea-
„ tur a prima: Quod aperte tum alibi,
„ tum 1. 2. qu. 109. art. 9. ad 1. docet
„ expreſſe D. Thomas, hominem in ſta-
„ tu naturæ corruptæ indigere auxilio di-
„ vino, duplici ratione, primo ratione ge-
„ nerali, quia nulla creatura operatur ſi-
„ ne motione divina, ſecundo ratione ſpe-
„ ciali, quia eſt in natura corrupta &c. “

V. Hoc, quod Noſtratium plerique adoptarunt, doctiſſimi Viri reſponſo ne minimum quidem permoveri adverſarios ſcimus, quod in ea firmiſſima perſuaſione ſint, a ſola hominis lapſi, cui divinitus ſubveniendum erat, infirmitate repetiviſſe Auguſtinum efficacis ſeu victricis gratiæ neceſſitatem. Hanc etſi penitus infitam vetuſtamque expeditum nobis eſſet, apertiſſimis ejuſdem Auguſtini teſtimoniis evellere perſuaſionem, niſi præjudicatæ rei loco, ut jam monuimus, haberemus, opus fuiſſe homini in quocunque ſtatu phyſica Dei motione, *ſine qua*, ut perpetuo tradit Angelicus, *nulla res creata poteſt prodire in actum ſuum*. Hoc itaque miſſo, Adverſarios ſolum enixe rogamus, ut conſiderare pauliſper velint, quod ipſi nihili pendunt, reſponſo ita permotos celebris illius conventus Patres, ut decreverint, *perſiſtendum in ſententia . . . non obſtantibus teſtimoniis S. Auguſtini* de *Corrept. & grat. c. 12.*, *quo potius firmatur concluſio explicata &c.* Qui, & quales ii fuerint, quantum ſcilicet dignitate, morum integritate, ſacrarum literarum peritia, theologicæ eruditionis copia, &, quod in hac cauſa præcipuum, verioris, puriorisque doctrinæ ſtudio ſpectabiles, habent ipſi domi in maxime authenticis tabularibus reſtatiſſimum; quare ab ipſa naturæ ratione plurimum abhorreret, vel ſuſpicari, inconſulto probaſſe illos Lemoſii reſponſum, nec prius accurate diſpexiſſe, an eſſet illud ad Auguſtini, quo ſolo arbitro atque diſceptatore erant ex *Rom.* Pontificis præſcripto graviſſimæ illæ controverſiæ tranſigendæ, doctrinam exactum.

VI. His animadverſis, quæ tum explicandis Auguſtini teſtimoniis, tum enodandis, quæ inde cuduntur, argumentis ſatis ſuperque eſſe poſſunt, ad duo illa, in quibus Adverſarii opinionis ſuæ arcem locant, l. de Corrept. &c. capita, undecimum ſcilicet & duodecimum, oculos animumque convertimus, & quam maxima potuimus, attentione ſemel iterumque legimus, excuſſimus, perpendimus, nec

quæ

Digitized by Google

quæ noſtra forte cæcitas fuerit, deprehendere aliud potuimus, quam illorum capitum doctrinæ in hoc poſitam ſummam, primo homini datum adjutorium, ſine quo perſeverare non poſſet, nunc Sanctis per Chriſtum dari *adjutorium, cum quo nonniſi perſeverantes ſint*, illi datam *ſolam perſeverandi poſſibilitatem, his & poſſibilitatem & voluntatem divinæ gratiæ largitate donari*, quæ omnia perlibenter admittimus. Uſpiam ne vero Auguſtinus docuit, præter illud *poſſibilitatis* adjutorium, non alio eguiſſe Adamum, quo fieret, ut actu perſeveraret? Quid eſt, quod non ſemel ſcribit, habuiſſe Adamum *poſſe*, non autem *velle perſeverare; nam ſi habuiſſet, utique perſeveraſſet?* Annon evidens, non perſeveraſſe, Auguſtino judice, Adamum, quia a Deo non habuit adjutorium, quo vellet perſeverare? Ut vellet ergo, reque ipſa perſeveraret, ſatis non erat adjutorium, quo poterat, ſed alio, quo & vellet, egebat. *Fit quippe in nobis*, ait ibid c. 11., *per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe, quod volumus, ſed & velle, quod poſſumus, quod non fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit: Namque, ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat, ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ ſine quo id omnino non poſſet.* Quid deſiderari poteſt apertius, quid expreſſius? Quid eſt, ut in bono accepto *permaneret*, niſi ut revera perſeveraret? *Et acceperat*, pergit, *poſſe, ſi vellet, ſed non habuit velle, quod poſſet, nam ſi habuiſſet, perſeveraſſet: Poſſet enim perſeverare Adam, ſi vellet, quod ut nollet, de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle poſſet, & male.*

Cæterum, quemadmodum, *ut perſeverare nollet, de libero* Adæ *deſcendit arbitrio*, ita num ex eodem deſcendiſſet, ut vellet? *Nec ipſum* (Adamum) *ergo*, paulo ante ſcripſerat, *Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono, quod adjutorium ſi homo per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt; Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, quum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet.* Quoniam itaque & liberum Adæ arbitrium *ad bonum parum erat, niſi adjuvaretur ab omnipotenti bono*, talis ei fuit collata gratia, *in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, quam ſi per liberum arbitrium non deſeruiſset, ſemper eſset bonus:* Verum, ut *nunquam vellet eſse malus, ut ſemper bonus eſset*, ſola ne ſatis erat gratia, quæ dabat ei, poſſe permanere, ſi vellet? *Ut in eo*, nempe in accepto bono, *permaneret, præter bonam voluntatem, in qua eum fecerat, qui fecerat rectum*, præter *adjutorium, ſine quo non poſset in ea permanere, ſi vellet, egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſset. Quia* ergo *noluit permanere, profecto ejus culpa eſt; ut* enim *nollet, de libero ejus deſcendit arbitrio, cujus meritum fuiſset, ſi permanere voluiſset.* Hæc autem permanendi voluntas num item a libero arbitrio bene pro innata ſua libertate adjutorio poſſibilitatis utente, atque inde ſibi meritum comparante? Quidpiam ejuſmodi nuſquam apud Auguſtinum deprehenſum iri, confidimus. *Iſtam gratiam non habuit homo primus, qua numquam vellet eſse malus .... non habuit velle, quod poſset; nam ſi habuiſset, perſeveraſset.* Specialis itaque gratiæ ejuſque efficacis futurum erat, ut primus homo nunquam malus eſſe vellet, ſed ſemper bonus eſſet, quam, quia non habuit, non permanſit, non habuit autem, quia ea, quam acceperat, recte uſus non eſt.

VII. Cum his tamen pugnare aperte videntur, quæ continenter adjicit Auguſtinus, & in quibus triumphat Berti: *Quia noluit permanere, profecto ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſset, ſi permanere voluiſset; ſicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa eſſe manſuros.* Hinc argumentatur ille. „ Auguſtinus docet, Angelos Sanctos ſtetiſſe per liberum arbitrium, & beatitudinem in illis fuiſſe mercedem meriti, quum poſt Adæ lapſum ipſa perſeverantia donetur Electis, & gloria in his, qui liberantur, ſit donum gratiæ. Atqui per Auguſtinum ſtare per liberum arbitrium, eſt perſeverare cum ſolo adjutorio, ſine

„ quo non poterat permanere : ergo hoc „ ſolum adjutorium erat homini ante culpam neceſſarium : Major eſt Auguſtini „ cit. c. xi. . . . . Minor etiam propoſitio eſt Auguſtini; Stare enim per liberum arbitrium, non eſt ſtare ſine gratia; Nam, *ſi hoc adjutorium vel homini, vel Angelo, quum primum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent; Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent*: Ergo ſtare per liberum arbitrium eſt, permanere in ſanctitate cum ſolo adjutorio *ſine quo*, videlicet cum gratia, quæ dat poſſe habere juſtitiam, ſi homo velit, non, qua fit etiam *ut velit*. “

VIII. Ut ille Antonii Boneat reſponſum, quod idoneum ne ſit, an ſecus, non diſquirimus, *quatenus poſitum ad elidendam ſuperioris argumentationis vim, Auguſtini Diſcipulis* ait, *nihil negotii faceſſere*, ita per eum nobis reponere liceat, ſua nos argumentatione nec minimum permoveri; Reſpondemus enim, Auguſtinum frequentiſſime commonere, non iccirco negari neceſſitatem gratiæ quod liberum commendetur, & extollatur arbitrium, ſed ut exploratam certamque poni; quum a gratia non humanum ſolum, ſed & Angelicum regatur, adjuvetur, & confirmetur arbitrium; Quare cit. loco ex cap. xi. l. de Corrept. &c. non aliud ſignificare voluit, quam malos Angelos eadem, quum primum creati ſunt, ſanctificante gratia, eadem *bona voluntate*, eodem *amore caſto* donatos, iiſdem innatis viribus, eodemque perfectiſſimæ naturæ robore inſtructos per liberum arbitrium cecidiſſe; quibus inſtructi boni per idem liberum arbitrium ſteterunt, permanſeruntque: ſtabilitatis hujus autem ac bonorum perſeverantiæ cauſam non a ſolo eorum libero arbitrio iiſdem naturæ gratiæque donis, quibus abuſi ſunt mali, bene utente, ſed a ſingulari, ampliori, potentiorique, quod malis negatum eſt, Dei adjutorio petendam eſſe, etſi ibi non indicarit, quoties alibi ſincu lentiſſime docuit? Mittimus inſigne illud, quod Noſtratium nullus eſt, qui non urgeat, & ab ineptis adverſus illud exceptionibus non expediat, quodque & Doctiſſimo Leonardo Coquæo viſum eſt tam expreſſum, ut dubitari de Auguſtini mente non poſſe pronuntiarit, teſtimonium l. 12. de Civ. Dei c. 9., ubi quæſtionem poſitam, cur Angelorum alii ceciderint, alii ſteterint, ita finit : *Iſti, qui, quum boni creati eſſent, mali tamen ſunt mala ſua voluntate . . . aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perſtiterunt, aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent*. Alia item mittimus, quæ a ſcholæ noſtræ Scriptoribus tum ex eodem loco de Civ. Dei, tum aliunde promi urgerique ſolent: Illud nobis ſemper viſum eſt decretorium, quodque nulla exceptione elidi poteſt; quod ea Pſal. 32. interpretans : *Verbo Domini cœli firmati ſunt &c.* enarrat. in eumd. Pſal. habet; *Verbo Domini cœli ideſt Angeli ſolidati ſunt . Non a ſe ſibi ſolidamentum fuerunt, nec ipſi firmitatem propriam ſibi tribuerunt; Non enim habuerunt aliquid ex ſe tanquam ſupplementum, quod non a Domino perceperint : ſpiritu enim oris ejus non pars, ſed omnis virtus eorum*.

Hæc Adverſariis expendenda proponimus, & cum opinione ſua concilianda. Multone ingenii acumine opus eſt, ad certo perſpiciendum, falſa hæc omnino eſſe, ſi, quam ipſi ceu Auguſtinianæ doctrinæ baſim & fundamentum conſtituunt, opinio vera ſit? Si Angelis bonis ad ſtandum non aliud divinitus tributum gratiæ adjutorium, quam quod & malis, qui ceciderunt, verſatile nimirum, indifferens, totumque ita in eorum relictum arbitria, ut in quam vellent, illud flecterent partem, num a Domino præ cadentibus ſolidati? Molle, flexibile, liberoque arbitrio ſubditum adjutorium num *ſolidamentum*, *firmitatemque* eidem *præſtare* potuit, ſeu illud ita in bono figere, *ut* conſtanter, bonum, quod acceperat, retineret? Annon contra ipſi ſibi boni Angeli bono verſatilis gratiæ uſu ſolidamentum firmitatemque propriam præſtitiſſent? bonus enim hic uſus non a gratia, quam ſuapte efficacem adverſarii nolunt, ſed a libero arbitrio ſe ipſum ad ſtandum determinante fuiſſet. Hinc & falſum, quod Auguſtinus ſubjicit, non habuiſſe Angelos *aliquid ex ſe tanquam ſupplementum, quod non a Domino perceperint*; ſuppleverunt enim ipſi, quod gratiæ deerat, quam

Digitized by Google

quam ſuo videlicet reddiderunt conſenſu efficacem. Hunc autem conſenſum num a Domino *perceperunt*, qui ſolam eis contuliſſe putatur gratiam, quam retinerent, aut desererent, ſi vellent, non qua efficeretur, ut vellent? Annon item falſum, *non partem, ſed omnem virtutem eorum ſpiritu oris* Dei fuiſſe *firmatam*, ſi quod potius, & in hoc negotio præcipuum, bonus ſcilicet gratiæ uſus, a nativa liberi eorum arbitrii virtute fuit?

Satis hoc argumentum preſſimus Prælect. super.: addere duntaxat lubet locupletiſſimum Fulgentii teſtimonium, quem nemo ſuſpicari, niſi temere, poſſit, aut ab Auguſtini Magiſtri ſui doctrina ſcienter deſciviſſe, aut illam minus habuiſſe perſpectam. *Profecto cognoſcitur*, ſcribit de univerſis Angelis l. 2. ad Thraſymundum c. 2., *uniformi cunctos opprimi potuiſſe ruina conſortio, niſi, quos vellet, a caſu pravitatis virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari, depravarique non poſſet*. De virtute verſatili, in omnium perinde arbitrio relicta, ac tam cadentibus, quam ſtantibus perinde communi, hæc interpretari quis poſſit? Quæ enim, ut Auguſtinus ſcite ait, & communi ipſo hominum ſenſu perceptum eſt, *bonos diſcernit a malis*, ſtantes a ruentibus, *gratia, non eſt profecto communis bonis & malis*. Quid & eo illuſtrius, quod ibid. c. 3. ait: *Non alia ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ poſt ruinam potuit lapſum hominem reparare. Una eſt in utroque gratia operata, in hoc, ut ſurgeret, in illo, ne caderet, in illo, ne vulneraretur, in iſto, ut ſanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſivit: Illius eſca, iſtius medicina*. Quæ lapſum hominem reparavit, quæ in eo *operata, eſt, ut ſurgeret, ut ſanaretur* &c. gratia an mere ſufficiens, flexibilis, liberi arbitrii nonniſi comes & pediſſequa, & in quamcumque illud ſe partem dederit, unice ſe exhibens auxiliarem? Si nefas eſſet, hoc in Auguſtini Schola vel fingere, qui exiſtimari poterit, cum Auguſtini doctrina congruere, ſtetiſſe Angelos per liberum arbitrium non prædeterminantis efficaciſque gratiæ adjutorio firmatum, ſed duntaxat indifferenti, ac flexibili, quod in poteſtate haberet, auxilio comitatum, quum non alia potuerit a ruina ſtantem Angelum gratia, auctore Fulgentio, cuſtodire, quam quæ potuit poſt ruinam lapſum hominem reparare, atque una eademque, quæ in illo, ut ſurgeret, in iſto ſit operata, nec caderet?

IX. Hinc & diſſolutio peti poteſt eorum, quæ idem Berti opponit ajens: „ Auguſtinus l. de corrept. &c. c. XI. de „ primo homine ſcribit: *Ille non opus „ habebat eo adjutorio, quod implorant „ iſti, quum dicunt, video aliam legem „ in membris meis* &c. Atqui auxilium, „ quod Adæ poſteri implorant, eſt auxi„ lium gratiæ prædeterminantis: non er„ go auxilio iſtiuſmodi indiguit Adam.“ Quoniam Berti concedit, parem fuiſſe Angelorum, & hominis integri cauſam, eamdemque de utriſque Auguſtini ſententiam, ea primum ſibi habeat Auguſtini teſtimonia, qua mox deſcripſimus, ad conficiendum, Angelos bonos non auxilii verſatilis, quod dabat poſſe ſtare, ſi vellent, ſed efficacis, quo datum eſt eis, ut vellent, ope ſtetiſſe, eadem propterea opus fuiſſe Adæ, ut in bono qaod acceperat, permaneret, etſi aliam non haberet in membris legem repugnantem legi mentis, & captivantem illum in lege peccati. Nequit enim abſque rationis injuria negari, ejus, ut Angelorum, arbitrium fuiſſe de bono ad malum mobile, non potuiſſe propterea, quemadmodum nec Angeli, *a ſe ſolidamentum habere*, nec *ipſum præſtare ſibi propriam firmitatem*; alioqui *aliquid ex ſe habuiſſet, tamquam ſupplementum, quod non a Domino percepiſſet*, quod Auguſtinus de Angelis negat, ceu divino verbo expreſſe contrarium. Exin illud ſibi habeat, quod ex Fulgentio dedimus, quum nimirum peræque eſſet, ut Angelorum, ita & Adæ voluntas inconſtans, & de bono, in quo creata fuerat, flexibilis ad pravitatem, non fuiſſe *a caſu pravitatis defendendam*, niſi a *virtute* illa, *quæ ſola naturaliter* immobilis, & incommutabilis eſt, oportuiſſe, ut una eademque in illo operaretur gratia, *ne caderet, ne vulneraretur, ne infirmaretur*, quæ in illo poſt lapſum *operata eſt, ut ſurgeret, ut ſanaretur* &c., eademque eſſet *eſca* ſanum *confirmans*, quæ fuit *medicina* morbo affecti. Medicinali itaque Adam *adjutorio* non *opus* habebat, quod ejus poſteri implorant &c., quorum enim medicamine egeret nondum morbo tentatus? Idem tamen, auctore Fulgentio, *eſca* ſani eſſet, oportebat,

quod nunc eſt ægrorum *medicina*, idemque illum *infirmari non ſineret*, quod ab iſtis *depellit infirmitatem*. An minus ſcite, ut Thomiſtis objicit Berti l. 4. c. 9., hoc utamur Fulgentii teſtimonio, quod ibi agat ille adverſus Arrianos, homines certantes a præjudiciis vacui.

X. Nec reſponſum hoc labefactant, quæ ſubjicit Berti: „ 1. S. Pater (ait) „ gratiæ medicinalis hunc expreſſum de„ ſcribit characterem, quod *potentior* ſit, „ & *faciat ut homo velit*, quum e contra „ adjutorium Adæ eſſet *tale*, *quod deſere„ ret*, *quum vellet*, & *in quo permane„ ret*, *ſi vellet*, *non quo fieret*, *ut vellet*: „ fatentur autem Adverſarii, Adamum „ non indiguiſſe adjutorio gratiæ medici„ nalis: ergo fateri debent, non indi„ guiſſe *adjutorio*, *quod efficeret*, *ut vel„ let*. “ Hoc ejus argumentum, jam plene, niſi ipſi nos fallimus, n. VI. dilutum eſt; Eo enim ſolum efficitur, quod ultro concedimus, plus tributum ſecundo Adæ quam primo, cui ſola tributa fuit *poſſibilitas perſeverandi*, & *adjutorium ſine quo perſeverare non poſſet*, non & ipſa *perſeverandi voluntas*, & adjutorium, cum quo nonniſi perſeverans eſſet, de quo funeſta ejus ruina dubitare neminem ſinit, quum *prædeſtinatis per Chriſtum nunc* & *perſeverandi poſſibilitas* & *voluntas divinæ gratiæ largitate donetur*. Uſpiam ne vero Auguſtinus docuit, ad actu reipſa perſeverandum ſatis Adæ fuiſſe adjutorium, ſine quo perſeverare non poterat, & cum quo poterat perſeverare, ſi vellet? Quid ſi ait, tale fuiſſe *adjutorium*, *quod deſereret*, *quam vellet*, *in quo permaneret*, *ſi vellet*? An in Adæ voluntate ſola poſitum perinde ſenſit, ut adjutorium illud *deſerere*, ita & in eo *permanere*, ſive *perſeverare*? Quid ſibi ea volunt, quæ loc. cit. perpendimus ab Auguſtino ibidem præmiſſa? *Gratiam Deus reliquit in ejus* (*Adæ*) *libero arbitrio*; *nam liberum arbitrium ad malum ſufficit*, *ad bonum autem parum eſt*, *niſi adjuvetur ab omnipotenti bono*. Ab omnipotenti bono annon adjutus Adam per adjutorium *ſive quo*? Hoc tamen licet adjutum *liberum* ejus *arbitrium ſufficiebat*, & reipſa ſuffecit *ad malum*, *ad bonum autem*, ſeu ad permanendum in bono, *parum erat*, *niſi adjuvaretur ab omnipotenti bono*. An adjutorio ejuſdem indolis, & virtutis, indifferenti ſcilicet, totoque a liberi arbitrii nutu pendente? Næ ille adverſus Auguſtinum minus æquus, qui illum animo concipiat tam inepte differentem. Quid illuſtrius iis, quæ num. laud. ex eo recitavimus? *Ut in eo*, ideſt in bono, *permaneret*, *egebat adjutorio gratiæ . . . Acceperat poſſe*, *ſi vellet*, *ſed non habuit velle*, *quod poſſet*: Cur non habuit, niſi quia non acceperat? *Nam ſi habuiſſet*, *perſeveraſſet*.

XI. Alio etiam ejuſdem Berti argumento non *excutitur*, ut ille ait, *noſtræ reſponſionis infirmitas*. „ S. Pater hanc „ gratiam, quæ dat non ſolum poſſe, ſed „ etiam velle, & ipſam efficit perſeve„ rantiam, neceſſariam tantummodo tra„ didit ob infirmitatem naturæ lapſæ, & „ carnem contraria concupiſcentem, ita „ ut niſi foret hæc naturæ infirmitas, „ cupiditaſque vitioſa, nullatenus eſſet „ homini neceſſaria alia gratia præter il„ lam, quæ dat poſſe perſeverare: atqui „ in ſtatu innocentiæ nullum erat naturæ „ vulnus, nec adverſus rationem pugnans „ cupiditas: Ergo neceſſaria non erat „ gratia, quæ efficit prædeterminante & „ indeclinabili impulſu ipſam perſeveran„ tiam: Maj. liquet ex verbis Auguſt. „ cap. 12. ejuſd. l.: *Tantum quippe Spi„ ritu S. accenditur voluntas eorum*, *ut „ ideo poſſint*, *quia ſic volunt*, *ideo ſic ve„ lint*, *quia Deus operatur*, *ut velint*; „ *Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hu„ jus . . . ipſis relinqueretur voluntas ſua*, *ut „ in adjutorio Dei*, *ſine quo perſeverare „ non poſſent*, *manerent*, *ſi vellent*, *nec „ Deus in eis operaretur*, *ut vellent*, *inter „ tot* & *tantas tentationes infirmitate ſua „ voluntas ipſa ſuccumberet*, & *ideo per„ ſeverare non poſſent*, *quia deficientes in„ firmitate nec vellent*, *aut non ita vel„ lent infirmitate voluntatis*, *ut poſſent*. „ Sed legenda ſunt etiam præcedentia & „ ſubſequentia verba contentione animi „ ad diſcendum aſſidua. “

Non *præcedentia*, & *ſubſequentia verba* ſolum, ut ille commonet, ſed & integra duo illa capita oculis animoque ſemel ac iterum majori, qua potuimus, contentione luſtravimus, nec deprehendere datum eſt, quod ipſe ex laudatis Auguſtini verbis *liquere*, ſcribit, gratiam, quæ ipſam efficit perſeverantiam, *neceſſariam* ab Auguſtino tantummodo *tradi ob infirmitatem naturæ lapſæ*, & *carnem contraria concupiſcentem*, *ita ut*, *niſi foret hæc naturæ infirmitas*, *cupiditaſque vitioſa*, *nullatenus homini neceſſaria eſſet alia gratia præter* il-

Digitized by Google

illam, *quæ dat poſſe perſeverare*, ſeu ſufficientem. Fidem legentium imploramus, an quidpiam ſimile poſſit ex Auguſtini verbis exculpi. Qui, quod Auguſtinus re-ipſa ſcripſit, non quod illum ſcripſiſſe vellet, attente perlegit, conſideratque, unum id ab eo doceri, perſpicit, fore ſcilicet, *ut inter tot ac tantas* mortalis hujus vitæ *tentationes voluntas* hominis lapſi ac infirmi *ſuccumberet*, *niſi Deus* efficaci gratia *in eo operaretur*, *ut in adjutorio*, *ſine quo perſeverare non poſſet*, *manere vellet*, quod fatemur, eſſe veriſſimum: Si nulla autem eſſet infirmitas, ſi nulla homini a vitioſa cupiditate *concupiſcentialiter reſiſtente* moleſtia, ubi non Auguſtinus docuit, nullam fore efficacis hujus adjutorii neceſſitatem? Idemne cordatis eſt, quidpiam ob definitam aliquam cauſam neceſſarium dici, ac neceſſarium negari, ſi ea cauſa non ſuppetat, quum, ſi hæc deſit, aliæ ſint, ex quibus neceſſitas hujuſmodi perinde manet? Quum jamdudum facta fuerit primævæ integritatis jactura, nec jam homini reliqua ſit niſi infirmitas, & corruptio, miruminne, hoc præcipue nomine ab Auguſtino commendari inculcarique efficacis, & victricis gratiæ neceſſitatem? Scite ne vero alia cenſendus eſt hujus neceſſitatis nomina excluſiſſe, atque ita vitæ hujus infirmitati, & perpetuo cum vitioſa cupiditate conflictui neceſſitatem hanc alligaſſe, ut, ſi nulla eſſet infirmitas, jam non alii foret, quam ſufficienti gratiæ locus? Conſecutionem hanc non ſolum mox recitata ejus verba non ferunt, ſed & illam aperte vetant certiſſima & perpetua illa, quæ Prælect. ſuper. verſavimus, ejus principia.

Cæterum ex iis, quæ e veſtigio ſubdit Auguſtinus, non levis peti poſſe videtur reſponſi hujus confirmatio: *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, quum voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeveraverit habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare, ſi vellet, non tamen tali, quo Deus in illo operaretur, ut vellet*. Hinc videmur nobis, non inepte argumentari poſſe. Adam *fortis & ſanus in bono ampliore* non perſtitit *habens virtutem liberi arbitrii*, quia etſi adjutorio Dei inſtructus erat, *ſine quo non poſſet perſeverare*, *ſi vellet*, eo tamen caruit, *quo in illo Deus operaretur*, *ut vellet*, ſeu, ut ibidem paulo ante dixerat, quia, etſi *acceperat*, *ut poſſet*, *non habuit* tamen, *ut vellet*; *nam ſi habuiſſet*, *perſeveraſſet*: Ut ergo re ipſa perſeveraret, tali opus habebat adjutorio, *quo Deus in illo operaretur*, *ut vellet*: *fortiſſimo quippe*, pergit, *dimiſit*, *atque permiſit agere*, *quod vellet*: *infirmis ſervavit*, *ut*, *ipſo donante*, *invictiſſime*, *quod bonum eſt*, *vellent*, *& hoc deſerere*, *invictiſſime nollent*. Cur vero? Ut in eo *oſtenderetur*, *quid poſſet liberum arbitrium* tametſi ſanum, quod *ad malum ſufficit*, *ad bonum autem parum eſt*, *niſi adjuvetur ab omnipotenti bono*, in his autem, *quid poſſet gratia liberantis*. *Præſciebat quidem Deus*, *quid ille eſſet facturus injuſte*, *præſciebat tamen*, *non ad hoc cogebat*: *Nunc vero*, *poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas*, *etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas*, quæ ſcilicet, occulto ſuo judicio, *fortiſſime* atque ſano negavit.

XII. Hæc ſunt, quæ non levis laudatorum Auguſtini capitum commentatio nobis obtulit, quibus, & quæ inde opponi ſolent, ejuſdem teſtimonia interpretaremur, &, quæ inde conflantur, argumenta pro tenuitate noſtra diſſolveremus. Quibus hæc non plene fecerint ſatis, habent Hiacynthum Serry, qui latiſſime hoc argumentum perſecutus eſt, &, quidquid Adverſarii adverſus Scholæ noſtræ ſententiam torquent, minutatim concidit, nec ſolide diſpellere, ommittit. Aliam hanc tamen, quæ nobis brevior ac expeditior, recte ne an ſecus alii judicent, viſa eſt, ſemitam ingreſſi ſumus, in quam ut nos dedimus, præeuntem non ſine magna animi voluptate perſpeximus Cl. Alvareſium, cujus hoc eſt preſſum ad memorata Auguſtini teſtimonia reſponſum:
„ Ad tertium &c. (ait diſp. cvi.), ex
„ omnibus illis locis S. Auguſtini ſolum
„ colligi, primis parentibus in ſtatu inno-
„ centiæ datum fuiſſe gratiæ adjutorium,
„ quo perſeverare potuiſſent, & perſeve-
„ rarent, ſi vellent, quod & nos libenter
„ fatemur: Nihilominus juxta ſenten-
„ tiam ejuſdem S. Auguſt. locis ſuperius
„ allegatis, ut actualiter perſeverarent et-
„ iam

„ tam in ſtatu innocentiæ indigebant auxilio ſpeciali præoperantis gratiæ, & „ firmantis liberum arbitrium in bono. “ Hæc perdoctus Vir, quem nemo ignorat, perſtrenuum fuiſſe Auguſtini doctrinæ in Congregationibus de Auxiliis defenſorem. Sed de hac quæſtione forte jam nimis multa.

APPENDICULA.

De juſtificatione, & merito.

I. PRopoſitum nobis ab initio erat, latius in hoc argumento verſari: Verum ut tot ab illata de utroque hoc capite a Novatoribus Catholicæ Eccleſiæ lite doctiſſimorum Virorum diſputationes, quibus hanc orarunt, obtinueruntque cauſam, animo complexi ſumus, a priori conſilio diſceſſimus; cujus eſt enim ferme ſupervacuus labor, quum non poſſemus, niſi ligna, quod antiquo vetatur adagio, in ſylvam inferre. Faciemus itaque, quod pridem optimi ii diſſerendi Magiſtri Tridentini Patres. Ut illi, quemadmodum exploratum omnibus eſt, ſeſſ. 6. de Juſtif. D. Thomæ doctrinam in capita ſexdecim, & canones tres ac triginta reſtricte compegerunt, ita & nos ejuſdem veluti ſummam dabimus, breviter ea complexi, quidquid in utroque hoc capite utile aut ſcitu neceſſarium ſit. Facto autem a juſtificationis notione, ut par eſt, initio, finitur illa ab Angelico, *tranſmutatio*, ſeu tranſitus, *a ſtatu injuſtitiæ ad ſtatum juſtitiæ per remiſſionem peccati*. Neque monendi jam ſunt Theologi, *injuſtitiæ* nomine ſingulare illud, quod juſtitiæ, quæ ſpecialis virtus eſt, opponitur, vitium non venire, ſed, ut *juſtitiæ* nomen non in peculiari illa virtute ponitur, cujus eſt hominem, vel ad alterum, ſi *commutativa* ſit, vel ad multitudinem, ſi *legalis*, recte ordinare, ſed juſtitiam denotat, quæ ut ait Ambroſius, *communis eſt virtus*, &, ut ſcribit Angelicus, *in ipſa interiori hominis diſpoſitione rectitudinem ordinis facit, prout* ſcilicet *ſupremum hominis, nempe mens, Deo, & inferiores hominis vires ſupremæ, ſeu rationi, ſubduntur*, ita *injuſtitiæ* nomine gravem quamlibet deſignari culpam, quæ rectum debitumque in homine ordinem perverterat, ſuſtuleratque. Quoniam autem de juſtificatione ſermo non eſt, qua cum natura ſimul & exiſtentia Deus aliquibus, in quibus nulla culpa præceſſerat, ut Angelis & Adæ, quum primum creati ſunt, juſtitiam largitur & gratiam, ſed *de juſtificatione impii*, qua nimirum ex impio juſtus fit, quæ propterea motus, ſeu mutationis *de contrario in contrarium* quandam ſimilitudinem habet, recte concludit Angelicus, motum hunc, ſive tranſitum ab iniquitate ad juſtitiam a Scriptoribus cum ſacris, tum Eccleſiaſticis juſtificationem convenientiſſime dici, quum omnis motus nomen a termino ſortiatur, ad quem dirigitur.

II. Quia vero, ut 2. ad Cor. 6. ſcribit Apoſtolus, nulla eſt *participatio juſtitiæ cum iniquitate*, pronum eſt intelligere, non juſtificari impium niſi *per remiſſionem peccati: Quæ enim ſocietas luci ad tenebras? aut quæ conventio Chriſti ad Belial?* Qui autem deletur *iniquitas*, cui nulla poteſt eſſe cum juſtitia participatio? *Per infuſionem gratiæ*, reſpondet Angelicus; Quum enim Deum homo peccando læſerit, nec remitti apud homines etiam offenſa ſoleat, niſi offenſi animus lædenti reconcilietur, non aliter homini remitti peccata dicuntur, quam quod homini, a quo læſus eſt Deus, pacatur quæ pax ipſa eſt, qua Deus nos proſequitur, dilectio. Quid vero ſi divinæ dilectionis actus æternus eſt, & plane immutabilis? Quem tamen nobis imprimit, effectus, quandoque in nobis interrumpitur, prout nimirum a Deo peccando deficimus, quandoque redintegratur, prout iterum cum Deo conjungitur: Cui ergo placatus Deus delicta condonat, divinæ effectum dilectionis peccato ſublatum recuperet, oportet. Hic autem num alius a gratia, qua redditur homini jus ad æternam vitam, a quo per lethale peccatum exciderat? *Non poſſet ergo intelligi remiſſio culpæ ſi non adeſſet infuſio gratiæ* Hoc a Trident. paucis declaratum eſt ſeſſ. 6. c. 7.: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. Can. autem 11. anathemate confixi, qui dicerent, *homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum diffundatur per Spiritum S., atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſti-*

ſtificamur, eſse tantum favorem Dei. Hinc patet, erraſse immaniter Novatores, adverſus quos latus eſt canon, ratos, peccata remitti ſola eorumdem *non imputatione*, & eo Pſal. 31. abuſos: *Beatus vir*, cui *non imputavit Dominus peccatum &c.* Hoc enim Pſal. teſtimonium interpretans D. Thomas ſapientiſſime ait, ut Dei dilectio non in ſolo voluntatis divinæ actu, ſed & in quodam gratiæ effectu conſiſtit, cujus particeps ſit, qui diligitur, ita homini Deum *non imputare peccatum*, quidpiam in eo, quem Deus jam peccati reum non habet, vere efficere; Nam unde eſt, quod homini Deus peccatum non ponat in culpa? Annon ex divina dilectione? Quum ergo dilectionis hujus effectus ſit gratia, qua Deus eum, quem diligit, gratum facit & habet, conſequens eſt, culpæ remiſſionem ſine gratiæ infuſione non fieri.

III. Hoc vero juſtificationis negotium totum ne a ſolo Deo perficitur abſque libero adulti, qui juſtificatur, motu ullo? Ita quidem peſtilentiſſimi Novatores ab Eccleſia proſcripti, quorum impiam poſitionem, *liberum nempe hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſse diſsentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere*, Tridentinum can. 4. damnavit. Quid autem abſurdius? quid a divini eloquii veritate magis alienum? Qui enim juſtificatur, nonne *venit* ad Chriſtum? Quis autem ad eum venit, niſi qui, ut ipſe Jo. 6. ait, *audivit a Patre, & didicit*? Quum ergo ſine libero arbitrio nemo diſcat, ut ſolide diſſerit D. Thomas, addiſcens enim docenti conſentit, an non evidens, neminem *per gratiam juſtificantem* ad Deum ſine liberi arbitrii motu venire? Quid & alio argumento firmius, quo e naturæ ratione petito hoc idem Angelicus efficit? Impii juſtificationem fieri movente hominem ad juſtitiam eo, qui, ut ad Rom. 3. ſcriptum eſt, *juſtificat impium*, annon habent Novatores ipſi exploratum? Libere ergo moventi, & excitanti Deo cooperetur & aſſentiatur, oportet, qui ab eo ad juſtitiam movetur; Quid enim certius, quam Deum omnia pro cujuſque modo ſeu natura movere? Ad juſtitiam itaque homines movet, prout hominis natura fert: Quum itaque hominis naturæ ſit, liberi arbitrii eſſe, & libere agere, *in eo, qui uſum liberi arbitrii habet, non fit motio a Deo ad juſtitiam abſque motu liberi arbitrii, ſed ita infundit donum gratiæ juſtificantis, ut etiam ſimul moveat liberum arbitrium ad acceptandum donum gratiæ in iis, qui ſunt hujus motionis capaces*. Quid ſi Deus in adulto gratiam abſque ullo liberi ejus arbitrii motu conſervat? Illamne perinde in eodem infundit? In hujus infuſione, reſpondet Angelicus, quædam eſt hominis tranſmutatio, a ſtatu nempe injuſtitiæ ad juſtitiæ ſtatum, quare motu opus eſt, qui ſit hominis proprius, nimirum ut modo ſuo, ſeu prout ejus natura exigit, nempe libere, moveatur. Gratiæ autem conſervatio abſque tranſmutatione perficitur; Non motu propterea hominis proprio, ſed ſola *divini influxus continuatione* opus eſt.

IV. Hic vero ad juſtificationem adulti neceſſarius liber voluntatis humanæ motus, unus, an multi? Si multi, qui illi? Quo ſe ad juſtificantem gratiam diſponat ac præparet homo a Deo excitatus & motus, neceſſe eſt, liberi arbitrii actus non unus a D. Thoma & ab Eccleſia traditur, ſed multiplex. Actui fidei primus a Tridentino defertur locus, & quidem rectiſſime; Siquidem, ut nitide probat Angelicus, ad juſtificationem impii liberi arbitrii Deo moventi conſentientis motus exigitur; quum ergo Deus hominem moveat, illum ad ſe convertens, homo, ut ex impio juſtus fiat, mente ad Deum ſe convertat, oportet: Prima autem humanæ mentis ad Deum converſio, qui fieri poteſt niſi fide, quum ad Heb. x. ſcribat Apoſtolus, *accedentem ad Deum oportet, credere, quia eſt* &c.? Ad impii itaque juſtificationem *requiritur motus fidei*. An omnia autem credenda cogitatione complectatur, oportet, homo juſtificandus? Ex eo Apoſtoli ad Rom. 4., *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputabitur fides ejus ad juſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei*, liquere reſpondet Angelicus, ad impii juſtificationem neceſſarium eſſe fidei actum *quantum ad hoc, quod homo credat, Deum eſſe juſtificatorem hominum per myſterium Chriſti*, quod paulo latius expreſſit Trid. Synodus cap. VI. ajens: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gra-*

tia,

tia, *& adjuti*, *fidem ex auditu concipientes*, *libere moventur in Deum credentes*, *vera eſſe*, *quæ divinitus revelata*, *& promiſſa ſunt*, *atque illud in primis*, *a Deo juſtificari impium per gratiam ejus*, *per redemtionem*, *quæ eſt in Chriſto Jeſu* &c. Quoniam vero in divinis literis impii juſtificatio non ſoli fidei, ſed & timori, & dilectioni, & humilitati, & aliarum virtutum actibus attribuitur, oſtendit Angelicus, ad juſtificationem impii una cum actu fidei & charitatis motum concurrere, neque enim fides perfecta eſt, niſi ſit charitate formata, necnon & filialis timoris, & humilitatis actum, quum liberum arbitrium moveatur in Deum, ut ſe illi ſubjiciat, quod timore & humilitate fit; unus ſenim idemque liberi arbitrii actus poteſt diverarum virtutum eſſe ſecundum quod una imperat, alia imperatur, prout nimirum actio eadem ad diverſos referri ordinarique fines poteſt. Eadem hæc loc. mox cit. Tridentinum expreſſit, pergens: *Diſponuntur .... etiam dum peccatores ſe eſſe intelligentes*, *a divinæ juſtitiæ timore*, *quo utiliter concutiuntur*, *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo*, *in ſpem eriguntur*, *fidentes*, *Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*, *illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*.

V. Cæterum, quoniam neque fieri nec intelligi poteſt ad unum extremum acceſſus, niſi oppoſitum deſeratur, nec intelligi neque fieri poteſt impii juſtificatio, ſeu tranſmutatio illa, qua a ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ divinitus mens humana movetur, abſque duplici liberi arbitrii motu, *quo* per deſiderium tendat in Dei juſtitiam, & alius quo deteſtetur peccatum; neque enim, ut ex Tract. 46. Auguſtini in Jo. probat Angelicus, receſſus, & acceſſus iſte fit *paſſibus corporis*, *ſed affectibus mentis*. Idem & in laud. Trident. cap. inculcatur: *Propterea* (ideſt ex quo *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*) *moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem* ... *Denique dum proponunt* ... *inchoare novam* vitam, *& ſervare divina mandata*. De hoc liberi arbitrii motu, ac neceſſaria ad juſtificationem diſpoſitione ex inſtituto noſtris in Prælect. *de pœnitentia* adverſus Novatores egimus, quorum eſt etiam exitialis error a Trident. ſeſ. 14. cap. IV. damnatus, pœnitentiam ſolam eſſe *ceſſationem a peccato*, *novæque vitæ propoſitum ac inchoationem*, *non autem & veteris odium*, *atque deteſtationem*.

VI. Quo autem plenam perfectamque juſtificationis notionem aſſequamur, illud in animo conſignemus, oportet, quod ex hactenus dictis concludit Angelicus, impii ſcilicet juſtificationem quatuor neceſſario complecti, gratiæ videlicet infuſionem, liberi arbitrii ad Deum *per fidem*, & per deteſtationem adverſus peccatum motum, culpæ denique remiſſionem; Quum enim illa motus quidam ſit, quo homo a ſtatu culpæ ad ſtatum juſtitiæ a Deo transfertur, annon par eſt, in ſpirituali hoc motu eadem conſiderare, quæ in corporeo quovis locali motu cernuntur? Ut ergo in hoc tria ſunt, primo moventis motio, ſecundo mobilis motus, tertio motus conſumatio, ſeu finis ac termini comprehenſio, eadem perinde poſſunt in ſpirituali hac tranſmutatione ſpectari, Dei ſcilicet hominem ad juſtitiam gratiæ infuſione moventis ac transferentis motio, liberi, quod divinitus movetur, arbitrii motus duplex, ſcilicet recedentis a termino, ſive a culpa, quam deteſtatur, odioque habet, & accedentis ad terminum, nempe ad juſtitiam, in cujus auctorem credit & ſperat, cui ſe timore & humilitate ſubjicit, & quem tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipit, motus hujus denique conſumatio, culpæ videlicet remiſſio; *in hac enim juſtificatio conſumatur*. Quamquam vero quatuor hæc ſimul tempore ſint, neque enim juſtificatio gradatim, ſeu, ut loquuntur, *ſucceſſive*, ſed in inſtanti perficitur, eſt tamen, inter ea aliquem naturæ, qui & *rationis* dicitur, reperire ordinem, quo alterum altero naturaliter prius eſſe intelligimus. Quodnam ergo omnium primum? Gratiæ infuſio, reſpondet Angelicus, ſecundum liberi arbitrii motus in Deum, tertium ejuſdem motus adverſus peccatum, poſtremum *culpæ remiſſio*, & quidem aptiſſime; & ſapientiſſime. Nonne etenim quolibet in motu moventis motio naturaliter præit, ut ſuo effectui cauſa, motui mobilis, iſte autem, ut curſus metæ, ut via termino, finis, ad quem dirigitur, apprehenſioni? Quum ergo Dei hominem ad juſtitiam moventis motio ipſa ſit gratiæ infuſio, mobilis autem motus liberi, quod movetur, arbitrii conſenſus, motus denique conſumatio in culpæ remiſſione velut in hujus motus termino obtineatur, annon hæc ordinatiſ-

ſime

ſime a D. Thoma digeſta, & ſuo ſingula loco diſpoſita? Cur vero motum liberi arbitrii in Deum motu ejuſdem adverſus peccatum naturæ ordine priorem ſtatuit? Quod ille hujus cauſa & ratio ſit, nam qui ex impio juſtus fit, peccatum propterea deteſtatur, *quia eſt contra Deum*: Motus ergo ille hunc *naturaliter* antevertit.

VII. Ad hæc ſummatim ex D. Th. perſtricta nec inutile fuerit, nec injucundum, addere, quæ ad majorem divini hujus beneficii commendationem ſibi diſquirenda proponit, ſitne videlicet impii juſtificatio maximum Dei opus, opuſne item miraculoſum, in quibus duobus capitibus explicandis qui divinum pene hominis ingenium non demiratur, nihil jam ferme erit, quod illi accidat admirandum. Quum ſit juſtificatio impii præcipuum divinæ miſericordiæ opus, *miſerationes* autem Dei, ut Pſal. 144. ſcriptum eſt, *ſuper omnia opera ejus*, Deus etiam, ut ſuis in precibus ait Eccleſia, *omnipotentiam* ſuam *parcendo maxime & miſerando manifeſtet*, annon videtur maxime Dei opus impii juſtificatio? Non annuit tamen abſolute Angelicus, ſed, ut ſummum Theologum decet, rem penitius inveſtigans, & quaquaverſus excutiens, judicium de quæſtione propoſita ex pernéceſſaria diſtinctione ſuſpendit, prænotatque, opus *magnum* dici poſſe ex agendi modo, & ex rei, quæ fit, magnitudine: Primo modo divinorum operum maximum hujus univerſitatis rerum creationem conſtituit, *in qua ex nihilo fit aliquid*, alio modo creationi cæli & terræ juſtificationem impii præfert; ex illa enim bonum naturæ mutabilis extitit, ex hac vero *bonum æternum divinæ participationis* habetur, quod tract. 72. in Jo. docuit & Auguſtinus ajens: *Majus opus eſt, ut ex impio fiat juſtus, quam creare cælum & terram; cælum enim & terra tranſibunt, prædeſtinatorum autem ſalus, & juſtificatio permanebit*.

Verum ſi fiat bonorum, quæ ſupra naturæ ordinem ſunt, contentio, quod ferendum de juſtificatione cum aliis Dei intra eumdem ordinem operibus collata judicium? Opuſne cæteris majus? Iterum diſtinguendum monet Angelicus; magnum enim quidpiam dicitur *abſolute*, & *proportione*, ſeu comparate. *Abſolute* juſtorum glorificatio opus eſt impii juſtificatione majus; donum enim gloriæ dono gratiæ juſtificantis impium longe præſtat: Comparate tamen & proportione hoc illi antecellit; nam gratiæ donum magis ab impii, qui æternæ pœnæ reus eſt, indignitate diſtat, quam gloriæ donum a juſti, qui hoc ipſo, quod juſtus eſt, æternæ vitæ meritum habet, dignitate; quare ibidem ajebat Auguſtinus: *Judicet, qui poteſt, utrum majus ſit, juſtos Angelos creare, quam impios juſtificare: Certe, ſi æqualis eſt utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ*.

Eſtne vero juſtificatio in miraculis numeranda? Non uno reſponſo poſſe ſatis propoſitæ quæſtioni fieri, prudentiſſime monet Angelicus, quod in operibus hujuſmodi tria ſpectari conſueverint, pollentia ſcilicet facientis, ſubſtantia rei factæ, & faciendi modus. Priori modo in miraculis habentur, quæ fieri ſola divina virtute poſſunt, quæ & ſimpliciter mira ſunt, quod ſit eorum ſimpliciter occulta cauſa, hocque nomine tam juſtificationem impii, quam mundi creationem, & generatim, quidquid effici a Deo ſolo poteſt, *miraculoſum* dici poſſe, non abnuit: non item ſecundo modo; Quum enim hoc nomine opus aliquod in miraculis habeatur, quod *forma inducta ſit ſupra naturalem potentiam talis materiæ*, ſeu res effecta naturalem excedat ejus, in quo efficitur, capacitatem, ſicut in mortui ſuſcitatione non vita, ad quam revocatur corpus exanime, naturalem ejus *potentiam* ſuperat, facile intelligitur, juſtificationem impii inter veri nominis miracula referri hac ratione non poſſe; hoc enim ipſo, quod animus hominis ad Dei imaginem factus eſt, naturaliter eſt gratiæ capax, ut in l. de Prædeſt. S. S. c. 5. ajebat Auguſtinus: *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum*. Quoniam vero opus aliquod ex agendi modo tum habet, ut miraculoſum ſit, quum eſt iſte præter conſuetum ordinem, quo effici quidpiam ſolet, ut quum infirmus repente perfectæ redditur ſanitati *præter ſolitum curſum ſanationis, quæ fit a natura vel arte*, hinc juſtificationem impii *quandoque miraculoſam* eſſe decernit, *quandoque non*, ponit nimirum auctor hujus operis Deus modum a ſe definitum, ſibique uſitatum, vel tenet, vel prætermittit. In juſtificando autem impio quem Deus ſtatuit, ſervatque modum? *Iſte eſt*, reſpondet Angelicus, *communis & conſue-*

tus curſus juſtificationis, *ut*, *Deo movente interius animam*, *homo convertitur ad Deum*, *primo quidem converſione imperfecta*, *ut poſtmodum ad perfectam deveniat*, *quia charitas inchoata meretur augeri*, *ut aucta mereatur & perfici*, *ut Auguſt. dicit* tract. in ep. 1. Jo. Hunc itaque in juſtificatione impii modum quum tenet Deus, nihil in ea eſt miraculi. Itane vero modus hic conſtans eſt, atque ratus, ut præter illum nunquam operetur omnipotens Deus? *Quandoque*, pergit Angelicus, *tam vehementer Deus animam movet*, *ut ſtatim quandam perfectionem juſtitiæ aſſequatur*, *ſicut fuit in converſione Pauli*, *adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione*; *Et ideo converſio Pauli tamquam miraculoſa in Eccleſia celebriter commemoratur*. Ponere & in Magiſtri ſui Auguſtini converſione potuiſſet exemplum, cujus propterea ceu miraculi plenæ ſolennis fit apud Auguſtinienſes & Prædicatorios Sodales quotannis commemoratio.

VIII. Quas denique D. Thomas tam inſignis hujus divinæ adverſus impium miſericordiæ operis cauſas ſparſim in tractatione *de gratia* indicavit, Tridentinum accurate collegit, compactaſque in ſeptimum ſeſſ. ſextæ caput uno veluti ſub conſpectu ponens inquit: *Hujus juſtificationis cauſæ ſunt*, *finalis quidem gloria Dei & Chriſti*, *ac vita æterna*: *Efficiens vero miſericors Deus*, *qui nos gratuito abluit*, *& ſanctificat*, *ſignans & ungens Spiritu S.*, *qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*: *Meritoria autem Dilectiſſimus Unigenitus ſuus D. N. J. X.*, *qui*, *quum eſſemus inimici*, *propter charitatem ſuam*, *qua dilexit nos*, *ſanctiſſima paſſione ſua in ligno crucis juſtificationem nobis meruit*, *& pro nobis Deo Patri ſatisfecit*: *Inſtrumentalis item Sacramentum baptiſmi* (& pœnitentiæ) . . . . *Demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei*, *non qua ipſe juſtus eſt*, *ſed qua nos juſtos facit*, *qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ*, *& non modo reputamur*, *ſed vere juſti nominamur*, *& ſumus*, *juſtitiam in nobis recipientes*, *unuſquiſque ſecundum ſuam menſuram*, *quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis*, *prout vult*, *& ſecundum propriam cujuſque cooperationem & diſpoſitionem*; *Quamquam enim nemo poſſit eſſe juſtus*, *niſi cui merita paſſionis D. N. J. X. communicantur*, *id tamen in hoc impii juſtificatione fit*, *dum ejuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eorum*, *qui juſtificantur*, *atque ipſis inhæret*: *Unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum*, *cui inſeritur*, *fidem*, *ſpem*, *& charitatem* &c. Paucula hæc de juſtificatione impii, quam D. Thomas *gratiæ operantis effectum vocat*: Jam nunc de merito, quod *gratiæ* attribuit *cooperanti*.

DE MERITO.

I. Quo ab ipſo meriti nomine ac finitione ordiamur, tritiſſima eſt apud Latinos meriti appellatio, ut bene vel male de quopiam mereri &c. Nomen hoc a mercede deductum exiſtimat Soto l. 3. de nat. & grat. c. 7.; Eſt enim meritum opus, cui debetur merces, item quempiam mereri eſt, jus ſibi ad præmium parere. Ad meriti indolem naturamque perveſtigandam, ex iis aptiſſime ſumendum initium, quæ 1. 2. q. 21. ar. 3. Angelicus adnotat, tria in humano actu conſideranda, primo libertatem, unde habet, ut laude aut vituperatione ſit dignus, ſecundo ordinem ad finem, unde virtutis aut vitii rationem induit, tertio reſpectum ad alterum, puta ad Remp., vel ſingularem perſonam, cui vel utilis eſt, vel noxius, ex quo rationem derivat meriti, vel *demeriti*, ſic enim malum meritum dudum vocari conſuevit in ſcholis. Hinc tres pateſcunt meriti, ſive actus, quem *meritorium* dicimus, conditiones, prima quod ſit opus liberum, ſecunda, quod bonum, ſeu virtutis opus ſit, tertia, ut in obſequium ejus cedat, a quo quis meretur. Hinc facile conſtat, quare vel nomen meriti tantum perhorreſcant Novatores, ipſumque nobis dent improperio, & tanquam Pelagianam notam inurant; quum enim duæ ſint veluti *fundamentales* meriti conditiones, libertas, & bonitas, qui libertatem ab hominis arbitrio penitus ſuſtulerunt, quique axiomatis loco habent, concupiſcentiam etiam in renatis veri nominis peccatum eſſe, ideoque opera omnia, non modo, quæ gratiam antecedunt, ſed & quæ juſtus facit, peccata eſſe, nec talia ut per ea lex impleatur, qui poterant, ſi conſtare ipſi ſibi volebant, non omne meritum exterminare? Cœterum quum demonſtratum alibi jam ſatis ſit, & hominem poſt Adæ prævaricationem libertate

pol

pollere, nec, quæ in renatis remanet, concupiſcentiam vere proprieque peccatum eſſe, non eſt, cur duo hæc eorum tela, quibus adverſus meritum pugnant, iterum retundamus.

II. Neque minus a veritate aberrant, qui juſtorum meritum negant, quod in illud conditiones non quadrent, quas ipſi perperam commenti ſunt univerſo Patrum ac Theologorum choro inauditas. Pictetus Genevenſis Miniſter & Theologiæ Magiſter, ut mereri homo quidpiam a Deo poſſit, neceſſarium ſancit, ut ſit hominis opus nullo nomine debitum, ut ſit illud uſquequaque perfectum, ut ex propriis hominis viribus proficiſcatur, ut ſit ejus denique ad præmium vel mercedem propoſito. Hæcne vero Eccleſiæ doctrina? Sicne poſſe apud Deum aliquod hominis eſſe meritum, Catholicorum ulli in mentem venit? Quis noſtrum non plane ratum habet & fixum, quod D. Thomas 1. 2. q. 114. ar. 1. cujus titulus, *utrum homo poſſit aliquid a Deo mereri*, docet? Quum ad idem, ait, referantur merces & meritum, mercedem enim dicimus, quod operi vel labori, inſtar cujuſdam pretii, retribuitur, ut juſtum pretium pro merce perſolvere, ita & mercedem operi vel labori rependere, *actus juſtitiæ eſt*; Quum ſit autem hæc *quædam æqualitas*, inter eos ſimpliciter juſtitia eſſe poteſt, quos inter ſimpliciter eſt æqualitas, inter eos autem, quorum nequit eſſe ſimpliciter æqualitas, nec juſtitia ſimpliciter, ſed quidam tantum eſſe poteſt juſtitiæ modus: ubi ergo ſimpliciter juſtum, ibi & ſimpliciter meriti & mercedis ratio, ubi vero non ſimpliciter, ſive perfecte juſtum, ſed imperfecte ſolum, ſeu, ut ajunt, *ſecundum quid*, ibi nec meriti ratio ſimpliciter, ſed dumtaxat *ſecundum quid*, nimirum ſecundum aliquam juſtitiæ juſtitiæ imitationem, ſicque & filium a Patre, & ſervum a Domino quidpiam mereri dicimus. Quo hæc tam longe petita? Ad evertendam funditus ſtultiſſimam Picteti, ejuſque gregalium poſitionem, & conſtabiliendam ſimul & vindicandam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam. Quum ſit maxima, pergit Angelicus, Deum inter & hominem inæqualitas, infinito enim intervallo diſtant, & quidquid boni habet homo, totum a Deo eſt, non poteſt Deum inter & hominem juſtitia eſſe *ſecundum abſolutam æqualitatem*, *ſed ſecundum proportionem quandam*, prout nimirum uterque modo ſuo operatur; quum ſit itaque a Deo humanæ virtutis modus atque menſura, nequit hominis apud Deum meritum eſſe, niſi poſita *divina ordinatione*: hæc autem quæ? Ut id homo operatione ſua quaſi mercedem obtineat, ad quod ei operandi virtutem Deus attribuit, ſicut & naturales res hoc operatione motuque ſuo aſſequuntur, ad quod divinitus ſunt ordinatæ, hoc tamen intercedente diſcrimine, quod quum homo, ut & Angelus, liberi arbitrii ſit, ideoque non moveatur ſolum, ſed & libere ſe moveat ad agendum, in ejus dumtaxat, non autem in naturalium rerum, actiones convenire ratio meriti poteſt.

III. Divina hac *ordinatione*, quam ſacræ literæ Math. 20. *conventionem cum operariis*, Tridentinum autem ſeſ. 6. c. 16. *promiſſionem miſericorditer factam* appellant, omne hominis apud Deum meritum ſeu fundamento ſubnititur, quo ſublato nemo noſtrum non annuit, humanum apud Deum meritum omne concidere, ſeu nullum ei locum eſſe, ſi divinam hanc ordinationem, conventionem, promiſſionem, pactum excluſeris. Hac ſola ordinatione fit, ut, licet, quemadmodum Lucæ 17. monet Chriſtus, *quum omnia, quæ præcepta ſunt, fecerimus*, dicere debeamus: *Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus*, ſperanda tamen juſtis ſit merces, quemadmodum reſpondet Angelicus, quod Deo placeat, meriti loco habere, & mercede afficere, quod ſibi homo debet: eadem hac fit Deus non quidem homini, ſed ipſe ſibi debitor rependendæ bonis operibus mercedis & præmii; quum enim bona hominis actio, meriti rationem, niſi ex divina ordinatione, non induat, annon debitum, hanc ordinationem impleri? Denique etſi Job 35. veriſſime ſcriptum ſit. *Si juſte egeris, quid donabis ei, aut quid accipiet de manu tua?* ex eadem hac tamen Dei ordinatione ſed, ut quidquid juſte agimus, merito nobis adſcribat, nec ſine mercede eſſe velit; Ut enim præclare exponit Angelicus, non quærit ille ex bonis noſtris utilitatem, ſed gloriam, ſeu bonitatis ſuæ manifeſtationem, quam ex ſuis ipſe operibus quærit; *omnia* enim *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Ex quo ergo eum colimus, nihil ei, ſed nobis accreſcit, & promeremur inde mercedem, non quod ex operibus noſtris quidpiam in Deum redundet utilitatis ac commodi, ſed quod propter ejus gloriam operemur, cui operationi etſi alioqui de-

eſt, non poſſe haberi, niſi per gratiam, ideo hoc ipſum, quod bona operamur, & quod opus noſtrum eſt dignum vita æterna, eſt a gratia Dei; unde in Pſalmis dicitur, gratiam & gloriam dabit Dominus: Sic igitur opera noſtra ſi conſiderentur in ſui natura, & ſecundum quod procedunt a libero arbitrio hominis, non merentur ex condigno vitam æternam, ſed ſolum ſecundum quod procedunt ex gratia Spiritus S. . . . & hoc fit in X. J. D. N., ideſt per Chriſtum, vel inquantum in ipſo ſumus per fidem & charitatem, juxta illud Jo. 6. Omnis qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam.

Nec aliud ſibi voluiſſe Auguſtinum, quum in l. de Grat. & lib. arbit. c. 9. ſcripſit: *Poſſet recte dicere, ſtipendium juſtitiæ vita æterna, ſed maluit dicere, gratia Dei vita æterna, ut intelligamus, Deum ad æternam vitam nos pro ſua miſeratione perducere, non meritis noſtris*, declarat Angelicus, indicatam ab eo nimirum *primam cauſam perveniendi ad vitam* æternam, quæ eſt Dei miſeratio, non autem excluſa hominis merita, quæ ſunt divinæ miſerationis effectus & dona, ſimulque proxima obtinendæ beatitudinis cauſa; Pergit enim Auguſtinus: *Numquid non corona bonis operibus* redditur? *Sed quia ipſa bona opera ille operatur in bonis, de quo dictum eſt* ad Phil. 2. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, ideo dixit Pſalmus* 102., *Coronat te in miſericordia, & miſerationibus, quia ejus miſeratione operantur, quibus corona redditur.*

V. At ut gloriam mereri homo poteſt, itemne gratiam? Non uno reſponſo dirimi hæc quæſtio poteſt, quod non una ſit apud Theologos gratiæ acceptio, & pro varia ejus acceptione idem reſpondere, res & veritas non permittat. Aliam dicunt *primam*, cujus nimirum infuſione homo fit juſtus Deoque gratus, quum ante non eſſet, aliam *ſecundam*, ſeu primæ incrementum. Primam non poſſe ſub merito hominis cadere, invicte probat Angelicus, tum quod ſit illa gratuitum donum, cui meritum omne repugnat juxta immotum illud Apoſtoli ad Rom. 11. effatum: *Si autem gratia, jam non ex operibus*, tum quod id non ferat ipſa rei, quæ donatur, natura, quæ longe præſtat naturali hominis proportioni, ac virtuti. Præterea, aut ſermo inſtituitur de impio nondum habente gratiam, aut de juſto gratia jam prædito: Qui poteſt ille primam mereri gratiam, qui hoc ipſo, quod peccato obſtrictus eſt, maximum in ſe habet commerendæ gratiæ impedimentum? Nec ſub alterius merito poteſt prima gratia cadere; quum ſit enim merces, quæ merito redditur, operis terminus, gratia vero cujuſque boni operis principium, qui poteſt juſtus gratiam jam habitam promereri, a cujus virtute atque influxu habet, ut bene operando ſibi meritum comparet? Si quod ergo gratuitum donum gratiæ jam habitæ virtute meretur, non erit illud prima gratia ſed ſecunda. Verum quid facias Auguſtino Præfat. in Pſal. 31. ſcribenti: *fides meretur juſtificationem?* Non ei excidiſſe, reſpondet Angelicus, quum in eo errore eſſet, ſicut l. 1. Retract. c. 23. ipſe fatetur ingenue, fidei ſcilicet initium ex nobis eſſe, conſumationem ex Deo. Poſita itaque fidei veritate, pro qua poſt ſuſceptum Epiſcopatum ſtetit Auguſtinus ipſe conſtantiſſime, & ipſum fidei initium a Deo in nobis eſſe, manifeſtum eſt, ipſum fidei actum primam ſubſequi gratiam, ejus propterea *meritorium* eſſe non poſſe. Quid ergo eſt, quod non ſemel ait Apoſtolus, *juſtificari hominem per fidem?* An quod homo juſtificationem credendo promereatur? Abſit, reſpondet Angelicus: *Per fidem juſtificatur homo . . . . quia dum juſtificatur credit, eo quod motus fidei requiritur ad juſtificationem impii*, ut ſuperius dictum eſt, quum de juſtifi. num IV.

VI. Qui tamen commerere ſibi primam gratiam nequit, eam ne ſaltem alteri? Priuſquam D. Thomas poſitæ quæſtioni faciat ſatis, animadvertit, opus noſtrum meriti rationem habere primo quidem ac præcipue ex motionis divinæ virtute, ſecundo ex liberi arbitrii conatu, quatenus aliquid voluntarie facimus, ex primo capite meritum exiſtere, quod *de condigno*, ex ſecundo meritum, quod dudum in ſcholis uſus obtinuit, ut *congrui*, ſeu condecentiæ dicatur; Dum enim naturali ſua virtute homo bene utitur, *congruum* eſt, ſeu condecet, *Deum ſecundum ſuperexcellentem virtutem ſuam excellentius operari*. Hinc autem quid? *Merito condigni* neminem præter Chriſtum primam alteri mereri gratiam poſſe; quum hujuſmodi enim meritum a divina motione proficiſcatur, nequit ultra porrigi, quam quo motio iſta propellit & dirigit: Quo vero divina hæc motio ſpectat? Singuli homines per gratiæ

donum

donum a Deo moventur, ut ad æternam vitam ipſi perveniant, quod ex ſuperius declarato gratiam gratum facientem inter, & gratis datam diſcrimine perſpicuum eſt; Ad commerendam aliis itaque *de condigno* prima gratiam quum motio hæc non feratur, nequeunt ſingulares homines fines hos divinitus poſitos tranſilire. Idem ne vero de Chriſto? Quum ſit ille conſtitutus a Patre Eccleſiæ caput, humanæque ſalutis Auctor, *anima ejus* per gratiam divinitus *mota eſt*, non ſolum ut ipſe ad æternæ vitæ gloriam perveniret, verum etiam ut ad eam alios adduceret, quod ex iis Apoſt. ad Hebr. 2. patet. *Qui multos filios adduxerat in gloriam, Auctorem ſalutis &c.* Secus tamen pronuntiandum, ſi de merito *congrui* verba ſint; Quia enim juſtus gratia preditus divinam voluntatem implet, congruum eſt *ſecundum amicitiæ proportionem*, ut voluntatem juſti alterius juſtificationem & ſalutem optantis, pro ea fundentis preces, aut alia pietatis opera exercentis Deus impleat, hocque monet Angelicus, iis Script. teſtimoniis commendari, in quibus legimus, juſti *fidem*, & *deprecationem aſſiduam apud Deum* valere pro aliis, & qui ſibi *amicos faciunt de mammona iniquitatis*, ſive eleemoſynis pauperum inopiam relevant, ab iis *recipi in æterna tabernacula*. Notandum tamen, juſtorum, etiam maximi apud Deum meriti preces pro aliis & vota irrita eſſe, quod impedimentum apponat ille, *cujus aliquis Sanctus juſtificationem deſiderat*, quod D. Thomas iis comprobat, quæ Deus Jer. 15. ait: *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*

VII. Hactenus de prima gratia: pauca jam de ſecunda. Bonis operibus *per Dei gratiam*, & *Chriſti*, cujus juſti *viva ſunt membra*, *meritum factis* gratiam *augeri* poſſe, fidei caput eſt a Trident. ſeſ. 6. de Juſtific. can. 24. & 32. definitum, ad quod confirmandum multum momenti affert D. Thomæ ratio: Sub merito *condigni* cadit, quidquid motioni gratiæ ſubeſt; quum ergo cujuſque moventis motio non ultimum ſolum motus terminum, ſed & totam in motu proceſſionem comprehendat, & virtute ſua contingat, idem de Spiritus S. motione cenſendum, qui juſtum inhabitat eumque per gratiam movet: Ut autem myſtici hujus motus beatus terminus æterna gloria, ita in hoc motu progreſſionem facit gratiæ vel charitatis acceſſio, ſicut Prov. 4. ſcriptum legimus: *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem*, ſeu diem gloriæ: Non itaque vitam æternam ſolum, ſed & gratiæ & charitatis augmentum mereri juſtus per Spiritus S. motionem poteſt. Scite tamen animadvertit Angelicus, etſi omni pietatis actu ex Spiritus S. motione profecto mereatur homo gratiæ incrementum, ut & ejuſdem conſumationem in patria, ut tamen æternæ vitæ merces non ſtatim, ſed ſuo tempore, merenti rependitur, ita nec ſtatim augeri gratiam, ſed ſuo tempore, tum ſcilicet, quum quis fuerit ſatis ad acceſſionem gratiæ diſpoſitus.

VIII. Eodem, quod poſuit, firmiſſimo principio conſtanter utens, quum ſcilicet a Dei motione opera noſtra meriti rationem habeant, eo uſque meritum hominis porrigi, quo divina illud motio provehit, probat Angelicus, non poſſe hominem ſibi mereri reparationem poſt lapſum, ſeu ut in ſtatum juſtitiæ, a quo peccando excidit, revocetur; Meriti enim, quod *condigni* dicitur, vis ex divinæ gratiæ motione pendet; quum ergo hæc peccato, in quod juſtus lapſus eſt, fuerit interrupta, quibus poſtmodum Deus hominem reparat, *beneficia ſub merito non cadunt*; neque enim ad hæc prioris gratiæ motio peccato interrupta ſe extendit. Saltem ne vero merito, quod vocant *congrui*, poteſt quis hoc ſibi beneficium promereri? Negat Angelicus, evincitque ratione plane invicta, quod negat; Hujuſmodi enim meritum, quo quis alteri primam mereri gratiam poteſt, ut ſuperius oſtenſum eſt, quoties inane, & effectu vacuum, quod impedimentum ſua ille malitia, cui quis meretur, apponat? Multo igitur magis meriti hujuſmodi efficacitatem fruſtrabitur, quod in unam eamdemque, ejus ſcilicet qui meretur, & cui meretur, perſonam concurrit, impedimentum: Nemo itaque ſibi reparationem poſt lapſum mereri ulla ratione poteſt.

IX. Ad idem principium velut ad certiſſimam regulam dirigit D. Thomas, & quæſtionis alterius graviſſimæ finitionem, *utrum* ſcilicet *poſſit homo perſeverantiam mereri*, & quo clarior ſit, & expeditior quæſtionis poſitæ enodatio, præmittit, quum ſit liberum hominis arbitrium naturaliter ad bonum & ad malum flexibile, atque mutabile, 'obtinere aliquem a Deo dupliciter poſſe firmitatem', ſive perſeverantiam in bono, primo quod liberum

ejus

Digitized by Google

ejus arbitrium per gratiam conſumatam figatur in bono, quod *erit in gloria*, *alio modo*, quod divina motione inclinetur ad bonum ad finem uſq: Hoc præmiſſo demonſtrat, perſeverantiam patriæ, non autem viæ, cadere ſub juſtorum merito poſſe, hancque *gratis* a Deo donari, cuicumque donatur. Cur vero? Illud, ait, ſub humano merito cadit, quod motus liberi arbitrii a Deo movente directi terminus eſt, cadere autem ſub merito nequit, quod eſt motus hujus principium; quum ergo perſeverantia gloriæ prædicti motus terminus ſit, perſeverantia autem viæ ex divina ſolum motione ceu cujuſcumque meriti principio pendeat, illam mereri juſtus poteſt, non item illam. Videntur hæc tamen Auguſtino adverſari ſcribenti in l. de *dono Perſev.* cap. 6. *Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt*, ſed, *quum datum fuerit*, *amitti non poteſt*. Nemo unus Theologorum eſt, qui hoc Auguſtini dictum non explicet de merito late minuſque proprie ſumto, non autem de veri nominis merito, quod *condigni* vocare ſolent, quæ explicatio ipſis Auguſtini verbis innititur; Quid enim eſt *ſuppliciter emereri*, niſi ſupplicando impetrare, & precibus, quod petitur, ab eo, qui, rogatur, obtinere? Hinc D. Thomas ſapientiſſime monet, in oratione Dominica peti a nobis perſeverantiæ donum, ut ex Cypriano non ſemel docet Auguſtinus, nec tamen fruſtra, etſi mereri illud non poſſimus; quoniam & quæ non meremur orando impetramus, quum & peccatores ſcelerum petentes veniam, quam non merentur, teſte Auguſtino Deus exaudiat; alioqui fruſtra Publicanus oraſſet; *Deus propitius eſto mihi peccatori*: Etſi ergo ſub merito donum perſeverantiæ non cadat, illud tamen aliquis a Deo precibus impetrat vel ſibi, vel aliis, quia, ut ait idem Angelicus, impetratio orationis miſericordiæ, condigni autem meritum juſtitiæ innititur: multa propterea ex divina miſericordia impetrat homo, quæ ſecundum juſtitiam non meretur, quare Dan. 9. legimus: *Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.*

X. Quid poſtremo de bonis, quæ temporalia dicimus, ſentiendum? Hæcne etiam mereri homo a Deo poteſt? Eſt D. Thomas in hujus quæſtionis diſſolutione plane mirabilis. Prænotat acutiſſime, præmium vel mercedem, quæ eſt meriti terminus, quidpiam bonum eſſe, ideoque pro varia boni indole variam eſſe præmii vel mercedis, ideoque & meriti, rationem. Quotuplex autem hominis bonum? Aliud *ſimpliciter* ſeu perfectum, quod in ultimo ejus fine, & in omnibus, quæ obtinendo huic fini conducibilia ſunt, poſitum eſt, quare ajebat Pſaltes Pſal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum* eſt, aliud non ſimpliciter. ſed duntaxat ſecundum quid, quod nimirum homini bonum eſt *ut nunc*, vel imperfecte, ſeu nonniſi aliqua ex parte. Prioris generis bonum ut mercedis ac præmii ſimpliciter rationem habet, ita & cadere ſub merito ſimpliciter poteſt, ſecus autem poſterioris ordinis bona.

Exin ad propoſitam quæſtionem finiendam accedens decernit, ſi temporalia bona ſpectentur, ut ad virtutum opera, quibus ad æternam perducimur vitam, exercenda utilitatem afferunt, *directe* ac *ſimpliciter* cadere illa ſub merito, haud ſecus ac gratiæ acceſſionem, & cætera, quibus poſt primam gratiam ad æternam obtinendam vitam homo divinitus adjuvatur; hoc enim nomine temporalia hæc ſunt bona ſimpliciter, tantumque bonorum hujuſmodi, ut & mortalis hujus vitæ malorum Deus *viris juſtis* dat & diſtribuit, *quantum eis expedit ad perveniendum ad æternam vitam*, ut Pſal. 33. legimus: *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono*, & Pſal. 36. *Non vidi juſtum derelictum*, *nec ſemen ejus quærens panem*. Cæterum ſi *bona hujuſmodi conſiderentur ſecundum* ſe, ut non ſunt illa bona *ſimpliciter*, ſed duntaxat *ſecundum quid*, ita nec mercedis aut præmii ſimpliciter rationem habere poſſunt, nec propterea poteſt ea homo mereri ſimpliciter, ſed tantum *ſecundum quid*.

Tandem explicans quomodo hæc homines ſecundum quid mereri poſſint, ait: „ Inquantum homines moventur a Deo „ ad aliqua temporaliter agenda, in quibus ſuum propoſitum conſequuntur, Deo „ favente, ut, ſicut vita æterna eſt ſimpliciter præmium operum juſtitiæ per relationem ad motionem divinam modo „ explicato, ita temporalia bona in ſe conſiderata habent rationem mercedis, habito reſpectu ad motionem divinam, „ qua voluntates hominum moventur ad „ hæc proſequenda, licet interdum homines in his non habeant rectam intentionem. “ Exemplum in Rege Babylonis po-

Digitized by Google

ponit, cui Ezech. 29. Deus mercedem rependiſſe dicitur *pro eo, quod ſibi laboraſſet* in exſcindenda Tyro, quam punire Deus volebat, quamvis ille Tyrum non oppugnarit, *quaſi volens Deo ſervire, ſed potius ut ſibi dominium uſurparet*, necnon in Ægyptiis obſtetricibus, quibus Deum *ædificaſſe domos* Exodi 1. legimus, pro collata ab eis ad liberandos Hebræorum pueros opera ex miſericordiæ affectu, *quarum tamen non fuit recta voluntas, quantum ad hoc quod mendacium confinxerunt*; atque heic finis eſt noſtrarum de gratia prælectionum.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

FINIS TOMI SEXTI.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIONUM DE GRATIA INDEX.

PROŒMIUM.

PARS I.

PRÆLECTIO I.

De notione gratiæ.

I. GRatiæ nomen & in naturæ dona latiſſime convenit. II. III. Proprie tamen in ſola dona naturæ divinitus ſuperaddita quadrat. IV. Gratia Dei quidpiam in homine vere ponit. V. Magiſtri Sent. de charitate opinio refellitur. VI. Quid dilectionem Dei inter, & hominis interſit, oſtenditur. VII. & VIII. Cur D. Thomas gratiam *exterius humanorum actuum principium* dixerit, explicatur. 2

PRÆLECTIO II.

De gratiæ diviſione.

I. Prima gratiæ diviſio in æternam ſeu increatam, & creatam explicatur. II. Item creatæ in gratum facientem & gratis datam. III. Hujus plura genera ab Apoſt. diſtincta ex D. Th. lect. 2. in 1. ad Cor. cap. 12. exponuntur. IV. Dum ait Apoſtolus: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult*, tres, eodem D. Th. Interprete, profligat errores. V. Character Sacerdotalis, & juriſdictio Eccleſiaſt. minus ſcite a nonnullis inter gratias gratis datas referuntur. VI. Gratiam gratum facientem gratis datæ multum præſtare probatur. VII. & VIII. Quæ oppoſitum ſuadere videntur, D. Th. doctrina facile diſſolvuntur. 6

PRÆLECTIO III.

De eodem argumento.

Seu de gratiæ in operantem, & cooperantem diviſione.

I. & II. Nonnulla de habituali & actuali, de excitante, & adjuvante gratia præmittuntur. III. Operantis & cooperantis gratiæ notio ex D. Auguſt.. IV. Et ex D. Th. profertur. V. Varia Theologorum de gratia operante placita recenſentur. VI. Et refutantur. VII. In quo vere ſita ſit gratia operans, figitur. VIII. Quomodo per eam Deus operari ab Auguſtino dicatur *in nobis*, *& ſine nobis*, enucleatur. IX. Late refellitur eorum opinio, qui gratiæ cooperantis notionem in generali phyſico Dei concurſu, quem ſimultaneum appellant, conſtituunt. 11

PRÆLECTIO IV.

De gratiæ partitione in prævenientem, & ſubſequentem.

I. Partitionem hanc e ſacris literis promit, declaratque Auguſtinus. II. Caſſiani de præveniente gratia errorem divini eloquii auctoritate convellit S. Proſper. III. A gratia præveniente nihil periculi libero arbitrio. IV. Gratiam prævenientem a ſubſequente non reipſa, ſed tantum ſecundum varios effectus diſtingui, egregie probat D. Thomas. V. Legitima gratiæ ſubſequentis notio ſubjicitur. VI. Gratiæ prævenientis indoles non mollis, & verſatilis, ſed ſeipſa efficax. VII. Auguſtini, & Arauſ. Syn. teſtimoniis demonſtratur. VIII. Adverſariorum effugium intercluditur. 17

PRÆLECTIO V.

De trita gratiæ in ſufficientem & efficacem ſectione.

I. Quid gratiæ ſufficientis nomine veniat, explicatur. II. Sufficientis gratiæ non ſemel in ſacris literis mentio. III. Falſo dicitur, fuiſſe illa Eccleſiæ Conciliis ignota. IV. Multo falſius, Auguſtinum latuiſſe jactatur. V. Adjutorium *ſine quo*, ſeu ſufficiens, & *quo*, ſive efficax, quæ Auguſtinus expreſſe commendat, non *ſolo reſpectu*, ſed natura ſua diſtinguuntur. VI. Eadem hæc diſtinctio inſigni Cyrilli Alex. teſtimonio comprobatur. VII. Hæc gratiæ diviſio D. Th. non cognita ſolum, ſed & uſitata: VIII. Nec repudiari ſine rationis injuria poteſt. IX. Quibus eam pugnaciter impetunt Adverſarii, X. Vanitatis apertiſſime revincuntur. 21

PRÆLECTIO VI.

De gratiæ ſufficientis notione a Molinæ Diſcipulis, & a Janſenii aſſeclis excogitata.

I. Temperamentum ad Molinæ doctrinam a Suarezio adhibitum indicatur. II. Quale ſit, exponitur; III. Refutatur. IV. Tournely aliorumque Recentiorum nova commentatio exploditur. V. Bellum adverſus gratiam ſufficientem a Calvino commotum, a Janſenio confirmatum. VI. Quæ Janſenio gratia *parva*, VII. Hanc Gregalium ejus aliqui *ſufficientem* perperam vocant, eamdemque inique volunt cum ea, quam Thomiſtæ ſufficientem vere ſtatuunt. VIII. Latiſſimum parvam inter Janſenii, & Thomiſtarum ſufficientem gratiam diſcrimen oculis ſubjicitur. IX. Idem Doctiſſimi Card. Brancatii de Lauræa teſtimonio demonſtratur. X. Nec minima eſt cum parva Janſenii gratia affinitas opinioni illorum Theologorum, qui ponunt, nullum eſſe Dei adjutorium vere ſufficiens, quod non & aliqua ratione ſit efficax. 29

PRÆLECTIO VII.

De gratia efficaci.

I. Varia gratiæ hujus apud Auguſtinum nomina. II. Contrariæ de gratia hac D. Thomæ, & Molinæ aſſeclarum ſententiæ memorantur. III. Vere ejus notio ex Lemoſio primum, IV. Exin ex Alvareſio profertur. V. Gratiam Dei per ſe efficacem eſſe diſertiſſimis divini eloquii teſtimoniis oſtenditur. VI. & VII. firmiſſima ex iis argumenta conflantur. VIII. Additur validiſſimum Auguſt. argumentum in ep. ad *Vitalem*. IX. Cum Auguſt. dictis Adverſariorum opinionem cohærere non poſſe, demonſtratur. X. Quæ reponere ſolent, XI. fuſe diſpelluntur. XII. Gabrielis Danielis reſponſa, XIII. Copioſe refutantur. 37

PRÆLECTIO VIII.

De eodem argumento.

I. & II. Premuntur argumenta, quæ Auguſtinus ex Cypr., Ambr., & Nazienz. inſtruit. III. & IV. Item & quæ cudit ex Cypriani l. *de Dominica oratione*. V. Auguſtinum pro gratia ſuapte efficaci perpetuo ſteteſſe, ad liquidum deducitur. VI. Sententiam noſtram *Auguſtini dogma non eſſe*, Gabriel Daniel falſo ſcribit. VII. Quæ ad eludenda Auguſtini teſtimonia idem excogitavit. VIII. Firmiter depelluntur. IX. Auguſtini argumentum ex precibus Eccleſiæ petitum. X. Adverſus Launojum firmatur. 48

PRÆLECTIO IX.

De eodem argumento.

I. Molinæ adverſus gratiam ſe ipſa efficacem argumenta. II. & III. Fuſe refutantur. IV. Diſtinctio *ſenſus compoſiti & diviſi*. V. Adverſus Gab. Danielem aſſeritur, & conſtabilitur. 60

PRÆLECTIO X.

De gratia congrua.

I. Gratiæ congruæ notio latius evolvitur. II.

Digitized by Google

II. Ejuſdem refutatio ſuſcipitur. III. Gabrielis Danielis effugium. IV. Præciditur. V. Adhibita ad illud Pauli *Quis te diſcernit?* ab aliis interpretatio coarguitur, VI. Aliud Gabr. Dan. reſponſum eliditur. VII. Quæ ille ex Auguſtino opponit, VIII. & IX. legitime explicantur. 67

PRÆLECTIO XI.

In quo vera gratiæ efficacis ſeu victricis notio figenda.

I. Etſi nobis ſupervacua videatur hæc diſquiſitio. II. Quo tamen morem aliis geramus, in varia Theologorum placita inquirimus. III. Plura memorantur. IV. & V. Quorum nullum cum ratione congruere evincitur. VI. Delectationem victricem gratiæ efficacis effectum, & conſectarium eſſe, non autem gratiam ipſam efficacem, Auguſtini auctoritate conficimus. VII. Gratiam efficacem in phyſica Dei motione cum D. Th. locamus. VIII. & IX. Hanc & Auguſtini ſententiam eſſe, locupletiſſima ejuſdem teſtimonia nobis perſuadent.

PRÆLECTIONUM DE GRATIA

PARS II.

PRÆLECTIO I.

Gratiæ Chriſti veteres recenteſque inimici recenſentur.

I. Hieronymus Pelagianæ hæreſeos primum parentem Origenem ponit. II. & III. Varii Pelagianæ hæreſeos ſtatus Auguſtini verbis deſcripti. IV. Pelagii verſutia non ſemel ab Auguſtino notata. V. Phereponi temeritas coarguitur Pelagium purgantis, & Africanos Epiſcopos reprehendentis. VI. Quartus Pelagianæ hæreſeos ſtatus ſub Cæleſtino memoratur. VII. Hunc inter & Maſſilienſium errorem latum diſcrimen. VIII. Pelagii de Prædeſtinationis cauſa error ab Auguſtino damnatus. IX. Nullum Pelagius gratiæ locum reliquit, ut ſua libero arbitrio jura ſervaret. X. Violari a gratiæ defenſoribus humanam libertatem, vetus Pelagianorum calumnia. 82

PRÆLECTIO II.

De eodem argumento.

I. Semipelagianorum initia. II. Errorum ampla deſcriptio ex literis Proſperi. III. & Hilarii ad Auguſt. potiſſimum petenda. IV. Librorum præſertim, quos ad Hil. & Proſp. dedit Auguſtinus, quæ in Eccleſia auctoritas. V. In purgandis a Semipelagianiſmi nota Caſſiano, Fauſto Rejenſi, Vincentio Lirin. & Gennadio a nonnullis Theologis minus feliciter laboratum. VI. Semipelag. hæreſeos fati narratio a S. Remigio Lugdun. Epiſc. breviter digeſta. VII. Eccleſiaſt. hiſt. monumentis comprobatur. 88

PRÆLECTIO III.

De eodem argumento.

I. Lutherus & Calvinus eamdem cum Pelagio viam ingreſſi in contrarios, pugnanteſque errores abierunt. II. Uterque liberum hominis arbitrium ſuſtulit. III. Uterque omnia poſuit abſoluta neceſſitate evenire. IV. Ambo Deum malorum etiam culpæ auctorem, veramque cauſam ſtatuerunt. V. Utrique axiomatis loco eſt, *mandata Dei homini omnino eſſe impoſſibilia*. VI. Nonnulla de variis, in quas utriuſque gregales diſtracti ſunt, ſectis periſtringuntur, præſertim *de Antelapſariis & Poſtlapſariis*, quorum impia dogmata memorantur. VII. Pugna Gomariſtas inter & Arminianos, ſeu Contra-Remonſtrantes inter, & Remonſtrantes, pugnæque exitus preſſe narratur. VIII. Gomariſtarum errores ab Arminianis validiſſime exagitati in Janſenio redivivi ab Innocent. X. rite confixi. 94

PRÆLECTIO IV.

De variis humanæ naturæ ſtatibus.

I. Graviſſimum Dominici Soto monitum præmittitur. II. Statuum humanæ naturæ communis apud Theologos diſtinctio indicatur: Hominis in ſtatu, ut ajunt, naturæ puræ triplex conſideratio ex eodem Soto proponitur. III. Homi-

nis in eodem illo ſtatu nativæ vires . IV. Et naturalis infirmitas exentiuntur . V. An in eo ſtatu condi a Deo homo abſolute potuerit , minus utilis ſemper nobis viſa quæſtio . Recentiſſimi Scriptoris de opinione eorum , qui ſtatum hunc poſſibilem ponunt , judicium non probatur . VI. In ſtatum *integritatis* inquiritur, ejuſque notio explicatur. 100

PRÆLECTIO V.

De eodem argumento.

I. Diſquiritur , quid homo in ſtatu integritatis naturaliter poſſet , quidve non poſſet niſi per donum gratiæ . II. III. & IV. Quæſtio poſita ad D. Th. doctrinam exigitur & finitur . V. Hominis primum in eo ſtatu peccatum non potuiſſe niſi lethale eſſe probatur . VI. De ſtatu lapſæ naturæ diſſeritur , quæriturque, quid illum inter, & puræ naturæ ſtatum interſit . VII. Pugnantia Noſtratium placita Cl. Jo a S. Thom. temperamento conciliantur. VIII. Status demum naturæ reparatæ perpenditur, & quam homini lapſo medicinalis Chriſti gratia reparationem adferat, explicatur . IX. Etſi homo per gratiam reparetur *quantum ad mentem , retinet tamen aliquid de vetuſtate primi peccati quantum ad carnem* , nempe concupiſcentiam . X. Et corporis infirmitatem, atque mortalitatem. 105

PRÆLECTIO VI.

De gratiæ ad veri cognitionem neceſſitate.

I. A vero naturali ortu, quid in veritatibus naturalibus numerandum ſit, exponimus. II. Inter varias Theologorum opiniones D. Thom. ſententia eligitur. III. Nullam ſcilicet naturalem eſſe veritatem , quæ ſingillatim cognoſci ab homine non poſſit *cum ſolo generali Dei moventis auxilio*. IV. D. Th. ratio a quorundam cavillationibus expeditur. V. Nullum eſt ſublime adeo, caputque difficile naturalis ordinis verum, quod non poſſit homo modo explicato percipere. VI. Secus tamen cenſendum eſt de omnium veritatum complexione. VII. Exponuntur exteriora plura, quæ cognitionem hujuſmodi impediunt . VIII. IX. & X. Diluuntur argumenta negantium , cognoſci ab homine ſine ſpeciali gratia poſſe omnia ſingulatim naturalia vera. XI. Omne verum morale, quod *practicum* vocant , non conjuncte ſolum, ſed nec partite cognoſci ab homine lapſo ſine gratia poteſt . 112

PRÆLECTIO VII.

De neceſſitate gratiæ ad veri, quod ſupra naturam eſt, agnitionem.

I. Fidem eſſe donum Dei , negavit Pelagius . II. Quo in errore ſe ante Epiſcop. fuiſſe, teſtatur Auguſt. l. 1. Retract. c. 23. & alibi . III. Quid de hoc capite nonnulli extra Auguſt. & Th. Scholam ſentiant , refertur . IV. Fidem chriſtianam non ſolum, V. Sed & ejus initium a Deo eſſe, demonſtratur . VI. Caſſiani argumenta , VII. Diſſolvuntur. VIII. Recentiorum opinio, IX. X. & XI. Confutatur. XII. Eorumdem momenta , XIII. Eliduntur . 118.

PRÆLECTIO VIII.

De gratiæ ad opera moraliter bona neceſſitate.

I. Recentiſſimi Scriptoris minus temperata monitio notatur. II. Nonnulla prænotantur. III. In ſententiam communiorem imus, opus homini non eſſe ad quodcunque opus moraliter bonum ſpeciali Dei gratia. IV. Recta ejus explicatio ex Cl. Soto præmittitur. V. Ad eam confirmandam non divini eloquii teſtimonia , quæ nonnulli proferunt , VI. Sed S. Auguſtini . VII. Et D. Thomæ . VIII. Nec non rationum momenta conferimus. IX. Quæ ex Scripturis. X. Ex Conciliis & Patribus . XI. Et ex naturæ ratione torqueri ab Adverſariis ſolent . XII. Plene refelluntur . XIII. Futile eſt, quod ſententiam noſtram conſequi putatur, abſurdum . XIV. Ad Prælectionis calcem graviſſima Soto verba ſubduntur. 127

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO IX.

An, & quæ ad Deum, ut auctor naturæ eſt, ſuper omnia diligendum, ad implendam totam naturæ legem, graveſque vincendas tentationes, neceſſaria ſit gratia.

I. Theologorum de primo capite diſſidium memoratur. II. Recentiorum quorundam opinio deſcribitur. III. Et Scripturarum, Conciliorum, ac Auguſtini auctoritate coarguitur. IV. Vana eorumdem effugia præcluduntur. V. Eadem opinio D. Th. teſtimoniis falſi revincitur. VI. Quæ ſibi favere putant, ejuſdem loca. VII. Legitime declarantur. VIII. Inepta, quæ ex ratione conferunt, momenta diſpelluntur. IX. De duobus aliis capitibus non levis nobis cum priſcis recentibuſque Hæreticis, nec non cum Catholicorum nonnullis concertatio. X. Nullum eſſe Dei præceptum, quod vel naturæ, vel gratiæ viribus implere homo non poſſit, adverſus Novatores oſtenditur. XI. Ab homine autem lapſo impleri omnia ſine gratia non poſſe, adverſus Pelagianos evincitur. XII. Gregorii Arimin. opinio rejicitur. XIII. Qui libero arbitrio tantum tribuunt, ut valere illud ſtatuant ad quævis etiam ſuperioris ordinis præcepta *quoad ſubſtantiam* implenda, & graves quaslibet tentationes vincendas, a S. S. Auguſt., Profp., & Th. doctrina procul abſunt. XIV. XV. XVI. & XVII. Eorum reſponſa vanitatis redarguuntur. 138

PRÆLECTIO X.

De neceſſitate gratiæ ad emergendum, & abſtinendum a peccato.

I. Jamdudum ab Eccleſia definitum, ad utrumque neceſſariam eſſe gratiam. II. Primum caput eximia D. Thomæ ratione firmatur. III. Nec quidquam ille alicubi habet. IV. Quod veritati huic præclare non concinat. V. Quo alterum quæſtionis caput recte percipiatur, præclara D. Th. doctrina præmittitur. VI. Homo peccato obſtrictus poteſt quidem ſingula, ſed non omnia peccata gravia diu ſine gratia vitare. VII. Nec tamen hinc ſequitur, poſſe aliquem certo ſcire, ſe peccati gravis expertem. VIII. Homo a peccato jam per gratiam liberatus ab omnibus poteſt peccatis gravibus abſtinere. IX. Non tamen ab omnibus, quæ *venialia* dicimus. X. D. Thomæ ratio non in ſola, quæ *ex ſubreptione* dicuntur, ſed & in levia *ex objecto* peccata quadrat. Deipara tamen excipienda. XI. Tridentinum conſulto definivit, neminem ut ut juſtum ſine ſpeciali Dei privilegio peccata omnia venialia *in tota vita cavere* poſſe. XII. Harduini & Beruyer abſurda poſitio perſtringitur. 148

PRÆLECTIO XI.

Diſpoſitio ad gratiam num a naturæ viribus, an a gratia ipſa ſit.

I. Diſpoſitionis ad gratiam varia genera. Diſſident de propoſita quæſtione inter ſe Theologi. II. Hominem ſine gratia poſſe ad eamdem proxime ac ſufficienter, ſe præparare cum D. Th. negamus. III. Cujus plane invicta ſunt, quæ cum e Scripturis. IV. Tum ex ratione urget, momenta. V. Quod Salomon ait Prov. 16. : *Hominis eſt præparare animam* &c. veritati huic non adverſari, nitide demonſtrat Angelicus. VI. Nec *remote* poteſt ſuis ſe viribus ad gratiam homo diſponere. VII. Adverſariorum argumentis ſatis cumulate fit. VIII. Celebre effatum, *facienti quod in ſe eſt* &c. & initum a Patre cum Chriſto pactum &c. excutiuntur, & confutantur. IX. Effatum illud, ut ab Adverſariis exponitur, & ab iiſdem excogitatum pactum. X. Nec ſcripti Dei verbi. XI. Nec Auguſtini. XII. Nec D. Thomæ auctoritate. XIII. Nec ſolida ratione conſiſtunt. XIV. Perperam id ſibi Adverſarii perſuadent. XV. Nec recte plura ſententiæ noſtræ objiciunt abſurda. 155

PRÆ

Digitized by Google

nobis reſpondendum occurrerit, declaratur. VII. Recentiſſimi Scriptoris ſuperius citati argumenta ex Auguſtini verbis ducta. VIII. IX. X. & XI. Pro virili diluuntur. XII. Quod late perſecuti ſumus ad Auguſtini teſtimonia reſponſum, jampridem a Cl. Alvareſio ſtrictim adhibitum. 198

APPENDICULA.

De juſtificatione & merito. 206

INDICIS PRÆLECTIONUM FINIS.

Digitized by Google

0056578
Digitized by Google